STUDIO ADDICTUS
Province of Holy Cross
241.7:7

SYNOPSIS

RERUM MORALIUM ET IURIS PONTIFICII

ALPHABETICO ORDINE DIGESTA

ET NOVISSIMIS SS. RR. CONGREGATIONUM DECRETIS AUCTA

IN SUBSIDIUM PRAESERTIM SACERDOTUM

AUCTORE

BENEDICTO OJETTI S. I.

« Nulli sacerdotum liceat
canones ignorare ».
c. 4. dist. 38.

WITHDRAWN

Volumen I.

A - C

EDITIO TERTIA EMENDATA ET AUCTA

STUDIO ADDICTUS
Province of Holy Cross

ROMAE
EX OFFICINA POLYGRAPHICA EDITRICE
Piazza della Pigna N. 53
—
1909

ALOISIUS CATERINI

PRAEPOSITUS PROVINCIAE ROMANAE SOC. IESU

Quum opus, cui titulus *Synopsis rerum moralium etc.*, a Benedicto Ojetti nostrae Societatis sacerdote prius editum amplificatum rursus edendum aliqui eiusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuerit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur.

In quorum fide has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Romae, die 15 augusti anni 1909.

(L. S.)

IMPRIMATUR

Romae, die 8 sept. 1909.

Fr. Albertus Lepidi Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Romae, die 8 sept. 1909.

Iosephus Ceppetelli Patr. Const. Vicesgerens.

TANCREDI · FAVSTI

ARCHIEPISCOPO · SELEVCIENSI

S. OFFICII · ASSESSORI

AVVNCVLO · DESIDERATISSIMO

PRO · EIVS · IN · ME · ET · IN · IESV · SOCIETATEM

EGREGIA · BENEVOLENTIA

HOC · MEVM · OPVS · QVALE · CVMQVE · SIT

TOTVM · IPSI · DICATVM · VOLO

VNVM · VEHEMENTER · APPETENS

VT · MIHI · PRAESENS · E · SVPERIS · FAVEAT

SVOQVE · NVMINE · TVEATVR

NEPOTEM · SIBI · CARISSIMVM

IPSIVS · VIRTVTES · SEDVLO · PERSECVTVRVM

PRAEFATIO

Abhinc quatuor annis amicorum suasionibus et petitionibus, quas multis ex partibus acceperam, motus iterum in lucem edidi hoc meum opus « *Synopsis rerum moralium et iuris pontificii* ». Praeter spem autem accidit, ut, antequam secundus praeterlaberetur annus, omnia iam essent exemplaria divendita et multi manerent adhuc, qui opus ipsum habere sibi desiderarent. Ad tertiam parandam editionem manus admovi statim, sed multis praepeditus negotiis non potui eam publici iuris antea facere. Nunc tantum datum est ut auctam pluribus et emendatam lectoribus offeram. Feliciter autem contigit ut maiores iuris nostri immutationes, quae hoc tempore sapientis Pontificis summi activitate prodierunt, suis locis inserere adhuc potuerim. Verum in primis voluminis huius articulis pauca quaedam secundum antiquius ius conscripta et iam typis edita ulteriores immutationes praeseferre non potuerunt. Qui quidem defectus nonnisi parvum videtur allaturus operi praeiudicium, tum quia pauca tantum sunt, in quibus hoc accidit, eaque minoris momenti, tum quia in ulterioribus articulis facile erit res novis immutationibus aptare.

Volui praeterea in hac nova editione articulis maioris momenti ad calcem addere bibliographiam, quam vocant, seu fontes recensere et litteraturam, quae rei illustrandae, de qua agitur, visa est opportuna. Haud equidem perfectum opus me fecisse arbitror nec facere unquam in mente habui. Consilium

enim tantum fuit adiumenta mihi cognita antiquiorum et recentiorum auctorum recensere quae studiosis viris ad ulteriora studia prodesse poterant. Opera tamen, quae indicavi, non ideo, a me probata censeantur; non raro enim opera quoque recensui, quae ab auctoribus non catholicis conscripta aliquid continent, quod approbarem numquam. Bibliographiam hanc non omni ex parte completam perfectamque esse, si modus etiam spectetur, quo est concinnata, iudicabit lector; omissa enim est indicatio anni et loci, quibus liber editus est. Animadvertere tamen velit hoc ideo factum ne inutiles multiplicarentur repetitiones. Ad calcem operis indicem dabo auctorum, qui in singulis articulis citantur, his quae omisi diligenter adnotatis.

Spero ita me gratam lectoribus fecisse operam, et opus hoc meum qualecumque maiorem adhuc studiosorum approbationem habiturum.

Mirabitur forte quis me huic operi non exiguae molis iam facto eundem reliquisse *Synopsis* titulum. Verum si attendat tum nomen non absolute tantum sed et relative dici posse, tum libris suam quasi esse individualitatem nomine suo se prodentem, conveniet puto mecum antiquo operi antiquum titulum fuisse servandum. Ceterum non immerito illud quis diceret « Prompta bibliotheca manualis canonico-moralis » quemadmodum iam quoad praecedentem editionem amice adverterat notissima ephemeris *Razon y Fé* (*mens. Augusto 1905*). Omnia in Dei gloriam cedant.

PRAEFATIO

AD ALTERAM EDITIONEM

Abhinc quinque annis evulgavi Synopsim hanc rerum moralium et iuris pontificii, sperans, me auxilium quoddam allaturum Sacerdotibus, qui vel curiis episcopalibus sunt addicti, vel sacro vacant ministerio. Spem non fefellit eventus, si id fas est ex operis venditione deducere; iam enim duo ferme anni praeterierunt, ex quibus omnia exemplaria fuerunt divendita. Imo non pauci fuerunt, qui opus istud ad hoc usque tempus instanter peterent. Ut his satisfaciam, novam operis editionem curare aggressus sum. Verum, quum nonnullis doctis et amicis viris, qui antiquae operis editioni suas laudes benigne tribuere voluerunt, visa fuerint nonnulla in eo opere desiderari, in illud consilium deveni, ut opus pluribus augerem. Hinc factum est, ut nova materia non possit amplius uno volumine contineri, sed in duo sit necessario distribuenda. Novum hoc opus non exiguo labore confectum in gloriam Dei cedat et in bonum animarum.

Nihil est, de quo monitum lectorem velim, si illud unum excipias, non raro in quaestionibus, quae ad matrimonium referuntur, quaedam me retulisse ex recenti libello *Praxis apostolicarum dispensationum super impedimentis matrimonii secundam reformatas formulas Apostolicae Datariae;* quod non feci existimans, libellum illum ius aliquod constituere, quum editus fuerit iussu Cardinalis Pro-Datarii, nec ullam afferat pontificiam

approbationem, sed quia refert praxim ipsius Datariae Apostolicae, quam habere perspectam non parvi momenti aliquando est.

Occasionem autem hanc arripio libentissime, gratias publice agendi iis omnibus, qui vel voce, vel privatis litteris, vel scriptis publicis in pluribus ephemeridibus antiquam editionem Synopsis benevolentissime laudarunt.

PRAEFATIO

AD PRIMAM EDITIONEM

Paucis abhinc annis iussus sum indicem analyticum exarare in compendium theologiae moralis P. P. Gury S. I., quod notis illustraverat P. Antonius Ballerini S. I., et P. Dominicus Palmieri eiusdem Societatis novis curis tunc expoliverat et typis mandaverat. Opella perexigua non minimum nacta est favorem. Hinc visum est melius etiam theologiae moralis studiosis, et praesertim sacerdotibus in animarum ministerio detentis consultum iri, si opus aliquod exornarem, in quo facili ratione posset unusquisque ea invenire, quae magis necessaria sunt ut sacrum ministerium uberiori fructu animarum exerceatur. Nec ea praetereunda visa sunt, quae ad disciplinam ecclesiasticam spectant, quaeque Ecclesia mater, Summorum Pontificum auctoritate, gerenda proponit, ut illa omni ex parte sarta tectaque sit, et omnia conspirent in Ecclesiae decus, in Dei gloriam et laudem. Quod consilium invaluit magis, quum primum iussus sum in Pontificia Universitate Gregoriana Collegii Romani iuris canonici praecepta tradere.

Conatus quidem sum brevitati, quantum fieri poterat, studere. At si quando, quum brevis esse allaboraverim, paullo fortasse obscurior factus sum, id lectores benigne, velim, ignoscant, benigneque censeant, id non tam ex auctoris incuria, quam ex rerum ubertate certis conclusa limitibus esse repetendum.

Mens autem fuit opus istud, exigui licet meriti, Tancredi Fausti Archiepiscopo Seleuciensi dicatum velle, ut avunculo in primis dilecto testimonium aliquod grati animi publice exhiberem. Multis siquidem Ipse me beneficiis ornavit, quum non tantum puerulum sacris baptismatis undis Christo addixerit, et, quum adoleverim, sacris ordinibus insigniverit, sed ad christianas virtutes, ad animi praesertim sinceritatem, ad magnum in Ecclesiam amorem, ad coelestium rerum desiderium optime me semper hortatus sit verbo et exemplo. Scilicet omnes, qui eum noverunt, Ipsius vitam christiane actam reminiscuntur, eumque nobis nimis cito praereptum dolent.

SIGLORUM MAGIS USITATORUM EXPLICATIO

c. 1. dist. 101	Canon 1us distinctionis 101ae in prima parte Decreti Gratiani.
c. 22. C. I. q. 1.	Canon 22us Causae 1ae quaestionis 1ae in altera parte Decreti Gratiani.
c. 74. dist. 4. de cons.	Canon 74us distinctionis 4ae de consecratione in tertia parte Decreti Gratiani.
c. 6 de clericis non resident. etc. X. (III. 4)	Caput 6um tituli 4, de clericis non residentibus in ecclesia vel praebenda, ex libro 3° Decretalium Gregorii IX.
c. 1 de clericis coniugatis (III. 2) in 6°	Caput 1um tit. 2, de clericis coniugatis, ex libro 3° Sexti Decretalium (Bon. VIII).
c. 3 de censibus etc. (III. 13) inter Clem.	Caput 3um tit. 13, de censibus, exactionibus et procurationibus, ex libro 3° Clementinarum (Clem. V).
c. 2 de praebend. etc. (III. 2) inter Xvag. comm	Caput 2um tit. 2, de praebendis et dignitatibus, ex libro tertio Extravagantium communium.
c. 1 de concess. etc. (4) inter Xvag. Ioannis XXII	Caput 1um, de concessione praebendae et ecclesiae non vacantis, ex titulo quarto Extravagantium Ioannis XXII.
l. 31 de oblig. et act. D. (XLIV. 7).	Lex 31a tituli septimi libri quadragesimi quarti, de obligationibus et actionibus, in Pandectis seu Digestis.
l. 9 de testibus C. (IV. 20) . . .	Lex 9a tituli vigesimi, de testibus, in libro quarto Codicis Iustiniani.
Inst. Iust. *de rerum div. et qual. (II. 2) § 47*	Paragraphus 47a tit. 2, de rerum divisione et qualitate, in libro secundo Institutionum Iustinianaearum.
Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 12. de ref.*	Concilium Tridentinum, capite 12° sessionis XXIVae de reformatione.
Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 10. de ref. matr.*	Concilium Tridentinum, capite 10° sessionis XXIVae de reformatione matrimonii.
Conc. Trid. *sess. XXV. c. 3 de reg.*	Concilium Tridentinum, capite 3° sessionis XXVae de regularibus et monialibus.
C. C. a. 18. aut *C. It. a. 18* . . .	Codex civilis Italicus, articulo 18°.
C. G. a. 18	Codex civilis Gallicus, articulo 18°.
C. P. a. 32. aut *C. Poen. a. 32* . .	Codex poenalis Italicus, articulo 32°.
S. U. I.	Sacra Congregatio Supremae et Universalis Inquisitionis.

S. C. Cons.	Sacra Congregatio Consistorialis.
S. C. S.	Sacra Congregatio de sacramentis
S. C. C.	Sacra Congregatio Concilii.
S. C. EE. RR	Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium.
S. C. R.	Sacra Congregatio de religiosis.
S. C. P. F.	Sacra Congregatio de Propaganda Fide.
S. R. C.	Sacra Congregatio Rituum.
S. C. Ind.	Sacra Congregatio Indicis.
S. C. Indulg.	Sacra Congregatio Indulgentiarum.
S. Poen.	Sacra Poenitentiaria.
S. R. R.	Sacra Romana Rota.
S. A.	Apostolica Signatura
Pont. Rom. *tit. de ord. conf.* . . .	Pontificale Romanum in titulo de ordinibus conferendis.
Cer. episc. *lib. II. c. 38*	Caput 38um libri secundi Ceremonialis episcoporum.
Rit. Rom. *tit. VIII. c. 23*	Caput 23um tituli octavi Ritualis Romani.
Rubr. gen. miss. *tit. XI. n. 12* . .	Numerus 12us tituli undecimi Rubricarum generalium missalis.
S. Alph. *III. 374.*	S. Alphonsus de Ligorio, Theologia moralis, libro III, numero 374.
S. Alph. *Hom. ap. XV. 47*	S. Alphonsus de Ligorio, Homo apostolicus, tractatu XV, numero 47.
B. P. *II. 9*	Opus theologicum morale in Busembaum Medullam Antonii Ballerini S. I., quod absolvit et edidit Dominicus Palmieri S. I. volumine secundo, numero nono.
Ball. *in Gury II. 363 (16)*	Nota decimasexta P. Ant. Ballerini ad numerum 363 voluminis secundi Compendii Theologiae moralis P. P. Gury S. I.
Ben. XIV. *de syn. XI. c. 7. n. 2.* .	Benedictus XIV, de synodo dioecesana, libro undecimo, capite septimo, numero secundo.
Ben. XIV. *Inst. LX. n. 11*	Benedictus XIV, Institutiones ecclesiasticae, institutione sexagesima, numero undecimo.
Bucc. *I. 10*	Institutiones Theologiae moralis P. Ianuarii Bucceroni, volumine primo, num. 10, Romae.
D'Ann. *II. 3 (4)*	Summula Theologiae moralis Cardinalis Iosephi D'Annibale, parte secunda, numero tertio, nota quarta sub eodem numero; edit. 3a, tip. de Propaganda Fide, 1891.
G. B. *I. 323.*	Compendium Theologiae moralis P. I. P. Gury S. I. adnotationibus Antonii Ballerini S. I. locupletatum, et a Dominico Palmieri S. I. novis curis expolitum, editio 12a, Prati, 1894, volumine primo, numero tercentesimo vicesimo tertio.
S. Th. *2. 2. q. 36. a. 1. ad 1um.* .	S. Thomae Aquinatis Summa theologica, Secunda Secundae, quaestione tricesimasexta, articulo primo, responsione ad dubium primum.
Praxis etc.	Praxis Apostolicarum dispensationum super impedimentis matrimonii secundum reformatas formulas Apostolicae Datariae iussu edita emi Card. Pro-Datarii Caietani Aloisi-Masella, Romae, 1902.

Citationes pro aliis auctoribus usurpatae speciali declaratione non indigent.

SYNOPSIS

RERUM MORALIUM ET IURIS PONTIFICII

A

1 **Abbas.** — **De electione abbatis.** — Abbas eligi debet a monachis, quibus praeficiendus est, non quidem ab omnibus, sed ab iis inter illos, qui ius eligendi habent; et generatim debet esse professus eiusdem monasterii vel ordinis regularis, numquam autem non professus, " quum in magistratum assumi non debeat, qui formam discipuli non assumpsit, nec sit praeficiendus, qui subesse non novit „. *c. 49 de elect. etc. X. (I. 6); c. 13 eiusd. tit.;* Gonzalez *in tit. 13 lib. I. Decr.*

Electio autem abbatum confirmanda est vel ab episcopo, vel ab abbate generali, vel pro monasteriis exemptis a Papa. Sägmüller *Lehrb. d. k. KR.* § *188.*

2 **De ordine requisito vel non.** — Pro abbatibus antiquitus nullus ordo requirebatur, et generatim ne clerici quidem erant; iure tamen decretalium debent esse presbyteri. *c. 1 de aetate etc. praefic. X. (I. 14).* Si vero agatur de abbatiis mere titularibus sine cura animarum et sine iurisdictione, etiam nunc nullus ordo requiritur.

De aetate requisita. — Quoad aetatem 3 in eligendo abbate requisitam, nota, plures referre (cfr. Ferraris *Prompta bibl. v.* " *Aetas* „ *nn. 26. 27;* Mühlbauer *Thes. res. S. C. C. v.* " *Abbas* „ *1*), S. Congregationem Concilii statuisse ad generalatum, provincialatum, abbatiatum aliasque similes dignitates iurisdictione quasi episcopali gaudentes, necessariam esse aetatem triginta annorum.

Plures tamen canonistae putarunt sufficere aetatem vigintiquinque annorum inchoatorum ex § 2 capitis 7i de electione etc. X. (I. 6). Gonzalez *loc. cit.*

De benedictione recipienda. — Abbates 4 regulares infra annum a die electionis computandum debent recipere ab episcopo, in quorum dioecesi situm est monasterium (non autem ab alio abbate etiam proprii ordinis, *S. R. C. in Brixin. 24 iul. 1638 [648]*, nisi habeant speciale privilegium, quale ex. gr. Cle-

STUDIO ADDICTUS
Province of Holy Cross

mens XIV concessit abbati generali pro tempore exsistenti Congregationis Silvestrinorum Ord. S. Benedicti constitutione sua " Apostolicae benignitatis „ *29 apr. 1774*), solemnem benedictionem abbatialem; vel saltem eam ter humiliter petere (Wernz *Ius Decr. II. 388*); semel benedicti autem, si transferantur ad aliud monasterium, etiam alterius dioecesis, non tenentur iterum petere benedictionem. *Const.* Benedicti XIII. " Commissi nobis „ *6 maii 1725*.

5 Benedictio autem danda est secundum formulam et ritum praescriptum in pontificali romano. Hoc valet etiam pro abbatibus secularibus, pro quorum benedictione, si in formula aliquid sit, quod eis minime convenit, recurrendum est ad sacram Rituum Congregationem, quae in singulis casibus respondebit, formulam accommodando casibus ipsis. *S. R. C. in Brunen. 19 maii 1896 (3905).*

Haec autem benedictio convenientius fit die dominica vel festiva. *S. R. C. in una S. Hippolyti 31 aug. 1867 ad 8 (3162).*

6 **De abbatibus quoad concilia.** — Abbates generales ordinum religiosorum ex privilegio et consuetudine vocantur ad concilia *oecumenica* cum voto decisivo (Schmalzgrueber *in tit. 31 lib. I. Decr. n. 327*); simplices vero abbates particularium monasteriorum hoc iure non gaudent, et ad concilium Vaticanum de facto non sunt vocati. Wernz *loc. cit. II. 846.*

7 Ad concilium *provinciale* vocari possunt simplices abbates cum voto consultivo, sed neque ius habent ad hoc ut vocentur, neque debitum veniendi, si de facto vocentur (Wernz *loc. cit. II. 855*), nisi ex particulari consuetudine obligentur. *cap. 6 de privilegiis (V. 7) in 6°.*

Abbatibus, sive secularibus, sive re- 8
gularibus (etiam exemptis, si non subsint capitulo generali), obligatio est veniendi ad synodum *dioecesanam*, et ius, ut vocentur. Vid. *Synodus dioecesana.*

De abbatibus quoad pontificalia. — Ab- 9
bates, et alii praelati habentes iura quasi episcopalia, pontificaliter celebrare nequeunt in omnibus ecclesiis, neque in omnibus diebus aut festis, neque in omnibus officiis; sed solummodo:

a) in propriis ecclesiis ab episco- 10
pali iurisdictione exemptis (*S. R. C. in Neapolitana 18 mart. 1617 [348]*), idest in ecclesia monasterii, cui ipsi praesunt vel in ecclesiis filialibus ipsismet subiectis (*S. R. C. in Liverpolitana 13 iun. 1902 ad 1*), non autem in alia ecclesia etiam exempta, etsi invitati (*decr. gen. Alex. VII. 27 sept. 1659 n. 10 [1131]*), nec in ecclesia non exempta, quamvis id expresse permitteret loci ordinarius (*S. R. C. in Pampilonen. 8 maii 1617 [351]; in Barcinonen. 11 iul. 1739 [2348]; in Bahien. in Brasilia 23 maii 1846 n. 3 [2907]*): imo, si hoc privilegium agendi pontificalia extra propriam ecclesiam ex speciali indulto habeant, eo uti nequeunt, nisi de expresso ordinariorum consensu (*S. R. C. in una Ordinis Monach. S. Basilii 18 dec. 1846 [2923]; decr. cit. 13 iun. 1902 ad 4*); qui ordinarii consensus non requiritur pro missa pontificali celebranda in propria ecclesia (*S. R. C. decr. cit. 13 iun. 1902 ad 3*);

b) et ter tantum in anno, seu tri- 11
bus diebus, iisque de praecepto festivis

vel aliis, in quibus ipsos celebrare pontificaliter festivitatis ratio exigat, nempe patroni loci, fundatoris ordinis, tituli et dedicationis ecclesiae; ad hoc vero, ut his diebus pontificaliter celebrent, nulla indigent permissione ordinarii (*S. R. C. decr. gen. Alex. VII. cit.; in Caesenaten. 29 mart. 1659 [1111] ad 5*); his tribus diebus exceptis, ne tunc quidem uti possunt insignibus pontificalibus (nisi de expressa Sedis Apostolicae concessione), quum clericos ordinant, vel monialium, etiam pleno iure sibi subiectarum, vestitioni aut professioni assistunt (*S. R. C. decr. cit. [1131] ad 17*);

12 *c)* nec omnia officia his tribus diebus pontificaliter celebrare possunt, sed solam missam, vesperas et matutinum cum laudibus (*decr. nuper cit. n. 13 et 17*).

13 Praeter haec non possunt uti mitra pretiosa (*decr. nuper cit. n. 8; decr. cit. [2923]; in Ragusina 2 iun. 1685 ad 3 [1753]*); sed auriphrygiata permittitur.

14 Benedicere populo cum trina crucis productione tunc tantum possunt, quum pontificaliter celebrant, et etiam tunc a benedicendo prohibentur, si praesens sit episcopus (*S. R. C. in Eugubina 17 iul. 1604 [168] ad 2; decr. cit. [1131] n. 13 et 14*).

15 Cathedram vel thronum seu sedem fixam et permanentem in eorum ecclesiis retinere non possunt (*S. R. C. in Fanen. 17 iul. 1900 ad 3*), sed iis diebus, quibus pontificaliter celebrant, uti possunt cathedra seu sede mobili, ad quam per duos tantum gradus sine ullo suppedaneo ascendatur (*S. R. C. decr. cit. [348]*), et quam simplici serico panno coloris festivitati congruentis, non auro contexto aut phrygio aut basilico opere exornato, possunt obducere. Super hanc sedem baldachinum adhibere possunt, non pretiosum aut aureum, sed simplex, et eo, quod altari superimponitur, materia et opere inferius. *decr. cit. Alex. VII. n. 2 et 3.*

Pontificaliter celebrantes deferre ipsi 16
possunt baculum pastoralem, velo albo ad eius nodum appenso. *decr. nuper cit. n. 8.*

Ex decreto citato S. Rit. Congregatio- 17
nis *in Neapolit. 18 mart. 1617 (348)* prohibebantur, quominus haberent duos diaconos assistentes, sed contenti esse debebant subdiacono et diacono, qui in missa cantaturi essent epistolam et evangelium, et uno cappellano cum pluviali, qui assisteret ad librum; item habere nequibant alios ministros, praeter praedictos, nisi aliquos monachos seu clericos et ministros cum superpelliceo, qui ipsis de mitra et baculo et aliis necessariis ministrarent, et altari inservirent. Attamen Alexander VII. (*decr. cit. [1131] n. 7*) permisit, ut, praeter duos sacrificii ministros, diaconum nempe evangelii et subdiaconum epistolae, duo alii tantum diaconi cum dalmaticis et unicus presbyter cum pluviali assisterent. Similiter permisit, ut sex canonici vel monachi, duo scilicet pluvialibus, duo planetis, totidemque tunicellis induti, ipsorum missae pontificali interessent; at hi non in sedibus aut stallis choralibus, sed in scamnis absque postergalibus panno viridi laneo coopertis, situ congruo accommodatis, moxque illico removendis, considere debent.

Super altari, in quo ipsi pontifica- 18
liter celebrant, sex tantum et non sep-

tem candelabra locari debent. *S. R. C. decr. cit. (348); decr. cit. (1131) n. 1.*

19 Abbates insignibus pontificalibus uti nequeunt in processionibus, quae ab ipsorum quoque ecclesiis per vias extra ambitum vel parochiam ducuntur; imo nec ipsis permittitur, ut haec insignia penes se deferre tunc faciant. *S. R. C. decr. cit. (1131) n. 8.*

20 Indulgentias etiam impertiri vel publicare omnino prohibentur. *S. R. C. decr. cit. (1131) n. 12.*

21 Abbas regularis permittere potest alteri abbati sui ordinis, ut in sua ecclesia peragat pontificalia (*S. R. C. in Fesulana 1 oct. 1701 ad 3 [2080]*); et, praesente etiam ordinario, potest induere rochettum (si sit canonicus regularis) et mozzettam, ac idipsum exteris abbatibus permittere *(decr. nuper cit. ad 4);* imo tam ipse, quam alii abbates sic induti, possunt processionaliter incedere extra ecclesiam. *decr. nuper cit. ad 5.*

Abbates accedentes ad ecclesiam, licet pontificaliter celebraturi, et post pontificalia officia ab ecclesia recedentes, non debent sinere se associari a suis monachis. *S. R. C. in una Hispaniarum S. Ioannis de Penia 11 dec. 1613 (315); decr. gen. cit. ad 6 (1131).*

23 Abbatibus non licet benedicere tus in ecclesiis, sive propriis, sive non propriis, quamvis exemptis a iurisdictione ordinariorum, praesentibus episcopis. *S. C. C. 16 iun. 1674.*

24 **De abbatibus quoad missam privatam.** — Abbas tenetur paramenta in sacristia induere, et in missa privata, ne in minimo quidem, differt a simplici sacerdote (*S. R. C. decr. cit. [1111] ad 5; decr. cit. [1131] n. 21;* cfr. etiam *decr. cit. [2923]*); ac proinde non debet uti cruce pectorali, unico sit contentus ministro, aquam cum pelvi et urceolis argenteis sibi ministrari non sinat, duasque tantum candelas super altari adhibeat (*decr. cit. Alexandri VII. [1131] n. 21*); ipseque calicem deferat, detegat, cooperiat; item libri missarum folia evolvat.

De abbatibus quoad nonnulla privilegia. — Abbas regularis (non secularis), qui sit sacerdos (cfr. *S. C. C. in Frisingen. 3 apr. 1745, 17 sept. 1746*), et verius ab episcopo benedictus (cfr. *S. C. C. in Hispalen. 12 mart. 1774; in Frisingen. decret. nuper citat.*), vel qui ter ab ipso humiliter benedictionem petierit, aut infra annum ab electione, conferre potest tonsuram et minores ordines regularibus (probabiliter solummodo solemniter professis) suis subditis (proinde non aliis regularibus, qui sui subditi non sunt [*S. C. C. in Brixien. 28 nov, 12 dec. 1733*], ne tunc quidem, quum hi habent litteras dimissorias sui superioris [*S. C. C. in Cathanien. 10 maii 1658; S. C. EE. RR. in una S. Hippolyti 20 aug. 1852*]; imo tunc sive dantes litteras dimissorias, sive abbates ordinantes suspensi manent a collatione ordinum ex declaratione Urbani VIII. *17 ian. 1642*), non autem aliis, idest secularibus subditis, si quos habeat (Conc Trid. *sess. XXIII. c. 10 de ref.*, nisi speciale indultum etiam quoad hoc habeat, quale ex. gr. habet abbas SSmae Trinitatis Cavae, *S. C. C. 19 dec. 1887*); quibus si confert, verius invalide agit (*S. C. C. in una Congr. Olivetanae 20 sept. 1788; in Collen. 24 ian. 1795;* cfr. etiam *8 apr. 1859* et Fagnanum *in cap. 8 de off.*

archidiac. n. 24 sqq.; Ben. XIV. *De syn. lib. II. c. 11. n. 14*; Mon. eccl. *vol. XVI. pag. 265 sqq.*), nisi habeat speciale indultum apostolicum (*S. C. C. in Caputaquen. 19 dec. 1887*); alias tamen aliter sensit S. Congregatio, et antiquis decisionibus nonnulli insistunt adhuc, sed perperam, ut videtur. Hoc privilegium conferendi ordines minores, de quo diximus, competit abbatibus habentibus iurisdictionem, non vero abbatibus mere titularibus; imo, si hi tonsuram aut ordines contulissent, ordinatio esset omnino repetenda, quippe quae prorsus invalida. *S. U. I. 15 iul. 1903*.

An et quibus possint abbates dare litteras dimissorias ad ordines recipiendos vide sub *Dimissoriae*.

26 Abbas, etiam regularis, non potest consecrare altaria aut ecclesias etiam sui monasterii sine speciali indulto Sedis Apostolicae; quod indultum tamen generaliter non conceditur, nisi habentibus iurisdictionem quasi episcopalem cum territorio separato. *S. R. C. in una Nullius dioec. Prov. Tarraconen. 12 aug. 1673 (1486); in Audomaren. in Flandria 14 apr. 1674 (1505)*.

Pariter non potest abbas sine indulto speciali benedicere calices et alia solita ornamenta (*S. R. C. decr. cit. [1486]*), nisi destinentur pro servitio dumtaxat suarum ecclesiarum vel monasteriorum (*S. R. C. in Tirasonen. 16 maii 1774 [2377] ad 1 et 2; decr. cit. [1131] n. 18*), non obstante etiam contraria consuetudine. *S. R. C. 18 aug. 1629 (513)*.

27 Concionatoribus, qui eorum quoque subditis verbum Dei praedicaturi sunt, benedictionem elargiri non possunt; sed hoc privative reservatur episcopis. *S. R. C. decr. cit. (1131) n. 20*.

Abbates, qui habent privilegium con- 28
firmandi fideles, hoc possunt tantummodo quoad suos subditos; et si alios quoque confirmarent, etiam de consensu episcoporum, invalide agerent (*S. C. C. 11 dec. 1897*), nisi contraria vigeret legitima et praescripta consuetudo, quo in casu debent habere consensum saltem tacitum ordinariorum confirmandorum (*S. C. EE. RR. in una Nullius Montis Virginis 30 mart. 1855; S. U. I. 19 apr. 1899*); confirmare autem tunc possunt alienos, ut ex citatis decretis eruitur, in suis tantum ecclesiis, idest eos tantum, qui se ipsis praesentant in ipsorum ecclesiis.

Quoad *praecedentiam* nota, canonicos 29
capitulariter et processionaliter incedentes praeferri abbatibus benedictis. *S. R. C. in Valven. 8 iul. 1602 (102)*. Vid. *Praecedentia*.

Varia quaedam quoad abbates. — In 30
canone non debet fieri mentio abbatis, etsi habeat iurisdictionem quasi episcopalem et ordinariam (*S. R. C. in una nullius S. Mauritii Agaunensis 27 iun. 1889 ad 1 [3711]*); neque ulla admittenda est commemoratio de anniversario benedictionis abbatis. *S. R. C. 10 ian. 1890 (3720); decr. cit. 27 iun. 1889 ad 2*.

Abbates non possunt private suis subditis benedicere, ne in loco quidem suae iurisdictionis. *S. R. C. in una Nullius Provinc. Burgen. 24 aug. 1609 (274)*.

Abbates mere titulares, quibus a quacumque potestate confertur titulus alicuius abbatiae vel praepositurae iampridem destructae, nec pontificales functiones exercere, nec insignia gestare,

quibus utuntur abbates mitrati sive pontificalium usum habentes, nec qua tales benedictionem abbatialem recipere possunt. *S. R. C. 14 dec. 1904.*

Quoad obligationem aliquorum abbatum applicandi missam pro populo, Vid. *Applicatio missae.*

Quoad abbates commendatarios, Vid. *Commenda.*

Decr. C. XVIII.; c. 6 de statu monachorum X. (III. 35); c. 9 de religiosis domibus X. (III. 36); cc. 1. 10. 12 de aet. etc. praefic. X. (I. 14); cc. 13. 49 de electione etc. X. (I. 6); Const. Ben. XIII. " Commissi nobis „ 6 maii 1725; decr. Alex. VII. 27 sept. 1659 cum declarationibus pro Congregatione Cassinensium 20 iul. 1660; *Dalner* Tract. de abbate; *Tamburini* De iure abbatum etc.; *Würzfeld* De iur. et iurisd. abbat.; *Thomassin* Vetus et nova ecclesiae disciplina lib. III. c. 23 sqq., c. 65 sqq.; Commentatores in tit. 35 et 36 lib. III. Decr.; *Ben. XIV.* De syn. dioec. l. III. c. 10. n. 5 sq., lib. VIII. c. 2. n. 5; *Sägmüller* Lehrbuch des kath. KR. § 188; *Lucidi* De visit. ss. limin. vol. I. 54 sqq., 160; *Hergenröther-Hollweck* Lehrbuch des kath. KR. n. 476; *Scherer* Handbuch des KR. § 146; *Wernz* Ius Decr. II. 388. 846. 855. 860.

31 **Abbatissa.** — **De electione abbatissae.** — Abbatissa, vel quocumque alio nomine vocetur monasterii praeposita, ut eligi possit, debet habere quadraginta annos aetatis et professionis octo expletos (et hoc ad validitatem, *S. C. C. in Viterbien. 16 maii 1623; in Neapolit. 24 sept. 1678*). Conc. Trid. *sess. XXV. c. 7 de Reg.* — Si his dotibus ornata non reperiatur in monasterio, sumi debet ex alio eiusdem ordinis. Si hoc autem superiori, qui praeest electioni, incommodum videatur, episcopo vel alio superiore consentiente, eligi etiam potest ex monialibus, quae aetatis tricesimum, et professionis quintum annum excesserint. Conc. Trid. *sess. XXV. c. 7 de Reg.* Vid. *Clausura.* Praeterea sine dispensatione apostolica eligi nequit illegitima (*S. C. C. 27 aprilis 1630*), sive corrupta (sed ea, quae est occulte corrupta, non tenetur se infamare, ut patet, Mühlbauer *Th. res. S. C. C. v.* " *Abbatissa „ n. 24*), sive vidua (*S. C. EE. RR. 29 ian. 1585, 15 iul. 1616*), sive tertia soror, viventibus aliis duabus sororibus, quia, absque dispensatione, ipsis adhuc viventibus, caret voce activa et passiva. *S. C. C. 26 aug. 1616.*

Electioni abbatissae seu superiorissae, 32
in monasteriis episcopo subiectis, episcopus iure proprio, in monasteriis S. Sedi immediate subiectis tamquam S. Sedis Apostolicae delegatus, praeest, idest suffragia recipit et scrutatur, nec non electionem proclamat. In monasteriis vero, praelato regulari subiectis, episcopus electioni et interesse et praesse potest, sed directive tantum; idest nec suffragia recipit, nec electionem proclamat; sed hoc pertinet ad praelatum regularem, sciente tamen et audiente episcopo. Cfr. *Const.* Greg. XV. " Inscrutabili „ *non. febr. a. 1622,* et plura decreta S. C. C. et S. C. EE. RR. Cfr. ad exemplum *S. C. EE. RR. in Fulginaten. 19 iun. 1671; in Pharaonen. 19 sept., 14 nov. 1733.* Praelatus proinde regularis tenetur episcopo significare diem electionis abbatissae, eumque exspectare usque ad praefinitum tempus; secus potest episcopus in eumdem praelatum regularem animadvertere. *S. C. C. 5 febr. 1622.*

Qui electioni praeest, non debet ingredi claustra monasterii, sed accipere debet vota ante cancellorum fenestellam. Conc. Trid. *sess. XXV. c. 7 de Reg.*

33 Electio facienda est per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina numquam publicentur (Conc. Trident. *l. c. c. 6);* electio, quae non fieret per vota secreta, esset nulla, nec episcopus posset eam convalidare. Conc. Trid. *l. c.* — Bonifacius VIII. (*c. 43 de elect. etc. [I. 6] in 6°*) permiserat, ut post publicatum scrutinium, in quo nulla monialis electa evasit, possent moniales, quae in alias direxerant vota sua, antequam ad actus extraneos diverterent, ad illam accedere, quae ab aliis, maiorem partem conventus numero facientibus, fuerat electa. Hoc autem ius, ut patet, ex tridentina dispositione antiquatum evasit.

34 Nota autem, nullo modo licere episcopo in festo duplici vel dominica pro abbatissa eligenda legere missam votivam de Spiritu Sancto. *S. R. C. in Bracharen. 28 apr. 1708 ad 5 (2184).*

35 Electio abbatissae debet confirmari ab episcopo aut a superiore regulari, vel pro monasteriis exemptis a Summo Pontifice. Sägmüller *Lehrb. d. kath. KR.* § *188.* Cfr. etiam *decl. S. C. C. super Constit. Gregor. XV. approb. a Greg. XV. et ab Urbano VIII. ad dub. 5.*

36 **De duratione officii abbatissae.** — In omnibus monasteriis mulierum cuiuscumque ordinis in Italia et insulis adiacentibus abbatissae, superiorissae, etc. triennium tantum (quod mathematice computandum est) debent esse in officio; elapso vero alio triennio, quin gubernarint, possunt iterum eligi. *Const.* Gregor. XIII. " Exposcit debitum „ *kal. ian. a. 1582.* An haec lex valeat pro ecclesia universali dubitari forte potest propter quoddam decretum S. C. EE. RR. 4 maii 1901. Si autem ob peculiares monasterii circumstantias vere expediat, ut abbatissa in suo munere confirmetur, recurrendum est ad S. Congreg. Episcoporum et Regul., quae pro secundo triennio solet concedere licentiam pro confirmatione, dummodo accedat consensus duarum ex tribus partibus monialium, capitulariter per secreta suffragia praestandus; et, si agatur de tertio et ulterioribus trienniis, confirmationis veniam tribuit cum clausula " de consensu omnium etc. „. In aliquibus casibus ob graves causas a defectu unius vel alterius suffragii dispensat. Bizzarri *Collect. S. C. EE. RR. pag. 278 in nota.* Cfr. etiam *S. C. EE. RR. 4 maii 1901.*

De abbatissa, expleto triennio. — Quaerit relate ad hoc clarissimus scriptor ephemeridis, cui titulus " Monitore ecclesiastico „, an possit episcopus constituere *ad breve tempus* abbatissam, quae iam expleto triennio a suo munere cessat, *praesidentem* monasterii, quousque electio novae abbatissae commode fieri possit. Et putat serio probabilem opinionem Pellizzarii *de monialibus c. 8 n. 60,* post Tamburinum, Dianam et alios, dicentis idipsum episcopo permitti, quamvis S. C. Episcoporum et Regularium, teste Gavanto *Manuale v.* " *Monialium Officiales* „ *n. 20,* rescripserit, episcopum non posse, expleto triennio, officium abbatissae prorogare; has enim leges odiosas esse et proinde strictae interpretationis; quare ex his iuribus quidem, episcopum non posse munus abbatissae in casu ad aliud triennium prorogare, non autem eidem potestatem non esse, eam relinquere in suo munere usque ad novae abbatissae electionem. Cfr. Monit. eccl. 37

vol. XVII. pag. 423. In hac autem sententia potius dicerem in casu, non vere prorogari officium abbatissae; praesidens enim non omnia iura verae abbatissae consequeretur, ut puto; ex. gr. non posset aliquid iubere in virtute s. obedientiae, sed ea tantummodo, quae necessaria sunt ad domesticum ordinem conservandum.

Attamen exstat quoad hoc aliquod decretum S. Congregationis Episcoporum et Regularium *in Mazarien. 18 mart. 1700* (cfr. Coll. Bizzarri *pag. 283*) et proinde Gavanto († *14 aug. 1638*), et Pellizzario († *17 aug. 1651*) posterius, quod supra dictam interpretationem non videtur admittere. Nam ad primum dubium: " An in monasteriis monialium civitatis Dieparis, post dimissionem seu renunciationem abbatissae antiquae, et ante electionem novae, vicarius, praesidens electioni vice rev. episcopi, possit deputare vicariam in gubernio duraturam usque ad confirmationem et possessionem novae abbatissae „, responsum est: " Negative, et servetur Constitutio Gregorii XIII.; et interim gubernet antiquior professione, vel vicaria triennii praecedentis iuxta cuiusque monasterii constitutiones vel consuetudinem „; et ad tertium dubium: " An abbatissa electa possit administrare ante confirmationem ab episcopo obtinendam „ responsum pariter est: " Affirmative ad formam constitutionis Bonifacii in cap. Indemnitatibus § sane *de electione* „.

38 **De iuribus abbatissae**. — Abbatissa potest praecipere etiam ex obedientia, non potest tamen leges ferre. — Potest vota monialium subditarum irritare, quia hoc spectat ad potestatem dominativam; non autem ea commutare aut in iis dispensare, quia hoc pertinet ad potestatem spiritualis iurisdictionis. Nec potest cum suis monialibus proprie dispensare in observantiis regularibus et ecclesiasticis, quia etiam hoc proprie spectat ad iurisdictionem spiritualem, cuius femina est incapax. Potest tamen in his omnibus ministerialiter dispensare ex commissione sui praelati; quo tamen in casu, abbatissa nil aliud facit, nisi apponere conditionem, qua posita, ipse praelatus dispensat immediate; vel etiam declarare, non autem auctoritative, sed ad modum bonae matrisfamilias, ad tranquillandas conscientias suarum monialium, alicuius praecepti obligationem in casu non urgere. Mühlbauer *Thes. resol. S. C. C. v.* " *Abbatissa* „ *n. 15*.

Quid possit circa eucharistiam pro suis monialibus, quid circa earum conscientiae manifestationem, Vid. *Monialis*.

Abbatissa non habet ius ad titulum 39
" Reverendissimae „, qui ei nullo modo competit. *S. C. EE. RR. 30 iul. 1897*.

Non licet abbatissis in choro adhi- 40
bere baculum pastoralem; nec licet illum aptare manibus abbatissarum demortuarum. *S. R. C. in Sipontina 29 ian. 1656 (1000); 10 iun. 1656 (1016)*.

Attamen nonnullis abbatissis ex singulari privilegio concessum est, ut diebus saltem solemnioribus, in supplicationibus, professionibus recipiendis, etc. baculo uterentur, nec non anulum rite benedictum digito semper insertum deferre possent. Ita ex. gr. Clemens XIII. (*13 mart. 1761*) in perpetuum haec concessit abbatissae monasterii S. Catharinae in urbe Venetiarum, quemadmo-

dum Pius VII. abbatissae S. Mariae Magdalenae ordinis S. Benedicti in civitate Pisaurensi concessit (*1 iun. 1804*), ut crucem auream ante pectus appensam gestare semper posset.

41 Abbatissa non potest suis monialibus publice benedicere, sed solum eo modo, quo parentes benedicere solent propriis filiis (Mühlbauer *Th. res. S. C. C. v.* " *Abbatissa* „ *n. 4*); verum hoc non obstat, quominus, si consuetudo habeatur, abbatissa possit in conclusione capituli culparum benedicere sororibus, dicens: *Sit nomen Dñi* etc; *Dominus nos benedicat et ab omni malo defendat etc.*, ut in fine *Primae;* et de sero illas aqua benedicta aspergere, recitans verba: *Benedictio Dei omnipotentis Patris* etc. *descendat super vos* etc. *S. R. C. in Massilien. 7 sept. 1850 ad 8 (2983).*

c. 10 de poenitentiis etc. X. (V. 38); c 12 de maiorit. et obed. X. (I. 33); c. 43 de electione etc. (I. 6) in 6°; Conc. Trid. cc. 7. 17 sess. XXV. de Reg. et Mon.; Const. Greg. XIII " Exposcit debitum „ kal. ian. a. 1582; Const. Greg. XV. " Inscrutabili „ non. febr. a. 1622; *Thomassin* Vetus et nova eccl. discipl. lib. III. c. 42 sqq., c. 68; *Pellizzarius* Tract. de monialibus cc. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 10. 13; *Ben. XIV.* De syn. dioec. lib. V. c. 12. n. 4; *Bouix* De iure regularium part. 6. c. 4; *Sägmüller* Lehrbuch des kath. KR. § 188; *Hergenröther-Hollweck* Lehrbuch des kath. KR. nn. 472. 476. 481.

42 **Abbreviationes.** — Abbreviationes principaliores, quibus utitur S. Poenitentiaria in suis responsis, hae sunt: *abs* - absolutio; *alr* - aliter; *als* - alias; *ao* - anno; *aplica* - apostolica; *appbatis* - approbatis; *aucte* - auctoritate; *ben* - benedictionem; *cen* - censuris; *circumpeoni* - circumspectioni; *confeone* - confessione; *coini* - communioni; *consciae* - conscientiae; *constibus* - constitutionibus; *discreoni* - discretioni; *dudo* - dummodo; *eccle* - ecclesiae; *exit* - exsistit; *epus* - episcopus; *excoe* - excommunicatione; *gnali* - generali; *humoi* - huiusmodi; *infraptum* - infrascriptum; *igr* - igitur; *innoti* - innodati; *irregulte* - irregularitate; *ltima* - legitima; *lrae* - litterae; *matrium* - matrimonium; *mir* - misericorditer; *Ordio* - Ordinario; *ordibus* - ordinationibus; *Pp* - Papa; *poe* - posse; *poenia* - poenitentia; *ptur* - praefertur; *qtnus* - quatenus; *saluri* - salutari; *sartum* - sacramentum; *sen* - sententiis; *spealr* - specialiter; *ten* - tenore; *thia* vel *theolia* - theologia; *tm* - tantum; *tn* - tamen; etc.

43 **Abiuratio.** — **Quid sit abiuratio et quotuplex.** — Abiuratio est solemnis haeresum detestatio cum assertione catholicae veritatis et obligatione, iuramento ac poena munita, permanendi in fide catholica. Quadruplex species distinguitur: de haeresi formali; de levi, de vehementi, de violenta suspicione haeresis. Prima haereticis formalibus, aliae illis indicuntur, qui levibus aut vehementibus et violentis indiciis in suspicionem haeresis venerunt. Mühlbauer *Th. res. S. C. C. v.* " *Abiuratio* „ *n. 4.*

44 **An, quando et quomodo exigenda abiuratio.** — An vero et quando ab haereticis redeuntibus ad catholicam abiuratio exigenda sit, ita explicat Albitius (*De inconstantia in iure admittenda vel non p. I. c. 14 n. 58*), scilicet: " Prius cognoscitur an sufficienter sint instructi; sin minus mittuntur ad aliquem virum doctum, ut instruantur. Demum instructi, si minores sint quatuordecim annorum, sola professione fidei facta, reconciliantur ecclesiae: ut fuit obser-

vatum de anno 1613 sub die 20 iunii cum puero haeretico anglo annorum decem, et fuit scriptum Nuncio Coloniae die 20 augusti 1614, quod ita observaret. — Si vero sint maiores annorum quatuordecim, sed minores vigintiquinque, admittuntur ad reconciliationem cum abiuratione de formali, sed cum clausula *citra formam relapsus,* ut fuit observatum in una Cremonen. 8 febr. 1618.... – Advertendum tamen est, clausulam apponi solummodo in abiuratione facta a minoribus sponte comparentibus, non autem in minoribus denunciatis et praeventis, nisi fortasse tales essent rustici, mulieres vel alias personae idiotae.... — Nihilominus quoad abiurationem nulla est differentia inter maiorem et minorem vigintiquinque annorum, sed utrisque aequaliter imponitur, quum non agatur de poena corporali, sed de expurgatione delicti quoad suspicionem haeresis, cuius purgatio omnibus communis est „. Quod autem a pueris minoribus quatuordecim annorum exigenda sit sola professi fidei catholicae, et ab iis, qui maiores hac aetate sunt, etiam formalis abiuratio, confirmatum est a S. Congr. Univ. Inquisitionis *8 martii 1882.*

Habemus etiam quoad hanc abiurationem haeresis responsionem S. C. de Prop. Fide ad ep. Limericien. *8 apr. 1786,* quam paullo inferius referemus sub responsione S. C. Inquisitionis *28 mart. 1900.*

45 Quoad abiurationem ab haereticis faciendam iuvat hic referre postulatum alicuius episcopi et responsionem S. Congr. Univ. Inquisitionis. « Per responsum S. Congregationis datum episcopo Bituntino die 2 ianuari 1669 (quod decretum, iuxta responsum a S. Officio die 21 dec. 1895 episcopis Borussiae datum, adhuc viget) declaratum est: posse episcopos auctoritate *ordinaria* haereticos sponte comparentes in exteriore foro absolvere *post abiurationem iuridice factam.*

Diversae ultimis annis erant in hisce regionibus opiniones de huiusce clausulae vigore. Nam alii opinabantur, praedictam episcoporum ordinariam facultatem tum tantum exsecutioni posse mandari, quando modo iudiciali episcopus procedit: sic ex. gr. unus ex Germaniae ordinariis, vir in iure canonico peritissimus, litteris ad hanc curiam missis sententiam suam esse exposuit, quod episcopus, hac ordinaria facultate uti volens, debeat haereticum inducere ad abiurationem *coram notario et duobus testibus* pronuntiandam. Quae opinio habet aliquod fundamentum in citato S. Officii decreto, quippe quod poscit praecedere absolutioni abiurationem *iuridice* factam.

Sed eiusmodi iudicialis aut iuridica abiuratio nusquam in Germania in usu est. In regionibus acatholicis, ubi conversiones ad fidem saepius fiunt, nulla est copia notariorum catholicorum. Accedit, quod valde consultum est, ut haereticis conversis modus abiurandi facilis et commodus reddatur, et ut conversiones nullum strepitum vel admirationem excitent, quod fieret, si iudiciales aut iuridicae formae adhiberentur.

Hinc ubique locorum usus est, ut abiuratio erroris, et fidei catholicae professio, perficiatur coram parocho et uno teste, vel, si necessitas ita expo-

stulat, coram solo parocho, sed semper ita, ut abiuratio in exteriori foro compareat et probari valeat. Idcirco abiuratio non tam actus *iudicialis* aut *iuridicus,* sed magis actus *pastoralis officii* censeri debet, sed semper validus etiam pro exteriori foro.

Quae quum ita sint, subscriptus episcopus N. N., ut sensus citati decreti non ansam praebeat dubiis, a Sacra Inquisitionis Congregatione humillime petit, ut declaretur, num possit episcopus *ordinaria* sua facultate absolvendi haereticos etiam tunc uti, si non fiat abiuratio in stricto sensu iuridica, sed coram solo sacerdote ab episcopo delegato, aut coram tali sacerdote et teste.

Feria IV die 28 martii 1900.

In Congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis ab Emis ac Rmis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum generalibus inquisitoribus habita, propositis suprascriptis precibus, praehabitoque RR. DD. consultorum voto, omnibus rite diligenterque perpensis, iidem Emi ac Rmi Patres respondendum mandarunt:

Respondeatur episcopo ad mentem. Mens est, quod abiuratio fieri potest coram quopiam ab episcopo delegato ut notario, et aliquibus personis uti testibus; et detur Instructio 8 aprilis 1786 ad episcopum Limericen.

Praefata Instructio sic se habet:

" Non est necesse, ut qui a catholica fide defecerunt, ad eamque postmodum reverti cupiunt, publicam abiurationem praemittant, sed satis est, ut privatim coram paucis abiurent, dummodo tamen promissa servent, ac revera abstineant communicare cum haereticis in spiritualibus aut quidquam facere, quod haeresis protestativum sit. Idem sentiendum de iis, qui haeresim, in qua usque ab initio educati fuere, privatim abiurent „.

Sequenti vero feria VI. die 30 eiusdem mensis et anni in solita audientia a SS. D. N. Leone div. prov. Pp. XIII. R. P. D. Assessori impertita, facta de his omnibus relatione, SS. Dñus responsionem Emorum Patrum approbavit ».

Quoad modum practicum reconciliandi haereticos, Vid. *Haereticus.*

Quemadmodum haeretici, ita etiam 46
apostatae tenentur abiurationem emittere suae apostasiae. Quoad hoc notatu dignae hic sunt duae responsiones S. Congregationis Un. Inquisitionis ad missionarios Tuneti. Altera haec est: " SSmus censuit, apostatas a fide redeuntes ad poenitentiam non teneri ad abiurandam apostasiam publice coram infidelibus (quemadmodum publice coram eis fidem negaverant), sed sufficere, ut eam abiurent in balneo (idest in carcere) coram fidelibus, abstinendo ab actibus infidelitatis et deponendo habitum infidelium, quatenus sit protestativus falsae religionis; si vero sit aequivocus, posse illum deferre. Quod si ex illa delatione ratione personae aliqua oriretur suspicio, teneri aufugere quum primum poterunt „. Altera est responsio ad sequens dubium: " Quomodo se gerere debeat confessarius erga apostatas poenitentes in articulo mortis constitutos, quum ab illis secreto arcessitur, ut secreto absolvat. Ratio difficultatis est, quia in illo articulo solent ab infideli familia vel sacerdotibus falsis induci ad actus falsae

religionis, nec possunt abnuere sine periculo mortis „. Responsum autem fuit: " SS̃mus censuit, confessarium debere absolvere apostatam poenitentem in articulo mortis constitutum, abiurata prius apostasia in foro conscientiae, et si per aliquod temporis spatium supervixerit, et si poterit, abiuret in balneo coram fidelibus; quod si non poterit, relinquat chirographum suae abiurationis, saltem signo crucis subscriptum; quod si neque hoc possit, committat confessario, ut suam abiurationem fidelibus manifestet. Non tamen teneri apostatam poenitentem tunc in periculo vitae constitutum, etiam suadentibus turcis, cum periculo vitae fidem catholicam, quam tunc abiurata infidelitate amplexus est, confiteri, sed eorum suasiones eludere vel non respondendo, vel aequivocis verbis utendo „. — Cfr. *C. A. aa. 164. 504.*

cc. 8. 11 de haereticis (V. 2) in 6.°; *Ant.*; *Augustinus* Iuris pontif. vet. epit. part. 1. lib. 11. tit. 7; *Petrus de Marca* in not. ad can. 2. 28 Conc. Claramont.; *Maschat* Inst. can. lib. V. tit. 9. n. 2; *Albitius* De inconstantia in fide part. 1. c. 14. n. 54 seq., c. 36. nn. 78. 82; *Del Bene* De off. s. Inquis. p. I. dub. 171. pet. 2; *Bordoni* Sacrum tribunal c. 11; *Sägmüller* Lehrb. d. k. KR. § 113.

47 **Ablutio.** — **De ablutione digitorum in missa.** — Ablutio digitorum post sumptionem sacramenti et purificationem calicis non debet sola aqua aut solo vino fieri sine dispensatione pontificia, quia utraque materia per rubricas positive est praecepta, in quo solus Pontifex dispensare potest (De Herdt *Sacr. Liturg. praxis II. 115*), et de speciali gratia aliquando dispensat. Cfr. *decr. S. R. C. in Romana 5 ian. 1847 (2926); in Calaguritana 5 mart. 1847 (2947).* Haec quidem, si quis semper vellet in his sola aqua uti, sed si quando casualis aliqua occasio huius necessitatem induceret, ex. gr. ex deficientia vini, potest quis hoc sine peccato facere.

De ablutione in baptismo (*remissive*). 48 — Ablutio est materia proxima baptismi (*Eph. V. 26.; Hebr. X. 22*), et fieri potest immersione, aspersione et infusione. *Doctrina Apostolorum c. 7.* Retinendus autem est ritus baptizandi per immersionem vel per infusionem iuxta consuetudinem ecclesiarum. Rit. Rom. *de baptismi admin. n. 10.* Vid. *Baptismus.*

De ablutione corporalium etc. (*remissive*). — Quoad ablutionem corporalium, purificatoriorum et pallarum, Vid. *Corporale.*

Abominatio. — Odium abominatio- 49 nis, seu qualitatis vel defectus, non est confundendum cum odio inimicitiae: hoc est malum, illud bonum; cavendum tamen, ne ab odio abominationis ad odium inimicitiae quis transeat. G. B. *I. 226. 5°.*

Abortus. — **De natura abortus.** — Abor- 50 tus est praematura eiectio fetus ex utero. Accidere autem potest vel ex naturali causa vel ex dolosa, prout vel sponte sequitur, vel procuratur arte. Praematura vero est eiectio fetus, quando tunc eiicitur, quum nondum potest extra maternum uterum vivere, quod fere accidit ante septimum gestationis mensem. Ex dictis patet, abortum, quando de eo agitur prout est malus moraliter et canonicis poenis subiectus, esse praematuram eiectionem fetus ex utero dolose habitam. Pennacchi *Comm. in Const. Ap. Sedis app. 32.* Cfr. Koch *Lehrbuch der Moraltheologie* § 141.

De procuratione abortus. — **Quotuplex** 51

sit. — Procuratio abortus potest esse directa vel indirecta, non solum ratione habita intentionis procurantis, sed etiam ratione habita accelerationis ipsius partus. B. P. *II 912;* D'Ann. *II. 284 (28).* Sub hac altera acceptione *directa* dicitur procuratio abortus, quando media, quae adhibentur, ad hoc praecise tendunt, ut mulieris partus acceleretur. *Indirecta* vero, quum media, quae adhibentur, tendunt ad curandum matris morbum, quamvis ex iisdem praeter intentionem sequatur acceleratio partus. Hinc directa erit procuratio abortus, quae habeatur dilaceratione uteri etc., multoque magis craniotomia, violenta percussione etc. Imo hic ultimus modus, quo fetus positive laeditur, ab alio differt, quo mater a vita fetus conservanda tantummodo abstinet. B. P. *II. 911.*

52 **An licita.** — Quoad liceitatem aut illiceitatem abortus haec habe. Numquam posse abortum procurari directe, idest medicamentis ordinatis ad occidendum fetum in utero, vel ad illum ex utero vivum quidem, sed immaturum adhuc ac proinde proxime moriturum, eiiciendum, ne tunc quidem, quum haec sit unica via ad salvandam matrem, respondit S. Congregatio Universalis Inquisitionis *24 iulii 1895,* confirmans ea, quae responderat alias, idest *28 maii 1884* et *19 aug. 1889* (alii citant *19 aug. 1888*). Cfr. Hollweck *die kirklichen Strafgesetze § 163 (3);* Hergenröther-Hollweck *Lehrb. des kath. Kirchenrechts n. 720 (4).* Huc facit propositio 34ª damnata ab Innocentio XI. *decret. 2 mart. 1679:* " Licet procurare abortum ante animationem fetus (nunc de fetu inanimato doctiores ne loquuntur quidem amplius, quamvis res liquida omnino dici nondum possit, cfr. Hollweck *l. c. § 163. 8*), ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur „. Licet tamen abortum procurare indirecte, idest matri letali morbo laboranti subministrare remedia ad morbum curandum directa, quamvis nociva fetui. S. Alph. *III. 394;* B. P. *II. 914;* D'Ann. *II. 284.*

Iuverit hic referre ipsis, quibus data 53
est, verbis recentem responsionem S. C. U. I. *4 maii 1898* relate ad accelerationem partus. Quaesitum est: " 1° Eritne licita partus acceleratio, quoties ex mulieris arctitudine impossibilis evaderet fetus egressio suo naturali tempore? — 2° Et si mulieris arctitudo talis sit, ut neque partus praematurus possibilis censeatur, licebitne abortum provocare aut caesaream suo tempore perficere operationem? — 3° Estne licita laparatomia, quando agitur de praegnatione extra-uterina seu de ectopicis conceptibus? „ — Et responsum est: " Ad 1ᵘᵐ. Partus accelerationem per se illicitam non esse, dummodo perficiatur iustis de causis et eo tempore ac modis, quibus ex ordinariis contingentibus matris et fetus vitae consulatur. — Ad 2ᵘᵐ. Quoad primam partem *negative* iuxta decretum fer. IV. 24 iul. 1895, de abortus illiceitate; ad secundam vero quod spectat, nihil obstare, quominus mulier, de qua agitur, caesareae operationi suo tempore subiiciatur. — Ad 3ᵘᵐ. Necessitate cogente, licitam esse laparatomiam ad extrahendos e sinu matris ectopicos conceptus, dummodo et fetus et matris vitae, quantum fieri potest, serio et opportune provideatur „.

Neque abs re erit, addere hic re- 54
centiores etiam litteras S. Congr. de

Prop. Fide ad arch. Marianopolitanum, quae huiusmodi sunt: « Illme ac Rme Domine, R. D. Carolus Lecoq decanus facultatis theologiae in ista universitate Marianopolitana per litteras diei 12 mart. anni 1900 sequens dubium proponebat circa interpretationem resolutionum S. Officii quoad liceitatem extractionis chirurgicae fetus immaturi: " Utrum aliquando liceat e sinu matris extrahere fetus ectopicos adhuc immaturos, nondum exacto sexto mense post conceptionem? „ — Curae mihi fuit fatum dubium solvendum transmittere eidem supremo tribunali S. Officii. Illi vero Emi ac Rmi Patres Card. Inquisitores generales in congregatione feriae IV. die 5 vertentis mensis martii, post maturam rei discussionem, sequens emanarunt responsum: " Negative, iuxta decretum feriae IV. 4 maii 1898, vi cuius fetus et matris vitae, quantum fieri potest, serio et opportune providendum est; quoad vero tempus iuxta idem decretum, orator meminerit, nullam partus accelerationem licitam esse, nisi perficiatur tempore ac modis, quibus ex ordinarie contingentibus matris ac fetus vitae consuletur. — Praesens vero decretum expediatur per ordinarium „. — Haec, etc. ». *S. C. P. F. 20 mart. 1902.*

55 **De poenis in procurantes abortum.** — Procurantes abortum, effectu secuto, incurrunt excommunicationem ordinario reservatam. *Const. Apost. Sedis ser. 3. n. 2.* — Quoad hanc excommunicationem, quae sequuntur, nota. — Procurantes ii sunt, qui studiose, directe, ex industria aliquid quaerunt. B. P. *VII. 320;* D'Ann. *Comm. in Const. Ap. Sedis n. 159.* Quapropter abortus involuntarius, indirectus, in causa, non feritur hac excommunicatione. Hinc ne ille quidem, qui abortus causa fuerit percussione mulieri incussa ex odio, ira etc., contrahit excommunicationem. D'Ann. *loc. nuper cit.* — Similiter procurantes hic non censentur, qui opem, consilium, favorem, potionem vel alia cuiuscumque generis medicamenta scienter dant, ut ex constitutione Sixti V. " Effrenatam „ iv. *kal. nov. a. 1588* deducit Ballerini-Palmieri *loc. nuper cit.,* cui consentit D'Annibale *l. c. n. 161.* Et eadem ratione excusant ab excommunicatione incurrenda mandatarios, qui pro aliis, sed nec per se nec per alium procurant. Porro procurantes ii tantum habentur, qui per se vel per alium aliquid faciunt vel curant. Huic sententiae favet et Pennacchi *Comm. in Const. Ap. Sedis app. 32.*

An mater ipsa excommunicatione te- 56
netur? Et sunt qui negant (B. P. *VII. 320;* G. B. *II. 976;* Del Vecchio *Th. mor. I. 622*); sunt et qui affirmant (Avanzini *Comm. in Const. Ap. Sedis n. 40;* D'Ann. *loco nuper cit.* etc.).

Praeterea ad excommunicationem in- 57
currendam necesse est, ut abortus re ipsa fuerit secutus, et quidem, ut explicat D'Annibale *l. c. n. 160,* ex ea causa, quae posita fuit, ut sequeretur; et hoc ipsum appareat procuranti.

Procurantes abortum, et qui ad tale 58
facinus committendum operam, consilium vel favorem praestant, dummodo secundum quosdam (Hergenröther-Hollweck *l. c. n. 751 e*) agatur de abortu peracto post octoginta dies a conceptione (nam Gregor. XIV. Const. " Sedes apostolica „ 31 maii 1591 poenas procurantium abortus foetus *ina-*

nimis, quas Sixtus V. *Const. cit.* inflixerat, mitigavit et reduxit ad terminos iuris communis et sacrorum canonum ac Concilii Tridentini dispositionum), incurrunt irregularitatem (*Const. cit.* Sixti V.; *S. C. C. in una S. Marci 8 iun. 28 sept. 1771, 28 aug. 1773, in Beneventana 18 nov. 1769*); praeterea amittunt beneficium ipso iure, si sint clerici beneficiati (*Const. cit.* Sixti V.; *Const. cit.* Greg. XIV.), imo degradandi sunt. *Const. cit.* Sixti V.

cc. 5. 20 de homicidio etc. X. (V. 12); Const. Sixti V. " Effrenatam „ 29 oct. 1588; Const. Greg. XIV. " Sedes apostolica „ 31 maii 1591; Const. " Ap Sedis „ ser. 3. n. 2; Commentatores huius constitutionis in loc. cit.; *Maschat* Inst. can. lib. V. tit. 12. n. 46; *Sinistrari de Ameno* De delictis et poenis tit. 7. § 10; *Capellmann* De occisione fetus; *Pennacchi* De abortu et embryotomia; *Eschbach* Disputationes physiologico theologicae disp. 3. p. 2. c. 1; *Antonelli* Medicina pastor. I. 300 sqq., II. 20 sqq. 378 sqq; *Hollweck* Die kirchlichen Strafgesetze § 163; *Hergenröther-Hollweck* Lehrb. des kath. KR.n. 751; *Mühlbauer* Th. res. S. C. C. v. " Abortus „.

59 **Abrogatio.** — Abrogatio legis est totalis abolitio legis; et fit vel expresse, quum legislator eam tollit nominatim; vel tacite, quum aliam legem fert legi exsistenti aperte contrariam. Non tamen per legem posteriorem generalem abrogatur prior specialis, imo nec statuta et consuetudines locorum, nisi in lege posteriori generali occurrat clausula derogatoria omnium iurium anteriorum etiam specialium. *c. 1 de constitution. (I. 2) in 6°*; Sägmüller *Lehrbuch des kath. Kirchenrechts § 30 n. 7*; G. B. *I. 121.*

Nota, quod " in rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo iure, quod diu aequum visum est „ (*l. 2 de const. principum D. [I. 4]*), quia " plerumque pariunt novitates discordiam „ (*c. 1 de privilegiis [V. 7] inter Extrav. comm.*); verum aliquando nonnulla rationabiliter et consulte ordinantur, quae suadente subiectorum utilitate postmodum consultius ac rationabilius revocantur, in meliusve commutantur. *c. 24 de sent. excomm. etc. (V. 11) in 6°.*

Legem abrogare potest legislator, qui eam tulit (*cfr. reg. Ia iuris X.*); legislatoris successor vel superior (*c. 20 de elect. etc. X. [I. 6]; c. 3 de verbor. signif. [V. 12] in 6°*); non autem inferior. *c. 16 de maiorit. et obed. X. (I. 33); c. 2 de elect. etc. (I. 3) in Clement.*

Quoad discrimen inter abrogationem, derogationem, irritationem, Vid. *Derogatio, Irritatio.*

Absens. — An absens absolvi possit. — 60 Absens non potest sive absolvere sive absolvi a peccatis (*decr. Clem. VIII. 20 ian. 1602; Paul. V. 14 ian. 1605*); a censuris potest. D'Ann. *I. 353.* Praesentia autem, quae requiritur ad dandam vel recipiendam absolutionem a peccatis, est praesentia moralis, quae ea existimatur, intra quam homines communi voce, quamvis altiori, colloqui possunt ac solent. S. Alph. *VI. 429*; B. P. *V. 24.* Vid. *Telephonium.*

De absentia beneficiatorum. — *Episcopi* 61 absque indulto apostolico nequeunt abesse a dioecesi plus quam tribus mensibus quotannis, nisi graves causae adsint. Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 1. de ref.* Vide plura in *Residentia.*

Parochus sine venia episcopi ne per 62 hebdomadam quidem a parochia abesse potest; cum venia, vicario idoneo constituto, potest quotannis per bimestre. Conc. Trid. *l. c.* Vide plura in *Parochus.*

Quoad absentiam canonicorum a sua ecclesia, Vid. *Canonici.*

63 Clericus, etiam ratione beneficii simplicis, quo fruitur, non potest cogi ad residendum, ex universali consuetudine; quare multo magis hoc dicendum est de iis, qui nullum obtinent beneficium et ad titulum patrimonii ordines sacros susceperunt. Garcia *De beneficiis p. III. c. 2. n. 9;* Pignatelli *Consultationes tom. 3. cons. 56. n. 2.* Ii tamen clerici, qui in sua ordinatione adscripti sunt servitio alicuius ecclesiae, possunt cogi ab episcopo ad inserviendum eidem ecclesiae, maxime diebus festis (Pignatelli *l. c. n. 7*); attamen tunc episcopus debet eisdem assignare aliquod emolumentum pro qualitate loci et ecclesiae. *S. C. C. 13 ian. 1634.* Cfr. Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 17 de ref.* Vid. *Residentia.*

64 **De absentibus quoad electiones canonicas.** — Absentes, qui tamen in longinquis regionibus non versentur, ad electionem vocandi sunt, si ad eligendum ius habent. Imo hi possunt etiam procuratorem constituere, qui, si sit de collegio electorum ab aliis admittendus est; secus, potest repelli, sed et admitti potest. Etiamsi vero collegium nolit admittere extraneum, et nullus de collegio velit esse procurator, non potest absens votum suum per litteras exprimere. Cfr. *c. 42. de elect. et electi potest. X. (I. 6).* Vid. *Electio.*

De absentibus quoad adscriptionem piis sodalitiis. — Vid. *Confraternitas.*

65 **Absolutio. — De absolutione simpliciter dicta.** — Absolutio proprie est remissio poenae. Quare differt a dispensatione (etiam prout haec refertur ad poenas ecclesiasticas), quae potius est exemptio a lege. Et exinde multa profluunt discrimina inter absolutionem et dispensationem, quae recenset Thesaurus *De poenis part. I. c. 20.* Praecipua sunt, quod absolutio significat actum iustitiae, et est secundum ius commune; dispensatio est actus gratiae, et est praeter ius; — absolutio non habet locum, nisi in poenis medicinalibus, et proinde de sui natura non perpetuis, quae inferuntur ad amovendam contumaciam; dispensatio locum habet tantummodo in poenis de sui natura immobilibus, sive hae perpetuae sint, sive ad certum tempus constitutae; — absolutio non potest sine iniustitia denegari reo poenitenti, qui satisfactionem praestiterit, vel qui paratus sit satisfacere, quamvis de facto non satisfecerit, si tamen per eum non stet, quominus satisfaciat; dispensatio vero denegari potest, per se loquendo, quantumvis disposito et poenitenti; — absolutio, semel valide absoluto concessa, non potest revocari, quia vinculum est formaliter et radicaliter sublatum; dispensatio, semel concessa, potest a praelato, qui ex potestate ordinaria dispensavit, revocari, quia radicaliter in ipsa lege vinculum perseverat; — absolutio, absoluto concessa propter aliquam causam, non cessat, cessante causa; dispensatio, cuius usus habet tractum successivum, probabilius iuxta quosdam, cessat cessante causa finali et adaequata; — absolutio est favorabilis; dispensatio est stricti iuris.

De absolutione quoad celebrationem missarum (*remissive*). — *Absolutio* seu *condonatio* missarum differt proprie a reductione in hoc, quod haec futurum, illa praeteritum tempus respicit. Cfr. Lucidi *De visitat. ss. liminum cap. VII.* 66

n. 80. Absolutionem hanc concedere excedit ordinariam potestatem episcoporum, et reservatur Summo Pontifici. Et S. Congregatio Concilii tunc solummodo solet concedere hanc condonationem, quando patet missas celebratas non fuisse absque culpa legatarii, nec tantus reditus superest, ut per illum suppleri valeat omissionibus praeteritis. *S. C. C. 31 aug. 1819; 14 dec. 1822.* Causa etiam legitima est ad concedendam huiusmodi absolutionem extrema paupertas legatarii, praesertim si is sit fundatorum consanguineus, ut constat ex pluribus decisionibus S. Congr. Concilii. Imo etiam paupertas relativa (quando scilicet alicuius bona non sufficiunt ad hoc, ut quis iuxta familiae conditionem vel dignitatis obtentae exigentias vitam convenientem agere possit, *S. C. C. 21 iun. 1879*) praebet causam sufficientem pro absolutione missarum non celebratarum et proportionali exoneratione in futuro. Si vero casus est omnino occultus, condonationem concedit S. Poenitentiaria. Plura vide sub *Reductio.*

De absolutione quoad alias obligationes (*remissive*). — De absolutione vel reductione circa alias pias obligationes heredibus impositas, veluti circa legata etc., Vid. *Testamentum.*

De absolutione sacramentali (*remissive*). — Quoad absolutionem sacramentalem a peccatis in foro interno, Vid. *Poenitentia.*

Thesaurus De poenis p. I. c. 20; *Hergenröther-Holkweck* Lehrbuch des kath. KR. n. 172.

Absolutio ad feretrum. — Vid. *Feretrum.*

Absolutio complicis. — Vid. *Complex.*

Abstemius. — Abstemius, qui nempe natura talis est, ita ut nequeat vinum bibere absque periculo evomendi, irregularis est ad presbyteratum, et quidem, iuxta S. Alphonsum *VII. 409*, de iure divino. — Abstemius, qui nempe vinum fastidit, quamvis illud bibere in parva saltem quantitate possit, irregularis non est; attamen ad hoc, ut excusetur ab usu vini, vel aquae simul et vini, in purificatione calicis et ablutione digitorum post sumptionem sanguinis, expetendum est pontificium indultum. Cfr. *decret. S. R. C. in Romana 5 ian. 1847 (2926); in Calaguritana 5 mart. 1847 (2947).* Vid. *Ablutio.* 67

Abstinentia. — **De ipso abstinentiae praecepto.** — Abstinentia a carnibus diebus esurialibus est praeceptum ecclesiasticum, quod de iure communi, praeter tempus ieiunii, urget diebus veneris et sabbati (*c. 3 de observ. ieiun. X. [III. 46]; c. 31. dist. 5. de cons.*); obligat sub gravi septennes habentes usum rationis (*c. 31. nuper cit. de cons.*; B. P. *II. 1154.* — Vid. *Pueri*), sed admittit parvitatem materiae. D'Annibale *III. 132.* 68

Quaenam proprie sit haec quantitas, quae a mortali excuset, controvertitur. D'Annibale (*l. c.*) putat eam esse octavam unciae partem ex S. Alphonso (*III. 1029*); alii requirunt dimidiam unciam; alii, ut Reuter (*tr. 2. n. 167*), extendunt ad quantitatem moraliter unciam superantem; alii, ut Stoz (*Trib. poenit. lib. 1. p. 3. n. 528*), protrahunt ad materiam fere ad duas uncias accedentem; alii, ut Ballerini-Palmieri (*II.* 69

1155), perveniunt ad duas uncias; alii demum, ut Gury (*I. 486*), non dubitant dicere, eam non esse materiam gravem, quae duas tresve carnis uncias minime excedat.

70 Lege autem hac abstinentiae prohibentur fideles, quominus statis diebus comedant carnes, idest carnes eorum animalium, quae in terra vivunt. D'Ann. *III. 132.* Amphibia, quae nempe et in terra et in aqua vivunt, habentur pro piscibus, vel pro animalibus, quorum carnes prohibentur, prout illis vel his magis accedunt. Hinc ex S. Alphonso (*III. 1011*) licite diebus abstinentiae comeduntur ostricae, conchiliae, canceres, nepae, lustrae. D'Ann. *l. c.* (*15*). An fulices comedi aeque possunt? Minimis s. Franc. a Paula, quibus carnes sunt interdictae, concessum fuit a Congreg. Reg. Disciplinae *22 febr. 1804.*, ut fulicibus (*folaghe*) vescerentur. Quod tamen, nec pro affirmantium, nec pro negantium sententia argumentum est.

Quoad condimenta diebus abstinentiae permissa, Vid. *Condimenta.*

71 **Quinam ab hac lege excusentur.** — Nonnulli excusantur valetudinis vel necessitatis causa; hinc infirmi et generatim ii, qui ex medici consilio carnibus vesci indigent (*c. cit. de cons.*); pauperes sive mendicantes sive operarii, qui vel carnem tantummodo habent manducandam, vel arduis laboribus operam dantes carne indigent (S. Alph. *III. 1008*); milites, qui sumptibus Gubernii aluntur et non recipiunt manducandam, nisi carnem; viatores, qui in tabernis non inveniunt cibos permissos (G. B. *I. 487*); mulieres praegnantes, quae vel carne indigent ad sustentationem, vel carnis morbidam appetentiam habent (Lehmkuhl *I. 1202. 2*), a lege hac abstinentiae excusantur. Quoad hoc autem retinenda est regula generalis, quae deducitur ex iis, quae s. Thomas in IV dist. 15. q. 3. a. 1. ql. 2. ad 3. habet, scilicet quod, si quis in tantum virtutem naturae debilitet per ieiunia et vigilias et alia huiusmodi, quod non sufficiat debita opera peragere, puta praedicator praedicare, doctor docere, cantor cantare, et sic de aliis, indiscrete agit. Quare mulier lactans semper, cantores saepe, studentes aliquando possunt ob hanc rationem ab abstinentia excusari. Confer ea, quae de ieiunio dicuntur sub *Ieiunium*, et hic etiam, proportione facta, applica.

Dispensati a ieiunio ratione aetatis 72
aut laboris non sunt hoc ipso dispensati ab abstinentia. *S. Poen. 16 mart. 1882; S. U. I. 31 mart. 1896.*

Quinam in hac lege possint dispen- 73
sare. — Praeter Romanum Pontificem, qui ab hac lege, quippe quae ecclesiastica, tantum, dispensare totaliter potest, dispensationem ex iusta causa suis subditis in singulis casibus concedere possunt episcopi et parochi vel superiores regulares.

Nuperrime autem episcopis aliisque 74
locorum ordinariis concessa est facultas anticipandi die sibi benevisa (episcopi possunt etiam committere parochis, ut ipsi assignent diem, in qua anticipari debeat abstinentia, *S. U. I. 18 mart. 1896*), atque ob gravissimas causas (quibus annumeratur etiam grave periculum, quod abstinentia anticipanda non observetur, *S. U. I. 18 mart. 1896*) etiam dispensandi super lege ieiunii et abstinentiae, quando

festum sub utroque praecepto servandum patroni principalis aut titularis, vel solemne aliquod festum (etiam de centenariis, peregrinationibus et similibus, *S. U. I. 18 mart. 1896*), item magno populorum concursu (qui intelligi potest etiam de concursu civitatis aut loci, *S. U. I. 18 mart. 1896*) celebrandum inciderit in ferias sextas aut sabbata per annum, excepto tempore quadragesimae, diebus quatuor temporum et vigiliis per annum ieiunio consecratis. Item possunt eadem anticipandi seu etiam dispensandi potestate uti pro diebus, quibus nundinae extraordinariae magno populorum concursu habentur. *S. U. I. decr. 5 dec. 1894 conf. a Leone XIII.* Attamen vetitum est episcopis in diebus exceptis ieiunio consecratis dispensare tantum super abstinentia, vel etiam illam anticipare. *S. U. I. 18 mart. 1896.* Nec possunt anticipationem concedere vel dispensationem a lege ieiunii et abstinentiae in feriis sextis et sabbatis adventus. *S. U. I. 15 dec. 1897.*

75 Et hoc valde consonum est menti antiqui iuris, secundum quod " sanctorum vigiliae, quorum festivitates oportet secunda feria celebrari, in praecedenti sunt sabbato ieiunandae „ (*cc. 1. 2 de observat. ieiunior. X. [III. 46]*), et omnes generatim " in sexta feria, si festum nativitatis dominicae die ipso venire contigerit, carnibus propter festi excellentiam vesci possunt secundum consuetudinem ecclesiae generalis „. *c. 3 tit. nuper cit.* His consonat illud Gregorii VII., quod habetur in can. 31. dist. 5. de cons., ubi dicitur: " quia dies sabbati apud sanctos patres nostros in abstinentia celebris est habitus, nos, eorumdem auctoritatem sequentes, salubriter admonemus, ut quicumque se christianae religionis participem esse desiderat, ab esu carnium, eodem die, *nisi maiore festivitate interveniente* vel infirmitate impediente, abstineat „. Quamvis postea per consuetudinem ecclesiae limitatio illa de maiore festivitate interveniente coarctata fuerit ad diem Natalis Domini.

Plura de lege abstinentiae servandae diebus ieiunii Vid. sub *Ieiunium.*

c. 31 dist. V. de cons.; cc. 2. 3 de observatione ieiuniorum X. (III. 46); Const. Urb. VIII. « Quum evenire » 13 oct. 1638; Const. Ben. XIV. « Prodiit » 30 ian. 1751; *Tamburini* In quinque ecclesiae praecepta tr. IV. c. 3 et parergon c. 1; *Castropalao* Op. mor. tr. 30. disp. 3. punct. 2; et generatim omnes moralistae in quartum ecclesiae praeceptum; *Antonelli* Medicina pastoralis vol. II. n. 480 sqq.

Acatholici. — Iuverit hic referre 76 quaesitum S. Congregat. de Prop. Fide propositum et relativam huius S. Congregationis responsionem, quum ageretur de consilio aliquorum episcoporum in Statibus foederatis Americae septentrionalis admittendi acatholicos in societatem S. Vincentii a Paulo. Quaesitum igitur fuit: " An aliqua animadversione dignum sit consilium episcoporum Statuum foederatorum Americae septentrionalis admittendi *acatholicos* tamquam honorarios socios in societates S. Vincentii a Paulo „. Et responsum est *19 sept. 1867:* " Nihil quidem obstare, quominus etiam ab acatholicis spontaneae eleemosynae recipiantur: verum ut iidem recenseantur inter socios honorarios *omnino non expedire* „. Ex quibus patet, societates, quae dicuntur *aconfessionales,* etiam in bonum

finem promovere, rem esse, quae ecclesiae approbationem, ob rationes facile perspiciendas, obtinuit numquam.

De abiuratione ab apostatis vel haereticis facienda, qui ad catholicam redeunt ecclesiam, Vid. *Abiuratio.* Alia quoad acatholicos Vid. sub *Communicatio in divinis, Haeresis, Haereticus, Schisma.*

Acceleratio partus. — Vid. *Abortus.*

Acceptatio. — De acceptatione legis ex parte subditorum ad eius vim, Vid. *Lex*; — in contractu oneroso, Vid. *Contractus*; in gratuito, Vid. *Promissio, Donatio, Sponsalia.*

77 **Acceptio personarum.** — Acceptio personarum in eo est, quod ille, cui demandatum est munus distribuendi opera et bona communia in societate, in ea distributione facienda non attendit ad ea, quae aliquem dignum vel indignum faciunt eo munere, sed ad alia, quae ad rem non pertinent. Cfr. S. Th. *2. 2. q. 63. a. 1.* Quare haud male, etsi non integre, definitur: Iniustitia, qua praefertur persona personae propter causam indebitam.

Hoc vitium semper laedit iustitiam distributivam, quae per se obligat sub gravi superiorem (B. P. *III. 22.*); saepe etiam, alio adveniente titulo, laedit iustitiam commutativam, ideoque inducit obligationem restitutionis, non tantum erga societatem (nempe erga socios, qui damnum exinde passi sunt), sed et erga subditum. Scilicet principes seu magistratus, quibus demandatur munus distribuendi bona communia, ex gr. communia officia in societate, obligantur ad eligendos dignos (vel, secundum quosdam, digniores), sed hac obligatione varie ligantur erga societatem ipsam et erga singulos subditos seu socios. Erga societatem quidem obligantur iustitia commutativa; erga singulos socios vero iustitia plerumque distributiva. Quare, praetermissis dignis (vel dignioribus, pro variis sententiis), tenentur ad reparandum damnum ex hoc societati illatum, sed plerumque non tenentur ad reparandum damnum illatum praetermissis. B. P. *III. 23. sqq. Plerumque* dixi, nam aliquando potest contrarium contingere, quum nempe initur a superiore cum subditis quidam contractus eligendi ad certum officium digniorem prae omnibus, qui velint concurrere (Vermeersch *Quaestiones de iustitia n. 137*); aut quum officia, quae distribuenda sunt, inducunt aliquam rationem remunerationis, ita ut obligetur superior ea iis tradere, qui quaedam in commune bonum contulerunt aut conferunt.

Idem, proportione facta, dicendum de oneribus imponendis. Nam si tributa ex. gr., quae a superiore imponuntur, omnino sint immodica, superior violare videtur ipsam iustitiam commutativam; si vero tantum in eo peccat impositio tributorum, quod tributa non debite proportionantur variis civium classibus, dummodo nulli sint vere immodica, iustitia tantum distributiva violatur.

De acceptione personarum in beneficiis ecclesiasticis conferendis praesertim vitanda, Vid. *Dignus.*

S. Thomas 2. 2. q. 63 et Commentatores scholastici in hanc quaestionem; *Lugo* De iust. et iure disp. 34; *Bassaeus* Flores totius theologiae practicae v, « Acceptio personarum »; *Beierus Adv.* Disp. inaug. de prosopolepsia circa infligendas poenas; *Zapata et Sandoval* De iustitia distributiva et

acceptione personarum; *Mühlbauer* Th. res. S. C. C. v. « Acceptio personae »; *Maschat* Inst. can. lib. I. tit. 14. n. 5.; *Waffelaert* De iustitia II. 404 sqq.; *Vermeersch* De iustitia n. 137.

78 **Acceptio rei alienae.** — In hoc haberi haec debent tamquam principia: 1° res clamat ad dominum; 2° res fructificat domino (Vid. *Possessor*); 3° res naturaliter perit domino, nisi alteri sit debita in specie; 4° nemo cum alterius detrimento locupletari debet, excepta concessione iuris (usucapio). Vid. *Praescriptio.*

79 **Accessio.** — **Quid sit accessio et quotuplici modo fiat.** — Accessio est rei ad rem unio et adhaesio (D'Ann. *II. 136*); et est vere modus acquirendi dominium in rem, quae nostrae adiicitur. Laymann *Th. mor. lib. III tr. 1. c. 5. num. 21*; S. Alph. *III. 497*; B. P. *III. 109.*

80 Fit nativitate, alluvione, adiunctione, specificatione, commixtione, aedificatione. Cfr. Koch *Lehrbuch der Moraltheologie § 142 b.*

81 Nativitate, quia " ea, quae ex animalibus dominio tuo subiectis, nata sunt, eodem iure tibi acquiruntur „. Inst. Iust. *lib. II. tit. 1. de rerum divisione etc. § 19; l. 6. de acquir. rerum domin. D. (XLI. 1.); l. 28 de usuris etc. D. (XXII. 1.).* Nota autem, haec acquiri nobis eodem modo ac ea, quae in nostro solo nata sunt; atque ideo etiam nobis ignorantibus, nec vi seminis, sed vi soli, quare, etiamsi ex mare non nostro sed alieno fuerint nata. *l. 25. tit. cit. de usuris D.* Huic modo acquirendi dominium referri debet ratio, qua nostri fiunt fructus arborum etc., quae in nostro solo sunt.

Alluvione, quum nempe agro meo, 82
cuius fines ex aliqua parte sunt aquae fluminis proruentes, ex parte fluminis aliquid adiicitur, ita tamen leviter, ut percipi nequeat quantum quoquo temporis momento ex agro alterius avulsum meo adiiciatur. Inst. Iust. *tit. cit. § 20. 21.*

Adiunctione, quum nempe alterius 83
res ita meae iungitur, ut ex utraque unum integrum quid efficiatur, discreta tamen manente utriusque rei substantia; sic esset de gemma aliena inclusa auro tuo. B. P. *III. 124;* D'Ann. *II. 138.*

Specificatione, quum accedit ex arte 84
tua nova forma ad praeexsistentem alienam materiam; sic si faceres tibi vestimentum ex lana aliena. Inst. Iust. *tit. cit. § 25.*

Commixtione, quae est plurium re- 85
rum sive aridarum (et tunc proprie dicitur commixtio), sive liquidarum (et tunc dicitur confusio) unio; ut si, te invito vel inscio, vinum tuum cum vino alterius, frumentum tuum cum alterius frumento confusum vel commixtum est.

Aedificatione, quum ex aliena mate- 86
ria in solo tuo, vel ex tua materia in solo alieno aedificatum sit. Nota autem, eamdem fere ac aedificationis rationem esse plantationis et sationis.

Principia quoad accessionem. — Ge- 87
neratim haec quoad accessionem statui possunt: *a*) si res unitae separari possunt, absque gravi earum detrimento, tum de iure communi, tum de iure italico, utraque suo domino separanda est; secus *b*) accessorium regulariter vi solius accessionis cedit principali; sed *c*) is, cui res accessoria cedit, si iure accessionis uti velit, necesse habet pretium solvere quanti ea

res valet; et si ipsemet eam adiunxit mala fide, quanti praeterea interest domini. D'Ann. *II. 136.*

88 Quoad ius italicum haec generalia habe. Ius accessionis, quum versatur in rebus mobilibus, regitur principiis aequitatis naturalis. *C. C. a. 463.* Quotiescumque dominus materiae, ipso invito adhibitae, ius habet repetendi proprietatem rei, in sua quoque potestate habet aut exigere tantumdem materiae eiusdem qualitatis, aut exigere pretium eiusdem. *C. C. a. 474.* Illi, qui alienas materias, absque assensu domini adhibuerunt, damnari possunt etiam ad compensationem damnorum, praeter exercitium actionis poenalis, quando ea locum habeat. *C. C. a. 475.* Specialia de iure italico vide sub *Adiunctio, Aedificatio, Alluvio, Commixtio, Nativitas, Specificatio.*

tit. de acquirendo rerum dominio D. (XLI. 1); tit de rerum divisione et qualitate (II. 1) in Inst. Iust.; *Donellus* Commentaria de iure civili I. 821 sqq. 863 sqq. 885; *Vinnius* Instit. imperialium comment. lib. II. tit. 1. § 26; *Voet* Comm. ad pandectas lib. XLI. tit. 1. n. 14 sqq.; *Copus I.* De accessionibus etc.; C. G. aa. 547 sqq.; C. It. aa. 444 sqq.; *Ricci* Corso teorico pratico di diritto civile vol. II. n. 71 sqq,; *Ballerini - Palmieri* III. 109 sqq.; *D'Annibale* Summ. II. 136 sqq.; Th. moralistae generatim in septimum praeceptum decalogi.

89 **Accessus.** — Conditio accessus in renunciatione beneficii tunc habetur, quum quis renunciat iuri suo, quod in facto completum non habet, et hoc ius sibi reservat; ut si quis permitteret, ut alius beneficium, ad quod expresse ius habet, consequeretur sub ea conditione, ut ad ipsius nutum teneretur illud dimittere ad hoc, ut ipse ad illud posset accedere. Iure communi non potest admitti a superiore ecclesiastico, qui Romano Pontifice sit inferior, resignatio beneficii cum ista conditione. *c. un. de rerum permut (III. 10) in 6°. iunct. cap. un. eiusd. tit. (III. 5) in Clement.;* Schmalzgrueber *in tit. 9. lib. I. Decr. n. 23.*

De conditionibus affinibus ingressus et regressus in resignatione beneficii. — Vid. *Ingressus, Regressus.*

De accessu quoad electionem Romani Pontificis. — Vid. *Conclave.*

Accrescendi ius. — Vid. *Testamentum.*

Accusatio. — **Quid sit accusatio.** — 90 Accusatio est delatio rei criminis alicuius in iudicium ad publicam vindictam solemniter facta. Schmalzgrueber *in tit. 1. lib. V. Decr. n. 21.*

Dicitur autem *criminis* alicuius ad innuendum et ipsum delictum oportere esse publicum et grave; leviora siquidem delicta de plano iudicari debent. *l. 6. de accusationibus etc. D. (XLVIII. 2).* — Dicitur praeterea *in iudicium,* quia verus iudex requiritur, qui accusationem recipiat; arbitri enim a causis criminalibus excluduntur. Insuper iudex intelligitur competens; nam, si iudex competens non esset, sententia nullitati subiaceret. — Dicitur etiam *ad vindictam,* ut pateat differentia accusationis ab actione civili, qua commodum privatum intenditur, atque a denunciatione evangelica, quae fit ad correctionem et emendationem. — Dicitur tandem *solemniter facta,* ut innuatur, eam non quocumque modo, sed ad tramitem legis esse faciendam, idest iis servatis solemnitatibus, quae a lege praescribuntur.

Solemnitates autem istae ad duas

reduci possunt. Scilicet, accusatio debet proponi in scriptis, saltem in criminibus gravioribus, per libellum rite exaratum, exprimendo scilicet nomen iudicis, accusatoris, accusati, speciem delicti, locum, tempus. *l. 3. tit. cit. D. (XLVIII. 2).* Debet praeterea libello apponi subscriptio, qua accusator sese obliget ad subeundam poenam talionis, idest vel ad probandum crimen obiectum, vel, si in probatione defecerit, ad subeundam illam eamdem poenam, quam, probato delicto, reus subiturus fuisset. *ll. 3. 7. tit. cit. D. (XLVIII. 2); c. 24. de accusationibus etc. X. (V. 1).* Haec autem subscriptio ad id inventa est, ne facile quis prosiliat ad accusationem, quum sciat inultam sibi accusationem non futuram. *l. 7. nuper cit.* Verum nota, hanc subscriptionem hodie in foro civili non esse amplius in usu: in foro autem ecclesiastico adhuc necessariam esse putat De Angelis (*in tit. 1. lib. V. Decr. § 1*); putantibus aliis per contrariam consuetudinem hanc subscriptionem esse abrogatam, nisi specialis quaedam probetur exceptio.

91 **Quinam possint accusare.** — Quinam autem accusare possint intelligemus, si scierimus, qui non possunt. *l. 8. tit. cit. D. (XLVIII. 2).* Generatim vero excluduntur a iure accusandi in causa criminali, quotquot excluduntur a postulando vel a testimonio ferendo in iudicio. In specie autem varias ob causas prohibentur mentecapti, surdomuti (Schmalzgrueber *in tit. 1. lib. V. Decr. n. 49*), impuberes (*l. 8 nuper cit.; c. 14. C. II. q. 1*), mulieres (*l. 1. tit. cit. D. [XLVIII. 2]*), infames, et quidem in iure canonico infames non solum infamia iuris, ut in iure civili (*l. 4. tit. nuper cit.*), sed etiam infames infamia facti (*c. 18. C. II. q. 7; c. 17. C. VI. q. 1*), criminosi (Schmalzgrueber *loc. cit. n. 45*), excommunicati maiore excommunicatione (*c. 7 de iudiciis X. [II. 1]; c. 1 de except. [II. 12] in 6°*), pauperes, qui minus quam quinquaginta aureos habent (*l. 10. tit. nuper cit. D.*), nisi constet, eos esse bonae vitae et conversationis (Schmalzgrueber *loc. cit. n. 48*), qui falsum testimonium subornati dixerunt (*l. 9. tit. nuper cit.*), omnes demum qui iure suspecti habentur. Praeterea quidam excluduntur non a quacumque, sed a certis accusationibus. Sic, ex. gr. filius non admittitur ad accusandum patrem vel matrem, quo nomine veniunt omnes ascendentes (*l. 4. de in ius vocando D. [II. 4]*), frater contra fratrem vel sororem (*l. 13. qui accusare non possunt C. [IX. 1]*), nisi de levioribus agatur (*l. 18. tit. nuper cit.*), inimici capitales in eum, quem odio habent (*c. 13. tit. cit. X. [V. 1]*), laicus respectu clerici (*c. 10. tit. nuper cit.*), clerici et religiosi, si intendant poenam sanguinis (Schmalzgrueber *loc. cit. n. 56*), etc. — Attamen in quibusdam casibus extraordinariis in iure exceptis etiam hi admittuntur (exceptis semper illis, qui natura ipsa ab accusando repelluntur, ut amentes) et praesertim quando suam ac suorum iniuriam persequuntur (*l. 2. tit. cit. D. [XLVIII. 2]; cc. 1. 2. C. XV. q. 3*), exceptis tunc filiis, qui parentes tunc civiliter tantum convenire possunt (Schmalzgrueber *loc. cit. n. 62*); aut quando agitur de crimine laesae maiestatis (*l. 8. ad leg. Iul. maiest. D. [XLVIII. 4]*), aut haereseos. *c. 10. de haer. X. (V. 7).* Non

admittuntur plures accusatores contra unum (*l. 16. tit. cit. D. [XLVIII. 2]*), et si plures essent accusatores, unus a iudice eligitur, qui accusationem sustineat. Accusatus, pendente accusatione, non potest alios accusare.

92 Probandi onus accusatori incumbit; et accusator alterum accusans de crimine, quod nequit postea probare, eo ipso censetur calumniator. *arg. c. 2 de calumniatoribus X. (V. 2).*

93 Aetate nostra, seu in nostris recentioribus civilibus iuribus partes accusatoris unus habet Procurator regius, qui tamen in se non suscipit omnes partes proprie dicti accusatoris in iure romano aut ecclesiastico, relicta ceteris facultate aut obligatione denunciandi. Vid. *Denuntiatio.*

94 **Quinam possint accusari.** — Accusari autem possunt delinquentes omnes, nulla differentia facta status aut sexus, aut aetatis. Dixi autem delinquentes, quare ex ipsa natura rei excluduntur furiosi, amentes, etc. Ratione aetatis excluduntur impuberes pubertati non proximi, quippe qui delinquentes esse nequeunt; at impuberes pubertati proximi, quum doli capaces praesumantur, et hi possunt accusari. Cfr. *l. 111 de div. reg. iur. ant. D. (L. 17).* Patet autem accusari non posse Principes, in iis scilicet, in quibus hanc supremam auctoritatem obtinent, quippe superiorem non agnoscunt. *c. 13. C. IX. q. 3.* Similiter accusari denuo non potest ille, qui, semel iam accusatus de crimine, ab eo absolutus est; is enim semper opponere potest exceptionem rei iudicatae. *l. 7. tit. cit. D. (XLVIII. 2); c. 6. tit. cit. X. (V. 1).* Excipiuntur autem quidam casus in iure, quos vide apud Schmalzgrueber *loc. cit. n. 94 sqq.*

Decr. Grat. C. II. qq. 1. 7. 8, C. III. qq. 4 et sqq., C. IV. qq. 1. 4. 6, C. XV. q. 3; tit. de accusationibus etc. X. (V. 1); idem titulus (V. 1) in 6°; Conc. Trid. sess. XIII. c. 6. de ref.; tit. de accusationibus et inscriptionibus D. (XLVIII. 2); tit. de his, qui accusare non possunt C. (IX. 1); tit. ut nemo invitus agere vel accusare cogatur C. (III. 7); Decretalistae et iuristae in tit. cit.; *Farinaccius* Op. a quaest. 11 ad 16; *Gomez* in cap. 1. de accusationibus etc. X. (V. 1); *Tuschi D. Card.* Conclusion. pract. litt. A.; *Novelli* Tract. aureus ad reorum defensam; *I. Fessler* Der kanon. Prozess n. s. positiv. Grundlagen u. s. ältest. histor. Entwickl. i. d. vorjust. Periode; *Droste* Kirchl. Disziplinar- und Kriminalverfahren gegen Geistliche; *Pierantonelli* Praxis fori ecclesiastici etc., tit. 5us; *Péries* La procédure canonique moderne dans les causes discipl. et criminell.; *Sägmüller* Lehrbuch des kath. KR. n. 767 sqq.; *Hergenröther-Hollweck* Lehrbuch des kath. KR. § 170.

Accusatio matrimonii. — **Quid sit accusatio matrimonii.** — Accusare matrimonium est causam coram competente iudice proponere, ut matrimonium contrahendum impediatur, vel contractum dissolvatur, aut nullum declaretur. Gasparri *De matrimon. II. 1477 (1).* 95

Quibusnam competat. — In causis sponsalium iudex ecclesiasticus numquam procedit ex officio, sed actio institui potest solummodo ab uno e duobus sponsis, et a tertia persona tunc solummodo, quum ad hoc faciendum ab alterutro habet speciale mandatum. Cfr. *c. 4 de procurat. X. (I. 38)* et *c. 3 de iud. (II. 1) in 6°.* 96

Si agatur de impetendo valore matrimonii actio competit solis coniugibus, quando nullitas matrimoni oriretur 97

ex metu, errore, vi, defectu conditionis appositae, impedimento impotentiae, aetatis, raptus vel etiam ligaminis; in quo casu si quis, vivente legitima uxore, aliam huius impedimenti ignaram duxerit, mortua prima uxore, non recipitur ad accusandum valorem secundi sui matrimonii, sed hoc ius est exclusive mulieri deceptae (cfr. *c. 1 de eo qui duxit in matr. etc. X. [IV. 7]; Instr. Austr. § 121; Instr. S. C. P. F. a. 1883. § 3. 36. 46*); in aliis casibus cuivis catholico competere potest. *c. 6 qui matrim. accus. etc. X. (IV. 18); c. 7 de cognat. spirit. X. (IV. 11); Instr. S. C. P. F. a. 1883. § 3.* Excluduntur illi, de quibus legitima suspicio habetur, ne ex hoc sua commoda vel lucra quaerant (*c. 5 tit. cit. X. [IV. 18], c. 11 qui filii etc. X. [IV. 17]; S. C. C. 17 sept. 1842., 22 ian. 1844*), et illi, qui impedimentum aliquod cognoscentes ante matrimonium reticuerunt. *c. 6 tit. cit. X. (IV. 18).*

98 Attamen quoad ius coniugum accusandi suum matrimonium, quaedam adnotanda sunt. Neque enim semper utrique coniugi hoc ius est, sed pluries uni tantum ex coniugibus.

Uterque coniux hoc ius habet, quando agitur de impetendo valore sponsalium, vel valore matrimonii ex capite impotentiae, aut etiam quando obtineri vult dispensatio super matrimonio rato et non consummato. Cfr. *Instr. S. U. I. 20 iun. 1883. § 45;* Feije *De imp. et disp. matr. n. 584;* Gasparri *loc. cit. 1478.*

Quando agitur de errore, seu vi et metu, pars, quae erraverit, aut vim vel metum passa est, potest una matrimonium accusare. *Instruct. Austr. § 116.* In casu matrimonii irriti ex defectu aetatis illa tantum pars habet ius accusandi, quae tempore contracti matrimonii erat impubes. *Instr. Austr. § 119.* Si quaestio est de impedimento raptus, nullum est ius raptori, sed raptae tantum, quae, statim ac libera est et reclamare potest, debet suo hoc iure uti: secus non audiretur. *Instr. Austr. § 120.* Quum autem causa intentari vult ob defectum conditionis appositae, matrimonium accusari potest ab eo tantum coniuge, qui neque id, quod in conditionem positum est, adesse falso asseveraverit, neque illud non exsistere dolo reticuerit, neque ne conditio impleatur sua culpa impedierit. *Instr. Austr. § 117.*

Uni soli parti innocenti competit actio, si agitur de sponsalibus, quando altera e partibus renuit suae obligationi satisfacere, aut vult etiam cum tertia persona contrahere. Gasparri *loc. cit. 1479.*

Ad separationem quoad torum et 99
cohabitationem uni coniugi innocenti ius est agere, nec admittitur ad hoc tertia persona. *cc. 4. 5 de divort. X. (IV. 19).* Vid. *Causae matrimoniales.*

Quando alii praeter coniuges possunt 100
matrimonium accusare, potest etiam iudex ecclesiasticus, et debet, si habeat sufficientem causam ad suspicandam nullitatem matrimonii, procedere ex officio. *Instr. Austr. § 122.*

Nota. — Ius accusandi matrimonium 101
nulla praescriptione extinguitur, sed semper perdurat. Gasparri *loc. cit. 1484.* Nemo tamen ob quaestum ad accusandum matrimonium admittitur. *c. 5 tit. cit. X. (IV. 18).* Hinc quum nepotes quidam alicuius, qui intestatus defun-

ctus erat, petiissent declarationem nullitatis matrimonii illius defuncti cum aliqua muliere, ex qua defunctus filios habuerat, quos nepotes adulterinos dicebant, quia geniti a muliere, quae cum alio viro ligata erat matrimonio, quod erronee et iniuste secundum ipsos declaratum fuerat nullum et irritum, Sacra Congreg. Concilii petitionem non admisit. *S. C. C. in Ianuen. 17 sept. 1842.*

Decr. C.XXXV. q. 6; tit. qui matrimonium accusare possint vel contra illud testificari X. (IV. 18); Instr. S. U. I. 20 iun. 1883 ad Patriarchas etc. rituum orientalium in causis matr. adhibenda; Instructio S. C. P. F. de iudiciis ecclesiasticis circa causas matrimoniales a. 1883; Commentatores in tit. cit. X. (IV. 18): *Sanchez* De matr. lib. VII. disp. 100; *Feije* De imped. et dispensat. matr. cap. 28; *Mansella* De imped. matr. dirim. ac de processu iudiciali in causis matr.; *Përies* Code de la procédure canonique dans les causes matrimoniales; *Esmein* Le mariage en droit canonique, p. 2. tit. 2. c. 2; *Rosset* De sacr matr. vol. 6. n. 3732 sqq.; *Leitner* Lehrbuch des kath. Eherechts § 64 sqq.; *Gasparri* De matr. c. 8. a. 2. ¼ 3; *Wernz* Ius Decr. vol. IV. n. 742 seqq.; *Bassibey* Procédure matr. générale, n. 166 sqq. n. 230 sqq.; *Sägmüller* Lehrbuch des kath. KR. ¼ 151; *Hergenröther-Hollweck* Lehrb. des kath. KR. n. 1008.

Accusator. — Vid. *Accusatio.*

102 **Acedia.** — Acedia est taedium de bono divino: est letalis ex toto genere suo: excusatur tamen quamdiu haeret appetitui, et ei obsistit ratio. G. B. *I. 179.*

103 **Acolytatus.** — Acolytatus est quartus ordo ex minoribus, quo confertur alicui specialis potestas accendendi luminaria ecclesiae et suggerendi vinum et aquam transsubstantianda in sacrificio.

Materia sunt candelabrum cum candela extincta et urceolus vacuus; forma vero: « accipite ceroferarium cum cereo, et sciatis vos ad accendenda ecclesiae luminaria mancipari in nomine Domini; accipite urceolum ad suggerendum vinum et aquam in eucharistiam Sanguinis Christi in nomine Domini ». Pont. Rom. *de ordinat. acolytorum.*

Instrumentum, vulgo *bugia,* cum candela pro episcopis ad librum non potest esse materia huius ordinis loco candelabri. *S. R. C. in Bracharen. 8 iun. 1709. ad 4. (2194).* Vid. *Ordo.*

Sine necessitate non potest acolytus 104
vel clericus admitti ad cantandam epistolam in missa solemni; imo antiquitus acolytus seu alius clericus, qui solemniter cantasset epistolam cum tunicella et reliquis sacris vestibus, etsi sine manipulo, debebat petere dispensationem irregularitatis ad cautelam, ex decreto S. Congr. Concilii *23 apr. 1603* citato apud Mühlbauer *Th. resol. S. C. C. v. " Acolyti „ n. 2.*

Acta S. Sedis. — Recurrentes ad 105
laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab eiusdem legatis aut delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes sive alios laedentes vel perterrefacientes incurrunt excommunicationem l. s. R. P. specialiter reservatam. *Const.* Apostol. Sedis *serie 1ª n. 8.*

Nota autem, *litteras apostolicas* eas 106
esse, quae nomine Romani Pontificis expediuntur sive in forma bullae sive in forma brevis, vel quacumque alia

STUDIO ADDICTUS
Province of Holy Cross

forma ipse Romanus Pontifex maluerit. D'Ann. *Comm. in Const. Ap. Sedis. n. 40 (34).*

107 *Acta* vero Sanctae Sedis ea dicuntur, quae Romae a Romano Pontifice aguntur, vel de mandato ipsius, sive contineant negotium spirituale sive temporale, sive ab ipsa S. Sede immediate proficiscantur, sive mediantibus sacris Romanis Congregationibus. *S. U. I. 13 ian. 1892. ad 2.*

108 *Legati* ii sunt, qui a Romano Pontifice mittuntur ad principes seculares rei publicae causa, vel qui generalitatem negotiorum concreditam sibi habent. D'Ann. *loc. cit. n. 71;* B. P. *VII. 284;* Wernz *Ius decret. II. 681.* — *Delegati* vero intelliguntur ii, qui ad aliquod speciale negotium peragendum mittuntur. Reiffenstuel *in tit. 30. lib. I. Decr. n. 5.*

Legati autem et delegati hic accipiendi sunt, qui tales sunt ab homine, non a iure. Hinc excluduntur legati nati et episcopi in his, quae habituali iurisdictione agunt ceu delegati Sedis Apostolicae. B. P. *loc. nuper cit.;* D'Ann. *loc. cit. (4).*

109 Porro sub excommunicatione hic prohibetur tum recurrere ad laicam potestatem ad impediendas litteras etc., tum impedire, sive directe, sive indirecte, earum promulgationem vel exsecutionem, tum etiam earum causa laedere vel perterrefacere ipsas partes aut alios.

a) *Recurrentes* vero ii sunt, qui alicuius opem contra aliquem vel aliquid implorant (*l. 6 de appellat. C. [VII. 62]*); plectuntur autem recurrentes omnes sine exceptione. Recurrere autem debent ad laicam potestatem, nempe ad eos (et ad eos, qua tales), qui in civitate iurisdictione fruuntur, ut sunt iudices, praesides, praepositi urbium; excluduntur igitur quaestores, syndici, etc. D'Ann. *loc. cit. n. 72;* B. P. *loc. cit.*

b) *Prohibentes* autem sunt impedientes promulgationem, seu publicationem, quae fiat consueta iuris forma; vel exsecutionem, idest quidquid requiritur ad hoc, ut litterae et acta pontificia suum sortiantur effectum. Hinc, si quis prohiberet, quominus ille, qui has litteras accepit, eis uti posset, hanc excommunicationem non effugeret. Quaestionem Doctores instituunt, utrum ad excommunicationem incurrendam necesse sit promulgationem etc. prohibere auctoritate publica; et in diversas abeunt sententias. At bene notat Ballerini-Palmieri, rarum admodum esse casum, quo privatus homo haec possit prohibere, leges autem raros casus attingere non solere. *l. 3 de legibus D. (I. 3).* Ceterum etiam D'Annibale *(I. 390. 8* et *l. c. n. 74)* concludit, rem tandem dubiam esse. Porro excommunicatio dubia excommunicatio nulla.

c) *Laedentes* ii sunt, qui corpori aliquod malum inferunt: perterrefacientes, qui gravem metum incutiunt. Quare, quum in odiosis versemur, excommunicationem incurrunt illi tantum, qui vel gravem laesionem corpori inferunt, vel gravem (imo oppido gravem, ait D'Annibale) incutiunt metum.

Quaerunt Doctores, utrum prohiben- 110
tes et recurrentes excommunicationem statim incurrant, an tantum effectu secuto; nec sunt concordes. Verius videtur, prohibentes incurrere statim (Bonacina *p. II. n. 28*); recurrentes

tantum effectu secuto, idest quum potestas laica promulgationem seu executionem prohibuerit (D'Ann. *loc. cit. n. 76*); laedentes et perterrefacientes statim et ipsos incurrere.

111 Praeter hucusque enumeratos nemo alius incurrit excommunicationem; adeoque, ait D'Annibale *loc. nuper. cit.*, nec hi, qui litteras apostolicas etc. ab aliis impetrata publicare, expedire, tradere, exsequi, vel eis parere, recusant; etsi recusent (episcopi quoque) eo quod nondum principis vel magistratus examen, beneplacitum, consensus accesserit: nec (hodie) hi, qui illa impetrare, et huius rei causa, Romam adire, accedere vetant, quippe hos praeterit constitutio nostra. Incurrunt autem recurrentes et impedientes quoad obtentum fuerit *Regium placet* seu *Regium exsequatur*, vel quoad restitutum fuerit iniuste ablatum (D'Ann. *loc. cit. n. 75*); imo et qui non dat *Regium exsequatur* (sicubi inique exstat), quippe de facto prohibet exsecutionem litterarum apostolicarum. B. P. *loc. cit.*

112 **Actiones societatum.** — **Quid sint actiones societatum, et in quo differant ab obligationibus.** — Actio dicitur titulus, quem quis habet ad emolumenta societatis propter summam, quam in ea instituenda collocavit.

Obligationes vero sunt tituli, qui illis conceduntur, qui societati iam constitutae et pecuniis indigenti pecunias mutuo tradunt.

Hinc qui actiones habent, evadunt socii; qui obligationes, creditores societatis.

113 **Quid circa eas clericis liceat, an non.** — Quoad ea, quae clericis licent circa actiones et obligationes huiusmodi haec habe:

— *a)* certum est, non posse emi has actiones et obligationes a clericis, ut carius vendantur, quia in hoc habetur vera et proprie dicta negotiatio. Vid. *Negotiatio.*

b) certum quoque est, posse clericos accipere obligationes harum societatum, ut ex sua pecunia moderatum lucrum referant; licet enim clericis mutuo dare pecuniam suam.

c) quaestio est, an liceat clericis actiones societatum emere, ut eas penes se retineant ad dividendum lucrum, quod ab exercitio societatis speratur, et quod actionariis seu sociis aequis partibus pro rata actionum distribuendum est. — Sunt enim theologi et canonistae, qui hoc licere absolute negant (Lehmkuhl *II. 612;* Scavini *II. 611. edit. 11,* attamen quoad Scavini vide etiam *I. 586;* Wernz, saltem ex parte, *Ius Decr. II. 219. III. scholion*); sunt qui affirmant (Sanguineti *Inst. iur. eccl. scholion post num. 207;* Auctor prael. can. S. Sulpitii *tom. II. p. I. et II. n. 355;* Bouix *nov. 1860. apud Revue des sciences ecclésiastiques tom. 2*).

114 Hac in re duplex quaedam distinctio adhiberi solet. — Prior est, quae respicit *statum societatis,* de qua agitur; utrum nempe quaestio sit de societate ipsa constituenda, an potius de societate iam constituta. — Altera est, quae respicit *scopum societatis,* utrum nempe ea vere sit commercialis an industrialis tantum.

Volunt igitur nonnulli prohiberi clericis accipere actiones societatis vere negotiatoriae seu commercialis; licere, si agatur de societate industriali. Alii permittunt etiam clericis accipere actiones societatis commercialis, dummodo

in administratione societatis non sese ingerant.

Respicientes autem statum societatis, censent nonnulli, melius esse, ut clerici abstineant ab accipiendis actionibus, quum agitur de societate constituenda, quia hoc maiorem gignit suspicionem cupiditatis lucri captandi; quod tamen non videtur verum. — In summa res adhuc est in quaestione.

Et haec quaestio ne definiri quidem potest categorice decretis Romanarum Congregationum. Nam quae afferuntur decreta nullo modo rem dirimere videntur: verum et particulares casus concernunt, et principia ipsa quaestionis non attingunt. Si quando enim his decretis conceditur gratia, ut clerici possint actiones has emere, non exinde concludi recte potest, clericis sine hac concessione idipsum non licere. Scimus enim, S. Sedem solitam pluries fuisse gratiam aliquam petentibus concedere, quamvis ea gratia per se non indigerent, certe saltem. Id autem fit, tum ut quaestio, si quae est, non dirimatur authentico iudicio; tum ut consulatur quieti et tranquillitati conscientiae petentium. — Unum est responsum S. Congr. EE. et RR. *30 ianuar. 1846,* quod refertur a Bizzarri *(Collectanea p. 530),* quodque videtur attingere ipsa quaestionis principia. Petitum nempe est: " an liceat clericis promotis ad s. ordines vel beneficia possidentibus acquirere actiones societatis accomanditariae Civitatis Castelli „, et responsum est: " Non licere „. — Sed animadvertit Sanguineti *loc. cit.,* cui adhaeret Ballerini-Palmieri *IV. 477,* hic sermonem esse de societate constituenda, non de societate constituta; consultius autem esse, ut clerici a societatibus constituendis abstineant.

Duo alia sunt responsa Romanarum Congregationum, quae iuvat in specie referre. Alterum refertur ex periodico Nouv. Revue théol. *t. 25. p. 604* a B. P. *IV. 478* ex S. U. I. *15 apr. 1885:* " Iuxta exposita et attentis peculiaribus temporis circumstantiis personas ecclesiasticas non esse inquietandas, si emerint aut emant actiones seu titulos mensae nummulariae, dummodo paratae sint stare mandatis S. Sedis, et abstineant a qualibet negotiatione dictorum titulorum et praesertim ab omni contractu, qui speciem habeat, ut vulgo dicitur, *dei giuochi di borsa* „. Alterum est illud, quod refertur a Bucceroni *Enchiridion n. 182,* nempe: " Non sunt inquietandi, qui nomina seu actiones viarum ferrearum, similiumque societatum aut arcarum publicae utilitati inservientium de sua pecunia acquirunt, dummodo parati sint stare mandatis Sedis Apostolicae, et certo sciant, eas societates nullum habere propositum finem illicitum, vel quomodolibet suspectum, et dummodo nullam in eis societatibus administrationis partem suscipiant, neque actionum earumdem societatum negotiationem exerceant „. *S. U. I. 17 nov. 1875.* Vid. *Alienatio.*

Actor. — Vid. *Accusator.*

Actus. — **De natura et acceptione actus humani.** — Actus humanus dicitur, qui est a deliberata hominis voluntate, seu est actus a voluntate cum rationis advertentia et libertate procedens; differt ab actu hominis, qui fit in homine vel ab homine absque deliberatione. S. Th. *1. 2. q. 1. a. 1.* 115

116 **De bonitate et malitia actuum humanorum.** — Ad iudicandum vero de actuum bonitate vel malitia, quaedam pulcherrime adnotat Busembaum *tr. 1. n. 57*, quae iuvat heic referre:

a) Ut bonus sit actus, oportet, ut bonitas, undecumque sit, directe intendatur.

b) Ad malitiam sufficit, ut indirecte sit voluntaria.

c) Actus bonitatem aut malitiam habet ab obiecto formaliter spectato (idest non considerato secundum sui naturam, sed secundum apprehensionem agentis).

d) Actus ex obiecto bonus ad bonum finem imperatus praeter essentialem specificam obiecti bonitatem habet accidentalem a fine.

e) Eadem de causa actio ex obiecto mala in malum finem directa duplicem malitiam contrahit.

f) Actus ex obiecto indifferens bonitatem aut malitiam a fine desumit, et hinc in aliqua virtutis aut vitii specie constituitur.

g) Actus ex obiecto bonus aut indifferens fieri potest malus tum ex fine tum ex circumstantiis.

h) Exinde, sicut actus ex obiecto malus non fit bonus ob finem bonum, ita si finis graviter est malus, mala erit actio, etiamsi materialiter bonum sit obiectum.

i) Si finis, etiamsi leviter malus, sit totalis causa, cur actus ponatur, totum actum, alioquin ex obiecto materialiter bonum, vitiat.

l) Actus habens obiectum formaliter bonum, cuius finis leviter malus non est totalis et immediata ratio, cur illud eligatur, est partim bonus partim malus.

m) Multo vero minus corrumpit actum formaliter ex obiecto bonum, si quis secundarius finis accedat, qui habeatur indifferens. Secus dicendum, si finis indifferens sit totalis causa actus ponendi.

n) Neque bonum plane corrumpunt mala, quae ex accidenti per circumstantiam ita adveniant, ut actui sint extrinseca.

o) Ut actus bonus sit, opus haud est, finem ultimum positive intendi; satis est, si non excludatur.

Moralitas igitur actuum humanorum desumitur ex obiecto, ex circumstantiis, ex fine. B. P. *I. 83. sqq.*

117 Actus *externus* nullam per se addit moralitatem actui interno, sed declarari debet in confessione. G. B. *I. 25.*

118 Actus in individuo indifferentes quoad moralitatem non dantur, ex S. Thoma (*1. 2. q. 18. a. 9*) et S. Alphonso (*de act. hum. lib. 5. n. 44*), Scotistis tamen contradicentibus.

119 **Alia circa actum humanum.** — Relatio operum in Deum actualis non est necessaria ad merendum; sed sufficit virtualis (ad quam satis est, ut quis habitu caritatis non sit destitutus); nec necesse est pluries vel semel in die renovare intentionem referendi opera in Deum. S. Th. *in 2. dist. 40. q. 1. a. 5. ad 6, QQ. DD. de caritate q. un. a. 11. ad 2, de malo q. 2. a. 5. ob 10ª, quam concedit*; B. P. *I. 111 sqq.*

120 Non cadunt sub lege humana actus heroici, nec sub civili actus interni; an sub ecclesiastica, disputatur; at cadunt mixti et externi occulti.

121 Unico actu adimpleri possunt plura praecepta, si cadant in eamdem materiam et ob idem motivum; secus diiu-

dicandum ex voluntate legislatoris. Vid. *Lex.*

122 Unico actu, quo violantur plura praecepta moraliter diversa, plura peccata specie distincta committuntur. Vid. *Peccatum.*

123 Actus voluntatis interrumpitur per retractationem, per cessationem voluntariam ab ipso actu, per moram sat notabilem. B. P. *I. 644 sqq.*

124 Ut possit reservari, actus debet esse externus; item ad incurrendam censuram. Vid. *Reservatio casuum; Censura.*

S. Th. 1. 2. q. 18-20; Commentatores scholastici in h. t.; *S. Alph.* Th. mor. lib. V. tr. de act. hum. aa. 1. 4. 5; *Ballerini-Palmieri* I. 1. sqq.; *Cathrein* Moralphilosophie I. pag. 284 sqq.; *Frins* De actibus humanis II; *Ferretti* De essentia boni malique moralis; *Bucceroni* Comm. de actibus humanis; *Koch* Moraltheologie §§ 12. 38, *Pruner* Kath. Moraltheologie n. 49.

125 **Actus coniugalis.** — Actus coniugalis seu copula est ille actus, quo vir et femina per coitum unum quasi corpus et una caro efficiuntur.

126 I. **De ipso actu obiective spectato.** — ***Liceitas et liceitatis conditiones.*** — Actus coniugalis inter legitimos coniuges honestus est et licitus. *Gen. I. 28; I. Cor. VII. 3; Eph. V. 22.* Ad hoc autem ut sit licitus, debet esse verus actus coniugalis. Porro actus coniugalis perficitur coitu viri et mulieris et emissione seminis viri in vas naturale mulieris, sive mulier quoque seminet, sive non. Brevius actus coniugalis est copula perfecta seu *per se* apta ad generationem.

Hinc est, quod coitus, coniugum quoque, ita imperfecte fieri potest, ut exinde illicitus evadat. Hoc autem apparebit ex dicendis.

Porro actus coniugalis tunc perfecte fit, quum ea omnia servantur etiam quoad accidentales circumstantias actus, quae natura ipsa dictare videtur.

Natura autem quaedam ita dictat, ut et iubeat vere; quare in iis transgrediendis letale peccatum adest. Quaedam autem non iubet, sed insinuat; in quorum transgressione proinde veniale aderit.

Iubet autem, ut in perficiendo actu coniuges generationem non impediant. Nam, quamvis usus matrimonii non ad solam generationem sit ordinatus, sed etiam ad sedandam concupiscentiam directus sit, debet tamen esse verus actus coniugalis, ut diximus. Actus autem coniugii non datur tunc, quum finis primarius ipsius coniugii *positive* excluditur. Quare ea omnia, quae generationem impediunt positive, prohibentur coniugibus sub gravi. At, loquendo nunc de ipso actu coniugali (nam alia nunc non attendimus, ut intentionem, qua in aliquo faciendo moventur coniuges etc.), quidquid generationem non impedit, vel licitum est coniugibus, vel saltem non sub gravi prohibitum. Et haec omnia plana sunt et communiter ab omnibus admissa.

127 ***Quae generationem impediant.*** — Videndum est autem in particulari quoad quaedam, an de facto dicenda sint impedire generationem, ita ut graviter illicita evadant. Potest ex. gr. dari, ut vir penetret quidem vas, sed parum, et in ore feminei vasis effundat semen. An hoc est illicitum? Porro, habita tantum ratione actus materialiter inspecti, hic modus congrediendi

non est illicitus. Ratio est, quia nemaspermata seu zoospermata aut spermatozoida, quae vim habent fecundatricem, et in humore spermatico continentur, feminae organa facile pervadunt; praeterea horum nemaspermatum numerus magnus est, ita ut ad plura millia in unaquaque eiaculatione censeatur, fere autem certum est unum tantum ad fecundationem sufficere. Antonelli *de conceptu impotentiae et sterilitatis n. 2.* Evidens igitur est, in actu tali ratione habito non impediri generationem, quamvis minus facilis ea reddatur. Cfr. Berardi *Praxis confessar. I. 978.* Attamen non hic est modus a Deo auctore naturae ordinatus; quare sine causa eo uti, non excusarem ab omni peccato.

128 ***Utrum et quando vir aut uxor possint se retrahere.*** — Accidit aliquando, ut vir aut uxor ante alterius coniugis seminationem se retrahat, postquam seminaverit ipse.

Porro duo sunt hic casus differentes examinandi: alter est de viro, qui se retrahit, postquam seminaverit uxor, alter de uxore, quae se retrahit, postquam seminaverit vir.

Quoad secundum casum, puto ante omnia esse casum fictitium. Membrum enim virile eiaculato semine, in viro mollescit, ac proinde extra vaginam naturaliter defluit; quare mulier non ipsa est, quae se retrahit, vel ad summum id facit, quod momento temporis postea naturaliter eveniret. Capellmann *Medic. past. de matr. II. 2.* Sed supposito casu, quum pseudo-semen mulieris, ut hodie exploratum est, non sit necessarium ad generationem, huiusmodi actus maneret actus vere coniugalis, ac proinde non esset illicita ista retractio, saltem sub gravi.

Quoad primum autem casum, quo vir se retrahat, postquam seminaverit uxor, antequam tamen ipse semen intra vas effuderit, distinguendum ante omnia est. Potest enim contingere, virum iam adeo esse excitatum ex contactu mulieris, ut certo praevideat, se in casu polluturum extra vas. Tunc, si sine causa id faciat vir, non video in quo hic agendi modus (nisi forte in intentione) ab onanismo differat; si autem adsit causa gravis, qualis esset grave periculum scandali vel mortis, tunc hoc ei liceret ratione caritatis. Sanchez *de matr. lib. IX. disp. 19. n. 6;* S. Alph. *VI. 918.*

Attamen aliquando contingere posset, ut vir se retraheret, periculo pollutionis excluso. Tunc etiam illicitum hoc videtur, quia uxor iam experta est completam voluptatem, quam extra opus coniugii nefas est procurare aut admittere; vir autem eam procuravit uxori, tenetur ergo coniugale opus complere. Verum minores causae requiruntur ad hoc, ut a complendo actu excusetur in hoc casu, quam in superius recensito. Ibi enim agebatur de frustratione seminis viri, quod ad generationem inservit, hic nihil, quod ad generationem directe facit, frustratur. Quare Capellmann (*loc. cit. de matrimonio II. 4*), consentio, ait, tunc magnam quoque viri fatigationem aut feminae, spasmum nervorum in crure ex. gr. aut in pede et alia huiusmodi sufficere ad copulam interrumpendam.

An uxor possit se a seminando cohibere. — Aliquando contingit, ut uxor 129

in actu copulae non se retrahat, sed se a seminando cohibeat. Porro, si actum in se inspiciamus relate ad effectum generationis nihil mali in eo est, quum pseudo-semen mulieris non sit ad generationem necessarium, ut diximus, sed forte solum iuvet generationem ipsam; coniuges autem non tenentur iuvare generationem quo melius possunt, sed tantum eam non impedire. Attamen puto ex alio capite in hoc peccari a muliere. Nam mulier tenetur ex iustitia erga virum ad talem actum coniugalem, qui viro procuret illam expletam voluptatem, quae naturaliter actui coniugii inest; et hoc, quia matrimonium est etiam ad sedandam concupiscentiam, naturali nempe ratione et mensura. Dicunt autem tunc adesse maximam voluptatem, quum uterque seminat, durante actu, praesertim si simul. Quare maxime si femina continuate ita ageret, eam a peccato gravi non excusarem; pro una aut altera vice facilior esset excusatio ex aliquo mulieris incommodo. Cfr. Sporer *Th. sacr. p. IV. c. 2. sect. 3. n. 491;* Covarruvias *Th. moral. VI. 3. 334. 351;* Berardi *loc. cit. I. 981.*

130 ***De copula sodomitice inchoata.*** — Sunt etiam aliquando, qui copulam sodomitice incipiunt, in vase nempe praeposterо, consummaturi tamen in naturali. Patet autem, ex parte actus materialiter spectati quoad finem matrimonii, non intercedere in hoc gravem malitiam, quum generatio non frustretur. Posset tamen esse dubium in casu, quod ex tali agendi ratione mulier se pollueret, antequam copula perfecte fieret. Puto, etiam tunc, sistendo in consideratione actus relate ad generationem tantum, non adesse gravem inordinationem. Completa enim voluptas, quam femina experitur, non potest dici extra actum coniugii, cuius haec est inchoatio. Attamen in omni casu posset ex alio capite in actu, quem consideramus, adesse malitia gravis. Nempe ex affectu sodomitico, quem ostendit. Et profecto plurimi sunt, qui de letali damnant hunc actum propter dictam rationem. Sunt tamen alii (et quidem primi subsellii, ait Berardi *loc. cit. I. 990.*), quibus veniale dumtaxat in hoc adesse videtur, quia dicunt agi hic de actu praeparatorio ad copulam, qui tamen ex quadam velleitate sodomitica aliquo modo foedatur; eumque considerant fere sicut tactum membri virilis manibus uxoris vel quemcumque alium tactum huiusmodi, qui inter coniuges, etiam ex sola voluptate habitus, non excedit culpam venialem. Cfr. Navarrum et alios apud Sanchez *loc. cit. lib. IX. disp. 17. n. 4. sqq.*, qui tamen contradicit. Idem cum proportione dicendum de copula incepta in ore et consummata in vase naturali, quam plures etiam theologi excusant a gravi.

De pollutione in uxore immediate post congressum cum viro. — Quaestionem etiam movent theologi, an uxor, quae in actu coniugali non se pollueret, possit pollutionem sibi procurare immediate post retractionem viri: et communiter affirmant. 131

Ratio autem est, quia actus coniugalis moraliter perseverat, et mulier in actu experitur completam illam voluptatem, ad quam ex matrimonio et ex coniugali actu ius habet, quamque secus non facile umquam experiretur, quum saepissime viri prius seminent,

nec generatim possint, sese non retrahendo, exspectare seminationem uxoris.

Nec videtur spernenda ea ratio, quam nonnulli tradunt, de maxima excitatione, quam post receptum semen viri patitur mulier, quamque nonnisi magna cum difficultate reprimere potest. Nequit enim dici, naturam, quae ordinavit seminationem mulieris generatim eventuram post seminationem viri eiusque necessariam retractionem, voluisse, ut mulier huic legitimae irritationi non posset satisfacere, praesertim quum sciamus, matrimonium etiam ad sedandam concupiscentiam ab auctore naturae fuisse ordinatum.

Illud autem, ex quo S. Alphonso videtur haec ratio non admittenda, falsum est. Nam S. Doctor putat (*VI. 919*), tunc idem licere viro dicendum esse, quum mulier se retraheret ante eius seminationem. Sed profecto magnum est discrimen. Nam retractio mulieris non potest evenire, nisi per accidens, ex feminae malitia, et caveri etiam a viro potest, dum retractio viri, ut diximus, naturaliter procedit, nec a muliere aut a viro quoque potest impediri. Sed et praeterea aliud est considerandum, in quo aliam vident doctores quidam, et merito, rationem ad cohonestandum hunc actum mulieris. Scilicet seminatio viri extra coniunctionem cum muliere in casu non esset consummatio copulae coniugalis, quia nullam haberet relationem ad generationem; contra seminatio feminae aliquam habet ad generationem relationem. Ad rem scribit Capellmann *loc. cit.*: " Irritatio organorum generationis in copula, atque imprimis in ipsa voluptatis completae exsolutione, apud mulierem ex horum organorum membranis pituitosis producit secretum aliquod, quod copia quidem maius, genere autem idem est atque secretum commune. Hoc saltem de vagina constat, sed quatenus idem de utero valeat incertum est. Quod si maior copia secreti ex utero, idest praecipue ex eius parte vaginali (e cervice), emanat, haec fortasse fecundationem adiuvat, eo quod, utpote alkalica, acidi secreti vaginalis naturam mutare valet, et hac ratione ad protrahendam seminis vim vitalem confert; praeterea forte etiam eo quod effluendo et inter effluendum efficit, ut os uteri a glutinoso illo secreto, quod ei inhaerere solet, liberetur ac facilius semen admittat. Hoc, quod postremum posui, in illis mulieribus fortasse maxime obtinet, quae nondum pepererunt. Contra autem iure affirmari possit, voluptatem completam fecundationi forsitan etiam magis prodesse quam hypotheticam seminationem. Vehementissima illa partium irritatio, turgor ille internorum generationis organorum, qui in huius voluptatis usu physiologice producitur, in organa ubique musculis penetrata multum sine ulla dubitatione influit. Quae res, cum nimis intricatae sunt, quam ut hoc loco exponi possint, tum in vivis mulieribus nihil aut fere nihil, ut patet, observatae sunt. Id hoc loco dicendum superest, turgorem irritatione excitatum, contractiones partium musculosarum atque ipsam maiorem epitelii coruscantis actionem fortasse aliquid conferre posse, ut semen certius et citius cum ovulo coniungatur. Si igitur etiam hac in re, ut in seminatione, necessitas ad generationem admitti nequit, tamen concedendum est,

exsistere vel verisimilem esse utilitatem aliquam, atque hoc mihi quidem videtur favere illi sententiae, quod, si vir se retrahat post seminis effusionem, mulier statim tactibus sese excitare possit, ut seminet „. Cfr. etiam Sanchez *loc. cit. lib. IX. disp. 17. n. 9;* Berardi *loc. cit. I. 993.*

132 *Quid autem, si in hoc casu vir onanistice sese gessisset;* idest si se retraheret, muliere iam vehementer excitata, ipseque semen funderet extra vas? Et si vir onanismum exerceret, eo mediante instrumento, quod italice *guanto* seu *gondolo,* gallice *preservatif* dicitur, profecto mulier, quomodo non posset actum incipere, ita nec explere illum posset sese polluendo, ac proinde per pollutionem novum admitteret peccatum. Vid. *Onanismus.* Si autem onanismus perficeretur per solam retractionem viri ante seminationem, tunc praesertim, quum mulier non est certa, nihil seminis viri intra suum vas devenisse (ut quum non satis cito vir se retraxit, aut semen diffudit in crura mulieris, unde matricem haud difficile ingredi potuit), potest secundum aliquos actum complere sese polluendo, quia tunc mulier actum complendo faceret quidquid naturae est consentaneum. Imo Capellmann (*loc. cit. de matr. II. 2.*) hoc mulieri licitum putat in quocumque onanismo, etiamsi nempe certum sit, nihil seminis viri vaginam mulieris pervadisse (ut quum vir semen fundit in terram); quia, ut dicit: « Quum theologi licitum esse dicant, ut mulier in copula cum viro onanista, tamen (hoc tamen, quod hic in textu habetur, non video quid habeat faciendum) consensum in delectatione ex copula illa praestet, modo assensum viri peccato non praebeat, inde conficitur, delectationem mulieri etiam in hoc casu non esse vetitam. Curnam etiam hic mulieri hoc ius non concedendum esset, quum per solum viri peccatum ei denegetur? si potest se continere, eo melius, attamen ex rationibus manifestis id difficillimum est ».

133 ***De muliere impediente fecundationem post receptum semen.*** — Accidit etiam aliquando, et quod dolendum est, in aliquibus regionibus nimis saepe, ut mulier post receptum semen viri conetur ipsum expellere, aut saltem eius vim fecundatricem elidere.

134 Sic mulieres aliquando evacuationem seminis procurant per iniectiones aquae (ex. gr. ope spongiae vel enteroclismi) in vaginam statim post copulam factas. Aliquando etiam iniectiones faciunt non tantum aquae purae, sed aquae acidulae (mixtae scilicet cum *acido simico* vel cum *bisolfato di chinino*). In hoc, praescindendo etiam ab intentione, sed considerando tantummodo actum coniugalem obiective, gravis est inordinatio et verum crimen onanismi. Capellmann *loc. cit. de matr. n. 1.* Cfr. Koch *Lerhbuch der Moraltheologie § 163 b.* Ratio est, quia in altero casu acida occidunt spermatozoa, in altero vis aquae iniectae facit, ut uterus lavetur, et ex eo simul cum aqua et semen effluat.

135 Quod si contra mulier nihil aliud praestet, nisi vaginam lavare etiam statim post copulam, huiusmodi actus non videtur damnandus, quia, ut asserit Capellmann (*loc. nuper cit.*), semen, quod vas feminae penetravit, non tam facile effluit, nam parietes vaginae post retractionem viri continuo hermetice

componuntur, ideoque propter capillarem parietum tangentium vim sugendi fieri non potest, ut semen effluat. Sed etsi partim efflueret, semper tamen satis multum seminis remaneret. Hoc ex eo quoque probatur, quod etiam per copulam habitam a stantibus fecundatio haberi potest. Quare haec lotio non videtur illicita, et aliquando propter munditiem commendanda esset. Idem dicendum est de casu, quo mulier statim post copulam adsurgeret, aut mingeret.

Quoad fecundationem artificialem, Vid. *Fecundatio artificialis*.

136 II. **De circumstantiis actus.** — Haec quidem quoad ipsum actum coniugalem obiective spectatum. Nunc quaedam dicenda de circumstantiis eiusdem actus, circa quas quaedam ipsa natura insinuat.

137 ***De situ.*** — Et primo quoad situm natura ipsa insinuat, mulierem debere esse succubam, incubum virum. Attamen nullus alius situs, quantumvis innaturalis, est per se graviter illicitus, et ex iusta causa omni culpa vacat, dummodo, ut patet, generatio exinde non impediatur. B. P. *VI. 364.* Hinc licet coniugibus coire sive a latere, sive stando, sive sedendo, imo etiam modo praepostero (non sodomitico, ut patet) ad instar pecudum; nam in his omnibus modis actus coniugalis satis perficitur, quum et introductio in vas et emissio seminis in vas sit possibilis. Infusio autem seminis in vaginam omnino est sufficiens. Nam « ex causis anatomicis rarissime directa in uterum infusio locum habebit, descensus (secundum legem gravitatis) numquam fiet. Receptio seminis in uterum partim motibus musculorum et epitelii coruscantis membranae pituitosae, partim certe motibus, qui insunt in ipsis spermatozois, efficitur. Quare, ut semen introducatur in uterum, situs in copula nullius est momenti. Partialis seminis perditio post infusionem in vas in aliquibus sitibus sane accidere potest, attamen non ita, ut inde conceptio impediatur ». Capellmann *loc. cit. III.*

De tempore. — **De tempore generatim.** — Actus coniugalis semper licet, etiam tempore praegnationis (nisi exinde timeatur abortus) et menstrui, praesertim iusta causa accedente, quae vix umquam aberit. G. B. *II. 725, et cum eo omnes communiter.* Attamen in sententia eorum, qui mulierem impotentem putant, quae fecundari non potest, quia vel ovulo caret ex. gr., vel non praebet aditum pervium ad ovulum pro spermate viri, dicendum videretur contrarium, quum certum sit, tempore praegnationis, praesertim post aliquot menses, uterum esse omnino clausum (cfr. *notam Palmieri ad B. P. VI. 865*); nisi quis sequi velit sententiam Sanchez, permittentis usum matrimonii etiam illi, qui post matrimonium contractum eunuchus factus est. Sed de his postea. Vid. *Impotentia.* 138

De tempore praegnationis. — Quoad periculum abortus tempore praegnationis haec nota ex Capellmann *loc. cit. de matr. IV. d.:* « Generatim dicendum est, copulam tum solum posse efficere abortum, et quidem indirecte, per irritationem et hyperaemiam uteri, quum aut saepius aut impetuosius instituitur. Atque etiam tum periculum esset gravius tantum intra primos praegnationis menses. In organis cete- 139

roquin sanis eiusmodi hyperaemia facillime, in primis post conceptionem diebus, ovuli separationem efficit. Fieri quidem potest, ut hoc praegnationis tempore plurima ovula ac fortasse per ipsam copulam pereant, quae, quum vulgo hic facile et sine extraordinario sanguinis fluxu removeantur, certe saepissime non advertuntur. Sed ipso hoc tempore copula minime vetari potest, quoniam tum de incipiente praegnatione nemo quidquam sciat, saltem nihil certi. Quo longius copula a die conceptionis distat, eo minus, organis bene valentibus, abortus per copulam timendus est. Abortus, qui sane plurimum (forte legendum est plerumque) fieri solet, generatim multo rarius per directam quamdam causam externam producitur, quam potius e morbosis affectionibus et morte ovuli aut e morbosa conditione uteri aut totius corporis gravidae provenit. Qua in re illud non negligendum est, scilicet talem dispositionem non cognosci. — Cognoscitur tum solum, quum medicus iudicaverit, morbosam adesse conditionem, quae communiter feminam sic disponat, vel quum femina *saepius* abortum fecerit sine ulla occasione nota atque externa, quae maioris momenti sit. Quod si hanc dispositionem adesse una alterave ratione demonstratum sit, equidem copulam velim dicere illicitam, quum probabilius vel verisimilius sit periculum abortus adesse. Nihilominus tamen pro peccato veniali tantum habendam esse puto, quoniam periculum non tantum est, ut gravibus rationibus, v. gr. periculo incontinentiae, non compensari videatur. Huiusmodi autem coniugibus semper severe commendandum est, ut, ad numerum et modum copulae quod spectat, sibi temperent „.

De tempore menstrui. — Quoad hoc 140
nota ex eodem Capellmann *l. c. IV. a.*: " Imbecillitas prolis hac in conditione generatae cum ratione timeri non potest. Alia tamen quaestio est, annon muliebria organa generationis, quae hoc tempore iam in congestione versantur, irritatione copulae iacturam faciant. Id fieri posse, a priori constat. Congestiones uteri diuturniores hinc oriri possunt, quae deinde periculum aliquod abortus secum afferant. Sed etiam graviora et diuturniora mala organorum generationis eiusmodi congestionibus adducuntur. Quare, si coniuges de hoc gravi mulieris incommodo admoneantur, forte facilius ab hac utique turpissima copula arceri poterunt „. Quod autem de tempore menstruationis dicitur, hoc etiam de longiore quodam fluxu extraordinario, quem mulier patiatur, dicendum est.

De tempore purgationis puerperalis. — 141
Quoad tempus purgationis puerperalis idem Capellmann *loc. cit. de matr. IV. b.* notat, ex copula tunc temporis habita viro detrimentum non esse timendum, nec proli forte generandae, quia hoc tempore conceptio non fit, sed copulam tunc habitam, saltem primis hebdomadis, esse actum feritatis in puerperam. Nam " mulier, ait ipse, gravissima vitae actione vix peracta, physiologicos quidem, sed vehementissimos dolores in ipsis genitalibus pertulit, et vel robusta puerpera adeo fatigatam ac debilitatam se sentit, ut vere bestialis quaedam concupiscentia in viro insit, si in hac conditione copulam velit petere. Uxor certe in primis hebdomadis

copulam non petet, nisi morbosa quaedam affectio (nymphomania puerperalis) eam impellat... Periculum eo maius erit, quo celerius copula partum sequetur. Puerperium multas res secum fert, quae quolibet alio tempore morbosae dicendae essent, quamquam hic physiologicae sunt. Reductio et restitutio uteri adeo dilatati fortiorem organismi actionem postulat, imo ex recentiorum observationibus fere integra resorbtio et reconstructio uteri locum habet. Res, quae hoc tempore in organis generationis aguntur, immutationes et violationes graviditate productae, iam disponunt per se ad varios morbos: ad sanguinis profluvia, inflammationes, positiones uteri aberrantes. Quare in directa locali irritatione, qualem copula secum fert, atque etiam in universa commotione per copulam excitata aliquid periculosum et damnosum esse nemo non fatetur. Hoc autem damnum, ut patet, eo pernicíosius erit, quo partui propius. Vehementissimus autem rerum, quas dixi, impetus est in primis duabus hebdomadis. Praeterea eodem tempore mulier maxime ex virium debilitatione patitur. Exacto hoc tempore, periculum minuitur; nihilominus sane experientia satis probat, quamlibet rem noxiam tamdiu pessimos effectus producere posse, quamdiu organa generationis nondum rite restituta sunt. Sed perfecta uteri restitutio demum post sex fere hebdomadas absolvitur. Eodem fere tempore menstruatio denuo recurrit (si uberibus suis prolem femina non alit; in feminis lactantibus plerumque per longius tempus retardatur), et ipse organismus indicat omnia ad novam generationem parata esse „.

Ita rebus se habentibus, videtur cum 142
eodem Capellmann generatim dicendum, primis duabus hebdomadis post partum copulam esse plane vetitam, nisi in exceptionali quodam casu medicus iudicaret, periculum nullum adesse; intra quatuor vero hebdomadas sequentes, eam facilius permitti posse, attamen ordinarie etiam tunc ab ea esse abstinendum. Considerandi autem sunt casus particulares, inspicienda constitutio fortior aut debilior feminae etc., et praesertim consulendus medicus.

De tempore lactationis. — Quid au- 143
tem tempore lactationis? Et generatim omnes affirmant, licere tunc actum coniugalem habere. Scavini *Th. mor. IV. 573.* Notandum enim est, periculum inficiendi lac ex ipso facto copulae hodie iam respui omnino a medicis. Periculum quidem est, ne, nova interveniente graviditate, lac diluatur ac diminuatur et desinat; sed tunc praesto erit succurrere proli alia via, ex gr. alia nutrice, vel artificiali nutritione, quae minus quidem quam lac maternum, sed satis tuta est. Cfr. Sanchez *de matr. libr. IX. disp. 22. n. 14;* Capellmann *loc. cit. de matr. IV. c.*

Quid si alteruter ex coniugibus morbo 144
laboret? — Omnia in hoc casu pendent ex periculo, quod incurrit ille, qui aegrotat. Certe si periculum sit magnum, grave erit peccatum copulae operam dare, quia et nemo potest alterius vitae quasi insidiare, et nemo etiam potest suae vitae prodigus esse. Attamen addit Berardi (*loc. cit. I. 1043*) ex Sanchez (*loc. cit. lib. IX. disp. 24. nn. 6-23*), mulierem aegrotam (idem dicas de viro), dummodo eius vita aut sanitas non sit valde necessaria familiae

(quia tunc ne reddere quidem debitum posset), si motivo virtutis (v. gr. ne alter coniux, propter diuturnam nimis privationem, incontinentiae periculo subiiciatur) debitum *identidem* redderet, licite et meritorie agere.

Quaedam autem quoad haec digna sunt, quae a confessariis sciantur. Scilicet syphilis morbus est gravis, horrendus atque infamis et contagiosus; hoc morbo affectus, qui copulam haberet, maxima cum probabilitate coniugem suum inficeret; proles, quae nasceretur, plerumque syphilitica esset; abortus est frequentissimus. Capellmann *loc. cit. de matr. IV. e.* — In omnibus vero morbis febriculosis, praesertim in acutis, inflammatoriis morbis organorum alvi (peritonaeitis), cavi thoracis (pneumonia, pleuritis, pericarditis), cavi cranii (meningitis, hyperaemia cerebri); inter morbos chronicos in vitiis cordis, in hydropsia coniuncta cum gravissima dyspnoea, et in aliis copula semper utique nociva erit, et aliquoties gravissimum damnum, imo praecipitem mortem inferre poterit. Capellmann *loc. cit.* Patet igitur in his casibus omnibus, copulam magnum afferre periculum parti aegrotanti, ac proinde non esse admittendam, nisi ex gravissima causa, ut supra diximus. — Phthisis pulmonum (qui morbus non est contagiosus) ex modico copulae usu damnum non timet, nisi adsit dispositio ad exspuitionem et eruptionem sanguinis aut gravis dyspnoea. Idem dicendum de omnibus externis et chirurgicis morbis, nec non de omnibus illis morbis, qui non multum debilitant. Capellmann *l. c.* Quare in his omnibus copula absolute licet. — Attamen nota, quae ibidem addit Capellmann: " Excipiuntur organorum generationis aegrotationes, quae imperitis quidem leves apparent, semper tamen gravissimi momenti sunt. Possunt enim, praecipue in muliere, per copulam protrahi atque augeri... Haec mala, quae, initio saepe levia, facile curari possunt, ut plurimum (praeter pudorem, quo mulier coram medico afficiatur necesse est) per usum copulae non intermissum graviora fiunt „.

Tum post balneum, tum post sectionem venae (nisi ex copula periculum sit, ut alligatum solvatur), tum post prandium aut cenam hominibus ceterum sanis, nullum periculum ex copula timendum est. Quare semper tunc et absolute licet.

III. **De obligationibus coniugum ad invicem circa copulam.** — ***De obligatione generatim.*** — Nulla coniuges urget obligatio petendi debitum, nisi ex caritate, quando alter amisit ius petendi debitum, et in incontinentiae periculo versatur (D'Annibale *III. 469*); urget vero ex iustitia (et aliquando etiam ex caritate) alteri petenti reddendi (*I. Cor. VII. 5; S. Thomas in IV. dist. 32. quaest. 1. art. 2. etc.*), nisi ille e iure illud exigendi exciderit (Sanchez *de matr. lib. IX. disp. 21 sqq.;* Salm. *de matr. c. 15. p. 2. n. 15*), etiamsi tacite petat (S. Alph. *VI. 928 sqq.*), dummodo non immoderate nec saepius iusto (Sanchez *loc. cit. lib. IX. disp. 2. n. 12;* D'Ann. *III. 469*), neque petens amens sit vel ebrius (quia eius petitio non esset tunc actus humanus, S. Alph. *VI. 948* — et quia " vix in dubitationem venire potest, proles in ebrietate generatas in periculo versari, ne hebetes vel etiam fatuae vel surdomutae fiant „. 145

ait Capellmann *loc. cit. de matr. IV. f.*), et dummodo ipse possit reddere sine damno suo gravi. S. Alph. *VI. 909.*

146 ***De coniuge infirmo.*** — Ex dictis sequitur, coniugem non teneri reddere alteri coniugi laboranti syphilide aut morbo contagioso (Sanchez *loc. cit. disp. 24. n. 17 sqq.;* B. P. *VI. 412*); imo neque tunc tenetur, quum ipse laborat febri, aut aliquo alio morbo ex illis, quos supra enumeravimus, quibus durantibus, grave detrimentum ex copula timeri potest. B. P. *VI. 413.* Quare nec tunc tenetur reddere mulier, quum experta est, se graviter vita in pariendo periclitari (S. Alph. *VI. 953;* B. P. *VI. 410*), quamvis etiam tunc et reddere et petere possit.

147 ***De coniuge tacite petente.*** — Diximus autem teneri coniugem ad reddendum alteri coniugi, etsi is tacite petat; quod certum est. Attamen notant Doctores, tacitam hanc petitionem plerumque in feminis verificari, quae nimium verecundantur in petendo; non autem in viris, qui facillime petunt expresse. Quare generatim excusant a peccato mulieres, quae non reddunt, nisi expresse viri petant; non autem viri, qui obligantur ad reddendum etiam tunc, quum uxor aliquo tantum modo ipsis significat, se copulam desiderare et velle. B. P. *VI. 398.* Exceptio tamen etiam pro viris est, si nempe vir timidi ingenii sit, qui in petendo verecundiam patiatur, quia tunc, si interpretative petit, mulier tenetur certo reddere (Sanchez *de matr. lib. IX. disp. 2. n. 5*); quod accidere posset in casu, quo mulier esset multo nobilioris conditionis, quam vir. S. Alphons. *VI. 928.*

148 ***De immoderata petitione.*** — Immoderata petitio, quae ius dat ad debitum non reddendum, foret ex. gr. in eadem nocte quarta petitio (B. P. *VI. 399*); et profecto, haec est valde immoderata, sed et minus sufficit ad debitum non reddendum. Ceterum inspiciendae sunt circumstantiae. Attamen notandum, mulieres a reddendo minus excusari quam viros, quum multo minus ex copula defatigentur.

149 ***De iis, quae mulieres a reddendo non excusant.*** — Mulieres praeterea a reddendo non excusantur ob incommoda matrimonio per se adnexa, nempe ob incommoda ordinaria graviditatis, partus, lactationis et similia. G. B. *II. 728.* Imo neque ex eo, quod mulier abortum saepe edat (Sanchez *de matr. VII. 102. 8*); aut quia filii nascuntur deformes (S. Alph. *VI. 924*), nisi essent horribiliter monstruosi et simul vitales (Berardi *Praxis confess. I. 1067*); aut quia plures filii nascuntur quam coniuges vellent, nisi secundum quosdam (aliis contradicentibus) tot sint, ut ad eos alendos familia statum suum immutare deberet (Berardi *loc. cit. I. 1066*); aut nisi maritus bona pessumdans prolem non convenienter aleret aut educaret. Sporer *part. IV. c. 2. sect. 4. n. 516;* Frassinetti *not. 187. ad num. 571;* Berardi *loc. cit. n. 1046.*

150 ***An excusatur uxor ob iniurias a marito acceptas?*** — Et per se non excusatur, attamen si identidem recusaret ad corrigendum maritum, eique ostendendum se maxime illis iniuriis angi, praesertim si exinde speranda esset correctio, profecto liceret. Cfr. Berardi *loc. cit. n. 1069.*

151 ***De coniuge illicite petente.*** — Nec excusatur coniux a reddendo, etsi alter

illicite petat, nempe illiceitate quae proveniat ex parte petentis, ut si ex. gr. peteret adstrictus voto castitatis. Nam quamvis tunc alter coniux deberet coniugem petentem ab insistendo deterrere, quippe coniux voto adstrictus petendo graviter peccat contra votum; attamen, si is serio instaret et omnino vellet actum, teneretur alter reddere (B. P. *VI. 404*), quemadmodum debitor tenetur solvere debitum creditori, qui se solutionem non petiturum iuravit, petit tamen, et vult omnino. S. Alph. *VI. 943*. In casu autem videtur melius acturus coniux voto non adstrictus, si ipse peteret antequam peteret alter, quum suspicatur eum petiturum.

Patet autem, nec teneri nec posse reddere coniugem alteri coniugi petenti actum coniugalem in iis circumstantiis, quibus malus fiat, ut si peteret in loco publico aut sacro, aut peteret sodomitice (et tunc, ut patet, non peteret copulam). B. P. *loc. cit.*

152 ***De obligationibus consequentibus ipsam obligationem reddendi.*** — Ex hac obligatione reddendi debitum, quae coniugi incumbit, sequitur etiam, peccare coniugem non solum, qui debitum negat, sed et illum, qui coacte reddit vel reddendo semper mussitat; tum quia sic reddendo *fere est ac non reddat,* tum quia sic indirecte prohibet coniugem a petendo quum vellet, tum quia haec causa est, cur nascantur in familia rixae et discordiae; et praeterea si vir est, qui id facit, quia mulierem nimie angit, quae suspicabitur ab ipso aliam amari: si uxor, quia causa erit, cur vir ad alias feminas divertat.

153 Sed et praeterea ex obligatione debiti reddendi nascitur *obligatio* pro coniugibus *cohabitandi,* vel potius nasceretur, si iam non adesset. Adest autem coniugibus ex eo, quod matrimonium est coniunctio viri et feminae individuae vitae consuetudinem retinens. Hinc est, quod etiam illi coniuges hac obligatione ligantur, qui ex mutuo consensu vellent continentiam servare. Sanchez *de matr. lib. IX. disp. 4. n. 2 sqq.* Haec obligatio est iuris divini, quia ex matrimonio nascitur et ex obligatione reddendi debiti. B. P. *VI. 387.* Vid. *Coniuges.*

Insuper ex hoc eodem capite, nempe 154
ex obligatione reddendi debitum, sequitur *graviter peccare* coniugem, *si se impotentem reddat,* etiam mediis alias licitis v. gr. poenitentiis, ieiuniis etc., invito altero coniuge. B. P. *VI. 402.*

IV. **De iis, quae actum vitiant ex parte** 155
coniugum. — ***De copula habita cum mente adultera.*** — Nunc de iis dicendum, quae vitiant actum non tantum ex parte ipsius actus, sed ex parte potius ipsorum coniugum, quamvis de hoc iam aliquid in superioribus tetigimus. Scilicet ante omnia illicitus est actus, si fiat *cum mente adultera,* seu imaginando alienam carnaliter dilectam (ad quae verba *carnaliter dilectam* probe est attendendum: nam si delectatio in nulla re turpi esset, sed in sola pulcritudine viri aut feminae, ut sic quis ad coniugalem actum excitaretur, nulla esset letalis culpa): ratio, quia est delectatio morosa in obiecto letaliter malo. Sanchez *l. c. lib. IX. disp. 17. n. 6;* B. P. *VI. 362.*

De eo, qui voto castitatis ligatur aut a 156
petendo lege impeditur. — Coniux voto castitatis adstrictus, qui debitum pete-

ret, peccaret graviter contra votum, ut superius diximus; sed alteri petenti tenetur reddere, dummodo et alter voto castitatis non fuerit adstrictus. G. B. *II. 722.* Verum etiamsi eius votum matrimonio antecesserit, non solum reddere, sed etiam petere potest, si advertat compartem, petere non audentem, versari in periculo incontinentiae, aut interpretative petere, quia tunc potius reddit, quam petit (S. Alph. *VI. 930*); non autem ad vitandam sui ipsius incontinentiam (deberet enim tunc alia media ad periculum praecavendum adhibere). G. B. *II. 722. 4°.* Attamen, si non ageretur de voto, sed de aliquo impedimento ab Ecclesia imposito, tunc, quamvis per se petere non posset sed reddere teneretur, quum tamen animadverteret periculum incontinentiae in altera parte, vel etiam probabiliter quum ipse experiretur periculum incontinentiae, petere etiam posset, si dispensatio ab impedimento nequiret brevi obtineri, et magnum esset in mora incontinentiae periculum. S. Alph. *VI. 930.*

157 ***De copula habita propter solam voluptatem.*** — Quaeritur etiam, an liceat actum coniugalem habere propter solam voluptatem. Et in hoc habetur propositio damnata ab Innocentio XI. *decr. 2 mart. 1679 sub n. 9:* " Opus coniugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus culpa caret ac defectu veniali „. Attamen nota, quod etiamsi actus haberetur ob *solam* voluptatem, idest excludendo positive quemlibet alium honestum finem, non esset nisi culpa venialis. Sed et praeterea vix contingere potest, quod alii fines omnes positive excludantur, quum inter honestos fines matrimonii ille etiam habeatur, ut sit remedium concupiscentiae. B. P. *VI. 323 sqq.;* G. B. *II. 720 (2).*

158 ***An liceat actus coniugalis coniugibus sterilibus, aut senibus, aut impotentibus factis.*** — Sanchez his omnibus respondet affirmative. Nam, iuxta ipsum, licet illi, qui post matrimonium initum eunuchus factus est, actum coniugalem perficere. Sanchez *de matr. lib. VII. disp. 102. n. 7.* Hanc sententiam, ante Sanchez, defendit Toletus (*lib. VII. c. 16. n. 4*) et postea Laymann (*Th. mor. lib. V. tr. 10. p. 4. c. 10. n. 3*), eamque amplexus est sine restrictione sapientissimus D'Annibale *III. 470 (13.)* et alii non pauci tum antiquiores tum recentiores. Cf. Kugler, Reuter, Lehmkuhl, Noldin, etc. Porro eunuchus impotens est, ut eruitur ex Constitutione Sixti V. " Quum frequenter „ *22 iun. 1587.* Ratio autem istorum est, quia *coniuges* ius habent ad actum coniugalem, quousque unus saltem ex finibus matrimonii salvatur, quemadmodum in casu sedatio concupiscentiae. Nec obstat quod in casu impotens incapax esset ad matrimonium contrahendum; nam aliud requiritur ad contractum in fieri, aliud ad contractum in facto esse conservandum. Quum igitur impotentia superveniens non dirimat matrimonium, isti sunt veri coniuges, et iuribus coniugalibus proinde legitime fruuntur ad concupiscentiam sedandam.

Attamen alii contrarium sentiunt et defendunt, qui impotentibus usum matrimonii non licere contendunt. Cfr. Busembaum *tr. X. sect. 8. n. 142;* Bucceroni *II. 995;* Antonelli *Medicina Pastor. II. 426 sqq.;* etc. Ratio horum est, quia coniuges ex matrimonio ius habent ad

actum *coniugalem*, qualis non est copula ab impotente habita. Hoc est principium generale, quod diversam habet applicationem in doctoribus ita sentientibus pro diversa notione impotentiae, quam quisque defendit.

159 *Sterilibus* vero licere actum coniugalem ab omnibus admittitur; disputatur tantummodo quinam sint steriles, vel potius quodnam sit discrimen inter sterilitatem et impotentiam. Et quaestio praecipue vertitur quoad mulieres. Nam mulier, quae plene ovariis caret et utero, estne sterilis an impotens? Sunt qui eam dicunt impotentem (De Luca Mar. *in voto in causa Monasteriensi apud S. C. C. 16 dec. 1899*; Antonelli *de conceptu impotentiae et sterilitatis relate ad matrimonium, etc.*); alii sterilem tantum putant (Gasparri *de matr. I. 564 sqq.*; Berardi *Casus conscientiae etc. ann. 1892 pag. 23-24*; Eschbach *Disputationes physiologico-theologicae, etc.*). Ex definitione huius quaestionis pendet, an in sententia eorum, qui putant impotentibus illicitum esse actum coniugalem, huiusmodi mulieri licitus dicendus sit actus coniugalis necne. Sacra Congregatio S. Officii duplex dedit responsum, quod ad hanc quaestionem facit, die nempe 5 febr. 1887, et die 23 iul. 1890. Interrogata fuerat in primo casu, num quaedam mulier, *per utriusque ovarii excisi defectum sterilis effecta*, permittenda esset an non, matrimonium contrahere; de eodem interrogata est in secundo casu relate ad quamdam mulierem, *cui operatione chirurgica ablata erant duo ovaria et uterus*. In utroque casu respondit S. Congregatio, matrimonium non esse impediendum. Ex quibus responsionibus videri posset soluta quaestio. At fautores sententiae putantis, hanc mulierem, non sterilem tantum, sed vere impotentem esse, respondent, utraque vice actum esse de casu particulari, cuius conditiones et adiuncta a nobis ignorantur, nec dici certam in casu fuisse ablationem totalem ovariorum et uteri; quare responsionem datam fuisse in dubio de perfecta excisione. Quae omnia absque dubio certa non sunt. Vid. *Impotentia*.

Quare, relicta nunc quaestione theoretica, quoad praxim puto, mulierem huiusmodi posse omnino licite rei coniugali vacare, quum in responsione S. Officii simpliciter dicatur, mulierem, cui desint et uterus et ovaria, non esse impediendam a contrahendo matrimonio.

Eadem ratione patet *senibus* quoque 160
actum coniugalem licere, quod et omnes concedunt.

V. **De iis, quae praeter copulam li-** 161
cita sunt coniugibus. — Nec coniugibus sola copula licet, sed quidquid est necessarium aut utile ad debitum facilius, citius, perfectius habendum, licitum omnino ipsis est. Quidquid generationi obest, vel pollutionem inducit extra actum, est graviter illicitum; quidquid autem inutiliter fit ad actum generationis, nisi excusetur intentione saltem implicita finis honesti, ut foveatur ex. gr. affectus mutuus etc., est veniale. G. B. *II. 730*. Hinc culpa vacant inter coniuges oscula quaelibet honesta et tactus in partes etiam minus honestas, ratione amoris fovendi, etsi aliquando per accidens sequatur involuntaria pollutio. B. P. *VI 375*. Item tactus et aspectus etiam inhone-

sti, sive relati immediate ad copulam sive non, si carent periculo pollutionis extra vas, vel etiamsi eo non careant, dummodo absit periculum consensus in eam, quod tamen difficillimum est. Sanchez *de matr lib. IX. d. 45. n. 34.* Quare generatim dicendum, quoad actus imperfectos huiusmodi coniugibus nihil esse mortale, nisi voluntariam pollutionem aut crimen sodomiae vel onanismi. Vid. *Onanismus.*

162 Notandum autem hic est, quia est valde practicum, illud, quod habet Diana *t. 2. tr. 6. res. 205. n. 2.*, scilicet: " Communiter notant DD., cessante in utroque coniuge pollutionis periculo, non peccare maritum mortaliter, si ceptam copulam ante seminationem abrumpat, ne proles generetur, modo id faciat uxore consentiente, aut non rationabiliter invita (hoc enim reducitur ad tactum aliquem honestum, qui, ut diximus, coniugibus licet, dummodo non intendant pollutionem extra vas). Imo si iusta causa adsit impediendi seminationem, v. gr. ob paupertatem ac multitudinem prolis, et nihilominus concubandi ad sedandam concupiscentiam (nota hic, Capellmann *loc. cit. de matrim. II. 4.* putare, hanc copulam ceptam potius augere quam minuere concupiscentiam; attamen puto in hoc quamdam latere aequivocationem, nec semper verum esse), omnem culpam abesse, si mutuus consensus accedat... Unde non erunt damnandi etiam de culpa veniali coniuges infirmi, qui ad sedandam concupiscentiam inciperent copulam, et voluntarie illam minime perficerent; et hic casus frequenter potest accidere „. Et mox (*resol. 207*) hunc casum proponit: " Quidam inchoabat copulam cum uxore, et postea ob morbi periculum ex eius consensu se retrahebat; verum ex hoc aliquando sequebatur pollutio. Quaesitum a me fuit, an talis tactus esset licitus. — Respondi affirmative; quia non est peccatum dare operam rei licitae et actioni honestae, quamvis praevideatur futura pollutio, dummodo absit periculum consensus, ut erat in casu, de quo interrogatus fui; quia tunc pollutio non est in se volita, ut supponitur, neque dici potest volita in causa, quia non teneor illam actionem omittere, ne sequatur pollutio, stante iusta causa „. Cfr. de hoc etiam Sporer *Th. sacr. p. IV. cap. 2. sect. 3. de matr. num. 500;* B. P. *VI. 380.*

VI. **De coniugibus quoad se ipsos.** — 163 Videndum tandem est, quid coniugibus liceat, quid non liceat, *solis.*

Patet autem ante omnia, illicitam esse coniugibus, quemadmodum et solutis, pollutionem solitariam; nec solum viris, sed et mulieribus vetita videtur ea completa voluptas venerea, quae fit cum secretione humoris organorum muliebrium ac plena resolutione naturae. B. P. *VI. 373.*

Illicitae pariter sunt delectationes morosae et desideria de iis, quae ipsis non licent; illicitae nempe vel sub gravi, vel sub levi, prout res, circa quas versantur, coniugibus sunt, vel sub gravi, vel sub levi illicitae. Delectatio autem morosa copulae habitae vel habendae cum coniuge certo non est mortalis, et generatim dicunt esse venialem. Ratio, cur mortalis non sit, in eo est, quia non potest esse gravius peccatum consensus in delectationem, quam consen-

sus in actum. S. Th. *QQ. DD. De malo q. XV. a. 2. ad 17.*

In coniugatis seipsum seorsim turpiter tangere (actum hunc ad copulam non referendo) propter captandam voluptatem sine periculo pollutionis an sit grave, controvertitur. Alii negant (cfr. Sanchez *loc. cit. l. IX. disp. 44. n. 16*); alii verius, ut videtur, affirmant. Cfr. Palmieri *ad B. P. VI. 378 (a).*

164 VII. **Practica quaedam notanda.** — Ultimo loco adnotanda sunt ea, quae utilissima in praxi adnotat Ballerini Palmieri *VI. 260.*, scilicet « Sunt qui gravis culpae damnant uxorem, quae meritriciis, ut dicunt, modis utatur. Porro quid sibi heic velint, quum ipsi non dicant, nescimus. Illud unice certum habebimus, phantastice reperiri graves culpas, si illud absit malum, de quo diximus (quo scilicet impeditur generatio). Sed et illud adde, dari saepe casus, in quibus confessarius imprudentissime poenitenti suaderet seu parsimoniam, quae non excurrat ultra necessitatis limites, aut austeram severamque agendi rationem, aut quamdam morositatem praetextu verecundiae ac modestiae. Haec in causa sunt, ut saepe mariti scortationibus ac pessimae vitae se dedant. Cur? Quia fit hac in re, quod in cibis. Quando enim uxor domi cibos insipidos, nullo sale conditos, nulla suavitate aspersos porrigat, alibi vero delicati, suaves, sapidissimi, optime apparati prostent, tentatio gravis est, ne maritus alibi prandium sumat. Sic in re nostra: facta enim comparatione inter blanditias artesque placendi alienarum, ac rusticam, agrestem, ieiunam etc. uxoris conversationem, facile mariti perduntur. Regula ergo est, generatim uxoribus suadendum esse, ut intra limites timoris Dei suis satisfaciant maritis, spectata eorum indole, nec quidquam desiderandum eis et quoad rem et quoad modum relinquant. Atque id supponit Apostolus I. Cor. VII. 34: " quae nupta est, cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat viro „. Sic consulent caritati, qua aeternam coniugis salutem curare tenentur. — Et hac norma expeditissima utatur oportet confessarius, tum ut sanctitati sacramenti, tum ut saluti poenitentium prospiciat. — Sanctitas enim sacramenti postulat, ut de his sermo non intermisceatur, nisi urgente necessitate. Alienissimus ergo debet esse confessarius ab hisce investigandis, atque adeo vix ulla interrogatio adhibenda praeter hanc generalem: num aliquis scrupulus anxium animum utcumque habeat; sed solum respondebit, si interrogatus fuerit. Porro ut responsio expeditissima sit et ita satisfaciat necessitati, ut non tangat, quae tangenda non sunt, nihil aptius proposita norma erit. — Postulat id salus poenitentium, quippe angi sane isti scrupulis possunt, et quidem circa eiusmodi actus, quos lingua exprimere animus refugit, et de quibus confessarius interrogare nunquam debet. Porro ad tollendos quosvis scrupulos et simul ad tollendam necessitatem exprimendi ea, quae nominari nec possunt a poenitentibus, nec debent a confessario, optime deservit proposita norma. Nam semel ac dicatur poenitenti, ubi nihil fini matrimonii seu generationi positive adversetur, nihil esse inter coniuges, quod sit peccatum mortale

atque adeo sit materia necessaria confessionis, licet leves culpae variis de causis intercedere possint, patet, incommodis omnibus supradictis optime occurri ». Vid. *Coniuges, Affinitas.*

S. Th. Suppl. q. 64. a. 2; *Sanchez* De matr. sacr. lib. IX. de debito coniugali; *S. Alph.* VI. 938-954; *Ballerini-Palmieri* vol. VI. nn. 306-416; *Lehmkuhl* Th. mor. II. nn. 833-859; *Sporer-Bierbaum* Th. mor. sacr. III. pr. 4 de peccatis coniugum in usu matrim. nn. 467-520; *Aertnys* fascic. th. mor. tr. 2. de usu matrim.; *Simar* in Kirchenlexicon vol. 4. pag. 150 sqq. v. « Ehe »; *Noldin* De sexto praecepto et de usu matr. lib. II; *Pruner* Kath. Moraltheolog. n. 293; *Capellmann* Medicina pastoralis de matr. II; *Antonelli* Medicina pastoralis I. 101. 536 seqq., II. 354-479: *Eschbach* Disputat. physiolog. theol. disp. I. c. 4; *Koch* Lehrbuch der Moraltheologie § 163.

165 **Actus heroicus.** — **De ipso actu heroico.** — Actus heroicus caritatis erga animas in purgatorio detentas consistit in oblatione, quam christifidelis Deo facit omnium operum satisfactoriorum, quae ipse vivens peraget, omnium pariter indulgentiarum, quas quis vivens lucratur (*S. C. Indulg. 19 dec. 1885*) et omnium suffragiorum, quae eidem mortuo poterunt obvenire, pro animabus in purgatorio degentibus. Hilgers *Manuale di indulgenze n. 329;* B. P. *V. 839.*

166 Hac oblatione ceditur tantummodo pars satisfactoria bonorum operum, quare non solum quis ex bonis operibus meritum sibi lucratur (quod aliis ne cedere quidem posset), sed etiam pars impetratoria bonorum operum remanet libera ei, qui hanc oblationem facit, ut pro lubitu de ea disponat ad impetrandum aliquid, sive sibi, sive aliis. Pars autem satisfactoria et indulgentiae applicari possunt etiam certea alicui animae purgatorii, quam quis iuvare vult. Hilgers *loc. cit.;* B. P. *loc. cit.*

Actus heroicus caritatis neque est 167
votum aliquod, neque sub culpa obligat. Nec est necesse ad actum hunc caritatis emittendum uti aliqua certa formula. B. P. *loc. cit.*

Non est pars integralis actus he- 168
roici aut conditio praescripta ad participationem privilegiorum, ut satisfactiones omnes atque indulgentiae, non modo offerantur pro animabus purgatorii, sed etiam relinquantur offerendae B. V. Mariae, prout ipsi placuerit; hoc ultimum non est aliud, nisi pia devotio actui caritatis accessoria, christifidelibus commendanda. *S. C. Indulg. decr. cit. 18 dec. 1885.*

Quaesitum est S. Congregationi In- 169
dulgentiarum, an illi qui actum heroicum fecerunt, debeant indulgentiam obtentam in articulo mortis animabus purgatorii applicare. Sacra eadem Congregatio (*23 ian. 1901*) respondit, non esse interloquendum.

Qui semel actum heroicum emisit, 170
potest illum sine ulla culpa retractare; attamen, ut valeat uti privilegiis eidem adnexis, debet, quando illum emittit, intentionem fovere, ut in perpetuum sit valiturus. Monit. Eccles. *vol. XIV. p. 39. n. 4;* confer etiam *vol. XIII. pag. 460. sqq.*

De privilegiis iis concessis, qui hunc 171
actum emiserunt. — Ecclesia plures indulgentias concessit illis, qui hunc heroicum caritatis actum emittunt. Sunt autem ex decreto S. C. Indulgentiarum *20 nov. 1854:*

Pro sacerdotibus, privilegium personale altaris privilegiati quolibet anni die (nota tamen, indulgentiam applicandam esse animae illius defuncti, pro quo sacerdos missam celebrat, *S. C. Indulg. 18 dec. 1885, 23 ian. 1901*).

Pro omnibus christifidelibus, indulgentia plenaria defunctis tantum applicabilis, quandocumque ad s. communionem accedunt, et qualibet feria 2ª, si missae intersint in suffragium animarum purgatorii, dummodo in utroque casu quamdam ecclesiam visitent, ibique ad intentionem Romani Pontificis Deum orent; pro iis fidelibus, qui feria 2ª missae ex legitimo impedimento nequeunt assistere, sufficit missa diei dominicae, et pro iis, qui vel ad s. communionem nondum admissi sunt, vel prohibentur quominus ad eam accedant, possunt episcopi potestatem facere confessariis, ut s. comunionem in aliud pium opus commutent. Praeterea omnes indulgentiae iam concessae aut concedendae, quae a fidelibus lucrantur, qui hunc actum emiserint, sunt applicabiles defunctis.

172 **A cunctis.** — In oratione " A cunctis „ ad litteram *N*, non est nominandus patronus loci aut dioeceseos (*S. R. C. in una Congr. SS. Cord. I. et M. 12 sept. 1840, ad 2 [2822]*), sed patronus seu titularis ecclesiae, in qua celebratur (*S. R. C. in Mutinen. 23 sept. 1837 ad VII. n. 1 [2769]*), etiamsi ecclesia sit tantum solemniter benedicta. *S. R. C. in una Vic. apost. Senegambiae 28 nov. 1891 ad 1 (3752)*. Si vero iam fuerit nominatus in ipsa oratione, aut de eo celebrata fuerit missa, omitti debet nova nominatio. *S. R. C. in Assisien. 15 maii 1819 (2597)*. Si autem titulus fuerit mysterium, vel persona divina, vel SS. Trinitas, omittitur quaecumque nominatio, nec nominari potest patronus loci aut dioeceseos (*S. R. C. in Gadicen. 22 ian. 1678 [1609]; in Mutinen. 23 sept. 1837 ad VII. n. 1 [2769]*); attamen a regularibus nominari potest sanctus fundator ordinis (*S. R. C. 2 dec. 1891 [3758]*), qui tamen non potest praemitti, sed postponi debet sancto titulari. *S. R. C. in Lauden. 17 iul. 1900*. Si vero celebratur in oratorio privato vel publico, nominatur patronus civitatis vel loci, non autem titularis paroeciae (*S. R. C. in Brugen. 12 sept. 1840 ad 1 [2814]*); et hoc obligat etiam regulares in suis oratoriis privatis, quibus proinde non sufficit nominare ibidem ordinis sui fundatorem. In oratoriis internis seminariorum, quae habent propriam ecclesiam, debet nominari sanctus titularis eiusdem ecclesiae. *S. R. C. in Goana 16 iun. 1893 ad 8 (3804)*. Semper autem, si plures sunt patroni aeque principales, omnes sunt nominandi; secus tantum principalior. — Hoc autem valet de patronis seu titularibus ecclesiae, non de patronis regni ex. gr., si quando haec nominatio fuerit indulta; tunc enim possunt omnes nominari, sed non debent. *S. R. C. in Pragen. 2 maii 1900 ad 3*.

Ordo recensendi varios sanctos in 173
oratione " A cunctis „ idem est ac in litaniis maioribus. *S. R. C. decr. cit. 2 maii 1900 ad 2*.

Adeptio. — Quoad adeptionem iurisdictionis ecclesiasticae, Vid. *Collatio, Institutio canonica, Iurisdictio*, etc.

Adiunctio. — Adiunctio est species 174
accessionis, et habetur quum duae res,

ad diversos dominos pertinentes, ita in unum coalescunt, ut separari sine detrimento non possint.

175 Rerum, quae uniuntur, altera habetur ut principalis, altera veluti accidentalis. Accidentalis porro habetur ea, quae alteri vel usui est, vel ornamento, vel complemento. *l. 26. § 1. de acquir. rer. dom. D. (XLI. 1); l. 19. § 13. de auro etc. D. (XXXIV. 2); C. It. a. 465; C. G. a. 567.* Aliquando tamen accidit, quod neutra ex rebus unitis potest sic reputari accidentalis seu accessoria alteri. Tunc principalis habetur ea, quae pretiosior est, aut, si aeque pretiosae sunt, quae maius habet volumen. *C. It. a. 467; C. G. a. 569.* — In his, quae arte fiunt, ut pictura, scriptura etc., si artificium sit adeo pretiosum, ut longe superet valorem adhibitae materiae, artificium consideratur ut res principalis. *C. It. a. 470; C. G. a. 571.*

176 His suppositis, in casu adiunctionis, quae pluribus modis fieri potest, ut inclusione, textura, scriptura, picturis etc. (D'Ann. *II. 138*), pars accidentalis seu accessoria cedit principali (Inst. Iust. *lib. II. tit. 1. de rerum divisione § 26. 33. 34*); attamen dominus rei principalis tenetur solvere pretium materiae accidentalis. *C. It. a. 464; C. G. a. 566.* Nota tamen, quod, si res unita sit multo pretiosior principali, et adhibita fuerit abque consensu domini, huic optio est, aut totum sibi vindicandi, soluto pretio rei principalis domino ipsius, aut postulandi separationem rei unitae, etiamsi exinde detrimentum alterius secuturum sit. *C. It. a. 466; C. Gall. a. 568.*

Ballerini Palmieri III. 124 sqq.; *Gury Ballerini* I. 591 sqq.; *D'Annibale* Summ. II. 138; *Bucceroni* Th. mor. I. 905. Fontes autem et reliquam bibliographiam vide supra sub *Accessio.*

Adiuratio. — Adiuratio est auctoritativa et deprecativa efflagitatio, interposito nomine Dei, sanctorum, vel rei sacrae, ut alter inducatur ad aliquid agendum vel omittendum. Alia est solemnis, quae solis ecclesiae ministris, quibus ab episcopo permittitur; alia privata, quae omnibus licet. G. B. *I. 316 sqq.* 177

Ad libitum. — Oratio *ad libitum* ea fere dicitur, quae per annum in festo semiduplici tertio loco dici *debet,* quamvis *eligi possit* ad libitum sacerdotis. 178

Pro hac oratione assumi potest quaecumque oratio in missali, exceptis tantum iis, quarum missae ut votivae dici nequeunt, ut de dominica, de feria, de beato etc., et orationibus sanctorum, quorum in praecedentibus orationibus expressa mentio facta est.

In orationibus *ad libitum* voces *annua* et *hodie* debent omitti. Voces vero *natalitia, festivitas, solemnitas* debent mutari in has alias, *commemoratio,* vel *memoria.*

Oratio *ad libitum,* in missa dominicae semiduplicis, est omittenda, quando occurrit commemoratio festi dupl. vel semidupl., quod celebratur ut simplex, vel simplicis; in hoc casu secunda oratio *A cunctis* evadit tertia. Nequit pro hac oratione sumi collecta seu oratio imperata vel oratio de ssmo sacramento, quando haec commemoratio iam facienda est. *S. R. C. in Bergomen. 17 aug. 1709 ad 2 (2198).*

Administratio. — **Apud quosnam sit ius administrandi bona ecclesiastica.** — Quoad administrationem bonorum ecclesiasticorum nota, apud ecclesiam, 179

eamque solam, ius esse nativum et legitimum administrandi omnia bona ecclesiastica, quod ius non solum est ei exclusivum, sed etiam tale est, ut a quacumque civili potestate et iurisdictione sit independens prorsus et liberum. Cavagnis *Inst. iuris publ. eccl. p. II. lib. II. n. 389. pag. 352 seqq.*

180 Romanus Pontifex vi primatus iurisdictionis, quo pollet, est supremus rerum ecclesiasticarum administrator, non tamen dominus. Wernz *Ius Decr. II. 597.* Quidam canonistae confuderunt hanc supremam potestatem administrationis Romani Pontificis cum iure dominii vel cum quodam alto dominio, quod Romano Pontifici spectet: sed vel quoad rem idem voluerunt dicere ac nos dicimus loquentes de iure administrationis, vel certe errarunt. Wernz *loc. cit. III. 150.* Hanc potestatem administrationis exercet Romanus Pontifex, sive per Cameram Apostolicam, sive per S. R. E. Thesaurarium generalem, sive per eñum Card. Camerarium S. R. E., sive etiam per sacram Congregationem de Propaganda Fide aut per reverendam Fabricam S. Petri.

181 Circa res ecclesiasticas, quae in dioecesibus versantur, ordinarie ad iurisdictionem episcopalem pertinet potestas administrativa. Scilicet episcopis in primis ius est haec bona administrare, omnia nempe, nisi speciali iure ab ipsorum iurisdictione fuerint subtracta (*c. 5. C. X. q. 1; c. 2 de relig. domibus [III. 11] in Clem.;* Concil. Trid. *sess. VII. c. 15 de ref.; Collect. S. C. P. F. n. 1623 sqq.*), ut factum est ex. gr. pro bonis ordinum regularium virorum (non vero monialium stricte dictarum, etiam regularibus subiectarum, *S. C. C. in Neapolitana 11 mart. 1673; in Pharaonen. 14 nov. 1733; Const.* Greg. XV " Inscrutabili „ *5 februarii 1622*) et ex parte pro bonis congregationum recentiorum mulierum, de quibus postea. Haec vero potestas administrativa ab episcopis iuxta ecclesiastici iuris sanctiones est exercenda. Ubi vero iura silent, loco legis est praesulis auctoritas, praesertim quod, ut doctorum fert adagium, episcopus intentionem habet in iure fundatam in rebus omnibus, quae ad dioecesim suam administrandam attinent, ut nos docet Leo XIII. *Const.* " Romanos Pontifices „ *8 id. maias 1881.* Quare leges civiles respicientes administrationem bonorum ecclesiasticorum per se irritae sunt defectu competentiae in legislatore, nisi approbentur a potestate ecclesiastica; in praxi tamen, necessitate cogente, saepe servandae sunt.

Ius administrandi bona ecclesiastica 182
etiam aliis clericis infra episcopum aliquando est, sed subordinatum in omnibus auctoritati ordinarii, nisi exceptio probetur. Cfr. *S. C. P. F. ad ep. Bardstonien. 1 apr. 1816;* Wernz *loc. cit. 151.* Hinc huiusmodi inferiores administratores ordinarii ab episcopo sunt constituendi, a quo etiam, exceptis exemptis, suspendi et ab officio removeri possunt. Ferraris *Prompta Biblioth. v.* " *Administratio* „ *n. 25;* Bouix *De episcop. p. 308 sqq.*

Inter hos inferiores administratores 183
in primis numerandi sunt beneficiati, qui eo ipso administrationem habent sui beneficii. Vid. *Beneficiatus.* Sed et praeterea ex tabulis praesertim fundationis aliis quoque hoc ius est, ut pro bonis

hospitalium, quae saepe exinde ius habent administrandi etiam laici. Idem dicendum saepe est de bonis fabricae ecclesiarum parochialium, quae non raro commissa sunt administrationi procuratorum laicorum. Cfr. *Instructionem S. Congr. P. F. 21 iul. 1856 pro dioecesibus Hollandiae;* Wernz *loc. nuper cit.* Patronis quoque ex reservatione facta in limine fundationis hoc ius aliquando pertinet; attamen de iure his non competit administratio bonorum sui patronatus, sed curare tantum debent, ne haec bona pessumdentur (cfr. Lucidi *De vis. sacr. lim. II. c. 7. n. 259 sqq.*), et in casu negligentiae ad episcopum recurrere debent. Vid. *Iuspatronatus.*

184 **De obligationibus inferiorum administratorum bonorum ecclesiae.** — Administratores autem huiusmodi ex c. 2. § 1. *de religiosis domib. (III. 11) in Clem.,* ad instar tutorum et curatorum iuramentum praestare (quod iuramentum ab ipsis episcopi exigere possunt, *S. C. C. in Aliphana 18 iul. 1705, 8 mart. 1706*), ac de locorum ipsorum bonis inventaria conficere, et ordinariis, seu aliis quibus subsunt loca huiusmodi, vel deputandis ab eis, annis singulis de administratione sua tenentur reddere rationem. *c. 2. tit. cit. (III. 11) in Clem.;* Conc. Trid. *sess. XXII. c. 9 de ref.* Iuverit hic referre ea, quae Pius VII litteris suis apostolicis *24 aug. 1822* scripsit ad episcopos Amer. Septentr., scilicet: " Memorare debent aeditui, bona, quae ad divinum cultum, nec non ad ecclesiae eiusque ministrorum sustentationem oblata sunt, in ecclesiae potestatem transire; sicut autem episcopi ex ordinatione divina sunt, qui praesunt ecclesiae, ita ipsi non possunt, ab eorumdem bonorum cura, dispositione ac vigilantia excludi. Quare sacra tridentina Synodus expresse mandavit, administratores fabricae cuiusvis ecclesiae, etiam cathedralis, et quorumcumque piorum locorum singulis annis ad reddendam ordinario rationem administrationis teneri, addens (*sess. XXII. c. 9 de ref.*), quod etiamsi ex praecipua aliqua loci constitutione administrationis ratio reddenda sit aliis ad id deputatis, tamen cum iis adhibendus etiam sit ordinarius. Quare si aeditui concordi animo cum episcopo temporalia administraverint, omnia pacifice et secundum ordinem fient „. — Ordinarii autem possunt ab administratoribus rationes et computa administrationis exigere tam in visitatione, quam extra (*S. C. C. in Iuvenacen. 7 iul. 1736*), etiam per suum delegatum, non obstantibus quibuscumque privilegiis, quae a Concilio Tridentino (*loc. sup. citato*) abolita sunt. *S. C. C. in Hispalen. 11 ian. 1596, in Faventina 19 sept. 1772; S. C. EE. RR. in Caesaraugustana 29 dec. 1588.* Imo ordinarii, etsi a testatore et lege fundationis expresse removerentur a revisione computorum administrationis, possunt tamen semper tum ab illis rationem exigere, tum negligentiam administratorum supplere, tum eos removere si male administrent, et hoc etiam in casu, quo defunctus disposuisset legatum fore nullum, si episcopus sese in administratione immisceret et administratorem cogere vellet ad rationem reddendam. *c. 17 de testamentis etc. X. (III. 26); c. un. de testamentis etc. (III. 6) in Clem.; S. C. C. in una Civ. Pleb. 10 dec. 1695.* Nec prohibetur episco-

pus legem condere sive in synodo sive extra synodum, ne administratores locorum piorum sumptus extraordinarios supra certam summam faciant absque consensu totius communitatis, ex. gr. sodalitii, et absque venia ipsius episcopi. *S. C. C. in Assisien. 21 ian. 1786;* Lucidi *De visit. sacr. lim. cap. 7. n. 268.*

185 Diximus, leges quoque civiles, si quando per iniustitiam quoad administrationem bonorum ecclesiasticorum latae sunt, esse servandas, ne bona ecclesiastica exinde detrimentum sumant. Quare instrumenta aliaque omnia ad praescriptum iuris civilis conficienda sunt et caute servanda.

186 Administratores, qui sua culpa damnum bonis ecclesiae intulerunt, resarcire illud debent propriis bonis et sumptibus (Cfr. Conc. Trid. *sess. XXII. cc. 8. 9 de ref.*), veluti si quando ingentes quasdam expensas sine iusta et proportionata causa facerent. *S. C. C. in Habanen. 24 aug. 1894.*

187 Ecclesiae autem damnum passae a suis administratoribus ius est restitutionis in integrum. Vid. *Restitutio in integrum.*

188 Administratores bonorum monialium stricte dictarum debent rationem administrationis reddere singulis annis episcopis localibus, cum interventu praelati regularis, si illum moniales habeant. *Const.* Greg. XV. " Inscrutabili „ *5 febr. 1622; S. C. EE. RR. 27 mart. 1896.* — Sorores vero institutorum seu congregationum recentiorum rationem administrationis reddunt non episcopis localibus, sed superiorissae generali, quae postea eam submittit pro approbatione ordinario domus matricis, et approbatam transmittit de triennio ad triennium ad S. Sedem. *S. C. EE. RR. 27 mart. 1896;* cfr. *Const.* Leonis XIII " Conditae „ *VI. id. dec. 1900.* — Administratio bonorum monasteriorum seu conventuum ad solos officiales eorumdem, ad nutum superiorum amovibiles, pertinet; nec licet superioribus bona stabilia alicui regulari concedere etiam ad usumfructum vel usum, administrationem aut commendam. Conc. Trid. *sess. XXV. c. 2 de Reg.*

Ad finem autem reddendi fideliter 189
quotannis rationem administrationis conficere debent administratores librum rationum, qui contineat data et accepta, ex qua causa nominatim et qua die; nec sufficit loco libri eos exhibere paginas quasdam etiam manu sua conscriptas. Mühlbauer *Th. res. S. C. C. v.* " *Administrator* „ *n. 6.*

An administratoribus huiusmodi com- 190
petat ius ad aliquam mercedem. — Administratores, qui ad administrationem gerendam non tenentur (non autem illi, qui tenentur, ut parochi, cfr. Fagnanum *in cap. 9 de his, quae fiunt a praelatis sine consensu capituli X. [III. 10];* Monitore eccles. *vol. VIII. p. 2. pag. 218*) ius habent ad aliquam compensationem suo labori proportionatam, quam ipse episcopus, non administrator, statuere debet. Cfr. *S. C. C. in Compostellana 1 sept. 1894.* Hinc episcopi pro labore, quem impendunt in revisione computorum seu administrationis locorum piorum, nullam mercedem exigere possunt, sed hoc munus gratis implere tenentur, non obstante quacumque contraria consuetudine; est enim onus adhaerens officio et ad onera

officii sustinenda episcopus habet reditus mensae. *S. C. C. in Panormitana 4 mart. 1620;* Mühlbauer *Th. resol. S. C. C. v.* " *Administratio* „ *n. 4.*

191 **Varia.** — Ii qui obnoxii sunt reddendae rationi administrationis exercitae, seu obligati ad ratiocinia, ut in iure vocantur, sunt irregulares (cfr. *tit. de obligat. ad ratiocin. etc. X. [I. 19]*), iisque prohibetur ingressus in religionem, nisi aliqua timenda sit ex hoc lis aut molestia. *Const.* Sixti V. " Cum de omnibus „ *26 nov. 1586; Const.* Clem. VIII. " In suprema „ *2 apr. 1602.* Cfr. *C. A. aa. 849–858.*

Pro administratione bonorum seminariorum, Vid. *Seminarium;* bonorum confraternitatum, Vid. *Confraternitas.* — Vide etiam *Bona ecclesiastica.*

Decr. C. XII. q. 2 (plures canones); cc. 2. 3. 5. C. X. q. 1; c. 3 de religiosis domibus X. (III. 36); c. 2 eiusd. tit. (III. 11) in Clem.; Conc. Trid. sess. XXII. c. 9 de ref., sess. XXIV. c. 16 de ref., sess. XXV. c. 2 de reg.; Decr. Clementis VIII. " Nullus omnino „ 25 iun. 1599; Const. Greg. XV. " Inscrutabili „ 5 febr. 1622; Resol. dub. circa citat. const. approb. ab ipso Greg. XV. et ab Urbano VIII. in Bull. rom. t. 5. p. 5. p. 3. dub. 12 et 13; Const. Leonis XIII. " Romanos Pontifices „ 8 id. maias 1881; Const. Leonis XIII. " Conditae „ 6. id. dec. 1900; Coll. S. C. de Prop. Fide n. 1623 sqq., praesertim n. 1628 pro Hollandia; *Lingen et Reuss* Causae selectae n. 138; *Zech* De iure rer. eccl. sect. 3. tit. 6; *De Luca* Th. ver. et iust. lib. 7. p. 4. disc. 15-18; *Aichner* Comp. iuris eccl. § 225; *Vering* Droit canon. § 171; *Cavagnis* Inst. iuris publ. eccl. p. II. nn. 389 sqq.; *Wernz* Ius decr. III. 147 sqq.; *Hergenröther-Holkweck* Lehrb. des kath. KR. n. 1084; *Sägmüller* Lehrb. des kath. KR. § 196; *Vermeersch* De religiosis institutis et personis I. nn. 259. 277. 432 sqq.; *Lucidi* De visitat. ss. liminum c. 7. n. 259 sqq.; *Duballet* Cours complet de droit canonique XIV. 857 sqq.

Administratio bonorum. — Ex 192
iure romano filius familias non impubes habet administrationem bonorum tum castrensium tum quasi castrensium, non vero adventitiorum et profectitiorum; horum enim habet pater. Uxor habet administrationem bonorum paraphernalium, non vero dotalium vel communium, quorum administratio pertinet ad maritum ex iure romano et ex italico. *C. C. a. 1399, 1438.* Vid. *Bona.*

Administratio sacramentorum. – 193
Quoad administrationem sacramentorum notandum est hoc decretum Sacrae Congreg. Rituum *12 iul. 1892 (3784):*

" I. In omni seu sacramentorum, seu sacramentalium, confectione et administratione, tam in propriis, quam in alienis quibuscumque ecclesiis utendum esse semper superpelliceo et stola; retento nihilominus quod rituale romanum docet circa sacramentum poenitentiae (*tit. III. cap. 1. n. 9*) „.

" II. Canonicis et parochis quocumque privilegio fruentibus, etiam deferendi rochettum et mozzettam coram Pontifice, in iisdem sacramentis et sacramentalibus conficiendis et administrandis, usum cappae, mozzettae vel caputii esse omnino interdictum; ii nihilominus, qui rochetti privilegio gaudent, idem retinere, sed in propria tantum ecclesia, privilegio secluso, permittuntur, dummodo super illud superpelliceo ac stola induantur: qui vero superpelliceum super rochettum induere prohibentur, nonnisi cum superpelliceo ac stola sacramenta et sacramentalia conficiant et administrent „.

Circa hoc confer etiam decreta sequentia: *S. R. C. in Aesina 16 apr. 1831 (2680); in Pisana 12 nov. 1831 ad 22 (2684); in Adiacen. 25 sept. 1882 (3556); in Lauden. 23 iun. 1892 ad 9 (3779).*

Eodem modo nefas est parochis stolam induere super rochettum aut superpelliceum sed mantelletta contectum, quoties sacramenta administrant. *S. R. C. in Lauden. 23 iun. 1892 ad 8 (3779).* Quae omnia prohibentur, etsi contrarium fieret iuxta veterem dioeceseos consuetudinem. *S. R. C. in Adiacen. 25 sept. 1882 (3556).* Vid. *Stola.*

194 **Administrator apostolicus.** — **Quis sit administrator apostolicus.** — Administrator apostolicus ille est, cui ad tempus et non in titulum confertur administratio alicuius sedis episcopalis, sive vacantis, sive adhuc plenae. Vocatur etiam vicarius apostolicus, quamvis hoc nomen plerumque tribuatur illis episcopis, qui in regiones mittuntur, in quibus vel nullae constitutae sunt dioeceses, vel, iis etiam constitutis, episcopi proprio titulo praefici non possunt. Zitelli *Apparatus iur. eccl. lib. I. c. 4. a. 2.*

195 **De iuribus administratoris apostolici.** — Administrator apostolicus, quando mittitur ad sedem vacantem, per se non gaudet maioribus iuribus, quam ea sunt, quibus gaudet vicarius capitularis; quum Sedes apostolica in designatione administratoris apostolici hoc unum sibi reservet, scilicet electionem personae. Cfr. Mon. Eccl. *1900–901. pag. 184.* Attamen potest S. Sedes eum mittere cum maiore potestate; et de facto hoc fecit generali dispositione cum omnibus illis episcopis Italiae, quibus de una in aliam sedem translatis, relinquitur ad tempus administratio prioris dioecesis. His enim omnibus, de speciali gratia ad beneplacitum S. Sedis valitura, indultum est, ut, durante tantummodo eiusmodi administratione, omnibus honorificentiis, privilegiis, indultis ac facultatibus frui valeant, quae ipsis uti propriis episcopis ordinariis competebant. *Leo XIII. per decr. S. R. C. 25 iun. 1897 (3958).*

Administrator apostolicus in functio- 196
nibus pontificalibus non gaudet omnibus praeeminentiis et praerogativis, quibus fruuntur episcopi in propriis dioecesibus (*S. R. C. in Sarsinaten. 22 aug. 1722 ad 1 [2274]*); quare non potest uti throno, quamvis habeat usum baculi (*decr. nuper cit. ad 2*); nec potest concedere indulgentiam quadraginta dierum (*decr. nuper cit. ad 3*); nec debet fieri anniversarium ipsius consecrationis (*decr. nuper cit. ad 5*); nec, quando celebrat missam pontificalem, ponendum est in altari septimum candelabrum (*decr. nuper cit. ad 6*); nec omnes canonici indui debent paramentis sacris (*decr. nuper cit. ad 7*); nec, quando missae assistit, canonici debent eidem facere circulos ad *Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus* et *Agnus Dei* (*decr. nuper cit. ad 4*); nec potest epistolam pastoralem sive latino sive vulgari sermone conceptam populo dirigere (*S. R. C. in Liburnen. 23 sept. 1848 ad 1 [2976]*); nec uti potest mozzetta, sed gestare tantum debet mantellettam supra rochettum (*decr. nuper cit. ad 2*); nec habet usum galeri cum chordulis et floccis viridi coloris (*decr. nuper cit. ad 9*); nec habere potest thronum seu solium pro se a parte

evangelii sive in cathedrali sive alibi (*S. R. C. in Pekinen. 9 maii 1857 ad 1 et 2 [3047]*); nec nominari potest in canone missae a sacerdotibus (*decr. nuper cit. ad 4*). Cfr. etiam *S. C. P. F. 6 iul. 1856.*

197 **Ad administrator apostolicus teneatur ad applicandam missam pro populo.** — Quaesitum etiam est, an huiusmodi administratores apostolici teneantur diebus festis missam pro populo applicare. Et scriptor ephemeridis " Monitore Ecclesiastico „ (Mon. Eccl. *1897-98 pag. 209*) non spernendas adducit rationes, quibus probet administratoribus his, quemadmodum et vicariis capitularibus, hoc onus incumbere. Attamen, modeste dixero, si quid video, non cogunt. Neque enim argui posse videtur ex munere pastoris, quum huiusmodi administratores non sint veri pastores. — Neque ex eo quod Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 1 de ref.*, edicens iis omnibus, *quibus cura animarum commissa est,* pro populo sacrificium divino praecepto offerre mandatum esse, non distinxit inter curam perpetuam et temporaneam; quum S. C. de Prop. Fide interrogata: " An vicarii apostolici, et missionarii, *qui quovis modo suscipiant animarum curam* in aliquo determinato loco, teneantur indiscriminatim ex iustitia applicare missam pro populo diebus festis? „, responderit: *Negative, nisi* etc.; ex qua responsione colligi licet, quosdam esse, quibus cura animarum commissa est, qui tamen ad missam applicandam non tenentur. — Neque ex eo quod const. " In suprema „ Leonis XIII. cognovit in episcopis eamdem obligationem, quam const. " Quum semper oblatas „ Benedict. XIV. recognoscit in parochis; quum parochi, qui duas parochias, aeque principaliter unitas regunt, ad duas missas teneantur, episcopi vero, qui regunt duas vel plures dioeceses et abbatias aeque principaliter unitas huic officio satisfaciunt per celebrationem et applicationem unius missae pro universo populo sibi commisso; " alia est enim parochorum, alia episcoporum ratio „, ut ipsa constitutio loquitur. — Neque ex decreto superius allato S. C. de Prop. Fide, quod in sua responsione integre sic se habet: " Negative, dummodo non agatur de locis, in quibus sedes episcopalis ac paroeciae canonice erectae iam sint, atque ad eas vicarius apostolicus et missionarii missi sunt ut legitimorum pastorum vices gerant „; nam ex verbis ipsis videtur erui, agi hic de missione non ad tempus, sed in perpetuum collata. — Sed et praeterea habemus responsionem S. Congreg. Rituum *12 nov. 1831 in una Marsorum ad 23,* qua responsum est, vicarios capitulares non teneri ad applicandam missam pro populo. Scriptor ephemeridis " Monitore Ecclesiastico „ (*loc. cit.*) affert hanc responsionem, sed putat eam vim non amplius habere post Constitutionem Leonianam " In suprema „; attamen haec responsio neque immutata neque expuncta est in nuperrima collectione decretorum S. Congr. Rituum (cf. *decr. n. 2682 ad 23*), quare vim legitimae interpretationis adhuc habere censenda est.

198 **De iure capituli, administratore apostolico demortuo.** — Quaesitum est, an, mortuo administratore apostolico, capitulum ius habeat deputandi vicarium

capitularem; cui quaestioni negative respondendum videtur scriptori ephemeridis " Monitore Ecclesiastico „ quum Sancta Sedes illius dioeceseos administrationi manus apposuerit. Mon. Ecci. *loc. cit.*

Ben. XIV De syn. dioec. lib. II. c. 10. n. 2, lib. XIII. c. 6. n. 5; *Wernz* Ius. Decr. II. n. 698; *Hergenröther-Hollweck* KR. n. 428 sqq.; *Bouix* De Curia romana pag. 666 sqq.; *Zitelli* Apparatus iuris eccl. lib. I. c. 4. a. 2.

199 **Admonitio. — De admonitione in confessione.** — Eam facere debet confessarius poenitenti, qui se graviter vel leviter obligari putat, ubi levis vel nulla est obligatio (Lugo *de poen. disp. XXII. n. 23 sqq.;* B. P. *V. 543*); imo *regulariter* etiam poenitenti vincibiliter ignoranti aliquam obligationem.

200 *Regulariter,* inquam, quia non semper ad hoc tenetur confessarius; imo ne bene quidem ageret, si semper faceret. Nam ad hoc, ut debeat in casu haec admonitio fieri, debet ignorantia poenitentis esse graviter culpabilis, quod a confessario investigandum est, caute tamen, ne ipso examine ac interrogationibus suis det poenitenti occasionem dubitandi, et inferat ei malam fidem, quam non habet. Lugo *loc. nuper cit.* Inveniet autem ignorantiam esse graviter culpabilem, quando poenitentem invenerit hic et nunc ita animo comparatum, ut in ea re dubiam conscientiam habeat, et cum ea agat. B. P. *V. 538.*

201 Ei vero, qui invincibiliter ignorat aliquam obligationem, sive haec ignorantia sit facti, sive sit iuris, non solum humani sed divini quoque et naturalis, non debet admonitionem facere, imo nec potest, nisi admonitio probabilius profutura quam obfutura existimatur. Lugo *loc. cit. n. 27;* S. Alph. *VI. 611 sqq.* Damnum autem, quod impedit, ne admonitio fiat, non est tantum damnum ipsius poenitentis, sed etiam scandalum aut grave damnum aliorum. B. P. *V. 539.* Attamen exceptio quoad hunc casum ignorantiae etiam invincibilis statuenda est. Nempe si agatur de bono communi, quod damnum pateretur ex modo agendi istius, qui hac ignorantia laborat; ratio vero est, quia bonum commune praeponderat bono privato. B. P. *V. 541.*

Quid autem si confessarius sit dubius, utrum admonitio sit profutura an obfutura? Et plures censent comparandam utilitatem et damnum et gradum timoris et spei, quem habet confessarius; eligendum autem illud, quod praeponderare iudicatur. Filliuccius *tom. 2. tract. 28. cap. 6. n. 135;* Lugo *loc. cit. n. 31.* Attamen placet id, quod addit D'Annibale (*III. 345*), hac sententia relata: " Sed verius regulariter, tacere oportet, quando periculosum est loqui „; ac proinde, nisi gravis sit probabilitas profectus, praestat admonitionem omittere. B. P. *V. 545.*

Ad haec addit D'Annibale *II. 83 (15):* " Quid, si (poenitens) permotus levi dubio seu scrupulo quaerat, utrum hoc vel illud licitum sit, an illicitum? Communior sententia est, ei pro veritate respondendum esse; quippe dubia conscientia laborare incipit (Lugo *De poenit. XXII. 29*), sed non plus respondere oportet, quam alter quaesierit (S. Alph. *VI. 616*). Itaque, si quae v. gr. ignara consanguineo suo nupsit, obstricta simplici castitatis voto, scisci-

tetur, an propter votum valeat matrimonium, et an *reddere* possit; confessarius affirmet utrumque, sed de non *petendi* obligatione sileat. Sanchez *de matr. II. 38. 5;* S. Alph. *VI. 611* „.

202 **De admonitione fraterna** (*remissive*). — Admonitio debet erranti fieri citra incommodum grave ex caritate, si non sit probabile, ipsum se sua sponte emendaturum, si desit alius qui eum corrigat, et probabile sit correctionem erranti profuturam. Quoad hanc vide *Correctio fraterna.*

De admonitione quoad censuram (*remissive*). — De admonitione ad incurrendam censuram, Vid. *Monitio.*

Lugo De poenitentia disp. XXII; *S. Alph.* VI. 609 sqq.; *Ballerini-Palmieri* Opus th. mor. V. 537 sqq.; *D'Annibale* Summula theol. mor. III. 345; *Noldin* de sacramentis n. 400.

203 **Adolescens operarius.** — Quoad operarios adolescentes haec belle scribit Vermeersch *quaestiones de iustitia n. 466*: « Longe dispar est causa puerorum, quos ipsa levitas et imprudentia inhabiles efficit ad valide consentiendum in onera nimis contraria eorum animae vel corpori. Nec assensu parentum fit ius puerorum minus inviolabile, vel excusatur officinator. Quare in *iustitiam commutativam* committit, qui operas nimis graves vel nimis diuturnas vel nimis mentem hebetantes postularit ab adulescentulis, ita ut vires minuantur vel ingenium incapax fiat decentis cultus (" De pueris valde cavendum, monet Leo XIII, ne prius officina capiat, quam corpus, ingenium, animum satis firmaverit aetas. Erumpentes enim in pueritia vires, velut herbescentem viriditatem, agitatio praecox elidit; qua ex re omnis est institutio puerilis interitura „). Quid dicam de morum corruptione, quae quo facilius reperit occasionem inficiendi iuvenilem aetatem, eo solertiorem atque intentiorem imponit curam? — Non satis erit *pietati* amovere proximas occasiones ruinae corporalis vel spiritualis. Ea movebit officinatorem, ut per tempus, quo ipsi traduntur regendi adulescentuli, diligentis parentis suppleat providentiam. — Maxime vero laudandi sunt ii, qui ad ipsam puerilem institutionem operam conferunt; qui, dum moderate utuntur adulescentium viribus, eos simul ad virtutem, artem et litteras informare conantur ».

Et paulo post *n. 468 2:* " Quum de iis agatur, *qui aetate vel sexu sunt debiliores,* opportunae sunt sanctiones, quae hanc tantum permittant rationem operarum, haec statuant intervalla ac requiem, has praescribant cautiones, quae universe requiruntur ad pueritiae et adulescentiae vel muliebris conditionis rationes. Namque in praesenti fidei et morum corruptione, quae spes est, ut moribus atque usu satis protegantur inermes isti atque imbecilliores? „

Adoptio. — **De ipsa adoptione.** — 204
Ex iure romano. — Adoptio est actus, quo persona extranea in filium adsciscitur. — Ex iure romano duplex est: alia perfecta, imperfecta alia.

a) Perfecta, quae et adrogatio dicitur, ea est, qua persona extranea, quae sit sui iuris, ex principis rescripto transit in familiam et potestatem adoptantis.

b) Imperfecta seu simplex ea dicitur, qua persona extranea, quae sui iuris non est, sed consistit, et manet

in potestate et familia patris vel avi sui naturalis, ex auctoritate alicuius iudicis competentis ab aliquo in filium vel nepotem assumitur, quin per hoc transeat in potestatem et familiam adoptantis. Inst. Iust. *de adoption. § 1 (I. 11)*; cfr. *l. 1 § 1 de adoptionibus etc. D. (I. 7)*.

205 Per adrogationem igitur adoptatus transit in familiam et potestatem adoptantis cum omnibus suis filiis et rebus, et est heres necessarius tum ab intestato, tum ex testamento in quarta bonorum parte (*l. 40. tit. cit. D. [I. 7]*. Inst. Iust. *l. c.*); per simplicem adoptionem, quum adoptatus non transeat in familiam adoptantis, non fit heres necessarius ex testamento, sed ab intestato iura successionis a legibus ei tributa sunt. At notandum, simplicem adoptionem imitari adrogationem et transferre adoptatum in familiam et potestatem adoptantis in casu, quo pater naturalis non extraneo sed avo filii sui materno, vel, si ipse pater naturalis fuerit emancipatus, etiam avo paterno vel proavo simili modo paterno vel materno, filium suum dederit in adoptionem. Inst. Iust. *loc. cit. § 2.* — Quaenam fuerint conditiones a iure romano requisitae, ut adoptio rite fieret, vide apud iuristas et canonistas. Cfr. ex. gr. Schmalzgrueber *in tit. 12. lib. IV. Decr. n. 7 sqq.*; B. P. *VI. 629.*

206 Adoptio vero solvitur tum morte naturali aut civili adoptantis, tum emancipatione, tum aliis quibusdam de causis, quas etiam vide apud iuristas.

207 **Ex nostris legibus.** — Ex nostris legibus adoptio hoc iure regitur. — Permittitur personis utriusque sexus, quibus tempore adoptionis non sint descendentes legitimi aut legitimati, quaeque excesserint quinquagesimum annum aetatis, et octodecim saltem annis superent aetatem adoptandi. *C. It. a. 202.* (Codex Gallicus *a. 343* statuit excessum requisitum aetatis adoptantis prae adoptando ad 15 annos). Nemo potest habere plures filios adoptivos, nisi eodem actu adoptentur (*C. It. a. 203*); quemadmodum et nemo potest a pluribus, nisi a duobus coniugibus, adoptari. *C. It. a. 204; C. G. a. 344.* Filii extra matrimonium nati a suis parentibus adoptari nequeunt. *C. It. a. 205.* (Codex Gallicus hanc exceptionem, ceteroquin honestissimam, neglexit). Minor, qui octodecim annos non excesserit, adoptari nequit. *C. It. a. 206.* (Iuxta Codicem Gallicum *a. 346* adoptio nullo in casu ante adoptati maioritatem locum habere potest). Tutor nequit, ante redditam rationem suae administrationis, eum adoptare, qui sub eius tutela fuit. *C. It. a. 207.* Ad adoptionem requiritur consensus adoptantis et adoptati, imo etiam patris, matris, aut viventis coniugis, sive adoptantis sive adoptati, si alteruter eos viventes habeat. *C. It. a. 208.* (Ex codice Gallico *a. 346* in casu, quo parentes adoptati vivant, eorum consensus requiritur, si adoptatus nondum excesserit 25 aetatis annum; secus sufficit, adoptatum exquirere eorum consilium). Si adoptatus sit adhuc minor, eique non sint parentes, qui adhuc vivant, necessaria erit iuxta varios casus approbatio consilii familiae aut tutoris. *C. It. a. 209.* Adoptio debet fieri per actum publici magistratus modo a iure praescripto. *C. It. a. 213 sqq.; C. G. a. 353 sqq.* Cfr. quoad hoc iuristas.

Effectus adoptionis in primis est, ut adoptatus assumat cognomen adoptantis, quod proprio addit. *C. It. a. 210; C. G. a. 347.* Patri et matri adoptivis obligatio est continuandi, si opus est, educationem adoptati, eique procurandi subsidia et alimenta necessaria. Haec alimentorum obligatio in casu necessitatis incumbit etiam adoptato relate ad adoptantem. Attamen in adoptante praevalet eidem obligationi quoad parentes legitimos aut naturales; in adoptato concurrit cum obligatione erga filios legitimos aut naturales adoptantis. *C. It. a. 211; C. G. a. 349.* Adoptatus quoad successionem in bonis adoptantis non discriminatur a filiis legitimis, cum quibus concurrit; est tamen extraneus successioni omnium adoptantis consanguineorum aut cognatorum. *C. It. a. 737; C. G. a. 350.* Adoptatus retinet omnia iura et obligationes erga suam familiam naturalem. *C. It. a. 212; C. G. a. 349.* — Quinam sint effectus adoptionis quoad matrimonium ex modernis legibus dicemus postea.

208 **De adoptione in quantum inducit cognationem legalem, et consequenter aliquando matrimonium impedit. — De cognatione legali.** — Adoptio gignit etiam cognationem legalem; inter quas personas heic est videndum. Hoc autem nobis investigandum imprimis est iuxta leges romanas, quia hae sunt, quas ius ecclesiasticum sequitur in statuendo impedimento dirimente matrimonium ex hoc capite.

Porro iure romano, quoad hoc, generalis haec regula statuitur: " Qui in adoptionem datur, iis, quibus agnascitur, cognatus fit, quibus vero non agnascitur, nec cognatus fit; adoptio enim non ius sanguinis, sed ius agnationis affert „. *l. 23. tit. cit. D. (I. 7); l. 12. § 4; de ritu nuptiar. D. (XXIII. 2).* Quare cognatio legalis intercedit inter eos omnes, qui vi adoptionis fiunt agnati. Porro omnes, qui pertinent ad familiam, et sunt sub potestate patrisfamilias, vel qui ad eius familiam pertinerent et sub eius essent potestate, si ipse adhuc viveret, agnati sunt tum ipsi patrifamilias, tum inter se. *l. 55. tit. cit. D. (XXIII. 2).* Illi, qui de familia sunt, sed non sunt sub potestate patrisfamilias, ut filius emancipatus, non sunt agnati sed cognati.

Hinc cognatio haec legalis triplex 209
communissime distinguitur:

a) In linea recta inter adoptantem et adoptatum huiusque descendentes, qui in ipsius potestate sint (paternitas). *l. 15 de adoptionibus etc. D.*

b) In linea transversa seu obliqua inter adoptatum et liberos adoptantis legitimos et naturales; quod tenent omnes (fraternitas). An haec cognatio consistat etiam inter adoptatum et filios adoptantis legitimos tantum, idest adoptivos, controvertitur inter doctores. Communius negant (Cfr. Sanchez *De matrim. lib. VII. disp. 63. n. 29;* Schmalzgrueber *in tit. 12. lib. IV. n. 35*); at verius quidam affirmant (D'Annib. *I. 65 [21];* Gasparri *De matr. I. 860*). Inter adoptatum vero et filios adoptantis illegitimos aut emancipatos, itemque inter adoptatum et fratres, sorores aut parentes adoptantis nulla cognatio exsurgit. D'Ann. *loc. nuper cit.*

c) Per modum affinitatis inter adoptantem et uxorem adoptati et vicissim inter adoptatum et uxorem adoptantis. Attamen de hac cognatione

non convenit inter omnes. Et certe ex l. 23. tit. cit. D. (I. 7) habemus: " Ideo et si filium adoptaverim, uxor mea illi matris loco non est; neque enim agnascitur, propter quod nec cognata eius fit „. Cfr. etiam *l. 4. § penult. de gradibus et affinibus etc. D. (XXXVIII. 10)*. Hinc D'Annibale *loc. cit.* negat quamcumque cognationem ex hoc capite affinitatis. Gasparri contra (*loc. cit. n. 861*), postquam has romanas leges adnotavit, addit: " Haec, inquam, vi stricti iuris romani; nam, etiam ante Iustinianum, suppressa ob influxum christianae religionis maritali potestate, maritus obtinuit auctoritatem maritalem in uxorem, quae adeo pertinuit et pertinet ad familiam mariti, ut post ipsum fuerit et sit secundarium familiae caput. Tunc igitur uxor adoptantis evasit et est agnata et ideo cognata adoptato, sicut uxor adoptati agnata et cognata adoptanti „. Cfr. Pirhing *in tit. 12. lib. IV. Decr. n. 2*; Reiffenstuel *in eumd. tit. n. 9*; Schmalzgrueber *in eumd. tit. n. 12*; Engel *in eumd. tit. n. 5*; Sanchez *loc. superius cit. n. 13*.

210 **De vi cognationis legalis quoad matrimonium ex iure romano.** — His autem suppositis, videndum inter quas personas iure romano prohibebatur matrimonium.

Porro adoptio in linea recta (paternitas) in quocumque gradu irritabat nuptias. *l. 55. tit. cit. D. (XXIII. 2)*; Inst. Iust. *de nuptiis (I. 10) § 1*. Hoc autem impedimentum in perpetuum nuptias irritabat, idest etiam adoptione per emancipationem soluta. Inst. Iust. *loc. nuper cit.*

Adoptio in linea transversali irritat matrimonium inter adoptatum vel adoptatam et liberos adoptantis legitimos naturales usque ad tertiam generationem. *l. 17. 23. tit. cit. D. (XXIII. 2)*. Permittitur autem matrimonium inter filium et filiam duorum adoptatorum. *l. 3. tit. cit. D. (XXIII. 2)*; Inst. Iust. *de nuptiis § 4*. Nota autem impedimentum hoc cessare, cessante adoptione. Inst. Iust. *de nuptiis § 2*; B. P. *VI. 632*; Gasparri *loc. cit. n. 860*.

Adoptio per modum affinitatis veteri iure romano non ratione cognationis cuiusdam legalis, sed ratione publicae honestatis matrimonium dirimebat inter viduam adoptantis et adoptatum et vicissim inter adoptantem et viduam adoptati (*l. 14. tit. cit. D. [XXIII. 2]*), inter adoptatum et sororem adoptantis, si tamen fuit eodem patre nata (*l. 12. tit. nuper cit. in fine*), eiusve amitae aut materterae. Inst. Iust. *de nuptiis § 1*. Posteriori iure romano, quum ut supra dictum est, iuxta plures uxor sit de familia mariti et sub eius potestate, et proinde per adoptionem fiat agnata et cognata sive adoptantis sive adoptati, cognatio legalis irritavit nuptias inter viduam adoptantis et adoptatum et vicissim inter viduam adoptati et adoptantem. Gasparri *l. c. n. 861*. Hoc autem impedimentum erat perpetuum, idest durabat, etiam soluta adoptione.

De canonico impedimento cognationis legalis. — Ecclesia canonizavit hoc impedimentum iuris romani, seu suum fecit, ideoque impedimentum hoc valet etiam in iure canonico. Dirimit autem matrimonium intra limites iuris romani, ac proinde imprimis probabilius tunc tantummodo, quum agitur de adoptione perfecta, seu de adrogatione. B. P. *VI. 630*; D'Ann. *I. 65*. 211

Quare breviter iure canonico impedimentum hoc dirimens viget:

a) In linea recta inter adoptantem et adoptatum eiusque descendentes, qui tempore adoptionis erant sub potestate adoptati. *c. 1. C. XXX. q. 3; c. un. de cogn. legali X. (IV. 12).*

b) In linea transversa inter adoptatum et liberos naturales et legitimos, imo verius et legitimos tantum, adoptantis sub paterna potestate constitutos. *c. un. tit. cit. X. (IV. 12); cc. 1. 5. C. XXX. q. 3.*

c) In affinitate legali inter uxorem adoptantis et adoptatum, et vicissim inter uxorem adoptati et adoptantem. *S. C. C. in Hortana 26 sept. 1734.*

212 Iuverit autem hic adnotare casus, in quibus, adoptione etiam stante, impedimentum cognationis legalis non urget, et nuptiae validae sunt. Itaque nuptiae stare possunt: *a*) Inter adoptantem et matrem adoptati. — *b*) Inter adoptantem et filiam adoptivae, quia quum filia non sit in potestate matris, nec transit in potestatem adoptantis. — *c*) Inter adoptantem et filiam illegitimam adoptivi, quia filii, naturales tantum, non sunt sub potestate patris (Inst. Iust. *tit. cit. de nuptiis § 12*). — *d*) Inter filium illegitimum adoptantis et filiam adoptivam eiusdem adoptantis et vicissim, ex eadem ratione. — *e*) Inter filium et filiam duorum fratrum adoptivorum. — *f*) Inter duos adoptivos eiusdem patris adoptantis. Schmalzgrueber *l. c. n. 31 sqq.*; B. P. *VI. 634.*

213 Quaerunt hic Doctores, utrum impedimentum hoc cognationis legalis urgeat quoque ex adoptione, quae fit secundum modernas leges. — Porro vidimus, ecclesiam adoptare tamquam impedimentum dirimens matrimonium eam cognationem, quae ex romana adoptione, et quidem probabilius perfecta, seu ex adrogatione, exsurgebat. Vidimus praeterea, ex recentioribus iuribus adoptatum proprie non transire in familiam adoptantis, nec per adoptionem proprie constitui sub potestate adoptantis eo modo, quo iure romano haec contingebant. Quare, adoptio modernarum legum deficit ab adrogatione, et potius imperfectae Romanorum adoptioni assimilatur. B. P. *VI. 637 sqq.* Hinc concludendum videtur, tamquam probabilius, ex moderna adoptione nullum oriri impedimentum dirimens matrimonii. Attamen si quis modernus codex esset (asserit Noldin *De sacr. 603*, S. Poenitentiariam *die 17 maii 1826* rescripsisse per adoptionem in Gallia vigentem et legitime peractam induci impedimentum) vel futurus sit, qui adoptioni hunc tribuat effectum, ut adoptatum faciat de familia adoptantis et constituat sub istius potestate ad instar filii naturalis et legitimi, ideoque adoptatus fiat adoptantis necessarius heres, tunc, quum haec adoptio convenerit quoad essentialia cum adrogatione Romanorum, impedimentum exsurgeret. Gasparri *l. c. I. 867.* — Verum sunt qui contendunt ex adoptione nostrarum legum impedimentum exsurgere (De Angelis *in tit. 12. lib. IV. Decr. n. 3*; Santi *in eumd. tit. n. 10*); rationes tamen, quas afferunt, non videntur hoc probare, quum non ex lege, sed ex fine legis deducantur, vel constituantur in responsionibus sacrarum Romanarum Congregationum (*S. C. P. F. 14 ian. 1802; S. Poen.*

17 maii 1822; S. U. I. 23 febr. 1853), quae casus particulares respiciunt, aut ad quietem conscientiae vel ad cautelam in re dubia gratiam petentibus concedunt. Cfr. B. P. *VI. 638 sqq.* Haec res est saltem dubia, et impedimentum dubium impedimentum est nullum. Ceterum cum D'Annibale *I. 65* dicendum: optandum est, ut haec S. Sedis oraculo definiantur.

Interim nota sequens dubium a vicario apostolico Tunkini occidentalis Sacrae Congregationi de Prop. Fide propositum: " An adoptio habenda sit pro impedimento canonico matrimonium dirimente in regno Tunkini, quando iuxta leges et consuetudines eiusdem regni persona nondum sui iuris adoptare potest, neque requiritur ut adoptans maior sit viginti quinque annis; sicuti parum curatur, utrum sit masculus an femina; ipsi quoque eunuchi adoptare valent, neque habetur ratio aetatis adoptantis relative ad personam adoptatam, neque etiam requiritur personae adoptatae praesentia, vel eiusdem in adoptione consensus, ita ut etiam parvuli et puellae absentes ac veri consensus incapaces in filios et filias adoptari possint „. Huic dubio Sacra Congregatio *14 ian. 1802* respondit: " *Negative* „.

214 Iure autem italico adoptione matrimonium prohibetur inter adoptantem et adoptatum eiusque descendentes; inter filios adoptivos eiusdem personae; inter adoptatum et filios, qui adoptanti supervenerint; inter adoptatum et coniugem adoptantis et inter adoptantem et coniugem adoptati. *C. It. a. 60.* Attamen nota, haec in tantum in foro conscientiae matrimonium invalidare, in quantum concordant cum praescriptionibus iuris canonici, a quo unice est vis irritandi matrimonium. Quare impedimenta iuris italici, quae in iure canonico non considerantur, in foro conscientiae nullo modo officiunt validitati matrimonii.

Impedimentum cognationis legalis, 215
si quando viget, nonnisi ecclesiastico iure viget; hinc dispensatione Romani Pontificis tolli semper potest. At in praxi ab hoc impedimento in linea recta vel ex affinitate legali, nonnisi ex gravi causa, et difficillime, dispensat Romanus Pontifex. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 37;* Giovine *De disp. et imp. matr. I. § 222.* Super fraternitate legali dispensatio raro petitur, quum in promptu sit solutio adoptionis per emancipationem. Giovine *loc. cit. pag. 400.*

De discrimine inter adoptionem et alumnatum ac unionem prolis. — Ultimo loco notant doctores, adoptionem non esse confundendam cum alumnatu vel unione prolis. — Alumnatus in hoc est, quod quis puerum vel puellam suscipiat sub sua cura, et suis sumptibus alendum et educandum. — Unio prolis tunc habetur, quum novi coniuges paciscuntur, prolem habitam ex praecedentibus nuptiis quoad iura successionis eodem loco habendam esse, ac proles, quam ex novo coniugio suscipiunt. — Alumnatus et unio prolis nullum, ut patet, inducunt impedimentum. B. P. *VI. 635.* 216

Decr. cc. 1. 5. 6 C. XXX. q. 3.; tit. de cognatione legali X. (IV. 12); Instr. Card. Rauscher § 28. 29; Canonistae in tit. cit.; Inst. Iust. de adoptionibus (I. 11); tit. de adopt. D. (I. 7); tit. de adopt. C. (VIII. 48); Iuristae in tit. citat.; Moralistae in

tract. de imped. matr.; *S. Raymundus de Peñafort* Summa lib. IV. tit. 8 de cognat. legali; *Durandus* Speculum lib. IV. partic. 4. h. t.; *Inn. IV* In quinque libros decretalium ad h. t.; *Hostiensis* Summa aurea ad h. t.; *Sanchez* De matr. lib. VII. disp. 63; *Rosset* De sacr. matr. III. 1893 sqq.; *Leitner* Lehrbuch des kath. Eherechts § 34; *Freisen* Geschichte des canon. Eherechts § 52; *Giovine* De dispensationibus matrimonialibus I. § 219; *Mansella* De imped. matr. dirim. etc. c. 3. a. l. c.; *Feije* De imp. et disp. matr. n. 428 sqq.; *Wernz* Ius decr. IV. 465 sqq.; *Esmein* Le mariage en droit canon. p. II. tit. 2. sect. 3. 11; *Ballerini-Palmieri* VI. 624 sqq.; *Gasparri* De matr. I. 851 sqq.; *Aichner* Comp. iuris eccl. § 178. 2; *Hergenröther-Hollweck* Lehrbuch des kath. KR. n. 946 sqq.; *Sägmüller* Lehrbuch des kath. KR. § 144. *Demolombe* Traité de l'adoption et de la tutelle officieuse; *Guarneri* Contro l'adozione; *Ursellus* Examen apum concl. 58 per totam.

217 **Adoratio.** — Adoratio stricte sumpta est honor Deo exhibitus propter summam eius excellentiam et supremum dominium. Dicitur etiam cultus latriae. G. B. *I. 257.*

218 **Adulatio.** — Adulatio latiori sensu est quilibet excessus in delectando alios verbis et laudibus; strictiori sensu est idem excessus causa lucri factus. S. Th. *2. 2. q. 105. a. 1.* Diximus *causa lucri;* patet autem intelligi, quodcumque emolumentum, quod laudator ex suis laudibus intendit. — Adulatio etiam strictiori sensu sumpta non semper est peccatum grave, sed per se leve peccatum est. Potest tamen identidem peccatum esse grave, veluti si quis laudaret grave peccatum alicuius, aut quum quis alicui adulatur, ut fraudulenter ei graviter noceat vel corporaliter vel spiritualiter; aut, quum laus adulatoris fit alteri occasio peccandi, idque ab adulatore praevidetur. S. Th. *loc. cit. a. 2.*

Adulterium. — **Quid et quale peccatum.** — 219 Adulterium est copula cum alterius coniuge. Duplex est peccatum, contra castitatem et contra iustitiam, etiamsi alter coniux consentiat. Lessius *De iust. et iure lib. IV. c. 3. dub. 10. n. 73;* Lugo *De iust. et iure disp. VIII. n. 6.* Attamen, si alter coniux consentiat, ea violatio iuris ipsius, quae adulterio etiam tunc habetur, respectu eius non est iniuria, quia volenti iniuria non fit. B. P. *II. 1014.* Volunt nonnulli in casu adulterii, altero coniuge assentiente, admissi, hanc ipsam circumstantiam esse in confessione exprimendam, quia partialem aliquam malitiae speciem aufert. Lugo *l. c. n. 10;* Lehmkuhl *Th. mor. I. 525.* At bene adnotat Ballerini-Palmieri *loc. cit.,* hanc obligationem non esse urgendam, quousque non fuerit probatum, tale adulterium specie differre a communi. Nota autem hic propositionem ab Innocentio XI. (*decr. 2 mart. 1679*) damnatam, scilicet: " Copula cum coniugata, consentiente marito, non est adulterium; adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum. „

Inter duos coniugatos duplex com- 220 mittitur adulterium. Filliuccius *t. 26. c. 4. n. 85. 89;* Koch *Lehrbuch der Moraltheologie § 163. d.*

Etiam in tactibus inhonestis, osculis 221 etc., seu in omnibus huiusmodi actibus imperfectis, quibus coniux attrectat, seu se attrectari permittit ab extraneo, invenitur ratio, licet imperfecta, adulterii, quare haec circumstantia in confessione est explicanda. Idem dicas de coniuge se polluente. B. P. *II. 1015.*

222 **De reparatione damnorum ex adulterio.** — Adulter tenetur *ex iustitia* reparare omnia damna ex suo crimine familiae mulieris certo provenientia: solus, si vi aut metu gravi copulam a muliere extorsit, secus in solidum cum muliere. Lugo *loc. cit. disp. XIII. n. 9;* Lessius *l. c. lib. II. c. 10. dub. 6. n. 41.* Dixi *familiae mulieris,* idest familiae, in qua mulier est, ratione matrimonii. Scilicet omnia restituenda sunt, quae filio adulterino quasi filio legitimo a viro mulieris, aut a viri consanguineis datum est, donatum aut relictum; brevi, quidquid ex hoc falso titulo adulterino filio obvenit, ut ea, quae ipse consecutus est, succedens ab intestato putativo patri. *Ex hoc falso titulo,* idest praecise in vim huius tituli; proinde non ea, quae ipsi habito tamquam filio legitimo per accidens obveniunt, ut ecce si heres fuerit alicuius consanguinei putativi patris non quidem ab intestato, sed quia ad hereditatem ab ipso vocatus; si aliquod donum ab huiusmodi consanguineis acceperit, etc. Lugo *l. c. disp. XIII. n. 9 sqq.;* B. P. *III. 482;* D'Ann. *II. 280.* Restituere autem debet adulter (Molina *tom. IV. tr. 3 disp. 103. n. 2;* Lessius *l. c. lib. II. dub. 6. n. 43 sqq.*) et adultera (Lugo *l. c. disp. XIII. n. 9*), excepto quoad adulteram casu incussae vis aut metus gravis, ut supra diximus. Quando autem ambo adulteri restituere tenentur, quaerunt theologi, an ad hoc teneantur in solidum, aut viritim. Et eos teneri in solidum plures dicunt (Lessius *loc. cit. n. 41;* Lugo *loc. cit. disp. XIII. n. 9;* G. B. *I. 731*); at hoc D'Annibale *(II. 280. [8])* dicit sibi difficile, sed forte immerito. Ratio est, quia quamvis influxus alterutrius adulteri non sufficiat ad totum effectum, attamen sine alterutrius cooperatione effectus non fieret, et uterque potuisset totum damnum impedire non praestando suum consensum. Cfr. B. P. *III. 388.*

223 Plures adulteri in dubio quis eorum sit pater, si ex communi consilio adulterium patrant, vel si quis saltem in confuso adverterit, se fore causam dubii, tenentur in solidum ad restitutionem (Lugo *loc. cit. disp. XIX. n. 82;* D'Annibale *II. 234*); secus controvertitur. S. Alph. *III. 658.* Sententia tamen negans nec intrinseca nec extrinseca videtur auctoritate gaudere. Cfr. B. P. *III. 487 sqq.*

224 Filius quoque adulterinus ad restitutionem per se tenetur, quum primum rescivit, se adulterum esse, quasi ex re accepta, veluti possessor bonae fidei; scilicet tunc tenetur res adhuc exstantes in toto vel in parte vel in emolumento putativo patri aut eius heredibus restituere. Quae vero durante ignorantia suae qualitatis adulterini consumpsit, restituere non tenetur; attamen si quae essent, ex quibus factus esset locupletior, ea deberet restituere. Cfr. B. P. *III. 415 sqq.;* D'Ann. *II. 280.*

225 Attamen nota ad hoc, ut restituere debeant, adulteros certos esse debere, adulterinum filium ex suo adulterio fuisse progenitum; filium vero adulterinum se ex adulterio natum. Lessius *loc. cit. lib. II. c. 10. dub. 6. n. 39;* Lugo *loc. cit. disp. XIII. n. 17.* Adultera non tenetur generatim crimen fateri (quod etiam inutile esset, quia alleganti suam turpitudinem, praesertim in praeiudicium alterius, idest, in casu, filii illegitimi, si ageretur de here-

ditate, nulla fides est adhibenda) etiamsi alio modo damnum reparari nequeat; si tamen habeat paraphernalia, ex his debet restituere, dummodo hoc ita fieri possit, ut ex eo nulla iniiciatur criminis suspicio. Lugo *l. c. n. 62;* S. Alph. *III. 653;* B. P. *III. 483 sqq.;* Mülhbauer *Th. Resol. S. C. C. v.* " *Adulterium* „ *n. 2.*

226 Utrum adulteri divites, qui ad brephotrophium prolem mittunt, teneantur ad expensas, desumendum est et ex legibus fundationis. Vid. *Expositi.*

227 **De adulterio quoad divortium** (*remissive*). — Adulterium est sufficiens *causa ad divortium* quoad cohabitationem. Nomen autem adulterii hic sumitur pro qualibet carnis divisione. Eo tamen cognito, coniux innocens per se non tenetur adulterum dimittere. Vid. *Divortium.*

De adulterio quoad matrimonium subsequens (*remissive*). — Adulterium aliquando inducit *impedimentum* criminis quoad matrimonium; de eo vide *Crimen.*

Quoad filios adulterinos relate ad ordines, Vid. *Illegitimitas.*

228 **De poenis in adulteros.** — Poenae in adulteros, quae antiquo iure gravissimae fuerunt (Cfr. *l. 3 ad legem Iuliam de adulteriis et stupro C. [IX. 9]; c. 6. de adulteriis etc. X. [V. 16]; Const.* Sixti V. " *Ad compescendam* „ *30 oct. 1586;* etc.), ob contrariam consuetudinem obsoleverunt, et nunc poena relinquitur arbitrio prudentis iudicis. Santi *in tit. 16. lib. V. Decr. n. 2.* — Iure italico uxor adultera et ille, cum quo ipsa adulterium commisit, puniuntur detentione a tribus ad triginta menses (*C. P. a. 353*); maritus vero, qui concubinam sive in domo coniugali sive notorie alibi detinet, punitur eadem poena, quae in casu secumfert etiam amissionem potestatis maritalis; eius vero concubina punitur detentione, quae usque ad integrum annum extendi potest. *C. P. a. 354.*

Ad probandum autem adulterium 229
non requiruntur probationes directae, sed sufficiunt violentae et vehementes praesumptiones (cfr. *c. 12 de praesumptionibus X. [II. 23]*), non tamen vanae et levis momenti (Cfr. *S. C. C. 27 ian. 1866*); imo ne iurata quidem sufficit confessio mulieris, qua ipsa dicat se ab alio fuisse corruptam, si adulter hoc deneget. *c. 5 de adulteriis etc. X. (V. 16).*

Decr. C. XXXII. q. 4. 5. 6. 7; tit. de adulteriis et stupro X. (V. 16); Conc. Trid. sess. XXIV. cc. 6. 8. de ref. matr.; Const. Sixti V « Ad compescendam » 30 oct. 1586; Const. eiusdem « Volentes » 5 apr. 1587 (poenae statutae in his constitutionibus solummodo pro Statu pontificio locum habuerunt, et postea omnino fuerunt relictae); tit. ad legem Iuliam de adulteriis coercendis D. (XLVIII. 5); ad legem Iuliam de adulteriis etc. C. (IX. 9); Iuristae in tit. citatos; Canonistae in tit. cit. Decretalium; *De Rubeis F.* Tract. de adulteriis; *Schultzen* Disp. de praecepto dec. non moechaberis; *Sharroch* Iudicia (ubi de adulterio); *Urselli* Examen apum concl. 59 per totam; *Lugo* De iust. et iure disp. XIII; *Lessius* De iust. et iure lib. IV. c. 3. dub. 10; *Molina* De iust. et iure tom. IV. tr. 3 disp. 103; *Thesaurus* De poenis ecclesiasticis p. II. v. « Adulterium »; *Ballerini-Palmieri* Opus theol. mor. II. 1014 sqq., III. 482 sqq.; *Noldin* Th. mor. de sexto praecepto etc. n. 18 sqq.; *Pruner* Kath. Moraltheologie I. 563; *Koch* Lehrbuch der Moraltheologie § 47. III. § 158. 3. § 163. d; *Hollweck* Die kirchlichen Strafgesetze § 177; *Hergenröther-Hollweck* Lehrbuch des kath. KR. nn. 295. 752;

Sägmüller Lehrbuch des kath. KR. § 141. 181; *Lega* De iudiciis vol. IV. n. 61.

230 **Advena.** — Advena is est, qui alicubi quasi domicilium fovet. D'Ann. *I. 85.* Quare differt a peregrino (Vid. *Peregrinus*) et ab incola, qui is est, qui alicubi fovet domicilium.

231 **Adventitia.** — Adventitia bona sunt ea, quae filiofamilias obveniunt industria propria, donatione (nisi facta fuerit intuitu patris), vel fortuito; quoad haec proprietas spectat ad filium, usus-fructus ad patrem. Vid. *Bona.*

232 **Advertentia.** — Advertentia ad peccatum mortale requiritur plena, quoad gravem malitiam actus; ad veniale aliqua sufficit. Haec vide sub *Peccatum.*

233 **Advocatus.** — **Quis advocatus.** — Advocatus est ille, qui ab alio rogatus eius causam suscipit in iudicio defendendam. Cfr. *l. 1. § 11. de extraord. cognit. D.* (*L. 13*), unde alia forte potest desumi definitio.

234 **De iuribus et obligationibus advocati.** — Tenetur ex iustitia habere scientiam competentem, causae studere, dilationes damnosas praecavere, breviter eas diligenter, ut suas, patrocinari. Navarr. *Operum tom. I. c. 25 n. 28 sqq.;* Filliuccius *Moralium quaest. tr. XL. c. 10. n. 280. q. 3. 4;* D'Ann. *II. 589.* — In causis civilibus (non vero in criminalibus pro actore) causam etiam minus probabilem (dummodo de minore probabilitate clientem moneat, si probabile sit, quod cliens, hoc cognoscens, non sit litigaturus), non certo iniustam suscipere (B. P. *IV. 597 sqq.*); in criminalibus reum mediis honestis semper defendere potest. Bonacina *d. 10. q. 3. p. 4. n. 7.*

235 Advocatus, qui causae iniustae sciens patrocinatur, debet compensare omnia damna inde consequentia, sive damna provenerint parti contrariae, quia ad eius damnum positive cooperatus est; sive damna provenerint clienti suo, quia ex iustitia, seu ex quasi contractu, tenebatur eum monere de iniustitia causae. At si clientem monuerit frustra, et ipse patrocinium causae, qua cecidit, susceperit, peccavit quidem, sed ad restitutionem non tenetur, quia nullam clienti iniuriam intulit. Lessius *De iust. et iur. lib. 2. c. 31. d. 8.* — Advocatus, qui iniustam causam patrocinandam suscepit, iustam eam reputans, vix ac eius iniustitiam deprehenderit, tenetur clientem monere ut desistat, imo et ipse a defendendo desistere debet; secus postea tenebitur ad restitutionem clienti vel parti contrariae, prout illi aut huic damnum intulerit. B. P. *IV. 605.*

Ius habet ad iustum pretium. S. Th. 236
2. 2. q. 71. a. 4. Iure romano (*l. 53 de pactis D. [II. 14]; l. 15 de procur. C. [II. 13]; l. 5 de postul. C. [II. 6]*) prohibebatur advocatus, ne conveniret de pretio post inchoatam litem, aut pacisceretur de parte aliquota emolumenti. Iure italico (*C. C. a. 1458*) advocatus non potest esse cessionarius litium, rationum et actionum, quae competunt tribunali aut praeturae, in cuius iurisdictione suis functionibus fungitur, sub poena nullitatis, damnorum et expensarum. Ab his tamen dispositionibus excipitur casus, in quo agatur de actionibus hereditariis inter coheredes aut de cessionibus in satisfactionem creditorum aut ad defensionem bonorum possessorum. Praeterea advocati et procuratores nec per se nec

per alium possunt cum suis clientibus ullum pactum statuere, nec cum iisdem contractum ullum inire venditionis, donationis, permutationis aut eiusmodi super iis, quae continentur in causis, ad quas suum patrocinium praestant, sub poena nullitatis, damnorum et expensarum.

237 Tenetur advocatus ex caritate sub levi ad patrocinandum gratis pauperibus communibus; sub gravi vero, si in extrema vel quasi extrema necessitate fuerint. B. P. *IV. 601.*

Peccat advocatus contra iustitiam detegendo parti adversae secreta sui clientis vel eis utendo, si, relicto cliente, adversarium eius suscipiat defendendum. S. Th. *2. 2. q. 71. a. 3. ad 2.* Excipitur quoad hoc casus, quo ageretur de iudicio criminali, et advocatus, relicto accusatore, patrocinium suum reo praestaret. Lugo *l. c. disp. XLI. n. 6.*

238 **An liceat clericis advocatum agere.** — De hac quaestione haec nota. Clerici seculares (nam regulares semper prohibentur, praeterquam in causis, in quibus vertitur utilitas monasterii, de consensu tamen praelati regularis [*c. 2 de postulando X.-I. 37*], et ne in his quidem causis, si agitur de fratribus minoribus S. Francisci [*c. 1 de verborum signific. – V. 11. – in Clem.*]): *a*) in aliquibus causis advocare seu postulare omnes possunt; *b*) in aliquibus omnes prohibentur; *c*) in aliquibus quidam possunt, quidam vero non.

a) Postulare omnes clerici possunt: in causa propria; in causa suae ecclesiae; pro personis coniunctis usque ad quartum gradum consanguinitatis inclusive (iuxta Glossam etiam pro iis, inter quos ius supponit aliquam quasi fraternitatem spiritualem intercedere, ut canonicus pro canonico eiusdem ecclesiae); pro personis miserabilibus.

b) Postulare omnes prohibentur: in causa sanguinis, saltem pro actore contra reum (*c. 9 ne clerici vel monachi etc. X. [III. 50]*); contra ecclesiam vel episcopum proprium (*c. 3 tit. cit. X. [I. 37]; c. 15 de excessibus prael. etc. X. [V. 31]*), nisi clericus ex praecepto superioris hoc faciat, aut agatur de causa propria vel personae coniunctae aut miserabilis, vel postulet pro ecclesia, in qua habet aliud beneficium, vel ecclesia, contra quam postulat, ingrata fuerit in ipsum.

c) Clerici, qui sacerdotes sunt, in nulla causa, illis exceptis, quae omnibus permittuntur, ut diximus, advocare possunt, ne quidem coram tribunali ecclesiastico (*cc. 1. 3. tit. cit. X. [I. 37]*); clerici maiorum ordinum non sacerdotes, vel minorum ordinum sed beneficiati, coram iudice ecclesiastico etiam in causis secularibus advocare possunt; coram iudice laico, extra casus omnibus permissos, tantummodo in ecclesiasticis negotiis (*c. 1. tit. cit. X. [I. 37]*); clerici minorum ordinum non beneficiati extra causam sanguinis advocare possunt etiam in foro laicali. Cfr. Pirhing *in tit. 37. lib. I. Decr. n. 5 sqq.*

Decr. c. 2. C. III. q. 7; cc. 7. 8. dist. 1. de poen.; tit. de postulando X. (I. 37); tit. de postulando D. (III. 3); tit. 6-11 lib. II. in Cod.; Instr. S. C. EE. RR. 11 iun. 1880; Iuristae in titulos cit.; Commentatores Decretal. in tit. cit.; *Durandus* Speculum lib. I. partic. 4; *Bouricius* De officio advocati; *Caccialupi* et *Lancellotti Politi* De officio advocati; *Feyerabend* De honorariis advocatorum; *Husson* De advocatis; *Magonius* De

recta iudicialiter patrocinandi ratione; *Manzius* De advocatis; *Ursellus* Examen apum concl. 60; *Xamer I.* De officio iudicis et advocati; *Lugo* De iustitia et iure disp. 41; *Zech* De iudiciis section. 1. titulo 6; *Ferraris* Prompta bibliotheca verb. « Advocatus »; *Bouix* De iudiciis tom. I. pag. 228; *München* Das kanon. Gerichtsverfahren und Strafrecht lib. I. tit. 4. n. 10; *Sägmüller* Lehrbuch des kath. KR. § 55. 1, 89. 1, 168. 1; *Hergenröther-Hollweck* Lehrbuch des kath. KR. n. 378. 643; *Droste* Kirch. Disciplinar- und Kriminalverfahren etc. § 59 sqq. 102 sqq.; *Péries* La procédure canon. mod. pag. 110 sqq.; *Lega* De iudiciis I. 98 sqq.; *Mühlbauer* Th. res. S. C. C. v. «Advocatus»; *D'Annibale* Summula II. 589; *Ballerini-Palmieri* Opus theol. mor. III. 373, IV. 596 sqq.; *Bucceroni* Theol. mor. II. 32 sqq.

239 **Aedificatio. — De aedificatione ecclesiae.** — Ecclesiam, inconsulto episcopo, aedificare non licet. *c. 10. C. XVIII. q. 2; c. 44. C. XVI. q. 1; c. 14 de privil. X. (V. 33); c. 4. eiusd. tit. (V. 7). in 6°.* Nam, antequam aedificationi manus imponatur, constare episcopo debet de sufficienti dote constituta ad conservationem fabricae et observantiam divini cultus, nec non ad sustentationem ministrorum. *c. 9. dist. 1 de cons.* Ad iudicandum tamen de hac dotis sufficientia non sunt solummodo attendendi fixi reditus, sed etiam eleemosynae, quas fideles probabiliter offerent occasione officiorum divinorum. Cfr. *c. 9. dist. 1 de consecr.* Iudicium de sufficientia dotis episcopo relinquitur. Reiffenstuel *in tit. 48. lib. III. Decr. n. 8.*

Constare praeterea debet, novam ecclesiam probabile praeiudicium alteri ecclesiae iam exsistenti, praesertim parochiae, non allaturam; quare vocandi sunt rectores vicinarum ecclesiarum et alii, si qui sunt, quorum interest. Sed, auditis partibus, iudicium, an nova ecclesia aliis praeiudicium afferat necne, et generatim an sit aedificanda necne, penes episcopum est. Cfr. *c. 1 de novi oper. nunc. X. (V. 32).* Non solum autem hi, sed et alii, si qui ex novae ecclesiae aedificatione se gravatos iri putant, possunt novum opus inceptum aut incipiendum nuntiare, idest contra novam aedificationem reclamare, sive aedificanti ipsi, sive episcopo. In casu autem nunciationis debet opus suspendi, donec, auditis partibus, episcopus iudicaverit. *c. 3. tit. cit. X. (V. 32).* Nuntians habet ex iure tres menses ad probandum suum praeiudicium. *cc. 3. 4. tit. nuper cit.;* Gasparri *de ss. euch. I. 125.*

Consensus episcopi requisitus iuxta 240
doctores potest esse etiam tacitus, ut si ipse videat et non contradicat. Episcopus autem, iustis causis non concurrentibus, non potest denegare veniam aedificandi ecclesiam; secus pateret recursus ad archiepiscopum et ad S. Congregationem. *S. C. C. 16 ian. 1694.* Cfr. Monacell. *Formul. tom. 1. form. 10. n. 3.*

Attamen si novae ecclesiae non con- 241
stituatur dos sufficiens (*cit. can. 9. d. 1 de cons.; c. 8 de consecr. eccl. etc. X. [III. 40]*), aut nova ecclesia futura sit in damnum aliorum (*cc. 1. 2. 4. tit. citat. X. [V. 32];* Gasparri *loc. citato I. 125;* Wernz *Ius Decr. III. 430*), aut aedificatio ecclesiae potius quam ad divinum cultum fiat ad quaestum faciendum (*c. 10. d. 1 de cons.*), episcopus non solum non potest dare licentiam ecclesiam aedificandi, sed tenetur prohibere ne aedificetur; et si forte fuerit aedificata, non debet illam benedicere

aut consecrare. *c. 1. C. I. q. 2; c. 8. tit. cit. X. (III. 40).* Si quando vero episcopus dederit licentiam aedificandi ecclesiam insufficienter dotatam, eamque benedixerit aut consecraverit, debet ipse, in defectu patroni, necessaria praebere ecclesiae pro divino cultu peragendo. Petra *in const. 2ª Pasch. II. t. 1. sect. 1. n. 84. sqq.;* Gasparri *loc. cit.*

242 Praeterea iuxta canones episcopus debet per se vel per delegatum designare locum, crucem figere et primum lapidem ponere. *c. 9. dist. 1 de cons.* Cfr. quoad haec etiam *Instr. S. C. P. F. ad vic. ap. Sin. 18 oct. 1883.* Quoad ritum imponendi primum lapidem, cfr. Pont. Rom. *de impos. prim. lap.* et Baruffaldum *in Rit. Rom. t. 71.*

243 Quaerunt hic doctores, an possit episcopus, concessa licentia aedificandae ecclesiae, aliquas limitationes seu conditiones apponere. Et ante omnia, eum non posse conditiones seu limitationes huiusmodi apponere post aedificatam ecclesiam, satis patet ex responsione S. Congr. Concilii *in Savonensi 28 iul., 8 sept. 1724.* An eas apponere potest in limine fundationis aut dedicationis? Et distinguunt doctores. Nam quaedam sunt, quae videntur iuri communi contrariae, ut quod fideles in nova ecclesia, licet publicá, non satisfaciant praecepto audiendi missam diebus festis. Has apponere non posse valde probabiliter putat Gasparri (*l. c. 126*), certum existimat Wernz *l. c.* Quaedam aliae sunt, quae iuri communi non sunt contrariae, et facultates episcopi non excedunt. Has apponere posse omnes concedunt, ut ex. gr. quod missa in ea ecclesia non celebretur certis diebus et certis horis. Idque eruunt ex responsione S. Congr. Rituum *in Monasterien. 14 iun. 1845 (2893),* quae data quidem est pro oratorio quodam publico, sed extendendam putant etiam ad ecclesiam. Attamen nota, hic non agi de ecclesia cathedrali, collegiata, parochiali aut regulari, nam tunc aliud dicendum esset.

Praeterea quaedam sunt, quae epi- 244
scopus non solum potest non concedere, sed quae nec potest concedere, etiamsi vellet. Sic ne in limine quidem fundationis permissum est episcopo veniam dare, ut ad ecclesiam fundandam sit aditus ex privata domo (cfr. *S. R. C. in Veliterna 19 dec. 1829 [2674]; in Aretina 12 sept. 1840 [2813]*); aut in privata domo seu in ipso palatio episcopali aperiatur fenestra *(coretto),* quae in ecclesiam prospiciat, nisi habeatur privilegium S. Sedis. Cfr. *S. R. C. in Elboren. 19 iun. 1604 (166).* Vid. *Tribuna.*

Nota tandem, ad aedificandam eccle- 245
siam novam in loco exempto et separato a dioecesi, necessariam esse veniam summi Pontificis. *c. 4. de privil. (V. 7) in 6°; Const.* Leonis XIII. " Romanos Pontifices „ *8 maii 1881.* Sed si locus sit exemptus, sed non separatus a dioecesi, venia episcopi expetenda est. Quare regulares quoque exempti ad fabricandam novam ecclesiam publicam, etsi sit adiungenda monasterio exempto iam exsistenti, indigent venia ordinarii loci. Wernz *l. c. n. 430.*

tit. de ecclesiis aedificandis vel repar. X. (III. 48); tit. de novi operis nunciatione X. (V. 32); Commentatores in tit. citatos; *Thomassin* Vetus et nova ecclesiae discipl. p. I. lib. 2. c. 92 sqq., p. II. lib. 3. c. 95.

sqq.; *Carrach* De iure condendi cappellas; *Van de Burgt* De ecclesiis 2 vol.; *Scherer* Handb. des KR. § 140. IV.; *Wernz* Ius Decr. III. 430 sqq.; *Ferraris* Prompta biblioth. v. « Ecclesia »; *Gasparri* De euch. I. 125 sqq.; *Kreuser* Der christliche Kirchenbau; *Schüch* Handbuch der Pastoraltheologie § 189 sqq.

246 **De aedificatione quatenus dicit unum ex modis accessionis.** (1) — Aedificatio est etiam *unus ex modis, quibus fit accessio,* seu rei ad rem unio aut adhaesio; ac proinde unus est ex modis acquirendi dominium alicuius rei. Vid. *Accessio.*

Aedificatione autem fit unio ad immobile, et tunc habetur, quum ex aliena materia in solo tuo, aut ex tua materia in solo alieno aedificatum est. In hoc autem tamquam generale principium statuitur in iure: " Omne, quod inaedificatur, solo cedit „. Inst. Iust. *de rerum divisione § 29. (II. 1).* Soli autem nomine murus quoque aut aedificium venit. *l. 28 de acquir. rerum dom. D. (XLI. 1); l. un. de tigno iuncto D. (XLVII. 3).* Hoc autem generale principium ex generaliori procedit principio, accessorium nempe regulariter vi solius accessionis cedere principali (Vid. *Accessio*); principale autem ea res est, quae per se consistere potest, seu in casu solum aut aedificium. Vinnius *lib. 2. tit. 1. ad § 29 de rerum divis.*

247 Porro quoad aedificationem duplex est casus distinguendus, ut innuimus; quando nempe quis ex aliena materia in solo suo, quando ex materia sua in solo alieno aedificat.

Et si quis ex aliena materia inaedificat solo suo, is fit dominus aedificii. Inst. Iust. *loc. sup. cit.; l. 7. tit. cit.; D. (XLI. 1).* Attamen, quamvis ille, qui tignum alienum iunxerit aedificio suo, non permitteretur eximi, ne ex hoc praetextu diruerentur aedificia aut publicus deformaretur adspectus urbis aut vinearum cultura perturbaretur, dabatur iure romano domino tigni seu materiae actio contra dominum aedificii. Videlicet actio in duplum aestimationis materiae, si ille qui alienum tignum iunxerat, bona fide egerat, quo duplo soluto, tignum vindicari non poterat a suo domino; quod si mala fide egerat, tunc non solum duplum aestimatione solvebat, sed praeterea poterat dominus tigni vindicare sibi tignum, aut si tignum iunctum maneret, eius aestimationem, ita ut ille qui iunxerat, praeter duplum solvere teneretur pretium tigni. Voet *lib. 47. tit. 3. n. 1.* Uterque tamen, nempe et qui bona et qui mala fide tignum alienum aedificio suo iunxerat, poterat se liberare a dupli obligatione, eximendo et restituendo tignum non deterioratum, nisi exemptio haec et translatio verteret contra publicam utilitatem. Voet *l. c. n. 2.* Nota autem, in vineis tigni appellatione omnia vineis necessaria contineri, ut puta perticas, pedamenta. *l. 1. § 1. de tigno iuncto D. (XLVII. 3).*

Recentioribus legibus haec sunt tan- 248
tisper immutata. Nempe iure italico (*C. C. a. 449*) dominus soli, qui aliena materia constructiones, plantationes, aut opera fecit, debet alienae materiae pretium solvere. Tenetur praeterea, si mala fide aut culpa gravi id egit, damna resarcire; attamen dominus materiae non habet ius eam auferendi, eo casu excepto, quo id fieri possit, quin constru-

(1) Bibliographiam vide sub *Accessio.*

ctum opus destruatur, aut pereat plantatio. Eadem fere habet Codex Gallicus (*a. 554*), qui tamen nullam ad damni reparationem mentionem facit malae fidei aut culpae gravis.

249 Quando autem quis ex materia propria inaedificat solo alieno, patet iam ex principio superius posito, aedificium cedere domino soli. Inst. Iust. *loc. cit. § 30.* Sed quaerendum nobis est quid statutum sit quoad impensas pro constructione et quoad materias aedificii. Et iure romano ille, qui mala fide in solo alieno ex materia sua aedificavit, amittit proprietatem materiae, quam ne diruto quidem aedificio vindicare potest. Inst. Iust. *loc. nuper cit.; l. 53 de diversis reg. iur. ant. D. (L. 17).* Attamen nota quod, si quaepiam habeatur probabilis coniectura, aliquem scientem quidem, non tamen donare volentem aedificasse, tunc materiam, aedificio diruto, vindicare non prohibetur. *l. 2. de rei vindicat. C. (III. 32); l. 37 de rei vindicat. D. (VI. 1); l. 55. § 1. locati et conducti D. (XIX. 2);* B. P. *III. 114.* Si vero id egerit bona fide, tunc si ipse, quamvis non sit dominus, sit tamen possessor fundi, debet aedificium cedere domino fundi, si ipse velit illud habere suum, dummodo is solvat pretium materiae et mercedes fabrorum; id autem eum praestare nolentem, et volentem simul aedificium habere suum, repellere potest exceptione doli mali, quod nempe contra naturalem aequitatem postulet cum alieno damno et iniuria fieri locupletior. *l. 38 de rei vindicat. D. (VI. 1);* B. P. *III. 115.* At si ipse non solum dominus, sed ne possessor quidem est fundi, nulla ei datur actio in iure, qua possit reintegrari in pretio materiae et in sumptibus a se factis; ex aequitate tantum posset id consequi a iudice. B. P. *loc. nuper cit.*

Iure italico, quum plantationes, con- 250
structiones aut opera facta sunt a tertio cum materia sua, dominus fundi ius habet, tum ea retinendi, tum obligandi eum, qui ea fecit ad tollendum opus. Si dominus fundi voluerit plantationes aut constructiones tolli, id fiet impensis eius, qui ea fecit, quin is ullo modo fiat indemnis, imo poterit is damnari ad refectionem damnorum, quae dominus fundi forte tulerit. Si vero dominus fundi mavult plantationes aut constructiones retinere, debet refundere, prout maluerit, pretium materiae et pretium ipsius operis, vel quanti fundus nunc ex eo pretiosior est. Attamen dominus fundi non potest exigere, ut tollantur plantationes, constructiones et opera facta a tertio, a quo res fuerit evicta, si ad restitutionem fructuum propter bonam fidem non fuerit damnatus; sed debet eorum pretium refundere altero ex modis supradictis. *C. C. a. 450; C. G. a. 555. § ult.* Si quis vero in construendo aedificio bona fide occupaverit partem fundi adiacentis, et constructio facta fuerit, sciente et non contradicente vicino, aedificium et solum, quod occupatum est, poterunt declarari in proprietate esse constructoris, qui tamen tenebitur domino soli refundere duplum aestimationis superficiei occupatae praeter refectionem damnorum. *C. C. a. 452.*

Potest etiam contingere, quod ali- 251
quis in alieno fundo ex aliena materia aedificaverit. Tunc, iure italico, domino materiae non est ius eam vindicandi,

sed exigere potest ut indemnis fiat sive ab illo, qui ea materia usus est, sive etiam a domino soli, sed solum ex pretio, quod hic adhuc debeat. *C. C. a. 451.*

252 **Aequiprobabilismus.** — Aequiprobabilismus statuit, non licere opinionem minus tutam sequi, nisi sit aeque vel fere aeque probabilis ac opposita. Seu melius, standum esse legi, quando quis iudicat legem ipsam probabilius exsistere, quam non exsistere. Non est sola recta agendi norma, quum et probabilismus sit huiusmodi.

253 **Aequivocatio.** — Aequivocatio, quae et amphibologia dicitur, est locutio duplicem sensum praeferens, alterum magis obvium, litteralem alterum. Salmanticenses *Th. mor. tr. XVII. 1. 105.* Licet aliquando ea uti ex iusta causa, etsi non gravi (S. Alph. *III. 151*); gravior causa requiritur, si ei adiungatur iuramentum. B. P. *II. 563 sqq.*

Amphibologia humano modo non perceptibilis non amphibologia, sed mendacium, dicenda est.

Ut planum est, non licet aequivocatione uti, quum non licet exhibere alteri occasionem deceptionis: quum nimirum auditores in aliquod grave incommodum, absque proportionata causa, inducerentur; quando ratione officii tenemur alios instruere (D'Annibale *II. 296*); quando contractus onerosos celebramus (*l. 43. § 2 de contrah. empt. D. [XVIII. 1.]*); quando iudici vel praelato legitime interroganti iubemur respondere. Lugo *De fide d. 4. n. 67;* S. Th. *2. 2. q. 69. a. 1;* S. Alph. *III. 154.*

Quoad aequivocationem prae oculis habendae sunt sequentes propositiones ab Innocentio XI. per decretum S. U. I. *2 mart. 1679* damnatae:

" 26. Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine iuret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est periurus „.

" 27. Causa iusta utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium veritatis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa „. Cfr. etiam propositionem eod. decr. damnatam 28. — Vid. *Restrictio mentalis.*

Aetas [1]. — **De aetate quoad leges.** — 254 Legi naturali homo quilibet saltem in actu primo semper subiicitur (Bonacina *De legib. disp. 1. q. 1. punct. 6. n. 5;* Salmanticens. *De legib. cap. 3. n. 49;* B. P. *I. 339;* Bucc. *I. 193*); ecclesiasticae ex consuetudine ille tantum, qui usum habet rationis et septennium explevit. B. P. *I. 338.*

De aetate quoad ieiunium. — Pro *ieiunio* requiritur, vigesimus primus aetatis annus expletus. Sanchez *De matr. lib. II. disp. XXIV. n. 23;* S. Alph. *III. 1031.* 255

De aetate quoad tonsuram et ordines. — Pro *tonsura et ordinibus minoribus* nulla est aetas in iure praefinita, sed 256

[1] Bibliographiam circa ea, quae sub numeris 254-260 innuuntur, quaere suis locis, scilicet sub Lex, Ieiunium etc.

promovendi debent recepisse sacram. confirmationis. Ad *subdiaconatum* vero requiritur annus 21, ad *diaconatum* 22, ad *presbyteratum* 24 expletus. Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 12 de ref.* Quoad hoc nota, in facultatibus quinquennalibus, quae episcopis conceduntur a S. Congr. de Prop. Fide, contineri etiam facultatem dispensandi super defectu aetatis unius anni ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad sacerdotium, si alias idonei fuerint. *Facult. quinquenn. form. 3. n. 13.* Haec facultas extenditur etiam ad regulares. *S. U. I. 29 ian. 1896.*

257 **De aetate quoad beneficia seu officia ecclesiastica.** — Ad *obtinendum beneficium ecclesiasticum* requiritur saltem annus decimusquartus inchoatus (Concil. Tridentin. *sess. XXIII. cap. 6. de ref.*; cfr. *c. 3 de aetate et qualit. praeficiend. X. [I. 14]*); attamen etiam in minori aetate constituto dispensatio conceditur ad hoc ut beneficium recipere possit. Cfr. *S. C. C. in Lucana 17 maii 1749; in Monasterien. 1 iul. 1753; in Beneventana 11 ian. 1783; in Sutrina 10. 20 ian. 1846: in Urbeventana 2 mart. 7 dec. 1861, 9 aug. 1862; in una Montis Falisci 26 sept. 1857.* Verum si in fundatione beneficii fundator expresse statuerit, ut sufficeret quod praesentatus, etsi minor aetate quatuordecim annorum, initiatus esset primae tonsurae, tunc non requiritur aetas a Tridentino statuta, sed sufficit septennium. Cfr. Mühlbauer *Th. res. S. C. C. v. " Aetas „ n. 2.* Pro omnibus autem officiis, quibus cura animarum sive interni sive externi fori adnexa est (ut vicarii generalis, parochi etc.), requiritur annus aetatis vigesimus quintus inceptus. Concil. Trid. *sess. XXIV. c. 12 de ref. cum declarat. S. C. C.* (ed. Richter) *n. 12.* Vid. *Beneficium.*

Ad *Canonicatus,* Vid. *Canonicus.*

Ad *Dignitates* vero et *Personatus* (saltem ecclesiae cathedralis, cfr. Mühlbauer *loc. cit. n. 10*), quibus non est adnexa cura animarum (vel, etsi adnexa sit cura animarum, ea tamen non principaliter ipsis subest, sed solum accessorie est ipsis unita, *S. C. C. apud Mühlbauer l. c. n. 3. III*) requiruntur 22. anni completi (Conc. Trid. *loc. cit.*); et a defectu istius aetatis episcopus dispensare non potest. *S. C. C. 20 sept. 1631.*

Pro *praelaturis quasi episcopali iurisdictione gaudentibus,* ut pro generalatu, provincialatu, abbatiatu ceterisque similibus dignitatibus, aetas requisita secundum quosdam est triginta annorum completorum (Ferraris *Prompta bibl. v. " Aetas „ nn. 26. 27;* Mühlbauer *loc. cit. n. 23.*); alii tamen putant sufficere aetatem vigintiquinque annorum inchoatorum. Gonzales *in § 2. c. 7. tit. 6. lib. I. Decr. n. 10.* Vid. *Abbas.*

Pro *episcopatu* requiritur annus tricesimus completus. *c. 7. de elect. etc. X. (I. 6).*

Pro *Cardinalatu* iuxta Tridentinum *sess. XXIV. c. 1. de ref.,* requirebatur annus tricesimus completus; Sixtus V. const. " Postquam verus ille „ *non. nov. a. 1586,* statuit, eam aetatem sufficere, quae presbyteratui vel diaconatui infra annum suscipiendo sit congrua.

Pro *Romano Pontificatu* nulla aetas est praescripta (*c. 6. de elect. etc. X. [I. 6.]*), sed decet, eum, qui in Romanum Pontificem assumitur, habere saltem aetatem, quae in quovis episcopo

requiritur. Schmalzgrueber *in tit. 14. lib. I. Decr. n. 1;* Wernz *Ius Decr. II. 295.*

258 Circa aetatem quoad ordines et officia ecclesiastica *dispensat* tantum Summus Pontifex, qui dispensationem concedit per Sacram Congregationem Concilii aut Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium. Cfr. *resp. S. C. EE. RR. in Cesenaten. 15 mart. 1844* (Bizzarri *Collect. p. 495*); Wernz *l. c. n. 296.*

259 **De aetate quoad novitiatum et seminarium.** — Aetas *pro admittendis novitiis* iure communi non est statuta. Plura vide sub *Novitiatus.* — In seminariis alumni (non convictores, *S. C. C. 10 iun. 1876*), qui duodecimum aetatis annum non attigerint, non sunt admittendi ex Trid. *sess. XXIII. c. 18 de ref.* Vid. *Seminarium.*

260 **De aetate quoad patrinos.** — Aetas requisita et sufficiens *pro patrinis* tum in baptismo tum in confirmatione est septennium, quamvis optandum sit eos esse puberes. Vid. *Confirmatio.*

261 **De aetate quoad matrimonium.** — Ad *validum matrimonium* ex iure ecclesiastico in muliere duodecimus (*cc. 6. 14 de desp. impub. X. [IV. 2]*), in viro decimus quartus aetatis annus requiritur (*c. 10. 11. tit. cit. X. [IV. 2]*), nisi malitia (*c. 9. tit. nuper cit.*), aut prudentia (*c. 14 eiusd. tit.*) suppleat aetatem: idest, nisi quis ante aetatem iuridicae, ut ita dicam, pubertatis non solum intelligat id, quod agit, sed etiam ex habitu corporis pubertatem ostendat (*c. 3. tit. cit. X. [IV. 2];* cfr. respons. S. U. I. *2 maii 1866*), de qua re requiritur et sufficit declaratio episcopi. *Const.* Ben. XIV. " Magnae nobis „ *29 iun. 1748.* Cfr. etiam *S. C. C. 16 aug. 1902.* Quare ad validum matrimonium ineundum requiritur et quod contrahentes habeant sufficientem mentis discretionem, qua capaces sint humano modo in matrimonium consentire, et quod pervenerint ad aetatem iuridicam. — Primum requisitum non est de iure ecclesiastico, sed de ipso iure naturae; alterum de iure ecclesiastico est, et proprie constituit impedimentum aetatis.

Notandum autem est, non solum re- 262
quiri annum iam praenotatum, sed requiri etiam ipsum fuisse expletum (*c. 6. tit. cit. X. [IV. 2]*), et quidem ita, ut, etiamsi parum desit, matrimonium sit nullum. Gasparri *de matr. I. 549.*

Hac occasione quaesiverunt docto- 263
res, utrum sufficeret, ultimam anni diem esse inchoatam tantum, necnon utrum prima aetatis dies haberi debeat pro die integra, etiamsi quis natus sit ex. gr. sub vesperam. Et quoad hoc ultimum affirmant primam diem pro integra reputari (Gasparri *loc. cit.*); quoad alterum varias protulerunt sententias. Sanchez (*de matrim. lib. VII. disp. 104. n. 2*), Schmalzgrueber (*in tit. 2. lib. IV. Decr. n. 60*), aliique putant sufficere, quod ultima dies fuerit inchoata; Reiffenstuel (*in eumdem tit. n. 13*), Feije (*de imp. et disp. matr. n. 532*), aliique putant debere esse expletam. Placet autem illud, quod circa hoc animadvertit Gasparri *loc. cit.:* nempe, si agatur de matrimonio ineundo numquam permittendum esse, nisi completa quoque ultima die; si agatur de matrimonio inito favendum matrimonio, donec, ut patet, quaestio a S. Sede in contrarium sensum forte definiatur.

264 Patet autem, annos, qui requiruntur, computandos esse iuxta ordinariam anni computationem, idest esse annos solares; quare, sicubi aetas numeratur ab annis lunaribus, ut in Sinis, non sufficeret annus 14us vel 12us sumptus in computatione inibi usitata. *S. U. I. 7 maii 1890.*

265 Quaerunt autem hic doctores, quid iuris si impuberes matrimonium attentaverint. Et ius ecclesiasticum huiusmodi matrimonium considerat tamquam sponsalia, producens perinde impedimentum quoque publicae honestatis. *c. 14. tit. cit. X. (IV. 2); c. un. eiusd. tit. (IV. 2) in 6°;* Reiffenstuel *loc. cit. n. 18;* Schmalzgrueber *loc. cit. n. 61;* Gasparri *loc. cit. I. 558.*

266 Ex dictis patet, matrimonium contractum ab iis, qui pubertatem de facto nondum sunt adepti, attamen praetergressi sunt aetatem iuridicam, validum esse, nisi aliud obstet canonicum impedimentum. Ratio est, quia de iure naturae ad matrimonium non requiritur pubertas, aetas vero iure ecclesiastico requisita adest. B. P. *VI. 781;* Gasparri *loc. cit. I. 548.* Dicunt autem doctores, hos coniuges exspectare debere usque ad completam pubertatis assecutionem, idest usque ad 18um annum in viro, et 14um in femina; tunc autem si vir commisceri rite non possit, idest et coire et seminare, et mulier instet pro dissolvendo coniugio, matrimonium dissolvi posse ex capite impotentiae. B. P. *l. c.*

267 Iuverit hic apponere recens decretum S. Congr. Inquisitionis, quo resolvuntur quaedam dubia practici valoris quoad hoc impedimentum aetatis. — Dubia igitur proposita fuerunt " 1° An quando ignoratur aetas iuvenculae, quae matrimonium inire cupit, possit et debeat parochus vel missionarius confidere illius exterioribus signis, praesertim quoad conformationem pectoris etc.? — 2° In casu vero, quo praedicta pubertatis signa deficiant, et aetas ignoratur, matrimonium iam initum considerarine potest et debet ut invalidum, aut ad minus uti dubium? „ — Quibus S. Congregatio respondit: " Ad 1um. Affirmative, et ad mentem. — Mens est, quod missionarii puellas, de quibus in casu, ad matrimonium non admittant, nisi postquam ordinarius vel vicarius apostolicus ex prudenti iudicio compertum habeat, eas nubiles exsistere, ac proinde malitiam in illis aetatem supplere declaret. — Ad 2um, ut proponitur, negative; ideoque, si aliquis huius generis matrimonii casus missionariis occurrerit, illud nullum nequaquam declaretur, nisi prius a vicario apostolico confecto processu, indubiis probationibus puellam, de qua agitatur quaestio, ante duodecimum aetatis suae annum iugali vinculo fuisse sociatam, et in ea, tempore quo nuptui data fuit, revera malitiam non supplevisse aetatem, certo constet. Aut si de matrimonio ageretur, quod a puella, antequam christianae religioni nomen daret, fuit celebratum, nullum non pronuncietur, nisi prius missionarii, iisdem supranotatis probationibus, certiores fiant, puellam, dum huiusmodi nuptias contraxit, non fuisse doli capacem. — Et detur decretum de die 10 decembris 1885 relatum in collectanea S. Congregationis de Propag. Fide sub n. 1383 „. *S. U. I. 18 mart. 1903.*

268 *Impedimentum aetatis,* quum solo iure ecclesiastico vigeat, *dispensationem admittit* ab auctoritate ecclesiastica. Dispensandi autem ab eo ius est exclusivum Romani Pontificis. *Constit. cit.* Ben. XIV. *29 iun. 1748.* Quare non est admittenda sententia Reiffenstuel (*loc. cit. n. 11*) et quorumdam aliorum dicentium, satis probabiliter etiam episcopum ex causa urgentissima, praesertim publica, ab hoc impedimento dispensare posse, cui sententiae videtur accedere Ballerini-Palmieri *VI. 778.* Attamen illis, quibus dispensatio conceditur ad celebrandum matrimonium ante legitimam aetatem, non permittitur cohabitare antequam ad pubertatem pervenerint; magnum enim esset periculum, ne contra castitatem multis modis peccarent. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 50; S. U. I. 2 maii 1866.*

269 Impedimentum hoc aetatis, quum sit tantum iuris ecclesiastici, non afficit infideles seu non baptizatos. Quare non solum validum est matrimonium duorum infidelium impuberum, nisi desit ipsis discretio debita (cfr. *S. U. I. ad Vic. Ap. Pondicherien. 17 apr. 1839*), aut aliud intercedat impedimentum iuris naturalis aut divini (*S. U. I. 10 dec. 1885, 5 august. 1886*); sed validum quoque est matrimonium fidelis puberis cum infideli impubere (supposita dispensatione ab impedimento disparitatis cultus, et ab aliis impedimentis, si quae forte adsint), nisi pars infidelis ratione impubertatis a civili lege inhabilis ad contrahendum effecta fuerit. Feije *De imp. et disp. matr. n. 531.* — Nota tandem impedimentum hoc ab ecclesia desumptum fuisse ex iure romano *l. 14 de sponsalibus D. (XXIII. 1).*

Iure italico (quod profecto in casu 270
nullam vim habet in conscientia) non potest valide inire matrimonium vir ante decimumoctavum, mulier ante decimumquintum aetatis annum expletum. *C. C. a. 55.* Praeterea filius, qui vicesimumquintum, filia, quae vicesimumprimum aetatis annum non expleverint, non possunt contrahere matrimonium absque consensu patris vel matris. Si genitores dissentiant, sufficit consensus patris. Si alteruter ex genitoribus mortuus fuerit aut voluntatem suam manifestare non possit, sufficit consensus alterius. Matrimonio autem filii adoptivi, qui vicesimumprimum aetatis annum non expleverit, necessarius est praeter consensum parentum, consensus etiam adoptantis. *C. C. a. 63.* Si uterque parens mortuus fuerit aut impeditus, quominus voluntatem suam manifestet, illi, qui vicesimumprimum aetatis annum non sunt praetergressi, indigent consensu avorum aut consilii familiae pro variis casibus. *C. C. a. 64. 65.* Rex, gravibus concurrentibus causis, potest dispensare super aetate contrahentium et admittere ad matrimonium virum, qui quatuordecim, mulierem, quae duodecim annos expleverint. *C. C. a. 68.*

Quoad aetatem requisitam pro valore sponsalium, et quoad sponsalia impuberum. Vid. *Sponsalia.*

tit. de desponsat. impub. X. (IV. 2); idem titulus (IV. 2) in 6°; Const. Ben. XIV. « Magnae nobis » ad episcopos Poloniae 29 iun. 1748; Const. eiusd. Pont. « Paucis abhinc » ad arch. Goanum 19 mart. 1758; Instr. S. U. I. 20 iun. 1883 ad patriarchas etc. rituum orient. in causis matr. adhibenda; Instr. S. C. de Propag. Fide de iudiciis eccl. circa causas matr. a 1883;

Commentatores iur. decr. in tit. cit.; Inst. Iust. de nuptiis (I. 10); l. 4 de ritu nuptiar. D. (XXIII. 2); l. 24 de nuptiis C. (V. 4); l. 3 quando tutores etc. C. (V. 60); *Sanchez* De matr. lib. VII. disp. 104; *Mansella* De imp. matr. dirim. p. I. c. 2. a. 1; *Giovine* De dispensat. matr. I. § 210 seqq.; *Scherer* Handbuch des KR. § 115 VIII sqq.; *Freisen* Geschichte des can. Eherechts etc. § 29; *von Hörmann* Die Desponsatio impuberum; *Eschbach* Disp. physiol. theol. disp. I. c. 7. a. 2; *Antonelli* Med. past. II. 343 sqq.; *Wernz* Ius decr. IV. 309 seqq.; *Gasparri* Tract. can. de matr. I. 544; *Rosset* De sacr. matr. III. 1494 sqq.; *Esmein* Le mariage en droit can. I. p. 2. tit. 2. c. 1. sect. 1. 1; *Ballerini-Palmieri* Opus. theol. mor. IV. 777 sqq.; *Kreutzwald* in Kirchenlexicon art. « Alter » n. 3; *Leitner* Lehrbuch des kath. Eherechts § 18 B; *Sägmüller* Lehrbuch des kath. KR. § 134; *Hergenröther-Hollweck* Lehrbuch des kath. KR. n. 927 sqq.; *Ricci* Corso teor. prat. di diritto civile I. 1. 198.

271 **De aetate relate ad dispensationem ab aliis impedimentis matrimonialibus.** — Aetas feminae superadulta una est ex causis canonicis *pro dispensandis impedimentis matrimonialibus*. Tunc autem verificatur, quum femina annum 24um aetatis iam egressa hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit. Quare haec causa non suffragatur viduae, quae ad alias nuptias convolare cupiat; hinc vidua deberet aliam afferre causam pro dispensatione, quamvis et haec eam ad dispensationem iuvaret. *Instr. S. C. P. F. 9 maii 1877*. Haec causa allegari potest pro puella, etsi virum, cui nuberet, non quaesierit, nec adhibuerit in inveniendo diligentiam, et etiamsi invenire posset; dummodo reapse non invenerit. Quare si de facto invenit aliquem paris conditionis, cui nubere ipsa noluerit, vel quia tunc nubere omnino nolebat, vel quia nolebat nubere illi, quem invenerat, hoc ipsum in petitione dispensationis esset exprimendum. Verum hoc non requiritur ad validitatem dispensationis. Nam S. Poenitentiaria interrogata a Curia Tropiensi *21 mart. 1902*. " An in verificatione causae supra memoratae (scilicet aetatis) sciscitari etiam et probari oporteat mulierem superadultam usque ad illam aetatem virum paris conditionis, cui nubere posset, non invenisse, et ad dispensationis validitatem? „ respondit *5 apr. 1902:* " Satis esse, quod certo constet de aetate superadulta „.

Haec dispensandi causa gravis est, et gravior evadit, crescente aetate feminae, nec non ex variis locorum et personarum adiunctis.

In gradibus consanguinitatis aut affinitatis haec causa sola certe sufficit pro remotioribus; quoad alios gradus non omnes doctores concordant; sed valde probabilis est sententia affirmantium. B. P. *VI. 934;* Feije *De imp. et disp. matr. n. 665.*

Pyrrhus Corradus Praxis dispensationum apostolicarum lib. VII. c. 2. n. 82 sqq.; *De Iustis* Tract. de dispensationibus matrimonialibus lib. III. c. 8; *Giovine* De dispensat. matrim. I. § 212. II. § 91; *Zitelli* De disp. matrimonialibus cap. 3; *Scherer* Handbuch des KR. § 133 v.; *Leitner* Lehrbuch des kath. Eherechts § 51. III; *Sägmüller* Lehrbuch des kath. KR. § 149. 3.; *Hergenröther-Hollweck* Lehrbuch des kath. KR. n. 968; *Wernz* Ius Decr. IV. 629; *Feije* De imp. et disp. matr. n. 664 sqq.; *Brillaud* Traité pratique des empêchements et des dispenses de mariage n. 121 sqq.; *Gasparri* Tract. can. de matr. I. 357; Monitore ecclesiastico vol. XIII. pag. 220.

Affectio. — Affectio relate ad bene- 272
ficium tunc habetur, quum Papa alicui

beneficio manum apponit in ordine ad collationem pro ea tantum vice faciendam, sicut quum beneficium alicui in commendam concedit, vel acceptat resignationem beneficii in suas manus factam, etc. Tunc enim beneficium hoc sensu manet affectum, quod uni Romano Pontifici reservata est eius collatio pro ea vice, vel mortuo commendatario, etc. Si Papa manus alicui beneficio apponeret ad alium finem, quam ad conferendum, ut e. gr. ad imponendam pensionem, beneficium non maneret affectum. Similiter non esset affectum beneficium, de quo Papa disponeret, ex errore putans esse sibi reservatum. Schmalzgrueber *in tit. 5. lib. III. Decr. n. 210 sqq.;* Wernz *Ius Decret. II. 333. IV.;* cfr. Conc. Trid. *sess. XXI. c. 5. de ref., sess. XXIV. c. 15. de ref.*

Notandum autem est, maioris esse efficaciae affectionem, quam simplicem reservationem. Affectio enim ligat ignorantes quoque, et irritat actus in contrarium gestos, etiamsi non fuerit additum decretum irritans; quae duo in reservatione non verificantur. *c. 20 de praebendis etc. (III. 4) in 6°;* Schmalzgrueber *loc. cit. n. 215 sqq.;* Riganti *in reg. 2. Cancell. § 1. 77.*

Praeterea advertendum est, beneficia iurispatronatus laicalis, quod fundatione, aedificatione aut dotatione acquisitum fuerit, non subiici affectioni (Reiffenstuel *in tit. 5. lib. III. decr. n. 395;* Riganti *in reg. 1. Cancell., num. 106*); contrarium tamen esse de beneficiis iurispatronatus ecclesiastici. *S. C. C. 17. dec. 1898;* Reiffenstuel *in tit. 38. lib. III. Decr. n. 63.*

Contra legem affectionum, sicut et reservationum, non datur consuetudo, ne immemorabilis quidem, quum talis consuetudo in iure declarata fuerit corruptela. Riganti *in prooem. ad reg. Cancell. n. 37., in reg. 2. Cancell. § 2. n. 114.* Vid. *Iuspatronatus, Reservatio beneficii.*

tit. de praebendis et dignitatibus (III. 4) in 6°; tit. de praebendis et dignitatibus (III. 2) in Xvag. comm.; Commentatores in tit. 5. lib. III Decr.; *Garcia* De beneficiis p. V. c. 1. § 2; *Leurenius* Forum beneficiale p. II. q. 523 sqq.; *Lotterius* De re beneficiaria l. II. q. 26. n. 28 seqq. et alias; *Riganti* Comm. in regulas, constitutiones et ordinationes Cancellariae Apostolicae, comm. in rubricam reg. 1. Canc. § 1. n. 71 sqq. et alias; *Wernz* Ius Decr. II. 333. IV.

Affiliatio. — In aliquibus ordinibus 273
regularium viget affiliatio. Circa eam haec habe ex Ferraris *Prompta bibliotheca v.* " *Affiliatio religiosorum* " *n. 1 sqq.:* " Affiliatio religiosorum, solet frequenter fieri, quum saepe saepius reperiantur religiosi, qui, iustis de causis, eorum superioribus benevisis, affiliantur conventibus seu monasteriis aut provinciis diversis ab illis, in quibus professionem emiserunt: quae professio operatur veram religiosam filiationem. Ad hoc ut huiusmodi affiliatio sit valida, tria concurrere debent, scilicet licentia superioris, consensus religiosorum illius conventus, cuius erat filius, et similis consensus religiosorum alterius conventus, in quo fit affiliatio „. Cfr. *S. C. EE. RR. in Alatrina seu Ordinis Carthus. 5 sept. 1884.* A duabus ultimis conditionibus haud semel dispensatum est. Cfr. *S. C. EE. RR. 24 apr. 1705, 20 ian. 1719.*

Affinitas. — **De ipsa affinitate.** — 274
De natura affinitatis. — Affinitas est

propinquitas, quam quis ex copula carnali, tum licita tum illicita (*S. U. I. 3 mart. 1825; S. C. P. F. 26 aug. 1852*), contrahit cum consanguineis alterius. B. P. *VI. 784.* Quare ad contrahendam stricte dictam affinitatem necesse omnino est dari copulam; attamen notandum, affinitatem non exsurgere inter eos, qui commiscentur, sed, mediantibus his, cum aliis, idest in alterutro ex eis, qui copulam habent, cum alterutrius consanguineis. At copula debet esse perfecta, nempe talis, qua vir et femina fiunt una caro (*c. 3. C. XXXV. q. 5*); quare non contrahitur affinitas neque ex copula tantum inchoata, neque ex copula vere habita, sed in qua vir non seminavit. B. P. *VI. 783.* Seminante viro, necessarium non est et feminam seminare: attamen an necessarium sit feminam habere ovaria et uterum, dubitari potest. Quaestio ad hoc tandem reducitur, quid voluerint iura, quando dixerunt affinitatem ex eo exsurgere, quod vir et femina fiant una caro. Nam, si secundum iura ad hoc ut duo una caro fiant, necesse est, ut tum vir tum mulier dent, quae naturaliter dare debent ad generationem, idest sperma et ovum, tunc mulier, quae cum viro coiret, sed utero aut ovariis careret, non fieret cum eo una caro, et proinde inter ipsos et consanguineos eorum nulla exsurgeret affinitas. Si autem secundum iura vir et mulier fiunt una caro per hoc tantum, quod vir seminat intra vas mulieris, ipsaque viri semen recipit, fecundaturum eam, si ovum inveniat, tunc oriretur affinitas etiam per copulam habitam cum muliere carente ovario et utero. Haec enim carentia constitueret in hypothesi sterilitatem, non impotentiam. In praxi, quum hoc dubium sit, et ferveat nunc quaestio inter doctores quoad hoc (Vid. *Actus coniugalis, Impotentia*), videtur mihi ex copula cum muliere carente ovario vel utero (idem dicendum, de copula cum impubere, quia haec nondum habet ova, quae fecundari possint), etsi vir intra vas seminaverit, impedimentum affinitatis non exsurgere, seu potius esse impedimentum dubium ac proinde nullius effectus. Idem ex eadem ratione mihi videtur dicendum de copula, quae ita habita esset, ut vir ad ostium vaginae effuderit semen, quin introduxerit penem, etsi ex hoc secuta fuerit generatio. Attamen nota, quod in foro externo quandocumque copula habita est, vel secuta est generatio, praesumitur copulam fuisse perfectam. Et haec praesumptio procedit etiam in foro interno, quandocumque contrarium non constet. Patet autem, quod, quum affinitas sit aliquid naturaliter exsurgens ex copula, profluit etiam ex copula habita cum amente, ebrio vel ebria, ignorante, dormiente, coacto vel coacta etc. Schmalzgrueber *in tit. 14. lib. IV. Decr. n. 72.*

Affinitas non est aliquid ab hominibus introductum, sicut ex. gr. est cognatio legalis, sed est aliquid naturaliter exsurgens ut diximus, ex facto copulae (Cfr. S. Th. *in 4. dist. 41. q. un. a. 1. ql. 1*); quare perpetua est, neque destrui potest. Hinc est, quod quotiescumque haec affinitas in Christifideli invenitur in gradibus prohibitis exsurgit ecclesiasticum impedimentum. Proinde S. U. Inquisitio declaravit: " Affinitatem, quae in infidelitate natu- 275

raliter contrahitur ex copula, tum licita tum illicita, non esse impedimentum pro matrimoniis, quae in infidelitate contrahuntur; evadere tamen impedimentum pro matrimoniis, quae ineantur post baptismum, quo suscepto, infideles fiunt subditi ecclesiae, eiusque proinde legibus subiiciuntur „. *S. U. I. ad vic. ap. Nankin. 26 aug. 1891.* Et alias: " si ambo sponsi, in infidelitate affines, post susceptum baptismum matrimonio coniungi petant, supplicandum SSmo pro dispensatione „. *S. U. I. 14 dec. 1898.* Cfr. etiam *Instr. S. U. I. ad ep. Quebecen. 16 sept. 1824; ad vic. ap. Iaffnae 23 aug. 1852.* — Hinc est etiam, quod affinitas perdurat etiam mortuo coniuge (*c. 1. C. XXXV. q. 10*), imo exoritur etiam inter coniugem et consanguineum alterius coniugis, qui post mortem sui consanguinei nascatur. B. P. *VI. 786.*

276 ***De extensione affinitatis.*** — Notandum praeterea est, affinitatem non egredi copulatos (*c. 8 de consanguin. et affinit. X. [IV. 14]*); pariter, affinitatem non parere affinitatem. *cc. 5. 8. tit. cit. X. (IV. 14).* Hinc ex 1° consanguinei viri non sunt affines consanguineis mulieris; quare duo fratres possunt absque dispensatione ducere duas sorores, vel pater et filius matrem et filiam, aut viceversa. Ex 2° affines viri non fiunt affines mulieris; quare non prohibetur quis, uxore mortua, fratris eius viduam ducere.

277 Coniuges non sunt affines inter se, sed sunt fundamentum et quasi stipes affinitatis, quae in alterutro coniuge exsurgit cum consanguineis alterius. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 68.*

278 Consanguinei autem viri fiunt affines mulieris eo gradu, quo consanguinitate cum viro ligantur; hinc pater seu filius viri est affinis mulieris in 1° gradu.

Quum gradus affinitatis computentur eodem modo ac gradus consanguinitatis, et gradus consanguinitatis inter feminam ex. gr. eiusque consanguineos possit esse inaequalis, eodem modo potest esse inaequalis gradus affinitatis. Praeterea, quum in consanguinitate distantia desumatur a gradu remotiori, quia remotior gradus trahit ad se propinquiorem, eodem modo et in affinitate gradus remotior est considerandus. *c. 9. tit. cit. X. (IV. 14);* B. P. *IV. 791.* Quare etiam in dispensatione, si ea opus est, sufficit exprimere gradum remotiorem, dummodo primus non attingatur; obtentis tamen postea super propinquiori litteris declaratoriis. *Const.* Pii V. " Sanctissimus „ *20 aug. 1566; Const.* Ben. XIV " Etsi matrimonialis „ *27 sept. 1755.*

Affinitas potest esse etiam multiplex, 279
quemadmodum multiplex potest esse consanguinitas. Hinc multiplex erit affinitas, si habita fuerit copula cum pluribus consanguineis eiusdem personae; aut copula habita fuerit ab utraque parte cum consanguinea alterius; aut habita fuerit cum persona multipliciter alteri consanguinea; aut cum eadem persona habita fuerit copula tum illicita tum licita. Gasparri *de matr. I. 785.* Hae omnes multiplicitates exprimendae sunt in libello supplici pro dispensatione, excepta ea, quae oritur ex ultima hypothesi. Equidem in ea etiam S. Congr. de Prop. Fide anno 1827 respondit, utramque affinitatis originem esse exprimendam; attamen po-

stea Sacra Poenitentiaria de expresso et speciali mandato Gregorii XVI. respondit episcopo Namurcensi, qui de hoc interrogaverat, Sanctitatem suam apostolica auctoritate permittere, ut mentio antimatrimonialis copulae pro dispensationibus super impedimento affinitatis omittatur (S. Poen. *29 mart. 1842*); quod responsum declaratum fuit generale per litteras eiusdem Poenitentiariae *10 dec. 1874*, ut refert Bucceroni *Enchiridion pag. 424*.

280 **De affinitate impedimento.** — His positis, videndum est intra quos limites affinitas pariat impedimentum.

Porro vigenti iure affinitas in *linea collaterali* ex *copula matrimoniali* dirimit usque ad *quartum gradum* inclusive (*c. 8 tit. cit. X. [IV. 14]*); ex *copula extra-matrimoniali* usque ad *secundum* etiam inclusive (Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 4 de ref. matr.*; cfr. *S. C. C. in Leodien. 26 aug. 1905*), citra quem et valide (Conc. Trid. *loc. cit.*) et licite (*Const.* Pii V. " Ad Romanum " *28 nov. 1566*) matrimonium contrahitur. In linea *recta* affinitas sive ex copula matrimoniali sive ex copula fornicaria probabilius dirimit in infinitum. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 109*.

281 Quaestio est inter doctores, utrum ex matrimonio consummato, sed invalido, affinitas, quae exsurgit, dirimat usque ad secundum tantum gradum inclusive, an usque ad quartum pariter inclusive. Verior videtur sententia affirmans dirimere usque ad quartum inclusive, seu copulam habitam in matrimonio invalido aequirandam esse, quoad impedimentum, copulae matrimoniali, potius quam copulae extra-matrimoniali. Cfr. Feije *De imp. et disp. matr. n. 378*. Argumentum praecipuum est responsio S. Congr. Concilii *3 dec. 1667 in Brixiensi*, qua S. Congregatio declaravit, non posse virum, cuius praecedens matrimonium declaratum fuerat nullum et irritum ob consanguinitatem, ducere consanguineam in tertio gradu suae praetensae uxoris, obstantibus nempe impedimentis tum publicae honestatis *tum affinitatis*. Et exinde etiam apparet, in praxi divergentiam hanc opinionum inter doctores non magnum adducere discrimen. Nam ex matrimonio etiam invalido exsurgit impedimentum honestatis publicae, quod dirimit usque ad quartum, nisi invaliditas orta fuerit ex defectu consensus. Vid. *Honestas publica*. Casus, in quo secundum sententiam, quam veriorem diximus, esset impedimentum, quod in altera non verificaretur, esset casus sequens. Nempe si Paulus post sponsalia valide inita cum Martha, nondum solutis his sponsalibus, contraheret (invalide) matrimonium cum Maevia consanguinea Marthae in tertio gradu, ex copula cum Maevia habita non exsurgeret in altera sententia impedimentum affinitatis; impedimentum autem publicae honestatis exsisteret utique in casu cum omnibus consanguineis Marthae intra quartum gradum inclusive, at non cum ipsa Martha. Quare, soluto priore matrimonio cum Maevia, posset Paulus valide et licite cum Martha contrahere.

Copula autem, quae habetur in ma- 282
trimonio civili, videtur certo aequiparanda, quoad affinitatem, copulae fornicariae, praesertim post declarationem Leonis XIII docentis, matrimonium civile non esse nisi putidum concubi-

natum, ex quo ne impedimentum quidem publicae honestatis exsurgit.

283 Impedimentum affinitatis semper videtur dirimere matrimonium *iure tantum ecclesiastico,* non solum nempe quum agitur de linea transversali in quocumque gradu, sed etiam quum agitur de linea recta. Feije *loc. cit. n. 379.* Et hoc certum est apud omnes, excepto casu affinitatis in primo gradu lineae rectae ex copula matrimoniali; quo in casu quaestio est inter doctores, utrum iure tantum ecclesiastico, an naturali etiam, dirimatur matrimonium. Bucceroni (*Enchiridion pag. 425*) refert sequentem responsionem S. Universalis Inquisitionis: " Non esse dubitandum de potestate Pontificis concedendi dispensationem in primo gradu affinitatis in linea recta, etiam ex copula licita inter vitricum et privignam; et e contra non expedire, quod huiusmodi dispensationes concedantur „. *S. U. I. 4 sept. 1743.* Cfr. etiam Monitore Ecclesiastico *vol. XI. pag. 19 seqq.* In praxi casus est valde rarus. Certo tamen ecclesia ab hoc impedimento in primo gradu lineae rectae ex copula coniugali numquam dispensat, etsi instantissime rogata, saltem nunc. Cfr. Riganti *in reg. Cancell. ad reg. 49. n. 20 sqq.;* Ben. XIV *De syn. lib. IX. c. 13. n. 4;* Mansella *De imped. matr. p. I. c. 3. a. 2. n. 12 sqq.* In aliis etiam gradibus lineae rectae ex copula licita non solere concedi dispensationem testatur Avanzini (*Acta S. Sedis II. pag. 127*), quem refert Gasparri *De matr. I. 796.* Cfr. etiam B. P. *VI. 789.* In aliis omnibus gradibus lineae transversalis ex copula licita, et ex omnibus gradibus affinitatis tum lineae rectae, non excepto primo, tum lineae transversalis ex copula illicita haud raro Romani Pontifices dispensarunt. Attamen, quando agitur de eo, qui vult ducere filiam, postquam cum matre fornicatus est, in dispensatione additur conditio: *dummodo copula cum matre non antecesserit nativitatem filiae.*

Dispensatio autem petenda est a Dataria Apostolica pro casibus publicis, vel a S. Poenitentiaria pro casibus occultis, aut etiam pro publicis, si agatur de pauperibus.

Affinitas a viro cum sua uxore vel 284
vicissim contracta ex copula adulterine habita cum persona alteri coniugi consanguinea (primi vel secundi gradus) non solvit matrimonium, sed pars adultera in poenam criminis ipsius iuris sanctione privatur iure licite petendi debitum coniugale a sua comparte, quamvis teneatur semper reddere parti innocenti, si haec postulet. *cc. 1. 6. 10. 11 de eo qui cognovit etc. X. (IV. 13).* Diximus, hanc privationem iuris petendi debitum incurri in poenam delicti; hinc est, quod copula adulterina, quae admissa fuerit ab ignorante (etiam crasse, non tamen affectate; quum canones loquantur de scienter eiusmodi incestum committente) consanguinitatem compartis adulterae cum suo coniuge, aut quae vi sive gravi metu fuerit extorta, aut admissa cum ignorantia (etiam crassa, non tamen affectata ex eadem ratione superius allata) huius poenae a canonibus constitutae (sunt qui quoad hunc casum contradicunt), iure petendi debitum non privat. Feije *loc. cit. n. 383.*

Ius italicum affinitatem ex copula 285
illicita non agnoscit, sed eam restrin-

git ad vinculum coniugis cum consanguineis alterius. *C. C. a. 52.* Matrimonium vero iure italico non permittitur inter affines omnes lineae rectae (*C. C. a. 58*) et inter affines primi gradus lineae collateralis. *C. C. a. 59.*

286 Iuverit hic ultimo loco referre nomina affinium ex copula licita (nam ex copula illicita speciale nomen non sortiuntur). Sunt autem haec:

In linea recta. — *1.us gradus.* — Socer (pater viri aut uxoris); socrus (mater viri aut uxoris); nurus (uxor filii); gener (maritus filiae); privignus (filius mariti aut uxoris ex praecedenti matrimonio); privigna (filia mariti aut uxoris ex praecedente matrimonio); noverca (uxor patris); vitricus (maritus matris).

2.us gradus. — Prosocer (avus viri aut uxoris); Prosocrus (avia viri aut uxoris); Pronurus (uxor nepotis); Progener (maritus neptis).

In linea collaterali. — *1.us gradus.* — Levir (frater mariti aut uxoris); Glos (soror mariti aut uxoris); Fratria (uxor fratris); Sororius (maritus sororis).

Alii gradus specialia nomina non sortiuntur.

tit. de eo, qui cognovit consanguineam uxoris suae vel sponsae X. (IV. 13); tit. de consanguinitate et affinitate X. (IV. 14); tit. de consanguinitate et affinitate (IV. tit. un.) in Clem.; Conc. Trid. sess. XXIV. c. 4 de ref. matr.; Const. Pii V « Sanctissimus » 20 aug. 1566, « Ad Rom. Pontificem » 28 nov. 1566; decr. Greg. XVI 29 mart. 1842; Comm. iuris decret. in tit. cit.; Inst. Iust. de nuptiis (I. 10); de gradibus et affinibus et nominibus eorum D. (XXXVIII. 10); de iniustis et inutilibus nuptiis C. (V. 5); Comm. iuris civ. in tit. cit. et in titulo de ritu nuptiarum D. (XXIII. 2); *Accarias* Précis de droit romain t. 1. n. 86 sqq.; *Voet* Comm. ad Pandectas lib. XXIII. tit. 2. n. 29 sqq.; *Vering* Gesch. und Pand. § 221; *Ricci* Corso teorico pratico di diritto civile I. 1. 204 sqq.; *Sanchez* De matr. lib. VII. disp. 64-67; *Forster* Review of the law to marriage within the prohibited degrees of affinity; *Giovine* De disp. matr. I. § 298-310; *Scherer* Handbuch des KR. § 119; *Freisen* Gesch. des canon. Eherechts etc. § 39-45; *Gasparri* tract. can. de matrim. I. 776 sqq.; *Rosset* De sacr. matrim. III. 1912 sqq.; *Esmein* Le mariage en droit can. I. p. 2. tit. 2. c. 1. s. 3. IV, II. p. 3. c. 7 IV; *Ballerini-Palmieri* Op. theol. mor. VI. 782 sqq.; *Schmitz* in Kirchenlexicon art. Schwägerschaft; *Leitner* Lehrbuch des katholischen Eherechts § 31; *Sägmüller* Lehrbuch des kath. Kirchenrechts § 145; *Hergenröther-Hollweck* Lehrbuch des kath. KR. n. 948 sqq.

Agens ecclesiasticus. — Vid. *Expeditor apostolicus.*

Aggregatio. — Aggregatio confra- 287
ternitatis archiconfraternitati, ad habendas easdem indulgentias et spirituales gratias, facienda est per officiales confraternitatis, praevio consensu ordinarii eiusque litteris testimonialibus. Nec potest aggregari confraternitas, quae alteri confraternitati iam fuerit aggregata. *S. C. Indulg. 8 ian. 1861.* Vid. *Archiconfraternitas, Confraternitas.*

Aggressor. — Aggressor iniustus 288
occidi potest etiam a privato ad defendendam vitam suam (S. Th. *2. 2. q. 64. a. 7;* Cat. Rom. *ad 5. praec. decal. n. 70; c. 3 de sent. excomm. X. [V. 39]*), vel proximi (etiam inviti, Salmant. *Th. mor. tr. XXV. 1. 97;* B. P. *II. 901;* S. Alph. *III. 391,* contra D'Ann. *II. 283*), integritatem membrorum (imo ad propulsandam etiam deformitatem tantum, S. Alph. *III. 380*), pudicitiam (S. Alph. *III. 386*), bona fortunae magni momenti (nempe quae vel relative considerata sint magni momenti, vel

etiam talia sint absolute considerata [B. P. *II. 887*]; at quaestio est quaenam absolute considerata dicenda sint magni momenti. Et D'Annibale [*II. 283. (9)*] certum videtur, satis haud esse valorem quadraginta aut quinquaginta, contra sufficere valorem quadringentarum libellarum circiter; et hoc ultimum non audeo damnare, sed ne certum quidem aut evidens dixerim. Cfr. quoad hoc B. P. *II. 888*), dummodo servetur moderamen inculpatae tutelae (idest dummodo quis non maiorem vim adhibeat, quam sufficiat ad repellendum, et proinde non occidas illum, quem pugnis aut baculo potes impedire, ne noceat); etiamsi fuerit ebrius aut amens. Salmanticenses *loc. cit. tr. X. 8. 46.* Ratio autem est, quia ius occidendi iniustum aggressorem habet quis non ex iniuria, quam ei aggressor infert, sed ex iure se defendendi. D'Ann. *II. 283.*

Licet etiam vim vi repellere, si quis bona minoris momenti *violenter* furari (B. P. *II. 889*), vel honorem, non verbis tantum, sed et factis impetere audeat. Croix *Th. mor. lib. III. p. 1. n. 803.*

289 Attamen quoad haec omnia, quaedam magis in particulari sunt adnotanda.

Nimirum ante omnia vim vi repellere contra iniustum aggressorem licet *ad defensionem*, nimirum ad propulsandum malum, quod imminet, non ad vindicandum malum, quod illatum est. Lugo *de iust. et iure disp. X. n. 160;* B. P. *II. 883*. Malum autem, quod propulsare quis vult, debet iniuste inferri (D'Ann. *II. 283*); hinc non licet reo occidere ministros iustitiae, qui eum ad carcerem vel ad supplicium trahunt. Laymann *Th. mor. l. III. tr. 3. p. 3. c. 2.*

Malum praeterea propulsare quis potest, *vim inferendo iniusto aggressori*, non alteri (S. Alph. *III. 380*); hinc non potest quis filium grassatoris, eum insequentis, in flumen proiicere, ut ipse ab insequendo desistat ad salvandum filium. D'Ann. *II. 283. (10).* At licet iniustum aggressorem occidere etiam illi, qui eum provocavit (Lugo *loc. cit. disp. X. n. 101*); hinc licet adultero, quem in facto vel post factum maritus vult occidere, ipsum maritum interimere, si non possit aliter se tueri. Lugo *loc. cit. disp. XI. n. 56;* Lessius *loc. cit. II. q. 106;* D'Ann. *II. 283. (13).* Speculative loquendo, potest quis occidere illum quoque, de quo certo constat, quod de facto paret insidias ad mortem. Lugo *loc. cit. disp. X. n. 156 sqq.* Ratio est, quia non est necesse exspectare laesionem suam ad se defendendum. Molina *De iust. et iure tr. 2. disp. 12;* B. P. *II. 896.* Attamen hanc sententiam raro licet in praxim deducere propter periculum hallucinationis. S. Alph. *III. 387.*

Ex lege vero caritatis licet vi repellere iniustum aggressorem *alterius*, sicut mihi licet repellere meum. Molina *l. c. disp. 18.* Hinc licet occidere iniustum aggressorem alterius pudicitiae, nempe si mulier non consentiat (S. Alph. *III. 391*), imo etsi consentiat, si tibi valde propinqua sit vinculo consanguinitatis, quia tunc vim inferendo aggressori propulsas iniuriam tibi factam. B. P. *II. 900.* Eadem ratione licet occidere invasorem honoris alterius, quando licet tui honoris invasorem occidere. B. P. *II. 901.*

290 Quoad haec digna sunt, quae attendantur, propositiones quaedam proscriptae ab Alexandro VII. *decr. 24 sept. 1665,* et ab Innocentio XI. *decr. 2 mart. 1679,* scilicet: " (18) Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes ac etiam iudicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare. — (30) Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel ictum fustis, fugiat. — (31) Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei. — (32) Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quae actu possidemus, sed etiam ad quae ius inchoatum habemus, et quae nos possessuros speramus. — (33) Licitum est tam heredi quam legatario contra iniuste impedientem, ne vel hereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere; sicut et ius habenti in cathedram, vel praebendam contra earum possessionem iniuste impedientem „. Harum propositionum prima damnata est ab Alex. VII., aliae ab Innocentio XI.

c. 2. de homicid. etc. X. (V. 12); c. un. de hom. etc. (V. 4) in Clem.; c. 3 de sent. excomm.etc. X. (V. 39); *S. Th.* 2. 2. q. 64. a. 7; *S. Alph.* III. 380 sqq.; *Lugo* De iust. et iure disp. X. sect. 6 sqq.; *Molina* De iust. et iure disp. XI. sqq.; *Lessius* De iust. et iure lib. II. c. 9. dub. 8. 11. 12. 13; *Vasquez* Tr. de restit. c. 2. § 1. dub. 6 (qui alios affert); *Laymann* Th. mor. lib. III. tr. 3. p. 3. c. 3; *Pruner* Kath. Moraltheologie I. 537; Moralistae omnes in sept. praec. decal.; *Koch* Lehrbuch der Moraltheol. § 135; *Cathrein* Moralphilosophie II. pag. 99 sqq.; *Meyer* Inst. iur. nat. II. 67 sqq.

Agnus Dei. — " Agnus Dei ex cera 291 alba, pura, virginea conficiuntur ad denotandam Christi humanitatem ex sanctissimo Virginis utero absque ulla contagione et sola Dei virtute sumptam. Imago agni, quae in illis est, agnum illum immaculatum repraesentat, qui pro humani generis reparatione in ligno crucis est immolatus. Adhibetur aqua benedicta, cuius substantia ad maxima quaeque sacramenta in veteri et novo testamento usus est Deus. Aquae miscetur balsamum, unguentorum omnium praestantissimum, ad designandam famam optimam, quam christianus, veluti suavissimi odoris fragrantiam, in sua conversatione debet redolere. Postremo superinfunditur chrisma, quo caritas virtutum omnium maxima figuratur, et quo eodem templa, altaria, vasa et ipsi homines Dei cultui praeparantur et consecrantur. In hac vero aqua benedicta, balsamo et chrismate mixta, hi agnus Dei ab ipsomet Pontifice merguntur et baptizantur, et tam ante quam post mersionem sanctissimis precibus et orationibus idem Pontifex Deum obsecrat, ut easdem illas formas cereas imagine agni impressas benedicere, sanctificare, consecrare, eisque virtutem caelestem infundere dignetur ita, ut qui illas pie et devote et cum fide habuerint et detulerint, eorum crimina deleantur, maculae peccatorum abstergantur, veniae impetrentur, gratiae conferantur; praeterea ut fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum, ventorum rabies et infesta tonitrua temperentur, fugiant et contremiscant maligni spiritus, nulla hic adversitas dominetur, nulla aeris corruptio, nullus morbus caducus, nulla

maris tempestas, nullum incendium nullave iniquitas noceat, parturientes cum partu incolumes serventur, omnes denique ab aquarum inundatione, a morte subitanea et a cunctis adversis liberentur. „ Brev. Sixti V. " Sancta romana Ecclesia „ *20 apr. 1586;* cfr. formulam impressam de mandato Ben. XIV. " Pervetustus ille „ *a. 1752.* — Benedici autem consueverunt agnus Dei ab uno Romano Pontifice anno sui pontificatus primo et septimo, et deinceps singulis septenniis infra octavam Paschae. — Indulgentiae non paucae praeterea concessae sunt iis, qui apud se habent agnos Dei. Cfr. Brev. Urb. VIII, " Quae sit paterna „ *4 ian. 1630.* — " Agnos Dei tangere seu contrectare, licet per se et absolute non videatur licere, nisi clericis in sacris constitutis, ex quo ipsi agni Dei non solum sint sacri et benedicti, sed etiam oleo sacro et chrismate consecrati, et ut etiam colligitur ex can. Sacratas dist. 23; tamen, ut recte advertunt Sanchez *in Dec. lib. 2. c. 43. n. 27,* Diana et alii passim, nunc usus obtinuit, ut etiam laicis et feminis liceat attingere, eo vel maxime, si hoc fiat ex pietate et devotione, vel ut imponantur in aliqua capsula, aut thecis aureis et argenteis vel huiusmodi ligentur et ornentur, ut decentius custodiantur. Mühlbauer „ *Th. res. S. C. C. v.* " *Agnus Dei* „ *n. 1.* — Patet ex dictis, illicitum esse agnos Dei qualibet de causa vendere aut venales proponere. *Const.* Greg. XIII. " Omni certe studio „ *25 maii 1572.*

292 **Alba.** — Alba debet esse ex lino vel cannabe. *S. R. C. decr. gen. 15 maii 1819 (2600).* Permissum tamen fuit uti albis confectis ex nipis, quae est tela subtilissima longe pretiosior lino ex alicuius plantae filis confecta, donec consumerentur; at simul prohibitum est novas huiusmodi confici. *S. R. C. in Placentina in Hisp. 13 aug. 1895. (3868).*

Non uti alba in celebratione missae, nisi in gravissima necessitate et remoto scandalo, grave est. B. P. *IV. 1083.*

Tolerari potest ut textili denticulato vel operi phrygio in manicis et fimbriis albarum supponatur fundus coloratus (*S. R. C. in Romana 12 iul. 1892 ad 5 [3780]*), ex. gr. coloris caerulei. *S. R. C. in Minoricen. 24 nov. 1899 ad 7 (4048).* Potest permitti, ut in albis (item in tobaleis et in superpelliceis) sint vela transparentia, quae repraesentent cruces, ostensoria, angelos, calices cum hostia et alia huiusmodi sacra obiecta. *S. R. C. in Syren. 5 dec. 1868 ad 5 (3191).*

Aleae. — Earum ludus, qui totus 293
situs est in pura sorte, severe prohibetur clericis, saltem in maioribus constitutis et beneficiatis (*c. 12. 15 de vita et honest. cler. X. [III. 1]; c. 11 de excessib. praelat. X. [V. 31]*); non tamen omnis chartarum ludus est aleatorius, et huiusmodi ludus non prohibetur. S. Alph. *III. 900;* B. P. *IV. 452.* Quare clerici, qui aleis inserviunt, idest qui aleis seu aleatoriis ludis diu et frequenter insistunt, graviter peccant, etsi sine scandalo hoc faciant. *c. 1. dist. 35;* Reiffenstuel *in tit. 1. lib. III. Decr. n. 58;* S. Alphonsus *III. 896 sqq.* Attamen theologi non conveniunt in assignanda hac frequentia, quae ad grave peccatum requiritur (S. Alph. *III. 897*); quare raro damnari poterit de mortali

clericus, qui aleis ludit sine aliorum scandalo. D'Ann. *III. 160.* — Episcopi tamen debent cavere a nimia severitate in puniendis clericis ludentibus. Cfr. decr. S. C. C. *20 dec. 1637.* et Bened. XIV. *de Syn. l. X. c. II. n. 2.*

294 **Aleatorii contractus.** — Hi sunt qui sortis vicissitudinibus sunt obnoxii; varii sunt generis, idest: assecuratio, sponsio, sortitio seu loteria et ludus. — Vide singulos suis locis.

295 **Alienatio.** — **De natura alienationis.** — Nomine alienationis, quando in iure agitur de alienatione bonorum ecclesiasticorum, veniunt quaelibet pacta, per quae dominium ecclesiae sive utile sive directum in alium transfertur; hinc non solum venit venditio (*c. 5 de rebus eccl. alienand. vel non X. [III. 13]*), sed etiam oppignoratio (*c. 1 de pignor. etc. X. [III. 21]*), hypotheca specialis (*c. 5. tit. cit. X. [III. 13]*), locatio ultra tres annos frugiferos (*cc. 2. 4 de loc. et conduct. X. [III. 18]*), donatio (*cc. 2. 3 de don. X. [III. 24]*), permutatio (*c. 5 tit. cit. X. [III. 13]*), etc.

296 **Quaenam alienatio prohibita.** — Prohibitum est in iure canonico, res immobiles, vel mobiles pretiosas (quae servando servari possunt, ut calices pretiosi) ecclesiasticas, idest res, quae pertinent ad sedes episcopales, ecclesias, capitula, monasteria, beneficia, loca pia non mere laicalia, etc. (Vid. *Cappellania* — etiamsi haec bona in foro civili tamquam proprietas privati hominis inscripta sint, *S. C. EE. RR. 17 febr. 1866*) alienare, idest ea alienare praeter praescripta iuris. Cfr. *tit. de rebus eccl. alien. vel non X. (III. 13); de rebus eccl. non alien. (III. 9) in 6°; idem. tit. (III. 4) in Clem.; Const.* " *Ambitiosae* „ = *c. un. eiusd. tit. (III. 4) in Xvag. comm.* Scilicet alienari non possunt, nisi ex iusta causa et servatis solemnitatibus. Et haec alienationis prohibitio viget etiam, quando agitur de alienatione facienda ab una ecclesia in aliam aut etiam a personis eiusdem ecclesiae inter se. Cfr. *c. 1 de rebus eccl. non alienand. (III. 9) in 6°; S. C. C. in Neapolitana 24 ian. 1752.*

Immobilia tamen modici omnino valo- 297
ris (*Can. Terrulas 53. C. XII. q. 2*) idest ea, quae non excedunt (aut potius non excedebant, quia hoc est ex iure antiquo; nunc autem pretium pecuniae est valde imminutum) valorem scutatorum roman. aur. 25 (Monitore Ecclesiastico *vol. VII. p. 2. pag. 141*; *S. C. C. in Forosempronien. 21 iul. 1827*, qua responsione Sacra Congr. approbavit consuetudinem illius loci alienandi sine formalitatibus bona non excedentia valorem 50 scutatorum, ex qua responsione Lucidi *De vis. sacr. lim. cap. 7. n. 276* deducit, servandas in hoc esse consuetudines cuiuscumque dioecesis legitime praescriptas) longe ab ecclesia posita, si necessitas fuerit (aut etiam vera ecclesiae utilitas, Card. Petra *Comm. ad Const. Ap. Const. V.ª Pauli II. sect. 2. n. 66*) alienari possunt sine ulla solemnitate ex auctoritate episcopi (non autem vicarii generalis, Card. Petra *loc. cit. n. 68*), etiam sine consilio fratrum; quae episcoporum facultas nec a Constit. " Ambitiosae „ Pauli II. nec a Concilio Tridentino *sess. XXV. c. 11.* revocata est. *S. C. C. 11. ian. 1596.* (Nota autem ex his logice descendere, positis principiis iuris, episcopum posse haec immobilia modici valoris in emphyteusim perpetuam con-

cedere [Petra *loc. cit. n. 69*]; nec obstare huic sententiae quaedam decreta S. Congr. Concilii aut S. Congr. Episcoporum et Regularium, quae in contrarium afferuntur [Monitore Ecclesiastico *vol. XI. pag. 318*]). Idem dicendum de rebus mobilibus non pretiosis, aut de iis, quae servando servari non possunt, ut fructus agrorum. Wernz *Ius decr. III. 161.* Idem dicendum quoque esset de immobili relicto alicui monasterio, quod illud possidere non posset. De Luca *De alien. etc. disc. 1. n. 120.*

298 Nota, facultatem permittendi alienationes secundum canonem " *Terrulas* „ competere episcopis ac etiam abbatibus vere nullius, non vero aliis superioribus regularibus etiam maioribus, quemadmodum asserit Berardi (*Coll. S. C. EE. et RR. pag. 298*) ex responsione eiusdem S. Congregationis *10 ian. 1653 et in una S. Severinae in Calabria 11 ian. 1692.*

299 Quaestio est inter doctores, utrum alienari possint tituli societatum, in quibus collocata est pecunia, praesertim si pecuniae vis non sit exigua. — Et nonnulli affirmant (cfr. Schmalzgrueber *in tit. 13. lib. III. Decr. n. 51. sqq.*). Sed non pauci hoc negant (Bargilliat *Prael. Iur. Can. n. 967;* Wernz *loc. cit. III. 160;* Mon. eccl. *vol. XVI. pag. 418 sqq.*), quorum sententia firmatur sequentibus responsionibus auctoritatis ecclesiasticae:

I. S. Poenitentiaria interrogata ab episcopo Conversanensi, an liceret occupare pecuniam locorum piorum apud quoddam institutum nummarium, respondit:

" S. Poenitentiaria venerabili in Christo Patri episcopo oratori ad praemissa respondet: Attentis omnibus tolerari posse, servatis de cetero servandis, id-est:

1°. Personae ecclesiasticae se abstineant a qualibet negotiatione praedictarum obligationum, et praesertim ab omni contractu, qui speciem habeat, ut vulgo dicitur, *di giuochi di borsa.*

2°. Administratores autem locorum piorum curent, ut hi tituli in loco tuto caute custodiantur.

3°. Ne commutentur in alios titulos absque gravi necessitate et de consensu ordinarii, eiusque et administratorum onerata conscientia.

4°. Ne alienentur, inconsulta S. Sede, quando ad eam recurrendi tempus suppetat „. *S. Poen. 25 ian. 1888.*

II. S. Congregationi Concilii sequentia dubia proposita sunt:

1°. " Ad alienandos titulos nulli certae personae inscriptos (*titoli o valori al portatore*), qui ad ecclesiastica entia vel ad causas pias ecclesiae tutelae subiectas spectant, necessariumne est beneplacitum apostolicum, quemadmodum requiritur pro alienationibus bonorum immobilium aut rerum pretiosarum?

2°. Requirituine eadem facultas ad eos permutandos in alios titulos aut syngraphas, imo etiam in bona immobilia?

3°. Venditores et emptores subiiciunturne poenis ecclesiasticis statutis a Conc. Trid. c. 11. sess. XXII de ref., nec non ab Extr. *Ambitiosae* et a Const. *Ap. Sedis?* „

Et S. Congregatio respondit:

" Ad 1um affirmative.

Ad 2um affirmative, excepto casu urgentis necessitatis, in quo periculum sit in mora, et tempus non suppetat

recurrendi ad S. Sedem, habito tamen in his adiunctis ordinarii beneplacito, et sub lege ut permutatio fiat in titulis quam maxime tutis.

Ad 3um Affirmative quoad poenas in Extr. *Ambitiosae* et Const. *Ap. Sedis* statutas „. *S. C. C. in Romana et aliarum 17 febr. 1906.*

300 Non est autem alienatio pecuniam mutuo dare. *cap. 5. tit. cit. X. [III. 13];* D'Ann. *Comm. in Const.* " Apost. Sedis „ *n. 175*; Bonacina *de alienatione disp. 2. p. 2. n. 5.* Ea vero pecunia, quae ex venditis fundis sit acquisita, vel quae sit investienda, vel deputata specialiter ad emenda immobilia ad ea spectat, quae nequeunt alienari. B. P. *VII. 325.*

Ex alio capite non datur alienatio bonorum ecclesiasticorum in sensu iuris, quando alienantur bona temporalia alicuius operis pii mere laicalis absque ulla ecclesiastica auctoritate erecti. Vid. *Loca pia.* — Ex alia etiam ratione non est alienatio, aut saltem non est prohibita, distractio veteris alicuius suppellectilis (ex. gr. paramentorum sacrorum) ad novam comparandam aeque pretiosam (Pichler *in tit. 13. lib. III. Decr. nn. 5. 14;* D'Ann. *loc. cit.*), aut alienatio praedii etiam non exigui, quod plus incommodi ecclesiae, quam commodi afferat. *cc. 7. 8. tit. cit. X. (III. 13);* Schmalzgrueber *in h. t. n. 39.* Pariter ratione boni ecclesiae, non est alienatio prohibita ea, quae fieret absque solemnitatibus, quum urgeret necessitas, quae nullam pateretur moram, aut adesset occasio, quae alias transiret, quemadmodum mox fusius dicemus. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 42. 55. 59 sqq.;* D'Ann. *loc. cit.*

Si quando autem lege fundationis 301
cautum fuerit, ut permissa censenda esset alienatio etiam absque consensu et beneplacito Sedis Apostolicae, tunc alienatio non cadit sub hac lege prohibente, etiam post promulgationem Constitutionis " Ap. Sedis „. *S. U. I. 22 dec. 1880.*

De necessitate iustae causae in alienatione. — 302
Ad alienationem necessario requiritur iusta causa. Iustae vero alienationis causae revocari possunt ad tres:

a) urgens ecclesiae ipsius necessitas legitime probata, cui subveniri nequeat, nisi per alienationem (*c. 1 de rebus eccles. non alien. [III. 4] in Clem.*);

b) evidens utilitas non levis et legitime probata (*c. 8 de rebus eccles. alien. vel non X. [III. 13]*);

c) pietas, si nempe pecunia inserviat pauperum sustentationi etc. *cc. 15. 16. 70. C. XII. q. 2.* Cfr. *S. C. C. in Senogall. 15 ian. 1803; in Urbinat. 18 aug. 1804.*

De his autem causis rite constare debet. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 63 seqq.;* Wernz *l. c. III. 163.*

Deficiente causa iusta, etiam adhibitis solemnitatibus, alienatio non valet. *c. 1. tit. cit. (III. 9) in 6°; c. 1. tit. cit. (III. 4) in Clem.* Cfr. *S. C. C. in Faventina 20 apr. 1850; in Romana 5 apr. 1851; in Comaclen. 28 apr. 1855; in Nepesina 28 mart. 1857; in Asculana 8 iul. 1854.* Quaestio autem est inter doctores, utrum satis sit iustam causam haberi tempore initi contractus, an intervenire quoque debeat tempore exsecutionis beneplaciti apostolici. Cardinalis Pitra (*Comm. ad const. apostol. const. 1. S. Leonis M. sect. 4. nn. 132 sqq.*) hoc alterum vehementer sustinet.

303 **De solemnitatibus in alienationibus requisitis.** — Solemnitates vero, quae requiruntur, sunt:

a) tractatus capitularis et expressus consensus capituli, si alienatio fiat ab episcopo, vel a rectore ecclesiae, in qua sit capitulum; secus sufficit consensus rectoris et episcopi loci (*c. 8. cit. de rebus eccl. etc. X. [III. 13]*);

b) beneplacitum apostolicum, exceptis casibus in iure permissis. *Xvag. comm.* " *Ambitiosae* „ *(III. 4)*. Nota autem, beneplacitum apostolicum ex se solo, per se loquendo, sufficere; sed generatim non conceditur, nisi adsit consensus alienandi ex parte illorum, quorum interest. Wernz *l. c. n. 165*.

Decreta autem Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium *2 maii 1816* et *18 martii 1835* statuunt in praxi: ex auctoritate S. Congregationis affigenda esse edicta licitationis cum termino certo ad recipiendas oblationes (*le offerte*); harum vero eas tantummodo esse recipiendas, quae legitimae sint, utiles etc.; rem vero adiiciendam esse offerenti maiorem summam, id autem faciendum ex beneplacito apostolico per rescriptum, quod datur vel in forma gratiosa, vel in forma commissoria. Haec valent quoad res immobiles; nam quoad mobiles pretiosas sacras (ut sacra suppellex) alienatio non fit per licitationem, ne res sacrae in manus profanas deveniant. — Si alienatio rite facta est, transfert in alienatarium ius, quod alienatur; si illegitime facta est, idest sine causa et solemnitatibus, est irrita.

304 Haec omnia urgent, ut diximus, et rigorose; attamen verum semper manet, quod necessitas non habet legem, et quod leges inductae ad servanda bona ecclesiastica non debent cedere in eorum detrimentum. Quare in casu ex. gr. alicuius persecutionis in locis missionum, quando alia ratio praesto non sit conservandi ecclesiae fundos ecclesiasticos, nec tempus suppetat eos alienandi cum solemnitatibus praescriptis, poterit vicarius apostolicus absque apostolico beneplacito eos vendere aut permutare. *S. C. P. F. ad Vic. Ap. Cocincinae 27 aug. 1832, 31 mart. 1836.* Cfr. etiam *S. U. I. ad Vic. Ap. Sutchuen. 20 aug. 1778.*

Iuverit autem hic referre *Instructionem S. C. de Prop. Fide 30 iul. 1867 ad Patr. Ciliciae Armenorum quoad alienationem bonorum ecclesiasticorum:* 305

1°. In venditione bonorum ecclesiasticorum praemittatur eorumdem aestimatio a probis peritis scripto facienda; audiantur omnes interesse habentes; constet de evidenti ecclesiae necessitate vel utilitate; vendantur favore maioris oblatoris et non minori pretio, quam quod a praedictis peritis fuerit aestimatum; pretium ab emptore integre solvatur in actu stipulationis et collocetur in frugifero, tuto ac licito investimento; quod si non erit in promptu, deponatur pretium in aliqua capsa publica, vel apud aliquam personam spectatae probitatis et idoneitatis, recepta tamen cautione scripto exarata, penes ipsum patriarcham vel episcopum ecclesiae, ad quam pertinent bona vendita, accuratissime custodienda.

2°. In permutationibus praemittatur aestimatio fundorum a probis peritis scripto facienda; audiantur omnes interesse habentes; constet de evidenti ecclesiae utilitate; et in contractus sti-

pulatione expresse reservetur hinc inde regressus ad primaeva iura in casu evictionis. Quod si valor fundi ecclesiastici superet valorem fundi, qui ab ecclesia in permutationem recipitur, ea pecuniae vis, quae ad peraequationem contractus est necessaria, ecclesiae persolvatur in actu stipulationis et collocetur in honesto, tuto ac licito investimento; atque interim deponatur, uti supra, in capsa publica vel apud personam spectatae probitatis atque idoneitatis.

3°. In contractibus emphyteuticis ineundis praemittatur aestimatio peritorum; audiantur omnes interesse habentes, constet de evidenti ecclesiae utilitate; canon ab emphyteuta persolvendus non sit minor, quam qui a peritis statutus fuerit; stipulatio scripto consignetur, cui descriptio fundi ac topografica eiusdem tabula adiiciatur; praestet emphyteuta hypothecariam inscriptionem super alio idoneo suo fundo, aut saltem, hoc deficiente, cautionem idonearum personarum pro securitate canonum trium annorum; atque in ipsa stipulatione obligationem emittat pro se suisque heredibus ac successoribus valituram, numquam utendi qualibet praesenti vel futura lege seu privilegio affrancationis canonis, et melioramenta omnia solo cedendi.

4°. Si agatur de ecclesiae bonis oppignorandis, vel de aere alieno contrahendo, necesse est, ut prius audiantur omnes interesse habentes, et constet de vera et gravi ecclesiae necessitate; quae si vere intercedat, cavendum est, ut debitum illud, quum primum fieri poterit, ecclesia ipsa dimittat, eaque de causa imponatur eidem singulis in casibus obligatio contractum debitum extinguendi, annuis ratis ab ipso episcopo praefiniendis, ad quem effectum determinati aliqui ecclesiae eiusdem reditus erunt assignandi, ac singulis vicibus deponendi in capsa publica, vel penes honestam atque idoneam personam, ut suo tempore investiri possint.

5°. Quum vero ecclesiae pecuniam investiri contingat, duo imprimis diligentissime curanda erunt; primum ut a contractibus ineundis longe procul sit quaevis usuraria labes; secundo ut ecclesiae indemnitati cautum sit: ideoque non collocetur eiusdem pecunia, nisi apud honestas et idoneas personas, quae praestent hypothecariam inscriptionem, vel saltem idoneam cautionem; omnesque huiusmodi contractus publicis tabulis pro recepto regionum more consignentur.

6°. Denique in locationibus bonorum ecclesiasticorum cavendum est, ut locationes praedictae fiant iusto pretio, atque ut annuae responsionis solutio non fiat anticipate in praeiudicium successorum. Non licebit autem ecclesiastica bona locare ultra triennium; poterit autem ordinarius, si specialem ab Apostolica Sede super alienatione bonorum ecclesiasticorum facultatem obtinuerit, permittere, ut locationes praedictae fiant, etiam ultra praedictum tempus, dummodo non excedat novennium.

Iuverit etiam hic addere sequentes 306
litteras S. C. de Prop. Fide ad Arch. Milwauchiensem quoad alienationem bonorum ecclesiasticorum pro institutis votorum simplicium: " Ill.me ac R.me Domine, Pervenerunt ad me litterae ab Amplitudine Tua mihi datae die 14

elapsi mensis decembris, in quibus quaestiones fiunt circa facultatem alienandi bona ecclesiastica pro institutis religiosis votorum simplicium. — Quoad primam quaestionem, utrum haec instituta, sive virorum, sive mulierum, sive a S. Sede approbata, sive tantum dioecesana, indigeant beneplacito Sedis Apostolicae pro alienatione suorum bonorum, responsio est affirmativa. — Relate vero ad alteram quaestionem, utrum episcopi vi privilegii ipsis concessi circa alienationem bonorum dioeceseos possint praedictis congregationibus has alienationes permittere, responsio est, id posse episcopos intra limites suae facultatis. — Tandem quoad imploratam sanationem pro alienationibus sine necessaria licentia bona fide peractis, sacra Congregatio huiusmodi sanationem, et si opus est, etiam absolutionem a censuris transgressoribus concedit, etc. „ *S. C. P. F. 15 ian. 1903.*

307 **De poenis in contravenientes.** — Poenae contra male alienantes vel recipientes bona ecclesiastica absque beneplacito apostolico in praesenti sunt in primis excommunicatio l. s. nemini reservata. *Const.* " Ap. Sedis „ *ser. 4. n. 3.*

Excommunicationem hanc incurrunt igitur recipientes omnes (in quo omnes concordant), et verius omnino omnes quoque alienantes, non exceptis episcopis et abbatibus (D'Ann. *l. c. 177. [53];* Wernz *Ius Decret. III. 170;* Monitore Ecclesiastico *vol. X. p. II. pag. 276* contra B. P. *VII. 326;* Lehmkuhl *Theolog. Mor. II. 692;* Aichner *Comp. Iur. eccl. App. pag. [31] not. 17*), qui probabilius excommunicatione plectebantur etiam ante Constitutionem " Apostolicae Sedis „ in Extravaganti " Ambitiosae „. Cfr. Mon. Eccl. *l. nuper cit.* At vero recipientes excusat ignorantia, crassa quoque et supina; alienantes non item, ait D'Annibale *loc. cit.*

Ad excommunicationem autem incurrendam necesse est et sufficit, ut alienatio perfecta fuerit ultro citroque. Reiffenstuel *in tit. 13. lib. III. Decr. n. 67;* Schmalzgrueber *in eumd. tit. n. 165.* Quare necessarium non videtur ad incurrendam excommunicationem, quod res fuerit tradita (D'Annib. *l. cit. 177. [55]*); hoc nempe iure italico et generatim recentioribus iuribus, quibus venditio perficitur, re nondum tradita, solo partium consensu. Vid. *Emptio, Venditio.* Quare qui loquuntur de traditione secuta quasi necessaria ad excommunicationem incurrendam (Bargilliat *l. cit. II. 972;* B. P. *VII. 326;* attamen P. Palmieri in nota videtur nobiscum concordare) se referunt ad ius Romanum, quo iure venditio nonnisi rei traditione perficiebatur; sed immerito, ut videtur. Ex eadem ratione, si venditio facta fuerit sub conditione suspensiva, nemo excommunicationem incurret, antequam purificetur conditio (B. P. *loc. nuper cit.;* D'Ann. *loc. nuper cit.*); si facta fuerit sub conditione resolutiva, alienans statim incurret excommunicationem. D'Annib. *loc. cit. 177. (56).* — Attamen quoad hoc confer Monitore Eccl. *vol. XIV. pag. 222.*

Ab hac excommunicatione incurrenda excusantur, iuxta omnes, consulentes, consentientes, faventes, ratihabentes (nisi ex ratihabitatione stet alienatio, D'Annib. *loc. cit. n. 177*) etc., item qui res ecclesiasticas aut diripiunt aut furan-

tur (*S. U. I. 9 mart. 1870;* B. P. *l. c.*), vel qui eas usurpant (D'Ann. *loc. cit.*), quamvis hi aliquando incurrant excommunicationem l. s. R. P. specialiter aut simpliciter reservatam. Vid. *Usurpantes.*

Nota tandem Constitutione " Ap. Sedis „ abrogatas esse consuetudines in contrarium quaslibet, etiam particulares et immemorabiles; nec non antiquiora privilegia ab ipsa S. Sede obtenta, si ea generalia fuerint, non autem si specialia et personalia (*S. U. I. 22 dec. 1880*); quare haec lex contra alienationem bonorum ecclesiasticorum et poenae contra male alienantes nunc ubique vigent.

308 Sed et praeter hanc excommunicationem aliae quoque sunt poenae, quibus subiiciuntur male alienantes. Scilicet praelati inferiores vel clerici alienantes bona sui beneficii illud amittunt ipso facto. *Xvag. comm.* " *Ambitiosae* „. Sententia autem D'Annibale (*loc. cit. 177 [53]*) existimantis hanc poenam privationis beneficii non perdurasse, quum ei subrogata fuerit poena longe maior, scilicet excommunicatio, iure merito displicet Wernz (*loc. cit. 171. [171]*), cui praeierat scriptor ephemeridis " Monitore ecclesiastico „ (*vol. X. part. 2. pag. 276*) reprehendens sententiam De Luca (*Prael. Iur. can. II. 401*) defendentis, verius nunc omnes poenas a iure latas contra alienantes coerceri ad unam excommunicationem. Quoad hanc vero privationem beneficii notandum est, requiri saltem pro foro externo (Petra *tom. V. tit. XIX. sect. 4. n. 39*) sententiam declaratoriam non quidem vacationis beneficii, sed criminis admissi. Mon. Eccl. *loc. cit.;* Wernz *l. c. 171. (169).*

Regulares vero *alienationis crimen admittentes* praeter excommunicationem plectuntur etiam poena privationis vocis activae et passivae, officiorum, quae obtinent, et inhabilitate ad ea denuo obtinenda; quae poenae ab ipsis incurruntur ipso facto absque alia declaratione. *Decr. S. C. C. sub Urbano VIII. 21 mart. 1626. confirm. ab eadem S. C. C. 1 sept. 1657, 26 mart. 1659;* Ferraris *Prompt. bibl. v.* " *Alienatio* „ *art. 6. n. 9; C. B. aa. 20. 268. 280; C. A. aa. 869-871.* 309

Consulentes autem alienationem locorum ad S. Sedem immediate seu mediate pertinentium excommunicationem l. s. simpliciter Romano Pontifici reservatam incurrunt. *Const.* " Ap. Sedis „ *ser. 2. n. 13.* Obiectum huius excommunicationis est infeudatio civitatum et locorum ad dominium S. Sedis pertinentium seu alienatio dominii non cuiuslibet, sed indirecti, quocumque modo fiat, ut constat ex Const. Pii V. " Admonet nos „ *IV. kal. apr. 1567. § 3.* et Clementis VIII. " Ad Rom. Pont. curam „ *26 iun. 1592. § 3,* quae in Const. " Ap. Sedis „ confirmantur. Quare hac excommunicatione non plecterentur ii, qui suaderent Pontifici, ut renuntiet dominio temporali, quod iure nunc obtinet et de facto ad haec usque tempora obtinuit, seu qui auctores ipsi sunt conciliationis ineundae cum Gubernio italico. D'Ann. *l. c. n. 143;* B. P. *VII. 313.* Ratio est, quia haec non esset vera alienatio, quae tunc fit, quum dominium a nobis in alium transferimus (B. P. *l. c.*); ratio brevis et urgens. 310

tit. de rebus eccl. alienandis vel non X. (III. 13); tit. de rebus eccl. non alien. (III. 9) in 6°; tit. de rebus eccl. non alien.

(III. 4) in Clem.; c. un. de rebus eccl. non alien. (III. 4) in Xvag. comm. = Const. Pauli II. « Ambitiosae » kal. mart. 1468; Motus propr. Ben. XIV. « Essendo ben gravi » 22 nov. 1742; decr. S. C. Episc. et Reg. de locat. et alienat. rer. eccl. 18 mart. 1835; Conc. Trid. sess. XXII. c. 11 de ref.; *Petra* Comm. ad Const. apostol. tom. V. ad Const. 5 Pauli II. « Ambitiosae „; *Redoanus* De alienationibus rerum ecclesiarum; *Eiusd.* De rebus ecclesiae non alienandis; *Ciarlini I. B.* Controversiarum forensium iudic. contr. 29, ubi de alienatione rerum eccles. ex cursu 30 ann. praesumenda etc.; *Muñoz F.* de rebus eccl. alienandis vel non; *Passerini P. M.* Tract. de hominum statibus tom. 1.; *Quaranta S.* Tract. de rebus eccl. non alienandis; *Peretti B.* Tract. de rebus ecclesiae non alienandis; *A Villagut A.* De rebus ecclesiae non rite alienatis recuperandis; *Pilaia I.* Instit. lib. II. cap. 6; *Stiatici A.* Repetitio in extrav. " Ambitiosae „; *Tileinanni B.* De alienatione et profanatione bonorum ecclesiasticorum; *Turricelli I. B.* De rebus ecclesiae non alienandis; *De Truxillo P.* De rebus ecclesiae alienandis vel non; *Barbosa* De off. et pot. episcopi all. 95; *Pignatelli* Consultat. cons. tom. 6 cons. 95; *De Luca* Th. ver. et iust. lib. 7. p. 3 de alienation. discurs. 1; *Ferraris* Prompta bibl. v. « Alienatio » et v. « Bona »; *Turricelli* De alienat. rerum eccl.; *Wiestner* Alienatio can. rerum eccl. temp.; *Lucidi* De visit. ss. lim. c. 7. n. 273 sqq.; *Trombetta* Praxis; *Thomassin* Vetus et nova eccl. disc. p. III. l. 2. praesertim c. 51. n. 4 sqq.; *Wernz* Ius decr. III. 133 sqq.; *Zech* De iure rerum eccl. sect. 4. tit. 1; *Hollweck* Die kirchl. Strafgesetze § 158 sqq.; *Hergenröther-Hollweck* Lehrbuch des kath. KR. n. 1097; *Sägmüller* Lehrbuch des kath. KR. § 197; Commentatores Const. « Ap. Sedis » in excomm. 3. inter excomm. nemini reservatas, praesertim *D'Annibale* n. 171; *Pennacchi* II; *Bucceroni* n. 86.

311 **Alimenta.** — Alimenta parentibus graviter indigentibus a filiis; vicissim filiis, etiam illegitimis (*c. 5. de eo qui duxit etc. X. [IV. 7]*), donec ipsi sibi subvenire valeant, a parentibus debentur, qui et illis thesaurizare debent. Ea sibi invicem coniuges debent (cf. Sanchez *de matr. lib. IX. d. 4. n. 19. sqq.*; attamen s. Alphonsus *III. 356.* asserit negari posse alimenta uxori, quae adulterium commisit); item sub gravi fratres fratribus in extrema aut etiam gravi necessitate, non item aliis consanguineis. G. B. *I. 221. 377.* Haec de iure naturae.

At iure positivo (quod in casu obli- 312
gat in conscientia) non in his tantum casibus adest aliquibus obligatio praestandi aliis alimenta. Iure italico haec statuta sunt:

Filii tenentur subministrare alimenta parentibus et aliis ascendentibus, qui iis indigeant. *C. It. a. 139; C. G. a. 205.* — Mutua obligatio alimentorum locum habet etiam inter socerum, socrum, generum et nurum. Haec obligatio cessat: 1°. quum socrus aut nurus ad secundas nuptias transierit; 2°. quum coniux, ex quo derivabat affinitas, et filii nati ex sua unione cum alio coniuge, aut eorum descendentes mortui sint. *C. It. a. 140; C. G. a. 206.* Ad subministrationem alimentorum, quae stricte sint necessaria, ius habent etiam fratres et sorores, quum propter defectum corporis aut mentis aut propter quamcumque aliam causam, quae ipsorum culpae imputari nequit, nequeunt ea sibi comparare. *C. It. a. 141.* Obligatio alimentorum primo incumbit coniugi, postea descendentibus, tertio loco ascendentibus, quarto loco genero et nurui, quinto loco soceri et socrui, postremo fratribus et sororibus. Inter descendentes gradatio regitur ipso ordine, quo vocarentur ad legitimam successionem illius,

qui ad alimenta ius habet. *C. It. a. 142.* — Alimenta debent assignari proportione servata inter indigentiam petentis et bona illius, qui ea debet subministrare. *C. It. a. 143; C. G. a. 208.* — Si post assignationem alimentorum superveniat mutatio in statu illius, qui ea subministrat aut qui ea recipit, auctoritas iudiciaria consulet cessationi, reductioni aut augmento pro variis circumstantiis. *C. It. a. 144.* (Cfr. *C. G. a. 209*). — Illi, qui alimenta subministrare debet, electio est satisfaciendi huic obligationi sive pensione alimentaria, sive recipiendo et sustentando domi suae illum, qui ad alimenta ius habet. Auctoritas iudiciaria poterit tamen pro variis circumstantiis statuere modum subministrationis alimentorum. Urgente necessitate, auctoritas iudiciaria poterit etiam ad tempus obligationem alimentorum imponere uni tantum ex iis, qui ad ea prae ceteris obligantur, aut obligantur prioribus deficientibus, salvo regressu erga alios. *C. It. a. 145.* (Cfr. *C. G. a. 210. 211*). — Obligatio subministrandi alimenta cessat morte illius, qui ad ea obligabatur, etsi ipse ea subministraret ad exsecutionem sententiae. *C. It. a. 146.*

Maritus tenetur protegere uxorem, eam apud se retinere, eique subministrare ea omnia, quae opus sunt necessitatibus vitae pro ratione substantiae suae. Uxor tenetur de suo conferre ad sustentationem mariti, si is de suo non satis habeat. *C. It. a. 132.* (Cfr. *C. G. a. 213. 214*). — Obligatio, qua tenetur maritus subministrandi alimenta uxori, cessat, quum mulier, quae absque iusta causa coniugale domicilium deseruit, non vult ad illud redire. *C. It. a. 133.*

Sanchez De matr. lib. IX. disp. IV. et V., lib. X. disp. XX.; *S. Alph.* III. 335 sq. 356. 976; *Surdi Io. Petr.* Tract. de alimentis; *Bossius Io. Ang.* Tract. de effectibus contractus matrimonii, ubi de universa alimentorum materia; *De Castillo I.* Tract. controversiarum quotidianarum tract. 8 de alimentis; *Coleri M.* Tractatus de alimentis; *Findekeller G.* De alimentorum praestatione; *Gentilis S.* Tract. de alimentis; *Parthesius I.* de alimentis; *Fragosi I. B.* De regimine reipublicae christianae; *Gasparri* Tr. can. de matr. II. 1373; *Ballerini-Palmieri* II. 163 sqq. 822. 826; *Ricci* Corso teor. prat. di diritto civile I. 2. n. 23 sqq.; *Lessona C.* La prova dei fatti negativi e le azioni per alimenti (in Foro ital. 1894); *Quartarone M.* Il diritto agli alimenti e le azioni alimentari, secondo il codice civile e il codice di procedura civile d'Italia; *Olivi L.* Du conflit des lois en matière d'obligation alimentaire (in Revue de droit international, 1885); *Marenghi L.* Il diritto degli alimenti fra i coniugi e la separazione consensuale (in Mon. trib. 1886).

Alluvio. — Alluvio est species ac- 313
cessionis, et tunc habetur, quum agro meo, cuius fines ex aliqua parte sunt aquae fluminis proruentes, ex parte fluminis aliquid adiicitur, ita tamen lente, ut percipi nequeat quantum quoquo temporis momento ex agro alterius avulsum meo adiiciatur. Inst. Iust. *lib. II. tit. 1. de rerum divis. etc. § 20. 21.*

Ex dictis sequitur, tria necessaria esse ad acquirendum dominium alluvione:

a) quod ager ex parte fluminis nullum alium finem habeat praeter ipsum flumen (B. P. *III. 119*),

b) quod adiectio sit e flumine (nam " lacus et stagna, licet interdum exarescant, suos tamen terminos retinent; ideoque in his ius alluvionis non agnoscitur „ , *l. 12 de acquir. rerum dom. D. [XLI. 1]; C. It. a. 455; C. G. a. 558*),

c) quod ita fiat paullatim, ut non possit percipi sensu quantum ex agro alterius quoquo temporis momento adiiciatur meo (nam " si vis fluminis de tuo praedio partem aliquam detraxerit et vicini praedio attulerit, palam est, eam tuam permanere „. Inst. Iust. *tit. cit. § 21.* Codex Italicus *a. 456.* in hoc casu dat domino partis avulsae ius reclamandi proprietatem huius avulsae partis intra annum; quo termino elapso haec petitio non admittitur amplius, praeterquam in casu, quo dominus fundi, cui pars avulsa est adiecta, possessionem eius nondum ceperit. Cfr. *C. G. a. 559).*

Quum autem alluvione aliquid fundo meo adiectum est, meum fit, nec teneor damnum refundere domino agri avulsi.

Item si, naturali alveo relicto, flumen ad aliam partem fluere ceperit, prior alveus eorum est, qui prope ripam eius praedia possident, pro modo scilicet latitudinis cuiusque agri, qui prope ripam sit (Inst. Iust. *tit. cit. § 23*); cui veteri consonat ius italicum (*C. C. a. 454*) statuens, terrenum derelictum ab aqua fluente, quae sensim sine sensu secedit ab altera ripa super alteram se transferens, spectare ad dominum ripae detectae, quin dominus praedii in opposita ripa reclamare possit terrenum amissum. Cfr. et *C. G. a. 557.* Quod si ita immutetur alveus, ut terrenus derelictus maneat conterminus duobus fundis, prior iste alveus ripuariis accedit, qui eum sibi aequis partibus dividunt pro riparum longitudine. *C. It. a. 461; C. G. a. 563.*

Quoad novam insulam in flumine natam, Vid. *Insula.*

Aymus I. B. De alluvionum iure universo etc.; *Carazzi C.* Trattato de aluvionibus; *Eiusd.* Del modo di dividere le aluvíoni; *Bartoli a Saxoferrato* Tract. de fluminibus seu Tyberiadis et aluvionibus; *Benincasius C.* Compendiolum de aluvione; *Ursellus L.* Examen apum concl. 74.; *Gobius A.* Tract. de aquis; *Serragli P. F.* Le accessioni fluviali nel diritto romano e nel codice civile italiano (in Archiv. giurid. v. 41); reliquam bibliographiam quaere sub *Accessio.*

Almutia. — Almutia est genus quod- 314
dam insignium canonicalium. Eam super altari retinere canonico celebranti non licet, neque ea uti debet hebdomadarius, nec denique diaconus et subdiaconus super brachio eam possunt deferre. Et haec omnia ubique servanda sunt, non obstante qualibet consuetudine in contrarium introducta. *S. R. C. in una Germaniae 15 febr. 1659 (1104).* Quare canonici parati almutias deferre omnino non debent; defuncto vero canonico, etsi parato, imponi potest almutia super brachio. *S. R. C. in una Dalmatiarum 4 aug. 1663 ad 10 (1275); in Castellaneten. 2 apr. 1667 (1352).* Canonicis autem habentibus usum cappae non licet uti almutia. *S. R. C. in Cusentina 13 iul. 1675 ad 1 (1543).* — Non licet autem almutias assumere sine licentia Sedis Apostolicae. *S. R. C. in Balneoregien. 31 maii 1642 (795).*

Aloisius (Sanctus). — Dignum est 315
mentione, et praxi utile sequens decretum Sacrae Congregationis Rituum quoad festum S. Aloisii Gonzagae. « Per decretum S. Congr. Indulg. die 22 aprilis 1742, editum et in actis S. Rituum Congregationis exhibitum die 29 ianuarii 1746 ubicumque festum S. Aloisii Gonzagae Conf. cum solemnitate fieri contigerit, dies pro eodem festo, in singulis ecclesiis, et oratoriis, a rmis lo-

corum ordinariis opportune designanda permittitur, cum extensione, ad praedictam diem, indulgentiae plenariae a christifidelibus in forma ecclesiae consueta lucrandae; et officii et missae propriae de ipso Angelico Iuvene a clero peragendae. Hinc a nonnullis ecclesiasticis curiis postulatum fuit: " Utrum iuxta praxim Sacrae Rituum Congregationis, omnes missae propriae de sancto Aloisio celebrari valeant qualibet die a rm̃is ordinariis, ut in casu, designata? „ Et Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto secretario, reque mature perpensa, rescribendum censuit: *Affirmative:* dummodo non occurrant duplex primae classis et dominica privilegiata item primae classis quoad missam solemnem; aut etiam duplex secundae classis, nec non dominicae, feriae, vigiliae, octavaeque privilegiatae quoad missas lectas; neque omittatur missa conventualis vel parochialis officio diei respondens, ubi eam celebrandi adsit onus; servatis rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque ». *Die 27 iunii 1896 (3918).*

316 **Alphonsus de Ligorio (Sanctus).** — Quoad doctrinam S. Alphonsi de Ligorio iuverit hic transcribere duo sequentia documenta auctoritatis ecclesiasticae.

I. 1° An s. theologiae professor opiniones, quas in sua theologia morali profitetur S. Alphonsus a Ligorio, sequi tuto possit ac profiteri? — 2° An sit inquietandus confessarius, qui omnes S. Alphonsi a Ligorio sequitur opiniones in praxi sacri poenitentiae tribunalis hac sola ratione, quod a Sancta Sede Apostolica nihil in operibus eius censura dignum repertum fuerit, cum adnotatione, quod nempe confessarius iste non legit opera beati doctoris, nisi ad cognoscendam accurate eius doctrinam, non perpendens momenta rationesque, quibus variae nituntur opiniones: sed existimans se tuto agere eo ipso, quod doctrinam, quae nihil censura dignum continet, prudenter iudicare queat sanam esse ac tutam, nec ullatenus sanctitati evangelicae contrariam? — R. Ad 1ᵘᵐ: Affirmative, quin tamen inde reprehendendi censeantur, qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur. — Ad 2ᵘᵐ vero negative, habita ratione mentis S. Sedis circa approbationem scriptorum servorum Dei ad effectum canonizationis. — *S. Poen. 5 iul. 1831.*

II. Em. et Rm. Dm., Supplex infrascriptus ad officium praefecti publicarum collationum moralium a suo episcopo nominatus, ob propriam erga S. Alphonsum a Ligorio devotionem ac reverentiam, valde optat eiusdem tanti sancti doctrinam in omnibus tenere, tradere et tueri, idque in proxime edendo dioecesano calendario (sicut etiam praelaudato suo episcopo erga S. Alphonsum admodum propenso placet) palam facere, inhaerendo et servando decisionem hac super re editam sub die 5 iulii a. 1831 ab hac S. Poenitentiaria. Verum quoad id aliquali religione detinetur, eo quod quum gradus academicos iampridem obtinuit, iuramentum ut infra praestitit, eiusdem se universitatis (quae probabiliorismum et probabilioristarum sententias sequitur) doctrinam retenturum. Quum haec ita sint, et quum insuper clarissimus

Scavini, qui idem iuramentum emisit, in sua theologia morali SS. D. N. Pio IX. dicata, eumdem S. Alphonsum praecipuae ducem habuerit, hinc pro suae conscientiae quiete humillime ad Eminentiam vestram recurrit, et instanter supplicat:

1°. Ut doceatur, an praefato iuramento obstet S. Alphonsi a Ligorio doctrinam in omnibus sequi et publice tradere, ut supra exponitur; — vel 2°.: ut ab eodem servando iuramento dispensetur.

R. Ad 1um.: Negative — Ad 2um.: Provisum in primo. — *S. Poen. 19 dec. 1855.*

317 **Altare. — De altari quoad missam.** — Altare lapideum et consecratum ab episcopo, sive ab abbate facultatem a Sede Apostolica habente (Rubr. gen. Miss. *tit. XX*), tribus mappis benedictis opertum (vid. *Mappa*), ad missam requiritur. *S. R. C. in Rhedonen. 6 oct. 1837 (2777).*

318 Haud licet sacerdotibus latinis celebrare in ecclesiis graecorum unitorum non super altare portatile lapideum, sed super altaria portatilia (*antimensia*) graecorum, quae sunt ex tela ab episcopo unctionibus et reliquiis consecrata. *S. U. I. 7 iun. 1726.*

319 Aliud est fixum, aliud portatile; sed utrumque consecratione indiget; et circa utrumque unctiones sunt adhibendae, reponendae in sepulcro reliquiae *SS. Martyrum* (etiam unius tantum, non tamen ex veste etc., sed corporis; reliquiis vero Martyrum addi *possunt* etiam reliquiae SS. non Martyrum, non tamen debent, etsi repositae fuerint reliquiae unius tantum S. Martyris, *S. R. C. in Wilnen. 16 febr. 1906 ad 3*) quibusdam praescriptis ceremoniis, a quibus, quemadmodum ab ipsa repositione reliquiarum, S. Sedem dispensasse numquam ait citatum decretum S. C. Rituum in Rhedonen. Quod tamen non est verum. Nam iam 14 maii 1681 dispensatum est quoad hoc per S. Officium cum missionariis Tunkini (cfr. *Coll. S. C. P. F. n. 825*), et per S. C. de Prop. Fide cum Sinensibus 14 ian. 1802 (cfr. *Coll. S. C. P. F. n. 829*) atque iterum 8 iul. 1838 (cfr. *Collect. S. C. P. F. n. 831*), durante persecutione vel eius rationabili metu. Nuperrime autem concessum est episcopo Nicteroyensi in Brasilia, ut toleraretur usus celebrandi in altaribus, quae exstant, sine reliquiis sanctorum, quousque episcopus in eisdem altaribus ritu praescripto reliquias collocaret. *S. U. I. 17 ian. 1900.* Attamen regula generalis ea est, quam supra diximus. Hinc declaratum est, non posse servari usum sacrorum lapidum reliquiis carentium, sicubi huiusmodi lapides exstarent. *S. R. C. in Lamacen. 29 apr. 1887 ad 1 (3674).*

Fixum autem seu *immobile* dicitur 320
altare, cuius structura parieti, columnis aut pavimento immobiliter adhaeret, et cuius mensa cum basi unum compositum constituit, sive eius mensa sit unus lapis (et tunc proprie dicitur fixum), sive ex muro confecta cum ara lapidea, quae dicitur portatilis (et tunc dicitur ad modum fixi). *S. R. C. in una S. Hippolyti 31 aug. 1867 ad 1 (3162).* *Mobile* vero est *altare,* cuius mensae ex ligno vel alia materia confectae ara lapidea et portatilis imponitur, ita tamen ut altare de loco in locum dimoveri et transferri possit. Si in ecclesia,

etsi solummodo benedicta, nullum altare fixum, sensu supra exposito, inveniatur, convenit ut unum saltem erigatur, et decet illud esse altare maius. *S. R. C. eod. decr.*

321 **De consecratione et exsecratione altaris.** — Relate ad consecrationem et exsecrationem altaris, strictiori sensu haec verba (*fixum* et *portatile*) sumuntur, respectu habito ad solum altaris lapidem; et altare *fixum* dicitur lapis tegens superficiem altaris, stipitibus seu columellis lapideis innixus et cum ipsis unum aliquod totum efformans; *portatile* vero est simplex lapis consecratus, qui absque nexu mensae altaris, ex ligno aliaque materia confectae, inseritur, et talis debet esse, qui calicis pedem cum patena, saltem quoad maiorem partem, capere possit.

322 Quoad *qualitates* altaris *fixi* relate ad *consecrationem* nota ea, quae sequuntur.

Altare *fixum* debet ad validitatem consecrationis construi cum tota mensa ex uno et integro lapide (*S. R. C. in Eugubina 29 augusti 1885 [3640]; in Meliten. 26 apr. 1890 [3725]*); atque hinc altare, cuius tabula, seu mensa non ex uno, sed ex tribus lapidibus ad formam unius coniunctis constabat, consecratum ut fixum, invalide consecratum est. *S. R. C. in Salamantina 14 nov. 1891 (3750).* Hinc etiam eadem S. Rituum Congregatio edixit, altare sive fixum sive portatile enormiter fractum, licet firmiter coementatum, aut ex pluribus lapidibus efformatum, valide consecrari non posse. *S. R. C. 19 maii 1896 ad 3 (3907).* — Quaesitum est etiam, utrum consecrari possit altare, cuius mensa lapidea in medio, ubi recondendum est vasculum reliquiarum, est perforata ex utraque parte; et responsum est, in cavitate sepulcruli iam effossi collocandam esse alteram basem lapideam, ut super eam reponatur capsula reliquiarum. *S. R. C. in Camberien. 8 februarii 1896 (3884).* In quadam ecclesia consecratum fuit altare fixum maius, cuius mensa erat ex lapide adeo fragili, ut in actu consecrationis quarta eius pars abrupta sit et divisa. Tunc ceremoniae omnes reliquae perfectae sunt, et unctiones in quatuor angulis potioris partis coniunctim cum stipite. Responsum est, altare invalide consecratum fuisse. *S. R. C. in Quesnen. 8 iun. 1894 ad 2 (3829).* Sed et praeterea ad hoc ut dicatur lapideus (quod necessarium est ad qualitatem altaris fixi pro consecratione) necesse est, ut structurae inferiori coniungatur saltem stipitibus lapideis (*S. R. C. in Cuneen. 7 aug. 1875 ad 2 [3364]; in Senien. et Modrussen. 14 dec. 1888 ad 1 [3698]*); hinc non licet consecrare altare, cuius nucleus, quamvis lapideus, undique tamen tectus est lateribus, quibus superinducta est crusta *marmorizata,* quam vocant. *S. R. C. decr. nuper cit. ad 2.* Attamen altaria, quorum mensa seu integra tabula lapidea nulla ex parte coniungebatur structurae lateritiae inferiori, ceu fixa consecrata, valide consecrata fuisse respondit S. Rituum Congregatio, indulgens simul episcopo de speciali gratia, ut altari iam consecrato adderentur stipites lapidei, atque unctiones praescriptae in angulis private iterarentur, ut mensa cum iisdem stipitibus coniungeretur. *S. R. C. in Gnesnen. 8 iun. 1894 ad 1 (3829).*

Insuper altare fixum debet esse ple-

num, ad quam qualitatem necesse est et sufficit, ut tabula altaris innitatur super quatuor lateribus ita clausis, ut post consecrationem nihil intra altare immitti possit; nec necessarium est, ut tabula altaris ita innitatur substrato lateritio operi, ut nihil omnino vacui subtus ipsum altare habeatur. *S. R. C. in Nivernen. 28 sept. 1872 (3282).* Hinc respondit S. Rituum Congregatio consecrari posse altaria ita constructa, ut tabula lapidea super stipitem itidem lapideum ex utraque parte ponatur, relicto in medio spatio quodam vacuo, sub quo recondantur capsae sacrarum reliquiarum ita commode dispositae, ut oculis fidelium diebus saltem solemnioribus appareant; nec non altaria, quae omni ex parte super stipitem reponuntur, sed ab anteriore parte nituntur columnulis, quae stipitis locum tenent circiter ad medietatem tabulae (*S. R. C. in Trecen. 20 dec. 1864 [3126]*); at e contra non posse consecrari ad instar altaris fixi altare, quod undequaque per se stat (*isolato*), cuius mensa sustentatur solum marmoreis columellis positis in fronte et in lateribus; subtus vero et a parte posteriori vacuum et apertum est ad recipiendam arcam ligneam pro asservandis paramentis. *S. R. C. in Tridentina 20 dec. 1890 (3741).*

323 Quoad altaria *portatilia* haec sunt notanda. Altaria portatilia, quae sunt ex lapide, non quidem marmoreo, sed compacto et duro, idonea sunt, quae consecrentur, et proinde pro sacrificio (*S. R. C. in una Americae 13 iun. 1899 ad 1 [4032]*); quare retineri possunt sacri lapides efformati e schisto lapide satis duro. *S. R. C. in Lamacen. 29 apr. 1887 ad 2 (3674).* Sed altaria portatilia, quae constant ex lapide puniceo sive ex gypso nec tolerari (*S. R. C. decr. cit. 13 iun. 1899 ad 2 [4032]*), nec retineri possunt. *S. R. C. decr. cit. 29 apr. 1887 ad 3 (3674).* Cfr. etiam *S. R. C. in Fulden. 31 mart. 1887 (3671).* Attamen altaria portatilia fieri possunt ex ardesia, seu *lavagna,* ut dicitur. *S. U. I. 14 maii 1681.* — Lapides sacri, quorum sepulcrum non in medio, sed in fronte effossum est, non sunt admittendi (*S. R. C. decr. cit. 13 iun. 1899 ad 3 [4032]*; quo decreto indultum est, ut ii, qui iam exstabant, quum commode fieri posset, breviori formula consecrarentur). — Non potest adhiberi coementum tantum loco lapidis seu operculi pro claudendis reliquiarum sepulcris in consecratione altaris portatilis, et, si talia altaria exstarent, debet coementum extrahi, et pro ipso, de more, lapis substitui, ac integra consecratio est repetenda, nisi indultum fuerit ut brevior ritus usurpetur. *S. R. C. in Arichaten. 28 iul. 1883 (3585).* Nec tolerari possunt altarium sacrae mensae portatiles ita constructae, ut in ipsis reliquiarum sepulcrum non sit obductum parvo lapide et sigillatum calce, sed quadam subtili lamina confecta ex *ottone* aut *latta,* calce sigillata, vel ad quatuor angulares extremitates stamno firmata, vel alia lamina ferrea minus lata sed longiore, transverse super illam deducta, hinc et inde infixa in lapide. *S. R. C. in Bergomen. 16 sept. 1881 (3532).* — Admitti etiam nequeunt altaria portatilia, quae ex duabus partibus constent, quarum pars superior sit lapis, pars inferior sit lignum, et inter lapidem et lignum in quodam concavo spatiolo positae sint

reliquiae sanctorum, quae proinde ex una parte lapidem, ex altera parte lignum tangant; sed reliquiae recondendae sunt in sepulcro intra lapidem effosso, et claudendae cum parvo operculo ex lapide etiam confecto. *S. R. C. decr. cit. 31 aug. 1867 ad 2 (3162).* Vid. *Sepultura, Sigillum.*

324 Coementum pro firmando in altari portatili sepulcri lapide benedicendum est ritu praescripto pro altaris fixi consecratione; et ipse episcopus debet sepulcrum coemento linire et lapide claudere, nisi agatur de pluribus aris portatilibus consecrandis, quia tunc satis est, ut episcopus liniat coemento labium sepulcri unius arae, et dum ipse prosequitur in repositione sacrarum reliquiarum, possunt sacerdotes assistentes lituram et cuiusque sepulcri clausuram peragere; non debet autem apponi super parvum sepulcrum altaris sigillum episcopale. *S. R. C. in Bellunen. 10 maii 1890 (3726).*

325 Nota, in consecrandis altaribus (tum fixis, tum portatilibus) unctionem olei sacri in medio tabulae lapideae numquam omitti debere, quamvis crux ibidem sculpta non sit; attamen si haec unctio fuerit omissa, validam esse consecrationem. *S. R. C. in Maurianen. 2 maii 1892 (3771).*

326 In ecclesia tantum benedicta potest consecrari altare, etiamsi prius ipsa non fuerit consecrata. *S. R. C. in Molinen. 12 sept. 1857 ad 15 (3059).*

327 In ecclesiarum consecratione omnino debet consecrari altare (*S. R. C. in Oppiden. 24 maii 1844 [2866]; in Fesulana 12 aug. 1854 [3025]; in Augustodunen. 3 mart. 1866 ad 1 [3142]*); quod tamen non requiritur ad validitatem, sed ad liceitatem tantum, nisi habeatur apostolicum indultum (*S. R. C. 19 maii 1896 ad 1 [3907]*), quo opus est etiam in casu quod omnia altaria iam fuerint consecrata. Non potest autem ad consecrationem ecclesiae procedi a duobus episcopis, ita ut unus ecclesiae, alter altaris eiusdem ecclesiae consecrationem peragat. *S. R. C. decr. cit. 3 mart. 1866 ad 2 (3142).*

Quoad quaedam concernentia ritum consecrationis altaris, Vid. *Consecratio.*

Quoad *exsecrationem altaris* haec 328
habe. — Altare *fixum* amittit consecrationem non solum per fracturam enormem seu notabilem (nam levis fractura in uno aut altero cornu non efficit, ut altare amittat consecrationem, *S. R. C. in Carpen. 3 mart. 1821 [2612]*), sive haec fractura enormis fuerit ob quantitatem, sive propter locum unctionum (*S. R. C. decr. cit. 6 oct. 1837 [2777]; in Policastren. 23 iun 1879 ad 1 [3497]*); sed etiam per remotionem mensae a stipite (*S. R. C. in Senogallien. 15 maii 1819 [2599]*); etsi integra permanserit mensa et inviolatum reliquiarum sepulcrum (*S. R. C. in Brixien. 20 mart. 1869 [3198]*); hinc altaria fixa cum integra tabula ex lapide, ab alia ecclesia, ubi primitus tamquam fixa consecrata fuerunt, ad aliam translata, habenda sunt pro exsecratis. *S. R. C. in Lucana 3 sept. 1879 ad 1 (3504).* Pariter exsecratum est altare, sive fixum sive portatile, quod reliquias amisit, seu cuius sepulcrum confractum est (*S. R. C. in Vivarien. 7 dec. 1844 [2876]*), nec sufficit in huiusmodi altari absque nova consecratione alias reliquias authenticas tumulare (*S. R. C. in una Sancti Flori*

7 dec. 1844 [2880]), etsi hoc ab episcopo, vel de eius auctoritate fiat. *S. R. C. in una Sancti Flori 23 maii 1846 (2911)*. Eodem modo habenda sunt exsecrata ea altaria, quorum sepulcra aperta sunt, et post repertas reliquias iterum clausa. *S. C. R. in una S. Hippolyti 31 aug. 1867 ad 5 (3162)*. Hinc nova indiget consecratione altare, cuius lapis, quo sepulcrum obtegebatur, ob defectum calcis sepulcro amplius non haerebat, ad quod melius explorandum episcopus lapidem amovit et sublevavit, quin tamen ullo modo reliquias tangeret. *S. R. C. in Neoporten. 14 mart. 1861*. Hinc etiam quum tota mensa altaris consecrati ad modum fixi e suis stipitibus fuerit sublevata, etsi non omnino dimota, et novo coemento ipsis stipitibus firmata postea fuerit et coniuncta, quamvis sepulcrum reliquiarum non fuerit apertum, altare censendum est exsecratum. *S. R C. in Neapolitana 23 febr. 1884 ad VII. (3605)*.

329 Quando in altari lapis sepulcri firmus non invenitur, sed certo constat numquam fuisse amotum, episcopus potest per se (et per alium tunc tantummodo, quum obtinuerit apostolicam facultatem subdelegandi) illum novo coemento firmare; nec altare eo ipso profanatum censendum est, ita ut nova indigeat consecratione; at si dubitari possit amotum fuisse lapidem, altare denuo consecrandum est forma consueta, vel breviori, si haec ab Apostolica Sede fuerit impetrata. *S. R. C. in Ravennaten. 18 maii 1883 ad 10 et 11 (3575)*.

330 Altare *portatile seu mobile* exsecratur:

1°. quando ita frangitur, ut pars remanens non sit amplius apta ad commode continendum calicem et patenam cum hostia;

2°. quando ipsius anguli, in quibus ponitur chrisma, notabiliter et enormiter franguntur;

3°. quando frangitur (nempe per fracturam enormem seu notabilem, ut supra de altari fixo diximus, *S. R. C. decr. cit. 6 oct. 1837 [2777]* — vel loco movetur repositorium reliquiarum, idest sepulcrum, non autem, quando fractum est tantummodo sigillum ab episcopo appositum (*S. R. C. in Bituricen. 5 dec. 1851 ad 1 [2991]*; Ferraris *Prompta bibl. art. Altare n. 29*);

4°. quando licet nec sepulcrum fuerit violatum, nec enormis fractura adsit, tenui scissura laborat, quae per medium integrum lapidem decurrat ad instar fili. *S. R. C. decr. cit. 31 aug. 1867 ad 3 (3162); decr. cit. 23 iun. 1879 ad 2 (3497)*.

Quoad tertium nota, quod si sepulcrum reliquiarum non fuerit apertum, sed tantummodo novo coemento firmatum, altare non indiget nova consecratione: secus indiget. *S. R. C. in una Ord. Cirsterciensis 25 sept. 1875 (3379)*. Hinc altaria portatilia, in quibus prudenter praesumi nequit sepulcrum reliquiarum fuisse apertum, rimula tamen quaedam cernitur inter sepulcrum ipsum eiusdemque operculum, quod admota manus dimoveri dignoscit ob defectum cohaesionis, non sunt censenda exsecrata, sed potest episcopus rimulam illam implere et operculum firmare coemento prius tamen iuxta Pontificale Romanum benedicto. *S. R. C. decr. cit. 3 sept. 1879 ad 2 (3504)*.

331 **Varia.** — In eadem ecclesia non possunt duo altaria erigi in honorem unius eiusdemque sancti (*S. C. EE. RR. 31 ian. 1871; 3 iul. 1874*); licet tamen plura erigere in honorem D. N. I. Chr. aut B. Virginis, dummodo sub diverso titulo. Cfr. *S. R. C. in Fanen. 27 aug. 1892 (3791);* Mon. eccl. *vol. I. pag. 58.*

332 In ecclesiis, in quibus altare maius est orientalis formae, potest extra chorum in parte eiusdem altaris anteriore, ad populi commoditatem, celebrari missa privata ac distribui fidelibus s. communio, nec non ss. Sacramentum publice exponi et cum eodem adstantibus benedici etiam in oratione quadraginta horarum, in qua tamen missa expositionis celebranda est in parte occidentali, choro, si fieri potest, in eadem parte adstante. *S. R. C. in una Urbis (Bas. S. Laurentii in Damaso) 30 mart. 1886 (3657).*

333 Polluta vel violata ecclesia, polluitur vel violatur etiam altare in ea fixum, non autem portatile. Ratio autem differentiae in eo est, quod altaria fixa in ecclesia contenta faciunt cum ipsa ecclesia unum quasi corpus, non item altaria portatilia. Exsecrato autem altari fixo, non exsecratur ecclesia, et exsecrata ecclesia, non exsecratur altare sive fixum sive portatile, quod in ea est. Ratio autem est, quia consecratio est aliquid, quod censetur afficere sive ecclesiam sive altaria, prout distincta sunt, non prout efficiunt, vel non, unum corpus. Ferraris *loc. cit. n. 27 et 31.*

334 Supra altare nihil omnino ponendum est, quod ad missae sacrificium vel ipsius altaris ornatum non pertinet, ex rubricis generalibus missalis (*tit. XX*); hinc ne manutergium quidem ad hoc ut exsiccetur. Quare a Sacra Rituum Congregatione improbatus est usus, qui alicubi invaluerat, relinquendi tempore missae super altare, et quidem in posteriore eius parte, circumvolutum ligneo bacillo stragulum, quod inservit tobaleis altaris extra missam operiendis, ne pulvere sordeant. *S. R. C. in Cuneen. 15 iun. 1883 ad 2. (3576).*

Rubr. gen. miss. tit. 20; cc. 11. 12. 30 dist. 1.; tit. de consecr. eccl. vel altaris X. (III. 40); *Ursellus L.* Examen apum concl. 95; *Zapsius N.* De dedicationibus templorum et altarium; *Gattico* De usu altaris portatilis cc. 1. sqq.; *Zech* De iure rerum eccl. sect. 1. tit. 3 et 4; *Mühlbauer* Th. res. S. C. C. v. « Altare »; *Gasparri* Tr. can. de ss.ma euch. I. 280 sqq.; *Sägmüller* Lehrbuch des kath. KR. § 157. 165; *Probst* in Kirchenlexicon art. « Altar »; *Wernz* Ius Decr. III. 461 sqq.; *Hergenröther-Hollweck* Lehrbuch des kath. KR. n. 804; *Benedictus XIV* De syn. dioec. lib. XIII. c. 15. n. 2 sqq.; *Thalhofer* Handb. der k. Liturg. I. § 57; *De Herdt* Praxis pontificalis III. 379 sqq. 382 sqq.; *Schüch* Handbuch der Pastoraltheologie § 192 sqq.; Monitore ecclesiastico vol. 1. pag. 225 sqq.

Altare portatile. — Loquimur hic 335 tantum de privilegio altaris portatilis, seu viatici, ut vocatur, non de ipso altari portatili in se inspecto, quum de eo iam supra sermonem satis fecimus. Porro privilegium hoc in eo est, ut quis possit supra altare portatile celebrare quocumque in loco, congruo tamen et decenti. Quare privilegium huiusmodi in hoc praecise situm est, ut quis extra ecclesiam et oratoria publica seu semipublica celebrare valeat.

Hoc autem privilegio nonnulli ex 336 concessione speciali ipsis a Sede Apostolica facta (quae concessio nunc fit

per Secretariam Brevium), nonnulli ex ipso iure gaudent. Hi sunt cardinales (*S. C. C. 18 febr. 1623*), et episcopi, qui longe absunt a suis domibus seu ecclesiis et dioecesibus (nempe a die eorum promotionis in consistorio, Gasparri *De euch. I. 265*); non autem vicarii capitulares, nec abbates titulares (*S. R. C. in Taurinen. 11 ian. 1676. [1557]*), nec alii quicumque inferiores, exceptis auditoribus Rotae Romanae, quibus hoc privilegium in praesenti est ex redintegratione omnium privilegiorum ipsis iamdiu concessorum a Clemente X. facta *XIV. kal. iun. 1671.* Inter privilegia enim ipsis prius concessa hoc reperiebatur ipsis conlatum a Clemente VII. *nonis aug. a. 1527.* et a Paulo III. *17 aug. 1537;* quod tamen extinctum fuerat decreto Concilii Tridentini *sess. XXII. de obs. et evit. in celebr. miss.*

Privilegium vero istud episcopis eorumque superioribus a Bonifacio VIII. concessum est (*c. 12 de privilegiis [V. 7] in 6°*), quia debent hi aliquando a suis ecclesiis et dioecesibus abesse, nec semper possunt commode ad ecclesias accedere pro missa celebranda vel audienda, sine qua celebrata vel audita nullum transire diem absque rationabili causa eos decet. — Nomine autem episcopi hic non veniunt tantummodo episcopi dioecesani, sed etiam episcopi titulares (*S. R. C. 22 aug. 1818 ad 1 [2585]*); quum et ipsos non deceat diem transire, quin missam vel celebrent vel saltem audiant.

Hoc autem privilegium episcoporum ita intelligendum est, ut liceat ipsis tum in eorum dioecesi tum extra, etiam sine consensu episcopi dioecesani, uti altari portatili in omnibus illis domibus etiam laicorum, in quibus ipsi episcopi forte occasione visitationis vel itineris hospitio excipiuntur, vel in aliis quibuscumque, in quibus commorantur per modum habitationis, etiam transeunter (Inn. XIII. *13 maii 1723;* Ben. XIV. *litt. datis ad Prim. Poloniae 2 iun. 1751*); non vero in illis laicorum domibus, ubi ipsi non commorantur (*decr. Clem. XI. 15 dec. 1703*); quare non posset episcopus in vim huius privilegii celebrare in domo privata alicuius infirmi, apud quem ipse non habitat, ad illius infirmi solatium. — Nec solum possunt ipsi missam sic celebrare, sed possunt etiam unam missam ab alio sacerdote celebrare facere, quam ipsi audiant, sive ipsi non celebraverint ea die nec celebraturi sint (*c. 12. cit. [V. 7] in 6°*), sive iam celebraverint ipsi et de missa agatur, quam, propria celebrata, episcopi solent audire. *S. R. C. decr. cit. 22 aug. 1818 ad 2.*

Pro altari mere portatili, quod in aliquo cubiculo erigant, possunt, ut patet, episcopi uti oratorio privato, si quod in ea domo exsistat, ubi habitant, sive habeatur privilegium celebrandi missam in eo oratorio, sive non. Quare etiamsi indultarius fecerit iam celebrare missam in eo oratorio ad sui commodum, potest episcopus suam missam ibi celebrare aut aliam celebrare facere, prout superius exposuimus. Gasparri *De euch. I. 268.*

Illi vero, qui hoc privilegio gaudent 337
ex personali concessione ipsis a Sede Apostolica facta, debent omnino stare concessionis brevi. Ordinarie in eo non conceditur celebratio plurium missarum, sed nullus dies excluditur, quare

potest eo privilegio quis uti etiam illis diebus, quibus non est permissum in oratoriis privatis celebrare iis, qui oratorii privati privilegio fruuntur. Quum autem in brevi addatur, celebrationem permitti in loco honesto et tuto, excipitur permissio celebrandi sub dio, sub terra, in mari, quae loca ex stylo sacrarum Congregationum vel non honesta vel non tuta habentur. Notandum tamen hic, ex eo quod locus honestus praecipitur, non imponi talem debere esse locum, qui ab omnibus domesticis usibus liber sit (Gasparri *De euch. I. 272*), quod etiam praescribitur in privilegio oratorii privati.

Privilegium altaris portatilis, si petatur a non sacerdote eique concedatur, importat permissionem audiendi missam ab aliquo sacerdote requisito celebratam in altari portatili, seu in loco honesto et tuto ab indultario pro sui commodo electo. Attamen nisi plures missae expresse permittantur, una tantum intelligitur permissa missa, ut superius diximus, non plures; et quidem celebrari ea nequit, nisi praesente indultario.

His autem, quibus privilegium conceditur altaris portatilis, adnumerandi sunt ordinarie missionarii, qui hoc privilegium obtinent vel immediate a S. Sede (Cfr. *S. C. P. F. pro Sinis 13 aug. 1669*), vel etiam ab ipsis vicariis apostolicis, quibus plerumque S. Congregatio de Prop. Fide indulget, ut missionariis communicare possint privilegium celebrandi super altare portatile etiam sub terra et sub dio, loco tamen decenti.

Regularibus etiam nonnullis post Concilium Tridentinum datum seu restitutum est hoc privilegium altaris portatilis, sive sine restrictione, sive cum aliqua restrictione. Sic Societati nostrae hoc privilegium a Greg. XIII. restitutum est brevi " Usum altaris „ *1 oct. 1579,* ita " ut *inter missiones,* quae a superioribus fiunt (idest de mandato superiorum), presbyteri nostri, servata alias forma concessionis Pauli III. (videlicet cum debita reverentia et honore), missae sacrificium licite valeant celebrare super huiusmodi altari (portatili) ubique gentium, etiam in castris militum; modo loca, etsi communia et profana, tuta et honesta sint, et generalis aut per eum provinciales praepositi, eo tunc utendum fore iudicaverint. Itidemque possint ibi presbyteri ipsi ss. eucharistiae sacramentum ministrare fidelibus ad illud sumendum debite praeparatis „. Cfr. Gasparri *De euch. I. 262,* ubi et hoc privilegium refert, et alia innuit similia aliis regularibus concessa.

c. 12. dist. 1. de cons.; c. 30 de privil. etc. X. (V. 33); c. 12 de privil. etc. (V. 7) in 6°; Conc. Trid. sess. XXII. decr. de obs. et evit. in celebr. miss.; decr. Clem. XI. " Quoniam sancta „ 15 dec. 1703; Constit. Inn. XIII. " Apostolici ministerii „ ad ep. Hispaniae 23 maii 1723, quam constitutionem confirmavit Benedictus XIII. constitutione sua " In supremo militantis ecclesiae „ 23 sept. 1724; Constit. Ben. XIV. " Magno „ ad primatem etc. Poloniae 2 iun. 1751; Brev. Greg. XIII. " Usum altaris viatici „ 1 octobr. 1579; Brev. Urb. VIII. " Quum sicut „ 20 ian. 1626; Brev. Clem. XI. " Alias fel. record. „ 21 nov. 1703.; *Tuschi Dom.* Concl. pract. litt. A.; *Thomassin* Vetus et nova eccl. discipl. p. I. lib. 2. c. 96; *Gatticus* De usu altaris portatilis; *Ben. XIV* De sacr. missae lib. III. c. 6; *Fagnanus* in c. 25 de privil. n. 5 sqq.; *Passerinus* in cap. ult. de privil. in 6°; *Pe-*

tra Comm. ad Const. apost. comm. ad const. 8 Honorii III.; *Richter* in Conc. Trid. ad sess. XXII. n. 10 sqq.; *Gasparri* Tr. can. de ss. euch. I. 261 sqq.

338 **Altare privilegiatum.** — Altare privilegiatum tripliciter dici potest: minus quidem ordinarie, in quantum agitur de altari, in quo permittitur, etiam extra dies a rubrica permissos, celebratio alicuius missae votivae privatae; magis ordinarie, in quantum agitur de altari, pro cuius visitatione extraordinariae quaedam indulgentiae concessae sunt, quemadmodum est de septem altaribus privilegiatis in basilicis maioribus (Beringer *Les indulgences p. 2. sect. 3. n. 28*); ordinarie autem altare privilegiatum dicitur illud, in quo sacerdos missam celebrans plenariam indulgentiam, ex S. Pont. concessione, defuncto (et si expresse privilegiatum fuerit *pro vivis atque defunctis,* sive vivo sive defuncto), pro quo celebrat, lucratur. Cfr. Beringer *Les indulgences etc. loc. cit. n. 25.*

339 Privilegium hoc conceditur altari fixo (*S. Congr. Indulg. 18 iul. 1902*), eique inhaeret, non lapidi (*S. C. Indulg. 27 sept. 1843*); reviviscit, si altare destructum reaedificetur, etiam in diverso loco ecclesiae, sed sub eodem titulo. *S. C. Indulg. 18 iul. 1712; 16 sept. 1723; 24 apr. 1843.* Hinc etsi a S. Sede indultum locale altaris privilegiati concedatur, neque ulla facta sit mentio sive in supplici libello sive in rescripto de qualitate altaris, sitne fixum scilicet an portatile, numquam potest altare portatile seu viaticum censeri privilegiatum. *S. C. Indulg. ad arch. Mechlinien. 15 dec. 1841.*

Ne dubium exoriretur circa qualitatem altaris fixi (quae requiritur pro altari privilegiato), Pius IX. edixit et declaravit (quod iampridem fecerat Greg. XVI. decreto S. Congr. Indulgentiarum *ad arch. Mechliniensem 20 mart. 1846*), sufficere ad constituendam qualitatem altaris fixi, ut in medio altaris stabilis et inamovibilis, licet non consecrati, lapis consecratus etiam amovibilis ponatur. *S. C. Indulg. 26 mart. 1867; 18 iul. 1902.* Hinc patet, altare fixum, quod pro altari privilegiato requiritur, non esse univocum cum altari fixo, prout hoc in sensu liturgico contradistinguitur ab altari portatili.

Scilicet verbum hoc *fixum* sumitur hic in quantum significat stabile certum et determinatum: determinatio autem habetur ex titulo, seu ex eo quod altare in honorem alicuius sancti dicatum sit (*S. C. Indulg. in Leodien. 27 sept. 1843*); hinc altare aliquod privilegiatum, quod destruatur, et iterum sub eodem titulo construatur, non amittit privilegium (*S. C. Indulg. in Nanceien. 24 apr. 1843; in Mechlinien. 20 mart. 1846*), etsi aedificetur in alio loco, sed in eadem ecclesia. *S. C. Indulg. 16 sept. 1723.*

Privilegium altaris privilegiati distin- 340
guitur in *perpetuum,* quod perpetuo durat, quemadmodum concessit Benedictus XIII. pro uno altari designando semel pro semper ab ordinario in omnibus patriarchalibus, metropolitanis et cathedralibus ecclesiis (*Const. cit. 20 iul. 1724*); et *ad tempus,* quum tantum pro certo tempore concessum est, puta ad septennium, uti concessit Clemens XIII. (*decr. 19 mai 1759*) pro altari, ubi asservabatur ss. Sacramentum omnibus et singulis parochialibus ecclesiis uni-

versi orbis. Dicitur etiam *quotidianum,* quando singulis (et non tantum quibusdam hebdomadae diebus, ut aliquando concessum est) diebus indulgentia obtineri potest.

Inscriptio haec, quae reperitur in aliquibus altaribus, scilicet: *Altare privilegiatum pro vivis atque defunctis,* significat tam pro vivis, si in altari, de quo agitur, missae sacrificium pro vivis applicetur, quam pro defunctis, si pro his s. sacrificium applicetur, concessam esse plenariam indulgentiam; pro vivis quidem ad modum iurisdictionis, pro defunctis vero ad modum suffragii. *S. C. Indulg. decr. cit. 25 aug. 1897.*

Aliquando privilegium hoc est personale, et sacerdotis personae adhaeret quocumque in altari celebret; hinc privilegium hoc distingui etiam potest in reale et personale, prout adhaeret ipsi altari, vel personae tantum celebrantis.

341 In die commemorationis omnium defunctorum omnia altaria gaudent hoc privilegio. Clem. XIII. *19 mart. 1761.* — Praeterea ex rescripto Pii VII. *10 maii 1817* omnia altaria privilegiata sunt, dum in ecclesiis fiunt preces 40 hor. cum expositione ss. Sacr., quocumque anni tempore fiant, ad normam indulti Clementis XII. *1 sept. 1730* et Const. Benedicti XIV. *16 apr. 1747.*

342 Nota autem, missam celebratam ad altare privilegiatum esse per se privilegiatam, scilicet ad acquirendam indulgentiam defuncto, pro quo celebratur (vel etiam vivo, si is habeat conditiones requisitas), non esse necessarium, ut vel offerens eleemosynam vel sacerdos intendat applicationem privilegii. *S. C. Indulg. 12 mart. 1855.*

Ad lucrandum privilegium sacerdos 343
celebrans, quando fieri potest, uti debet paramentis nigris (*S. C. Indulg. 11 apr. 1840, 24 iul. 1885; S. R. C. in Bellicen. 22 iul. 1848 [2962]*); *quando fieri potest,* et proinde non in festis duplicibus (*decr. cit.*), nec quando quis celebrat missam conventualem diebus etiam, quibus missae privatae de requie permittuntur *(S. C. Indulg. 29 apr. 1903);* imo ne tunc quidem, quando quis ratione expositionis ss. Sacramenti sive stationis ecclesiae, sive alterius solemnitatis, celebrat missam de festo semiduplici, simplici, votivam vel de feria non privilegiata. *S. C. Indulg. decr. gen. 11 apr. 1864.*

Ad eumdem autem finem lucrandi 344
privilegium debet sacerdos privilegium applicare animae illius defuncti, pro qua missam celebrat. *S. C. Indulg. 18 dec. 1885.* Nam indulgentia altaris privilegiati separari nequit ab applicatione seu fructu sacrificii, nec potest quis celebrare sacrificium pro vivis et indulgentiam praedictam applicare pro defunctis. *S. C. Indulg. 25 aug. 1897; 23 ian. 1901.*

Privilegium hoc altaris, sive proprie dictum, sive personale, non potest applicari pluribus defunctorum animabus, sed uni tantum et certo defuncto. *S. C. Indulg. 29 febr. 1864.*

Per indulgentiam altari privilegiato 345
pro defunctis adnexam, si spectetur mens concedentis et usus clavium potestatis, intelligenda est indulgentia plenaria, quae animam statim liberet ab omnibus purgatorii poenis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligenda est indulgentia, cuius mensura divinae misericordiae beneplacito et accepta-

tioni respondet. *S. C. Indulg. in una S. Flori 28 iul. 1840.* Per indulgentiam vero adnexam altari privilegiato pro vivis intelligitur indulgentia plenaria vivo, pro quo missa celebratur, concessa, dummodo ea ipse sit capax, quando missa celebratur; circa quam habilitatem vide *Indulgentia.*

346 Sacerdos, qui missam celebrat pro defuncto, cui applicat indulgentiam plenariam altaris privilegiati, potest eodem die ratione sacrae communionis in missa peractae lucrari aliam indulgentiam plenariam vel sibi vel defunctis applicabilem, ad quam lucrandam praescribitur s. communio. *S. C. Indulg. 10 maii 1844. — C. A. a. 396.*

Const. Ben. XIII. " Omnium saluti „ 20 iul. 1724; decr. gen. Clem. XIII. 19 maii 1759; *Bellarminus* De indulgentiis lib. I. c. 14; *Ben. XIV.* Inst. eccl. 56, et de sacr. missae lib. III. c. 23. n. 8; *Beringer* Les indulgences p. 2. sect. 3 B; *Neher* Altare privilegiatum; *Amort* De origine etc. indulgent. p. 2. sect. 5; *Mocchegiani* II. 789 sqq.; *Schüch* Pastoralth. § 193; *Mignanti* Indulgenze della basilica Vaticana. op. approb. a S. Congr. Indulg.; *Theodorus a Spiritu Sancto* De indulgentiis p. 2. c. 1. a. 4. p. 53. Cfr. etiam bibliographiam sub *Altare.*

347 **Alternativa.** — Quoad alternativam relate ad servitium chorale pro canonicis, Vid. *Chorus, Mediaria.* — Quoad alternativam pro episcopis in collatione beneficiorum reservatorum Sedi Apostolicae, Vid. *Reservatio beneficii.*

348 **Alumni.** — Alumni in convictu regularium, qui nempe sit vere collegium proprium regularium, in quo educationis gratia iuvenes recipiantur instituendi, verius absolvi possunt a regularibus sine episcopi approbatione. — Si vero ageretur de convictu regularium hoc sensu, quod regulares advocati essent a R. P. vel ab aliquo episcopo in aliquem convictum pontificium seu episcopalem, quique talis manet, quum eius proprietas semper sit penes R. P. vel episcopum, ut iuvenes ibi colligantur et instituantur, huiusmodi alumni absolvi a regularibus, sine episcopi approbatione, verius, ut videtur, non possent. Hoc enim eruitur ex sententia card. De Lugo *Resp. mor. lib. IV. dub. 33,* ubi quaerit, num convictores seminarii reputentur ut familiares Societatis in ordine ad recipienda sacramenta, et distinguit inter duo genera seminariorum, ut nos fecimus, et alumnis secundi generis, quales erant tunc temporis, ut ipse De Lugo recenset, alumni seminarii cleri Romani, collegiorum et seminariorum Germanici, Anglici, Scotici, Maronitarum et Graecorum (et quales nunc sunt in Urbe alumni collegii Germanici et collegii Pii Latini Americani) affirmat, non posse Patres Societatis tuto ministrare viaticum aut extremam unctionem, sine generali vel speciali licentia ordinarii vel parochi, additque ita in seminario Romano tunc observari, ubi pro communione paschali petebatur facultas, ut in ipso seminario fieret.

Alumni, qui penes regulares educantur in collegio regularium proprio, quique proinde, ut diximus, verius a regularibus ipsis sine episcopi approbatione absolvi possunt, hoc privilegium non amittunt, si rusticaturi, simul cum regularibus, et sub eorum obedientia ac vigilantia manentes, domum suam consuetam relinquunt et in suburbanum ex. gr. se transferunt, etsi eo tempore vacationum exiguus quidam eorum numerus sub regularibus maneat.

Nullus cuiusquam seminarii aut collegii superior, sive maior, sive minor, Romae (excepto aliquo raro necessitatis casu, de quo eius conscientia oneratur) suorum alumnorum in eadem domo manentium sacramentales confessiones audire ullo pacto valet. *S. U. I. 5 iul. 1899.* Decretum hoc Romae tantum, ut ex ipsis eius verbis patet, praeceptivum est.

349 **Ambitiosi clerici.** — Iuverit hic referre pulcherrimam epistolam S. Congr. Concilii ad omnes ordinarios datam *16 sept. 1884* circa clericos inhiantes titulos honoris et insignia.

" Perillustris ac Rme Dne uti frater. — Quamvis ecclesiasticos viros maxime deceat humanos honores non quaerere, sed de benefactis retributionem a Domino unice exspectare, consuevere tamen ecclesiae praesules titulis, dignitatibus, aliisque honoris signis eos decorare, qui prae ceteris de re christiana meruerunt; dum enim praestantiores honorantur, virtutem ac scientiam in magno pretio esse habendas ostenditur, et insimul desides ad currendam viam Domini excitantur.

Ast non raro evenit, veluti nonnulli episcopi conquesti sunt, ut, dum sacerdotes aetate ac omni virtutum genere venerandi, amant nesciri et pro nihilo reputari, iuniores et qui parum adhuc aut nihil in ecclesiae bonum contulerunt, dignitates appetant, insignia titulosque inhient. Et ubi nulla spes illis arrideat haec omnia apud suos obtinere, externos circumeunt pastores, qui aliquando decepti eorum vota facile excipiunt. Quo saepissime accidit, ut miseri isti in propria dioecesi, inscio ordinario, et omnibus admirantibus vel irridentibus, se alienis vestibus indutos exhibeant, seque novis titulis praeditos iactent, et ita meliores despiciant.

Porro Emi Patres tridentini iuris interpretes ac vindices, dum acerbe deplorant, quod sensus Christi de die in diem in quibusdam evanescat, confidunt, amplitudinem tuam nil intentatum relicturam, ut omnes de clero tibi concredito aemulentur charismata meliora, terrena despiciant, ament caelestia, et nonnisi in cruce D. N. Iesu Christi glorientur.

Ne vero in posterum et dignioribus iniuria fiat, et honores ecclesiastici vilescant, ipsi Emi Patres, Sanctissimi mandata exsequentes, auctores tibi sunt, ut raro admodum et caute honoris titulos vel insignia clericis tuis impertias, sed probatissimis tantum et optime de ecclesia meritis; clericis vero alienis nullum umquam conferas honoris signum aut titulum, inscio et invito ordinario, cuius potestati subduntur.

Haec dum tibi nomine huius S. C. significo, impensum animi mei studium profiteor amplitudini tuae, cui fausta quaeque ac salutaria precor a Domino „.

S. C. C. 16 sept. 1884.

Amentes. [1] — Amentes radicaliter 350
obligantur lege naturali (D'Ann. *I. 193;* cfr. Inst. Iust. *lib. I. tit. 2 de iure naturali etc. prooem.*); non tamen humana, si sint perpetuo amentes (Sanchez *in Decal. lib. I. c. 12. n. 16*): si vero amentes sint tantum ad tempus, excusantur a lege, quum actualiter non sunt rationis compotes. Laymann *Th. mor. lib. I. tr. 4. c. 10. n. 3.* Hinc non licet

---

[1] Bibliographiam quaere suis locis, scilicet sub *Lex*, etc.

provocare amentes ad rem intrinsece malam, sed licet eis apponere ex. gr. carnes diebus abstinentiae.

Sunt capaces dominii (Lugo *De iust. et iure disp. III. n. 14 sqq.;* B. P. *III. 34;* Berardi *Prax. confess. II. 139*); sed non possunt inire contractus, aut per se ipsos (nam per curatores posse evidens est) sibi quidquam acquirere; in iure enim comparantur dormientibus. *l. 1. § 3 de adquirenda vel amittenda possessione D. (XLI. 2);* Lugo *De iust. et iure disp. XXII. sect. 10. n. 281;* B. P. *III. 576.* Amentes, qui convaluerint et lucidum mentis intervallum habuerint, non breve et transitorium, sed aliquantulum diuturnum (ita ut nempe constet, eos tunc mentis compotes fuisse), licet postea in amentiam denuo inciderint, in lucido illo intervallo valide contraxerunt, imo et valide testati sunt, si id fecerunt. Inst. Iust. *lib. II. tit. 12 quibus non est permissum etc. § 1.*

Sunt irregulares, et patet.

Patet etiam, amentes vel in omnibus, si quoad omnia insaniant, vel in iis, in quibus insaniunt, si monomaniaci sint, nihil humani agere, ac proinde quae agunt non posse ipsis imputari.

351 Amentibus, qui perpetuo fuerint amentes, valide conferuntur ea sacramenta, quae aliquem effectum producere possunt etiam in eo, qui caret ratione, et in quibus actus aliquis humanus ad essentiam sacramenti non requiritur. Hinc valide eis confertur baptismus (D'Ann. *III. 256*), ordo (*Const.* Ben. XIV. " Eo quamvis „ *4 maii 1745*), aut etiam datur confirmatio, eucharistia. Berardi *Praxis confess. III. 812.* Illis vero amentibus, qui in amentiam inciderint post infantiam, seu postquam usum rationis adepti fuerant, ut valide conferatur sacramentum, necesse est habuisse intentionem illud recipiendi tum, quum sui compotes esse desierunt. S. Th. *3. p. q. 68. a. 12.*

Quoad licitam vero administrationem sacramentorum haec notanda sunt. Perpetuo amentes debent baptizari (Rit. Rom. *de bapt. c. 3. n. 11*); at eis nullum aliud sacramentum potest conferri (Rit. Rom *de ss. euch. sacr. c. 1. n. 10;* Cat. Rom. *de euch. sacr. n. 64*), excepto sacramento confirmationis. B. P. *IV. 803.* Nec obstat, quominus ipsis detur baptismus, quod ingredi templa idolorum aut ceremonias idololatricas peragere pergant, quamvis curandum sit, quantum fieri potest, a missionariis, ut ab iis se abstineant. *S. U. I. ad miss. Loangi et Kacongi 8 mart. 1770.* Amentibus, qui aliquando habuerunt usum rationis, si praesumi possit, eos habuisse generalem voluntatem utendi remediis et beneficiis christianae religionis, non solum baptismus (Rit. Rom. *de bapt. c. 3. n. 12*) conferri debet, sed et confirmatio (B. P. *l. c.*), imo, si in amentiam inciderint post baptismum iam receptum, et absolutio (sub conditione saltem), et extrema unctio. D'Ann. *III. 259.*

America latina. — Iuverit hic re- 352
ferre privilegia, quae Americae latinae a Leone PP. XIII. apostolicis litteris " Trans oceanum „ datis *18 aprilis a. 1897* confirmata vel primitus data sunt. Sunt autem sequentia:

1°. Ut electi episcopi in Americae latinae ditionibus commorantes, postquam promotionis litteras apostolicas acceperint, nisi aliter in praefatis lit-

teris praescriptum sit, a quocumque maluerint catholico antistite, gratiam et communionem Apostolicae Sedis habente, accitis et assistentibus, si alii episcopi assistentes absque gravi incommodo reperiri nequeant, duobus vel tribus presbyteris in ecclesiastica dignitate constitutis vel cathedralis ecclesiae canonicis, consecrationis munus accipere valeant.

2°. Ut concilii provincialis celebratio ad duodecim annos differri possit, reservato metropolitae iure illud frequentius, prout necessitas postulaverit, celebrandi, nisi aliter per Sedem Apostolicam postea ordinatum fuerit.

3°. Ut episcopi sacrum chrisma, quod ex indico etiam, vero tamen balsami liquore fieri potest, et olea sacra, conficere possint, iis sacerdotibus adstantibus, qui adstare potuerint, et, urgente necessitate, extra diem Coenae Domini.

4°. Ut adhiberi possint sacra olea etiam antiqua, non tamen ultra quatuor annos, dummodo corrupta ne sint, et, peracta omni diligentia, nova vel recentiora sacra olea haberi nequeant.

5°. Ut pro omnibus et solis regionibus seu locis, in quibus magnae distantiae causa vel ob aliud grave impedimentum perdifficile sit parochis vel missionariis ad baptismum conferendum aquam sabbato sancto et Pentecoste benedictam ex fontibus baptismalibus, ubi asservatur, desumere et secum circumferre, ordinarii, nomine Sanctae huius Sedis, concedere possint parochis et missionariis supra dictis facultatem benedicendi aquam baptismalem ea breviori formula, qua missionarios in Peruvia apud Indos Summus Pontifex Paulus III. uti concessit, quaeque in appendice ad Rituale Romanum legitur.

6°. Ut si propter defectum temporis improbamque defatigationem, aliisque gravibus de causis perdifficile sit omnes adhibere ceremonias pro baptismo adultorum praescriptas, parochi et missionarii, de praevio ordinarii consensu, uti possint solis ritibus, qui in Constitutione Pauli III. " Altitudo „ designantur. Insuper, ut in iisdem rerum adiunctis ordinarii nomine S. Sedis concedere valeant parochis et missionariis usum ordinis baptismi parvulorum, onerata in usu huiusmodi facultatis eorumdem ordinariorum conscientia super exsistentia gravis necessitatis.

7°. Ut in omnibus et singulis ditionibus Americae latinae, nulla excepta, omnes sacerdotes tam seculares quam regulares, quamdiu in praefatis ditionibus moram duxerint, et non alias, singulis annis die secunda novembris seu die sequenti iuxta rubricas missalis romani, qua nempe commemoratio omnium fidelium defunctorum ab ecclesia universali recolitur, tres missas singuli celebrare possint et valeant, ita tamen ut unam tantum eleemosynam accipiant, videlicet pro prima missa dumtaxat, et in ea quantitate, quae a synodalibus constitutionibus seu a loci consuetudine regulariter praefinita fuerit; fructum autem medium secundae et tertiae missae non peculiari quidem defuncto, sed in suffragium omnium fidelium defunctorum omnino applicent, ad normam Constitutionis Ben. XIV. P. M. " Quod expensis „ diei 26 augusti 1748.

8°. Ut omnes fideles annuae confessionis et communionis praecepto satisfacere possint a dominica septuagesimae usque ad octavam diem solemnitatis Corporis Christi inclusive.

9°. Ut omnes fideles lucrari possint indulgentias et iubilaea, quae requirunt confessionem, communionem et ieiunium, dummodo servato ieiunio, si loco inhabitent, ubi impossibile prorsus vel difficile admodum sit confessarii copiam habere, corde saltem contriti sint cum proposito firmo confitendi admissa quamprimum poterunt, vel ad ad minus intra unum mensem.

10°. Ut Indi et Nigritae intra tertium et quartum tam consanguinitatis quam affinitatis gradum matrimonia contrahere possint.

11°. Ut Indi et Nigritae quocumque anni tempore nuptiarum benedictionem accipere possint, dummodo iis temporibus, quibus ab ecclesia prohibentur nuptiae, pompae apparatum non adhibeant.

12°. Ne Indi et Nigritae ieiunare teneantur, praeterquam in feriis sextis quadragesimae, in sabbato sancto et in pervigilio Natalis D. N. I. Ch.

13°. Ut praeterea Indi et Nigritae absque ullo onere seu solutione eleemosynae uti possint indulto, quod quadragesimale dicitur, et quo fideles respectivae dioecesis seu regionis ab Apostolica Sede donantur; ideoque carnibus, ovis et lacticiniis vesci possint omnibus diebus ab ecclesia vetitis, exceptis quoad carnes diebus in superiori paragrapho 12° notatis.

14°. Ut quandocumque in causis tam criminalibus, quam aliis quibuscumque forum ecclesiasticum concernentibus, a sententiis pro tempore latis appellari contigerit, si prima sententia ab episcopo lata fuerit, ad metropolitanum; si vero prima sententia lata sit ab ipso metropolitano, ad ordinarium viciniorem, absque alio Sedis Apostolicae rescripto, appelletur; et si secunda sententia primae conformis fuerit, vim rei iudicatae obtineat, et exsecutioni per eum, qui eam tulerit, demandetur, quacumque appellatione non obstante; si vero illae duae, sive ab ordinario et metropolitano, sive a metropolitano et ordinario viciniore latae, conformes non fuerint, tunc ad alterum metropolitanum vel episcopum ei, a quo primo fuit lata sententia, viciniorem eiusdem provinciae appelletur, et duas ex ipsis tribus sententias conformes, quas vim rei iudicatae habere volumus, is, qui postremo loco iudicaverit, exsequatur, quacumque appellatione non obstante. Quum autem recursus ad Apostolicam Sedem etiam omisso medio, sive ante, sive post sententias iudicum inferiorum, semper integer manere debeat, ad normam iuris, in usu huius privilegii omnino servandae erunt sequentes conditiones: 1°. Ut in singulis causis salva maneat cuique litiganti facultas ad hanc Apostolicam Sedem etiam post primam sententiam recurrendi; 2°. Ut in singulis actibus expressa fiat apostolicae delegationis mentio; 3°. Ut causae maiores sint eidem Apostolicae Sedi reservatae ad normam Sacri Concilii Tridentini; 4°. Et quoad causas matrimoniales ea custodiantur, quae in Const. Benedicti XIV., cuius initium " Dei miseratione „ praestituta sunt.

Haec privilegia concessa sunt uni-

versae Americae latinae, et vigorem habent etiam in omnibus Antillis et ceteris insulis maris Caraibici. *S. C. Neg. Eccl. Extraord. 16 aug. 1898.*

Nomine autem Indorum et Nigritarum, qui in his privilegiis commemorantur, praeter ipsos Indos et Nigritas, comprehenduntur etiam ii, qui ex Indo aut Nigrita et ex muliere Europaea (vel europaei sanguinis), nec non qui ex Europaeo viro et Indica vel Nigrita muliere sunt progeniti, ideoque *Mixti, Mestitii, vel Mulati* vocantur, et absolutam medietatem sanguinis europaei habent. Non autem comprehendi eos, qui originem ab Indis vel Nigritis ducunt per avum tantum vel aviam, quique *Quarterones* dicuntur, utpote quartam solummodo partem sanguinis indici vel nigritici habentes: et multo minus qui per proavum vel proaviam dumtaxat ab Indis vel Nigritis originem trahunt, et vulgo *Puchueles* seu *Pucuelles* appellantur. Comprehenduntur etiam hoc nomine Indorum et Nigritarum Africani, Asiatici et Oceanii, dummodo ex europaeo sanguine non sint, ac in America latina commorentur, quamvis in ea nati non fuerint. *S. C. Neg. Eccl. Extr. 24 maii 1898.*

Quoad emigrantes in America vide *Emigrantes.*

America septentrionalis. — Vid. *Status foederati Americae septentrionalis.*

353 **Americanismus.** — Americanismus est error, quem non immerito dixeris haeresim, plura statuens, quae ab ecclesiae doctrina omnino deflectunt. Haec sunt praecipue: debere ecclesiam ad adulti seculi humanitatem aliquanto propius accedere, ac veteri relaxata severitate, recens invectis populorum placitis ac rationibus indulgere. Id autem non de vivendi solum disciplina, sed de doctrinis etiam, quibus fidei depositum continetur, intelligendum esse arbitratur; et hoc est veluti fundamentum istius erroris. Quare opportunum esse contendit, ad voluntates discordium alliciendas, si quaedam doctrinae capita, quasi levioris momenti, praetermittantur aut molliantur ita, ut non eumdem obtineant sensum, quem constanter tenuit ecclesia. — Arbitratur praeterea libertatem quamdam in ecclesiam esse inducendam, ut, constricta quodammodo potestatis vi ac vigilantia, liceat fidelibus suo cuiusque ingenio actuosaeque virtuti largius aliquanto indulgere. Hoc nimirum requiri affirmant ad libertatis eius exemplum, quae, recentius invecta, civilis fere communitatis ius modo ac fundamentum est. — Externum magisterium omne ab iis, qui christianae perfectioni adipiscendae studere velint, tamquam superfluum, imo etiam minus utile, reiicit; ampliora aiens atque uberiora nunc, quam elapsis temporibus in animos fidelium Spiritum Sanctum influere charismata, eosque, medio nemine, docere arcano quodam instinctu, atque agere. — Naturales virtutes praeter modum effert, quasi hae praesentis aetatis moribus ac necessitatibus respondeant aptius, iisque exornari praestet, quod hominem paratiorem ad agendum ac magis strenuum faciant. — Christianas virtutes universas in duo quasi genera dispertit, in passivas nempe et activas; illas elapsis aetatibus convenisse melius, has cum praesenti magis congruere affirmat. — Statuit vota reli-

giosa ab ingenio aetatis nostrae dissidere plurimum, utpote quae humanae libertatis fines coerceant, esseque ad infirmos animos magis quam ad fortes apta, nec admodum valere ad christianam perfectionem humanaeque consociationis bonum, quin potius utrique rei obstare atque officere. — Viam et rationem, qua catholici adhuc sunt usi ad dissidentes revocandos deserendam edicit, aliamque in posterum adhibendam. — Haec omnia asserta Leo XIII. improbavit in suis litteris " Testem benevolentiae „ ad Emum Card. Iacobum Gibbons arch. Baltimorensem datis *22 ian. 1899.* Cfr. *C. A. a. 111.*

354 **Amictus.** — Amictus ex lino vel ex cannabe tantum confectus esse potest iuxta rubricas. Ritus celeb. *tit. I. n. 1; S. R. C. decr. gen. 15 maii 1819 (2600).* Permissum tamen fuit uti amictis confectis ex nipis, quae est tela subtilissima longe pretiosior lino ex alicuius plantae filis confecta, donec consumerentur; at simul prohibitum est novos huiusmodi confici. *S. R. C. in Placentina in Hisp. 13 aug. 1895 (3868).*

Debet vero benedici, et hoc sub gravi praecepto. Gasparri *De euch. II. 710.* Celebrare sine amictu leve est ex S. Alphonso (*VI. 377*), ac proinde nullum est peccatum sine eo celebrare ex aliqua causa rationabili, quae ex ipso S. Alphonso esset ex. gr. fervor devotionis aut opportunitas eleemosynae pro sacerdote non divite. B. P. *IV. 1083.*

Amor. — Vid. *Caritas.*

355 **Amovibilitas.** — Parochi de iure communi sunt inamovibiles, nec possunt mutari ad nutum episcopi aut destitui, nisi ob graves culpas, quibus haec poena a iure infligitur, et servato ordine iudiciali. Cfr. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 13 de ref.; c. un. de cappellis monach. (III. 18) in 6°.* Posita tamen necessitate aut magna utilitate animarum, potest episcopus parochos etiam invitos transferre ad parochiam maioris aut saltem aequivalentis reditus. *S. C. C. 19 dec. 1857* et alias pluries.

Alicubi in ecclesia parochi constituuntur amovibiles ad nutum (cfr. inter alia *C. A. a. 822*); attamen etiam in hoc casu ad legitime removendum parochum aliqua causa requiritur, quam tamen episcopus nec probare nec manifestare tenetur. Si vero remotio fieret ex aperto odio, vel cederet in infamiam revocati, vel notabile ipsi vel tertio cuidam, praesertim parochiae, damnum inferret, diversum ab amissione beneficii (quae omnia a remoto contra episcopum probanda essent), pateret recursus ad superiorem ecclesiasticum. Nota tamen, remotionem huiusmodi, vel remotionem quamcumque, absque ulla causa factam, esse illicitam, quamvis validam. Cfr. Bouix *De parocho p. 418 seqq.;* Wernz *Ius Decr. II. 836. IV.* Vid. *Parochus.*

Scherer Handbuch des KR. §§ 92. 93; *Wernz* Ius Decr. II. 835. 838. 840; *Hergenröther-Hollweck* Lehrbuch des KR. n. 438. 6; *Raimund* Über parochi amovibiles in Archiv. XXI. 423 sqq.; *Bouix* De parocho, praesertim p. III. sect. 4. subs. 2. c. 3 sqq. pag. 402 sqq.; *Duballet* Traité des paroisses et des curés tit. I. c. 2. Cfr. bibliogr. sub *Parochus.*

Amphibologia. — Vid. *Aequivocatio.*

Amplexus. — Amplexus cum per- 356
sona diversi sexus, inter solutos, qui sint decentes, et habeantur non ex pravo fine, sed propter consuetudinem

patriae, vel propter aliquam necessitatem aut rationabilem causam (S. Th. *2. 2. q. 154. a. 4*), etiamsi delectatio venerea suboriatur, modo in eam quis non consentiat (S. Alphons. *III. 417*), sunt liciti.

357 Amplexus pravi, seu habiti ob delectationem veneream, sub gravi sunt prohibiti (cfr. *prop. damn. ab Alex. VII. sub. n. 40. decr. 18 mart. 1666;* B. P. *II. 975 sqq.;* G. B. *I. 414;* Bucc. *I. 782*), et contrahunt malitiam specie diversam pro variis personarum circumstantiis. B. P. *II. 973.*

358 Amplexus, qui fiant sine fine libidinoso, etsi aliquantulum excedant decentiae et convenientiae limites (Berardi *Praxis confess. I. 910*), aut fiant ex affectu sensuali, sed non venereo, idest ex delectatione sensitiva carnali (quae nempe est delectatio, quae habetur cum quadam commotione sanguinis et spirituum circa cor, ex affectu minus honesto quamvis non venereo, determinata, plerumque, ob pulcritudinem seu venustatem alicuius personae, B. P. *II. 961*), per se sunt venialia. B. P. *II. 976;* Berardi *loc. nuper. cit.;* Lessius *De iust. et iure lib. IV. c. 3. n. 58.* — Attamen huiusmodi amplexus inter puberes, ex affectu sensuali habiti, periculum plus minusve proximum delectationis venereae et consensus in eam possunt inducere; quare per se maxime vitandi sunt, praesertim cum persona diversi sexus. S. Alph. *III. 418;* B. P. *II. 977.*

prop. 40. damn. ab Alex. VII.; S. Th. 2. 2. q. 154. a. 4; *Lessius* De iust. et iure lib. IV. c. 3. dub. 8; *Sanchez* De matr. lib. IX. disp. 46; moralistae omnes ad sextum praec. decalogi.

359 **Anatocismus.** — Anatocismus dicitur perceptio fructuum ex ipsis fructibus, seu interesse, ut dicitur, ex ipso interesse. Scilicet habetur, quum creditor relinquit debitori fructum mutui, quem debitor ipsi rependere deberet ex mutuo, et ab ipso debitore exigit fructum non tantum prioris sortis, sed sortis ex additione fructuum auctae. Ex iure naturae non potest dici illicitus. B. P. *III. 739.* Attamen non immerito recentiora iura (imo etiam ipsum ius romanum, *l. 28 de usuris C. [IV. 32]*) hoc prohibuerunt, ne scilicet debita nimis adaugerentur. — Quoad ius ital. cfr. *C. C. a. 1232 sqq.*

Butnerus D. Disp. inaug. de anatocismo; *Ballanti P.* Se i frutti dei frutti si debbano dall'amministratore della comune eredità.

Angelus Domini. — Omnibus chri- 360
stifidelibus, qui singulis diebus per mensem recitaverint versiculos " Angelus Domini „ etc., ternasque angelicas salutationes (et nil aliud requiritur ad indulgentias lucrandas), Benedictus XIII. concessit indulgentiam plenariam semel in eodem mense (supposita confessione, communione, et precibus ad intentiones solitas), die eligenda ab ipsis christifidelibus, lucrandam, aliis vero diebus concessit indulgentiam 100 dierum singulis vicibus. *Brev. 14 sept. 1724.* Has indulgentias Benedictus XIV. confirmavit, extenditque ad eos, qui tempore paschali recitaverint antiphonam " Regina coeli „ etc. cum versiculis et oratione propria. *Brev. 20 apr. 1742.* Attamen ad lucrandas has indulgentias necesse est praedictos versiculos seu antiphonam etc. recitare genibus flexis (exceptis diebus dominicis a sabbati cuiusque vespere, et tempore paschali; quia tunc omnia recitari debent

stando), et tunc, quando aes campanum dat signum. — Leo XIII. tandem benigne indulsit, ut omnes christifideles, qui legitimo impedimento detenti (ex. gr. quia sonum aeris campani non audiunt, aut genuflectere non possunt etc.), non flexis genibus, nec ad aeris campani signum versiculos " Angelus Domini „ etc. cum tribus angelicis salutationibus, alio versiculo " Ora pro nobis „ etc. et oratione " Gratiam tuam „ etc.; tempore vero paschali antiphonam " Regina Coeli „ etc. cum versiculo et oratione propria; aut, si nesciant, praedictos versiculos, antiphonas et preces tum memoriter dicere, tum legere, quinquies salutationem angelicam digne, attente ac devote, sive mane, sive circiter meridiem, sive sub vespere recitaverint, indulgentias superius memoratas lucrari valeant. *S. C. Indulg. 3 apr. 1884.*

Indulgentiae supra memoratae non suspenduntur tempore iubilaei.

361 **Angustia loci.** — **De angustia loci generatim.** — Angustia loci est causa dispensandi quoad impedimentum praesertim affinitatis et consanguinitatis ad matrimonium. Haec angustia loci, quae iustam praebet causam dispensandi in impedimentis matrimonialibus, refertur sive ad locum originis sive etiam ad locum domicilii (cfr. *Instr. S. C. P. F. 9 maii 1877*); et habetur, quum in loco originis vel etiam domicilii cognatio feminae ita est propagata, ut alium paris conditionis, cui nubat, invenire nequeat, nisi consanguineum vel affinem; patriam vero deserere sit ei durum. Locus autem originis ille est, unde sponsa orta est; locus domicilii ille, ubi sponsa habitat vel habitare vult, quamvis in eo loco nata non sit. Diximus, angustiam alterutrius loci sufficere ad concedendam dispensationem; attamen nota, exprimendum esse de quonam loco agatur in petitione dispensationis, quum pro varietate horum locorum variae etiam sint formulae dispensationis, quibus utitur apostolica dataria. Et si quis in instantia dispensationis diceret tantum *ob angustiam loci,* intelligeretur hoc de angustia loci originis. Si vero uterque locus tum originis tum domicilii sit angustus, et hoc melius dicitur in instantia pro dispensatione, et exprimitur phrasi ob angustiam locorum (Gasparri *De matr. I. 356 [1]*), quemadmodum recte exprimitur in instantia, quando hoc locum habeat, angustum esse locum sive originis, sive domicilii tum sponsi tum sponsae, si sponsi non ex eodem loco sint. Mon. Eccl. *vol. XIII. pag. 169.* Si angustia non verificatur in loco originis, aut domicilii, sed in loco quasi domicilii, dicit Feije (*De imp. et dispens. matr. n. 651*), hanc causam non sufficere, si mulier alibi per modum domicilii habitet. Attamen si mulier iure quidem alibi habet domicilium, sed ibi non habitat, hanc causam sufficere existimat; vult tamen in instantia non omittendam domicilii mentionem. Cfr. Gasparri *l. c. I. 356 (1).*

Angustia autem loci, quae ad dispen- 362
sandum movere potest, est tum absoluta, tum relativa.

De angustia loci absoluta. — Angustia 363
loci absoluta tunc habetur, quum locus obiective, ut ita dicam, consideratus angustus est. Angustus autem censetur locus, cuius foci non sunt plusquam trecenti, sive cuius incolarum numerus non

excedit 1500 (D'Ann. *III. 488. [6]* dicit tria millia, nescio qua de causa), ut declaravit Pius IX per epistolam Cardinalis Spinola Pro Datarii *30 aug. 1847*. Numerum incolarum desumendum esse ex catholicis, non autem ex haereticis, schismaticis etc. tradunt plerique auctores (cfr. Feije *loc. cit. n. 652;* Gasparri *l. c.*); Gasparri vero putat inter catholicos non esse distinguendum inter bonos et impios aut incredulos. Doctiores iudicent. Hinc est, quod angustia loci absoluta verificari non potest in magnis urbibus, nec verificari intelligitur in urbibus, quae habent episcopum, et sunt caput dioecesis. Feije *De imp. et disp. matr. n. 652.*

Ad angustiam autem loci verificandam " non officit quod locus angustus parum ab alio dissitus exsistat, dummodo ista duo loca sint inter se distincta, ac diversam propriamque denominationem habeant. Aliqua autem distantia requiritur in suburbiis, quae quamvis civitatis partem constituant, nihilominus angustia in ipsis admittitur, quum per milliare aut paulo minus a civitate distant, et haec est praxis Datariae Apostolicae „ (Ita Dataria ipsa rescribens ad Sacram Congregationem Concilii, quae ipsam de hoc interrogaverat relate ad causam Valvensem, quam ipsa Congr. Concilii per summaria precum discussit *8 mart. 1884;* cfr. etiam *S. C. C. in Ovieten. 16 dec. 1876*). Quare si plura loca non distent ad invicem plus quam milliare, relate ad hoc unus censentur locus. — Attamen nota, distantiam, etiam minorem uno milliari, sufficere ad angustiam loci, quando accessus de uno in alium locum ita est difficilis ob dirutas vias vel ob alias causas, ut iter unius horae cum dimidio ex. gr. sit necessarium. *S. C. C. in citata causa Valven.*

Ex dictis autem patet, angustiam loci non desumi ex parochia, sed ex loco ipso; quare numerus focorum est numerus focorum loci, non parochiae. *S. C. C. in citata causa Ovieten.* Hinc etiam in magna quadam parochia, quae plures simul locos comprehendat ad invicem distinctos, angustia loci potest verificari.

Nihilominus haec est regula Datariae, quae per se non ligat S. Poenitentiariam, eademque est cum discretione accipienda, ratione habita aliarum convenientium causarum.

De angustia loci relativa. — Diximus autem superius, angustiam quoque loci relativam movere posse ad dispensandum; quod fecimus sequentes modum loquendi S. C. de Prop. Fide in sua Instructione superius citata. Porro angustia loci relativa tunc habetur, quum mulier in loco etiam magno virum invenire nequit paris conditionis, cui nubat. Quisque autem intelligit, hanc angustiam loci relativam non esse veram loci angustiam, sed ad hanc causam dispensationis revocari ex fine dispensationis, qui in hoc est, ut matrimonia libenter fiant, et in iis conditionibus, quae felicem exitum promittant, inter quas conditiones praecipua ferme est, ut matrimonia sint inter pares. 364

Porro ad hanc relativam loci angustiam verificandam necesse est, mulierem non posse in loco invenire alium virum, qui eam velit ducere uxorem, et sit paris cum ea conditionis.

Diximus *virum paris conditionis,* nem-

pe, ut dicit Gasparri (*loc. cit.*), aequalem aetate, genere, opibus, ingenio, principiis religiosis, acceptum mulieri et parentibus (De Iustis *De dispens. matrim. lib. III. c. II. n. 30*), bonae famae (Sanchez *De matr. lib. IV. disp. 26. n. 22. sqq.*) et valetudinis, qui non habeat filios ex praecedenti matrimonio (De Iustis *loc. cit.*), etc. Cfr. D'Ann. *III. 488. (6).* — Nec necesse est, ut patet, feminam quaerere virum et se illi offerre, quum hoc repugnet pudori et honestati feminae, et sit contra inductos mores, quibus vir feminae, non femina viro matrimonium nuptiasque proponit. Mon. Eccl. *loc. cit.;* Pyrrhus Corradus *Prax. disp. apost. lib. VII. c. 5. n. 58.* Quid autem si unus, aut alter, paris conditionis se offerat, et tamen displiceat mulieri? Et puto, hoc non officere, ne dispensatio ob angustiam loci petatur, quia haec causa inducta est ad cavendum, ne matrimonii libertas coarctaretur. Act. S. Sedis *IX. p. 574;* Gasparri *loc. cit.;* Mon. Eccl. *loc. cit.* Attamen Feije putat, simpliciter allegari angustiam loci non posse, sed hanc ipsam circumstantiam in instantia esse exprimendam; cui adhaerere videtur Ballerini Palmieri *VI. 933.*

Necesse praeterea est, ut mulier sit honestae conditionis; scilicet, ut explicat De Iustis (*lib. III. cap. 2. n. 134*), et post eum Gasparri (*loc. cit.*), aliique, ut de ea familia sit, quae artes viliores aut mechanicas non exercet. Attamen alii (Feije *loc. cit. n. 654;* Mon. Eccl. *l. c.*), forte rectius, illud *honestae conditionis* ita explicant: cui nempe nulla turpitudinis nota adhaereat.

Et si mulier alios invenerit, at despexit, adhuc tamen angustia loci implorari potest. Quid autem, si in hunc finem recusavit, ut postea dispensationem obtineret? Et respondet Gasparri (*loc. cit.*), tunc dispensationem fore subreptitiam, nisi hoc in instantia aperiret.

Varia. — Nota hic, angustiam loci 365
respicere debere oratricem, non oratorem, quippe qui maiorem habet facultatem eligendi, et non cogitur extra locum suum exire, etsi mulierem alterius loci ducat, quum mulier virum, non vir mulierem sequi debeat. *Instr. cit. S. C. P. F.;* Mon. Eccl. *loc. cit.*

Quando agitur de angustia loci absoluta, iam habetur praesumptio difficultatis ex parte mulieris inveniendi virum paris conditionis, cui nubat extra consanguineos aut affines; quare non est opus inquirere aut demonstrare, quod in loco adeo sit extensa cognatio mulieris, ut difficile vel impossibile sit mulieri parem invenire, sed sufficit testari angustiam loci. B. P. *VII. 523.*

Postremo nota, dispensationem, quae petitur propter angustiam locorum, plerumque respicere gradus consanguinitatis aut affinitatis (olim propter angustiam loci dispensabatur tantummodo in tertio et quarto gradu; nunc etiam in secundo gradu dispensatur passim, Feije *l. c. n. 654*); attamen, si vir non reperiatur, nisi aut inter coniunctos vel alios alio modo impeditos, ab alio quoque canonico impedimento dispensatio peti potest. Giovine *De disp. et imped. matr. I. § 212. n. 1.;* B. P. *VI. 933.*

Pyrrhus Corradus Praxis dispens. apostolic. lib. VII. c. 2. n. 6 sqq.; *De Iustis* Tr. de disp. matr. lib. III. c. 3; *Giovine* De disp. matrim. I. § 212, II. § 87; *Scherer* Handbuch des KR. § 133 v.; *Leitner* Lehrb. des kath. Eherechts § 51 III; *Wernz* Ius

Decr. IV. 629; *Feije* De imp. et disp. matr. n. 651. sqq.; *Brillaud* Traité pratique des empèchements et des dispenses de mariage n. 150. sqq.; *Gasparri* Tract. can. de matr. I. 356; *Van de Burgt* Tract. de dispens. matr. p. I. c. 2. § 4; Monitore eccles. vol. XIII. pag. 168; *Sägmüller* Lerhbuch des kath. KR. § 149. 3; *Hergenröther-Hollweck* Lehrbuch des kath. KR. n. 968.

366 **Animalia.** — Animalia *silvestria* fiunt primi occupantis (*l. 1 de acquirendo rerum dominio D. [XLI. 1]*; Inst. Iust. *lib. II. tit. 1 de rerum divis. et qual. § 12*), et venatione generatim acquiruntur, exceptis iis, quae quis sub sua potestate sic redegit, ut libertatem naturalem amisisse videantur (Institut. Iust. *tit. cit. § 15*), qualia sunt ex. gr. columbae, quae ex aedificiis nostris avolant, vel ea, quae quis in vivaria, vel in piscinam coniecit, vel alveariis inclusit (*l. 3 de acquir. vel amitt. poss. § 14. D. [XLI. 2]*); non item quae in magno lacu, vel in silvis circumseptis evagantur, quippe relictae sunt in libertate naturali. *leg. nuper cit.*

367 Silvestria, sed *mansuefacta,* domini remanent, quousque custodiam eius omnino non evaserint, ut apes, quae ex alveis nostris evolant et secundum consuetudinem redeunt (*leg. 3. cit. § 16. D. [XLI. 2]*); at examen, quod ex alveo nostro evolaverit, eousque nostrum esse intelligitur, donec in conspectu nostro est, nec difficilis est eius persecutio. *l. 5. § 4. tit. cit. D. (XLI. 1)*; Inst. Iust. *tit. cit. § 14.*

368 *Mansueta* semper remanent prioris domini *l. 5. cit. § 6. D. (XLI. 1)*; Inst. Iust. *tit. cit. § 16.* Haec quidem de iure romano.

369 Iure italico haec habentur. Columbae, cuniculi, pisces ad aliud columbarium, cunicularium aut piscinam transeuntes, acquiruntur horum proprietario, dummodo eo arte aut fraude attracti non fuerint. *C. It. a. 462; C. G. a. 564.* — Ea, quae in nullius proprietate sunt, sed in alicuius proprietatem venire possunt, acquiruntur occupatione. Talia sunt animalia, quae obiectum sunt venationis et piscationis, thesaurus, et res mobiles derelictae. *C. It. a. 711.* Exercitium venationis et piscationis regitur particularibus legibus. Non licet tamen ingredi fundum alienum ad venationem exercendam, vetante possessore. *C. It. a. 712.* Omnis proprietarius examinis apum ius habet eas insequendi per alterius fundum, sed tenetur resarcire damnum fundi possessori causatum; si proprietarius eas intra biduum persecutus non fuerit, aut bidui spatio ab iis persequendis cessaverit, potest possessor fundi eas capere et retinere. Idem ius est proprietario animalium mansuefactorum, excepta dispositione art. 462 (quem superius retulimus); sed ipsa pertinent capienti et retinenti, nisi intra viginti dies ea dominus vindicaverit. *C. It. a. 713.*

Sed quaedam alia de his adnotanda 370
sunt, quae doctores proposuerunt. Si quis venatur in loco reservato aut piscatur in lacu prohibito aut locato, facitne suos pisces aut alia animalia, quae capit? Et si animalia fuerint sub dominio domini loci, ea sua non facit; secus, facit, et patet. Porro non intelliguntur esse sub dominio domini fundi, si agatur de magna silva, etiam non circumsepta (*l. 3. § 14. tit. cit. D. [XLI. 2]*), vel de vero quodam lacu aut stagno; secus dicendum esset, si ageretur de parva quadam silva (*piccolo parco*),

in qua ferae non censentur esse in sua libertate, vel de quodam vivario aut de quadam piscina, quae facile posset exhauriri: B. P. *III. 103.* Attamen in casu ille, qui animalia sua fecit, tenetur damni erga reservatarium vel locatarium propter lucrum ei cessans. Laymann *Th. mor. lib. 3. tr. 1. c. 5. n. 12;* Berardi *Praxis confess. II. 20.* — Qui laqueum posuit in publico fundo, et in eo laqueo fera ita illaqueata est, ut evadere non possit (nam si posset evadere, contrarium dici deberet et assignanda esset eximenti) fit dominus ferae, nec ea dici potest illius, qui eam occidit et laqueo exemit. *l. 55. tit. cit. D. (XVI. 1);* Lugo *De iust. et iure disp. VI. n. 77;* B. P. *III. 106.* — Ille, qui venatur in fundo alieno, invito domino, sua facit animalia, quae capit, quamvis teneatur de damnis, si quae domino intulit. Berardi *loc. cit.* — Si quis animal vulneravit, quod alius ante vulnerantem apprehendit vel laqueo suo industria aut casu, vel occidendo, cuiusnam erit animal? Et variae sunt sententiae doctorum. Et quidam volunt esse prioris vulnerantis, saltem si grave vulnus intulit, ob quod evadere fera non poterat (Molina *De iust. et iure disp. XLII. in fin.*); quidam esse domini laquei vel occisoris, quia is capit vere feram nondum captam (Lugo *loc. cit. n. 79*); quidam volunt dividendam inter utrumque, quia uterque concurrit ad capiendam. Lessius *De iust. et iure lib. 2. c. 5. n. 50.*

371 Damnum ab alicuius animalibus illatum reparari debet a domino tantum post iudicis sententiam, nisi dominus gravi culpa theologica in iis invigilare neglexerit. D'Ann. *II. 210.* Iure italico proprietarius animalis aut ille, qui eo utitur, tempore, quo utitur, tenetur damni ab ipso causati tum si in ipsius fuerit custodia, tum si deperditum fuerit aut fugerit. *C. It. a. 1154; C. G. a. 1385.* — Praeterea si animal tuum mihi vel meis damnum inferat vel minetur, licite illud occido, sive ex iure defensionis, sive si agatur non de persona mea vel meorum, sed de meis rebus, ex quodam quasi iure defensionis. Lugo *loc. cit. n. 48;* D'Annib. *II. 129 (8).*

Animalium, in terra viventium ac respirantium, carnes diebus ieiunii nec non feria VI. et sabbato edi prohibentur. Vid. *Abstinentia.*

tit. de acquirendo rerum dominio D. (XLI. 1) ll. 1-6. 44. 48. 55; tit. de acquirenda vel amittenda possessione D. (XLI. 2) l. 3; Inst. Iust. de rerum divisione etc. (II. 1); *Donellus* De iure civili lib. IV. c. 8; *Voet* et alii comm. Pand. in tit. cit. 1. lib. 41; *Thoma I.* Tract. de noxa animalium; *Quesada P.* Controversiae forenses; *Lugo* De iust. et iure disp. VI. sect. 5-8; *Lessius* De iustitia et iure lib. II. c. 5. dub. 6-11; *Pruner* Kath. Moraltheologie II. 657; *Koch* Lehrbuch der Moraltheologie § 142; *Vermeersch* Quaest. de iustitia n. 217; *Laymann* Th. mor. lib. III. tr. 1. c. 5 nn. 12-17; *Ballerini-Palmieri* Opus th. mor. III. 92-108.

Animus. — Eius defectus inducit 372 irregularitatem. Est autem triplex, *rationis* nempe, hinc amentes (*c. 2. d. 33;* cfr. *S. C. C. in Comaclen. 15 sept. 1827, 19 iul. 1828*), energumeni (*c. 2. 3. et 4. d. cit.*), epileptici (*c. 1. et 2. C. VII. q. 2*) sunt irregulares (Vid. *Epileptici*); *scientiae debitae* (Vid. *Scientia*); et *fidei confirmatae,* hinc neophyti (*c. 2. Conc. Nicaen.,* Vid. *Neophyti*), non confirmati (Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 4 de ref.*),

filii haereticorum pariter irregulares sunt. Vid. *Haeretici.*

Annatae. — Vid. *Mediae annatae.*

373 **Anniversarium.** — **De anniversario creationis et coronationis R. P. aut electionis et consecrationis episcopi.** — In die anniversario creationis et coronationis Romani Pontificis in universo orbe, et in anniversario electionis et consecrationis episcopi in eius dioecesi (idest ab omnibus et solis sacerdotibus intra dioecesis limites ea die celebrantibus, *S. R. C. in Quebecen. 27 apr. 1894 ad 5 [3824]*), in missa dicenda est de praecepto tum a clero seculari tum a regulari (*S. R. C. in Tridentina 12 mart. 1836 [2740], in Granaten. 14 aug. 1858 ad 3 [3078], in Quebecen. 27 apr. 1894 ad 5 [3824]*) collecta pro iisdem.

In duplicibus secundae classis dicitur sub unica conclusione (*S. R. C. in Baltimoren. 22 maii 1841 ad 7. 2°. [2837]*); addenda autem est orationi missae de die, etsi aliae orationes in missa iuxta rubricas dicendae sint. *S. R. C. decr. cit. 27 apr. 1894 ad 4 (3824).* — In diebus inferioris ritus dicitur sub distincta conclusione post orationes de praecepto, sed ante votivas. — In diebus festis vero primae classis, in vigiliis Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, in die Pentecostes, in Dom. Palmarum, in missis votivis solemnibus et de requie omittitur. *S. R. C. in Mechlinien. 12 sept. 1840 ad 3 (2823).* Idem dicendum in omnibus diebus, in quibus excluditur quaecunque collecta. *S. R. C. in Ravennat. 18 maii 1883 ad 7 (3575).*

374 Collecta autem pro episcopo in anniversario electionis aut consecrationis dicenda est tantum in missa, non autem in aliis sacris functionibus. *S. R. C. in una Castrimaris Stabiae 12 martii 1897 ad 5 (3949).*

In cathedralibus et collegiatis est 375 praeceptiva missa solemnis seu cantata in anniversario electionis et consecrationis Rom. Pontificis (*S. R. C. in Strigonien. 30 aug. 1892 ad 3 [3792]*), non autem extra eas (*decr. nuper cit.*); quemadmodum in cathedralibus et collegiatis dioecesis, accedente mandato episcopi (qui tenetur speciali modo celebrare anniversarium suae electionis, *S. R. C. in Halifaxien. 16 apr. 1886 ad 3 [3661]*), est praeceptiva celebratio missae solemnis in anniversario eius electionis et consecrationis (*S. R. C. decr. cit. 14 aug. 1858 ad 1 [3078]*); nempe in utroque. *S. R. C. in una de Venezuela 23 apr. 1875 ad 3 (3352).*

Attamen haec missa solemnis de anniversario electionis et consecrationis episcopi vetita est dominicis, ceterisque diebus festivis, nec non diebus festis primae et secundae classis et ceteris diebus duplicia excludentibus. *S. R. C. decr. cit. 18 maii 1883 ad 4. et 6 (3575).* Tunc autem in missa conventuali, etiam in cathedralibus et collegiatis, addenda est commemoratio anniversarii sub unica conclusione, ut diximus, missae diei (*S. R. C. decr. nuper cit. ad 5*), exceptis illis diebus, in quibus, ut supra diximus, excluditur quaecumque collecta. Dies autem festa duplicia excludentes, de quibus agitur in decreto citato in Ravennaten. 18 maii 1883 non sunt intelligendi ii, qui orationes imperatas admittunt, ut sunt dominicae adventus et quadragesimae, feriâ IV. cinerum et dies infra octavas privilegiatas sub ritu semiduplici. *S.*

R. C. in Lincien. 6 febr. 1892 ad 2 (3764). — Missa autem haec solemnis, quae praescribitur, est missa, quae invenitur in missali romano inter votivas; quae tamen missa votiva modo privato nequit celebrari, ne in ipsa die electionis aut consecrationis, etsi rubricae non obstent celebrationi missarum votivarum. *S. R. C. in Mechlinien. 12 sept. 1840 ad 2 (2823).*

Ea, quae dicta sunt de missa in anniversario electionis aut consecrationis episcopi, intelligenda quoque sunt de missa in anniversario creationis et coronationis Romani Pontificis, ubi missa haec est praeceptiva. *S. R. C. decr. cit. 18 maii 1883 ad 8 (3575).*

376 Nequit celebrari anniversarium consecrationis episcopi administratoris. *S. R. C. in Sarsinaten. 22 aug. 1762 ad 5 (2274).*

377 Quando anniversarium consecrationis episcopi occurrit in die anniversario electionis vel consecrationis Romani Pontificis, de ipso fit die sequenti. *S. R. C. 20 dec. 1864 (3132); in Strigonien. 30 aug. 1892 ad 2 (3792).* Reponendum etiam est anniversarium episcopi, quando quotannis impeditur festo aliquo, quod diei affixum est; non tamen quum accidentaliter tantum uno vel alio anno impeditur (*S. R. C. 12 dec. 1891 [3762]*); et reponitur in primam sequentem diem non impeditam. *S. R. C. in Strigonien. 30 aug. 1892 ad 2 (3792).* Et si in missa de mandato episcopi dicatur collecta pro Papa, die anniversario consecrationis episcopi omittitur. *S. R. C. in Olomucen. 5 mart. 1870 ad 1 (3213).*

378 Dies electionis episcopi est ea dies, qua episcopus fuit in consistorio promulgatus (*S. R. C. decr. cit. 16 apr. 1886 ad 3 [3661]*), et hoc valet etiam pro episcopis institutis per S. C. de Propag. Fide, etsi receperint bullas promotionis, vel possessionem quoque dioecesis aut consecrationem acceperint, antecedenter ad celebrationem consistorii (*S. R. C. in Quebecen. 13 dec. 1895 ad 8 [3876]*); si vero hoc numquam acciderit, erit ea dies, qua datum fuerit breve pontificium (cfr. litteras Emi Card. Ledochowski S. C. de P. F. Praefecti ad quemdam rmum archiepiscopum in Stat. Foed. Americae Sept. datas a. 1896); et, si successerit episcopo demortuo ipso facto mortis eius, quia datus ei fuerat ut coadiutor cum futura successione, dies electionis ad effectum collectae faciendae est dies, qua datae sunt litterae apostolicae in forma brevis pro coadiutoria cum futura successione, vel qua in consistorio promulgatus est ad ipsam coadiutoriam. *S. R. C. in Marianopolitana 30 ian. 1878 ad 2 (3440).*

Cerem. episcop. lib. II. c. 35; *De Herdt* Sacrae liturgiae praxis I. p. 1. n. 30, Praxis pontificalis III. 258 sqq.; *Schüch* Handb. der Pastoraltheologie § 243 IV.

De anniversario dedicationis ecclesiae (*remissive*). — Pro anniversario dedicationis ecclesiae vide *Dedicatio.*

De anniversario beatificationis aut canonizationis. — In anniversario beatificationis et canonizationis alicuius beati aut sancti nullatenus celebrari potest festum cum officio, sed hoc permittitur tantum statim post beatificationem et canonizationem, et eo modo, quo concesserit S. Congregatio Rituum. *S. R. C. in una Urbis 16 oct. 1628 ad 5 (477).* Vid. *Canonizatio.* 379

380 **De anniversariis defunctorum.** — Quoad anniversaria defunctorum sufficit referre decretum generale Sacrae Rit. Congregationis, quo omnia distincte regulantur. Decretum hoc sequentis est tenoris: " Sacra Rituum Congregatio declarat:

1°. Anniversaria, seu missas cum cantu pro defunctis, sive fundata a testatoribus, pro die obitus aut alia determinata die, sive privata ad petitionem viventium, dummodo pro die obitus (idest de ipsa die obitus anniversaria agatur, nam secus in duplici non permittuntur, cfr. Mon. eccl. *vol. XVI. pag. 274. n. 48*), non comprehendi in generali decreto diei 5 augusti 1662 (*n. 1238,* quo cavetur ne celebrentur missae privatae pro defunctis in festo duplici); et prohiberi tantum in duplicibus primae et secundae classis, in dominicis et festis de praecepto infra octavas Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschae, Pentecostes et SSmi Corporis Christi, nec non feria IV. cinerum, maiori hebdomada, in vigiliis Nativitatis et Pentecostes; sicut et tempore expositionis solemnis sanctissimae Eucharistiae, in respectivis ecclesiis tantum.

2°. Eadem anniversaria, si in diem impeditum incidant, vel in proximam diem liberam transferri posse, vel in proximiori antecedenti die similiter libera anticipari; dies autem liberi ii sunt, qui in superius recensitis non comprehenduntur.

3°. Quod de diebus anniversariis pro defunctis statuit, Sacra Rituum Congregatio declarat extendendum esse quoque ad dies 3. 7. et 30. ab obitu, sive quoad missam de requie cum cantu, sive quoad translationem, si impediatur.

4°. Denique Sacra Rituum Congregatio declarat, diem anniversariam pro defunctis, nec non dies 3. 7 et 30, tam a die obitus, quam a die depositionis computari posse.

5°. De speciali vero gratia permittitur, ut in duplicibus minoribus celebrari quoque possint anniversaria, quamvis a die obitus non sint, quae a religiosis communitatibus, a canonicorum collegiis, a confraternitatibus aut ab aliis quibuscumque piis sodalitatibus, pro confratribus defunctis semel in anno fieri solent; nec non illa, quae pro fidelium pietate infra octavam omnium fidelium defunctorum locum habent, exceptis diebus supra memoratis.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 2 dec. 1891 „ (*n. 3753*).

Praeterea nota, quod in anniversario 381
episcoporum demortuorum dicenda est prima inter missas de requie. *S. R. C. in Olomucen. 5 mart. 1870 ad 5 (3213); 30 iun. 1896 (3920); in Utinen. 20 aug. 1901.* Item in anniversario episcoporum et canonicorum; pro anniversario autem canonicorum unica dicenda est oratio propria. *S. R. C. decr. cit. 20 iun. 1896; 20 aug. 1901.*

In anniversariis stricte sumptis laicorum, quae fundata sunt extra diem vere anniversariam ab obitu vel depositione, potest sumi oratio " Deus indulgentiarum Domine „ etc. *S. R. C. in Labacen. 28 apr. 1902 ad 3.* — Anniversaria vero late sumpta, quae, ex decreto generali supra citato 2 decemb. 1891 *(3753),* pro fidelium pietate infra octavam omnium fidelium defunctorum

locum habent, adeo praecise adstricta sunt ad dictam octavam, ut aliis temporibus, e. gr. infra octavam dedicationis ecclesiae, vel titularis eiusdem, vel in uno ex quatuor temporibus non permittantur. *S. R. C. decr. nuper. cit. ad 4.*

Anniversaria celebrari possunt, permittente ritu, etiam in ecclesiis regularium, etsi in ecclesia parochiali non celebrentur. *S. R. C. in una ordinis Minorum 13 maii 1879 (3494) ad 1; in una ord. Carmel. 24 ian. 1902.*

In anniversariis, nec tantum in primo, sed etiam in ceteris omnibus sequentibus (*S. R. C. in Ceneten. 4 nov. 1904*), antiphonae in recitatione officii duplicari debent. Rit. rom. *tit. VI. c. 4. n. 1.*

Circa translationem anniversariorum pro defunctis cfr. Monitore eccl. *vol. II. 1. 145. 3. 13, VIII. 1. 113, IX. 2. 278.*

Si quando fideles pro celebratione alicuius anniversarii fundati in testamento assignarunt altare, in quo ipsum celebretur, per se in eo altari anniversarium est celebrandum; attamen si exinde inconvenientia proveniant et praesertim perturbatio quietis ecclesiae, ut ex. gr. ex translatione scamnorum, facile conceditur ut anniversaria in uno altari celebrentur, etsi non sit illud, quod designatum fuerat. Ita in Abulen. petentibus cappellanis choralibus hoc indultum ob iustas rationes, ad quaesitum: An et quomodo oratorum precibus sit annuendum, responsum fuit: Affirmative, et ad dominum Secretarium pro impetratione privilegii pro celebratione anniversariorum et missarum lectarum ad aliud altare ab eo, quod fuit demandatum a fundatoribus. *S. C. C. 16 et 30 maii 1778.*

Quando agitur de anniversariis, circa quorum celebrationis modum nihil testatores statuerunt, sed ea anniversaria ab ipsis simpliciter relicta sunt et absque ulla designatione missarum, peragenda ea esse cum officio mortuorum trium nocturnorum vel saltem unius nocturni, missa cum cantu et absolutione decidit Sacra Congr. Concilii *in Sedunen. 13 mart., 8 maii 1773.*

De Herdt Sacrae lit. praxis I, p. 1, n. 59 sqq.; *Schüch* Handb. d. Pastoraltheologie § 249.

De anniversario episcopi antecessoris demortui ab episcopo successore celebrando. 382a — Episcopus vivens praedecessoris sui proxime ante ipsum defuncti memoriam habere debet pro eius anima singulis annis in die obitus, anniversarium celebrando, vel saltem missae pro eius anima ab aliqua dignitate seu canonico celebrandae assistendo. Cer. Ep. *l. II. c. 36.* Quare anniversarium hoc est de praecepto, et celebrari debet etsi in aliqua ecclesia anniversarium hucusque non fuerit celebratum (*S. R. C. in Tiburtina 27 mart. 1824 ad 4 [2631]; in Pisana 12 nov. 1831 ad 14 [2684]*), et canonici cathedralis huic anniversario adesse tenentur, etiamsi ex apostolico indulto non teneantur ad quotidianum servitium chori, sed solum diebus dominicis et festivis (*S. R. C. in Nucerina Pagan. 10 ian. 1890 [3719]*), et sine ulla retributione. *S. R. C. in Nicoteren. 21 mart. 1705 (215).* Celebrari autem debet hoc anniversarium, etiamsi episcopus praedecessor defunctus reliquerit anniversarium a canonicis cathedralis celebrandum; nec episcopus vivens aut canonici satisfacerent suae obligationi assistendo anniversario fun-

dato tantum. *S. R. C. in Harlemen. 17 ian. 1887 ad 1 (3669).*

Celebrandum autem est anniversarium illius episcopi praedecessoris demortui, qui decessit cathedram tenens. *S. R. C. in una Mars. 12 nov. 1831 ad 18 (2682).* Quare si episcopus immediatus praedecessor ad aliam sedem fuerit translatus, ipso postea demortuo, non debet pro eo celebrari anniversarium, sed continuari debet celebratio pro episcopo, qui ultimus decessit in ea sede. *S. R. C. decr. nuper cit.* Idem dicendum videtur, si quando episcopus immediatus praedecessor episcopatum abdicavit, quin eidem altera sedes collata fuerit, ut edixit S. Congr. Rituum *in Melphien. et Rapollen. 20 iun. 1899 (4038).* Hoc tamen non est extendendum ad casum, in quo non ageretur quidem de hoc anniversario celebrando ex praescripto ceremonialis episcoporum, sed de anniversario celebrando a canonicis iuxta constitutiones synodales pro anima archiepiscopi, qui ultimo decessit. *S. R. C. in Salernit. 9 maii 1884 (3610).* Ita enim videntur componenda inter se haec duo decreta S. Congr. Rituum potremo citata, quorum utrumque exstat in novissima collectione decretorum eiusdem S. Congregationis, quae si sumerentur ambo de anniversario a ceremoniali praescripto sibi invicem contradicerent.

Episcopo in hoc anniversario non celebrante, celebratio non spectat ad hebdomadarium aut ad primam dignitatem, sed ad illam dignitatem seu canonicum, qui iuxta statuta ecclesiae vel ex consuetudine celebrare tunc solet. Cfr. Cer. Ep. *lib. II. c. 34. c. 36. n. 2;* De Herdt *Praxis pontificalis III. 261.*

Post missam hac die non est habendus sermo, sed, finita missa, solus episcopus absolutionem tumulo dabit. Cer. Ep. *lib. II. c. 36. n. 3.*

De anniversario episcorum et canonicorum cathedralis demortuorum (*remissive*). — De anniversario omnium episcoporum et canonicorum ecclesiae cathedralis quotannis infra octavam defunctorum celebrando in eadem cathedrali vide *Commemoratio.*

Annulus. — Vid. *Anulus.*

Annuntiatio B. M. V. — Vid. *Coena Domini, Sabbatum Sanctum.*

Antichresis. — Antichresis est spe- 38
cies pignoris, qua debitor tradit rem immobilem in usum creditoris, usque dum debitum solvatur; si fructus pignoris redit ad illud interesse, quod ex re credita exigere potest creditor, is non est inquietandus. B. P. *III. 950 sqq.*; G. B. *I. 938;* D'Ann. *II. 542.*

Quoad antichresim haec habentur in iure italico. — Antichresis est contractus, quo creditor acquirit ius faciendi suos fructus rei immobilis sui debitoris, cum obligatione computandi eos annuatim in extinctionem fructuum, si hi ipsi debeantur, et deinde capitalis, quod ei debetur. *C. It. a. 1891; C. G. a. 2085.* Creditor, nisi aliud fuerit stipulatum, tenetur solvere tributa aliaque onera annua rei immobilis, quam in antichresi habet. Tenetur etiam sub poena refectionis damnorum consulere manutentioni et reparationibus necessariis rei immobilis. Expensae, quae ad hunc finem fiunt, deducuntur a fructibus. *C. It. a. 1892; C. G. a. 2086.* Debitor non potest regredi ad fruendum re immobili, quam in antichresi dedit, antequam plene solverit suum debitum. Sed cre-

ditor, qui vult se liberare ab obligationibus, de quibus dictum est in articulo praecedenti, potest semper cogere debitorem ad reassumendam fruitionem rei immobilis, dummodo huic iuri non renunciaverit. *C. It. a. 1893; C. G. a. 2087.* Creditor non evadit proprietarius rei immobilis propter solum defectum solutionis tempore statuto: quodlibet contrarium pactum nullum est. Deficiente solutione, potest expropriationem debitoris iuridice petere. *C. It. a. 1894; C. G. a. 2088.* Contrahentes stipulare possunt, fructus compensatum iri cum reditibus vel ex toto vel ex parte. *C. It. a. 1895; C. G. a. 2089.* Dispositiones aa. 1883. 1888 et 1889 sunt applicabiles antichresi eodem modo ac pignori. *C. It. a. 1896.* Ita etiam Codex Gallicus *a. 2090* quoad suos articulos 2077, 2083. Porro hae dispositiones iuris italici sunt: posse pignus a tertia quadam persona dari pro debitore (*a. 1883*); si debitor aliud debitum cum eodem creditore contraxit post traditum pignus, quod debitum exigi posset, antequam locus esset solutioni primi debiti, creditorem non posse cogi ad reddendum pignus, antequam pro ambobus creditis fuerit ei satisfactum, etsi stipulatum non fuerit vinculare pignus ad solutionem secundi debiti (*a. 1888*); exerceri posse istud ius etiam contra heredes debitoris; et proinde, quamvis aliquis ex istis suam debiti partem solverit, non ideo creditor partem pignoris ei restituere teneretur (*a. 1889*). Antichresis effectum non habet, nisi inter debitorem et creditorem eorumque heredes (*Cod. Ital. art. 1897; Cod. Gal. art. 2091*); hinc si debitor fundum antichreticum alteri venderet, venditio valeret. Berardi *Praxis confessar. II. 589.*

Von Hager Chr. Tractatus de usu usurarum etc., item de antichresi; *Hermanni Z.* De antichresi; *Holler* De antichresi ad leg. 4 Cod. de usuris; *Leimgart H.* Disp. inaug. de antichresi; *Lauterbach W.* De iure antichriseos; *Ricci* Corso di dir. civile IX. n. 305 sqq.

Antimensia. — Vid. *Altare.*

Antipendium. — Antipendium adhi- 384
beri debet ad ornandam partem anteriorem altaris, nisi altare lapide pretioso vel auro ornatum sit, aut in sepulcri similitudinem confectum. Debet esse coloris officio convenientis; non benedicitur; nec pro eo certa materia praescripta est. *Rubric. gener. miss. tit. XX.* — Antipendium altaris, ubi exponitur ss. Sacramentum, debet esse coloris albi, etiam in dominica Pentecostes. *S. R. C. in Hispalen. 19 dec. 1829 (2673).*

Loco antipendii tegentis totam partem anteriorem altaris non permittitur parvum antipendium in aliquibus mexicanis ecclesiis usitatum, et vulgo *Palia* dictum, quod suspenditur in medio altaris, et habet circa dimidium metri longitudinis ex quavis parte. *S. R. C. in Mexicana 10 sept. 1898 ad 2 (4000).*

De Herdt Sacrae Liturgiae praxis I. p. I. n. 57. III; *Schüch* Handb. der Pastoraltheologie § 209.

Anulus. — Anulus digito anulari sinistrae manus sponsae a sponso imponendus benedicitur a sacerdote; nec solum pro primis, sed etiam pro secundis nuptiis. *S. R. C. in Rhedonen. 27 aug. 1836 ad 2 (2743).* Quando vero plures simul copulantur, accepto primum singulorum consensu et rite celebratis singulis matrimoniis, dictaque pro singulis a parocho formula " Ego

vos etc. „ nihil obstat, quominus benedictiones anulorum et reliquae benedictiones fiant in communi per verba generalia. *S. U. I. 1 sept. 1841.*

Orationes, quae incipiunt *Confirma hoc, Deus* et desinunt per Oremus *Respice,* non constituunt partem benedictionis anuli, quae immediate prius perfecta est, ut eruitur ex ipso Rituali Romano *de sacr. matr. cap. 2. S. R. C. in Barcinonen. 4 maii 1882 ad 1 (3548).*

Consulere autem debent episcopi, ut hic ritus benedictionis anuli ex anuli defectu numquam omittatur, vel praecipiendo parochis, ut unum anulum semper secum teneant, qui sponsis, eo deficientibus, pro tali benedictione rite explenda tradatur; vel eosdem sponsos monendo, ut illum saltem ex metallo infimi valoris sibi provideant. *S. R. C. decr. cit. 4 maii 1882 ad 2 (3548).*

In Indiis nihili faciunt anulum nuptialem, sed tessera quaedam, *taly* nomine, ibidem locum tenet anuli nuptialis, eaque multo maioris fit apud eos, quam apud nos ipse nuptialis anulus. Hinc archiepiscopus Pondicheriensis petiit a S. Sede, ut probaret substitutionem benedictionis *taly* pro benedictione anuli nuptialis in ceremoniis nuptialibus apud Indos. Et S. Congregatio S. Officii, attentis gravibus rationibus ab archiepiscopo adductis, concessit, ut tessera nuptialis vulgo *taly* in ecclesia loco anuli benediceretur et imponeretur, dummodo omnibus omnino superstitionibus esset expurgata, et in benedictione anuli verbis *anulum hunc* voluit, ut substituerentur verba *tesseram hanc nuptialem,* simul praescribendo ut fideles docerentur matrimonium consensu perfici. *S. U. I. 3 februarii 1892.*

Laurea doctorali insignitis, nec non 385
canonicis (cfr. *S. C. EE. RR. in Amalphitana 9 maii 1845; 7 apr. 1848*), beneficiatis, parochis vetitum est in sacris functionibus anulum deferre, ex responso Card. Aloisi Masella S. Rituum Congregationis Praefecti ad Card. Guillelmum Sanfelice Arch. Neap. *die 12 febr. 1892* (cfr. *decr. S. R. C. in Senen. 30 iun. 1883 ad 7 [3580]*); et hoc prohibetur, non obstante quacumque consuetudine. *S. R. C. in Piscien. 9 mart. 1894 (3821).*

Aperitio conscientiae. — Propter 386
abusus, qui irrepserunt, nunc superiores institutorum religiosorum virorum omnimode laicorum, nec non superiorissae monialium quarumcumque, sive votorum simplicium, sive solemnium, districte prohibentur, ne personas sibi subditas inducere pertentent directe vel indirecte, praecepto, consilio, timore, minis aut blanditiis ad conscientiae intimam manifestationem sibi peragendam. Si hoc nihilominus fecerint superiores vel superiorissae minores, subditi obligationem habent eos denunciandi superioribus maioribus. Si autem hoc ipsi generales moderatores vel moderatrices peregerint, debent a subditis denuntiari S. Congregationi Episcoporum et Regularium. Praeterea constitutiones omnes horum institutorum id praescribentes abrogatae sunt, et praescriptum est, ut a manuali seu a voluminibus constitutionum vel regularum penitus expungerentur. Possunt tamen subditi ultro se superioribus aperire in anxietatibus et dubiis. *S. C. EE. RR. 17 dec. 1890.* Superiores vel superiorissae,

huius decreti praecepta transgredientes, puniuntur ex eodem decreto poenis contra superiores Sedis apostolicae mandata violantes ipso facto incurrendis. Quae sint hae poenae vide sub *Poena.*

Visum est nonnullis (cfr. Mon. Eccl. *vol. XII. pag. 513 in nota*), non teneri subditum aut subditam ad denuntiandum superiorem vel superiorissam, qui semel hanc manifestationem conscientiae requisierit, sed eos tantummodo, qui hoc saepius aut habitualiter faciunt.

387 **Aperitio oris.** — Quoad hanc haec habe ex Bizzarri in nota ad Coll. decr. S. Congr. Episcoporum et Regularium *pag. 561:* " Nemo potest cognoscere, an litterae apostolicae obreptitiae vel subreptitiae sint, sine venia Summi Pontificis, nempe sine *aperitione oris;* nam in iisdem litteris solet apponi *decretum irritans* et clausula *sublata.* Etiam rescripta Sacrarum Congregationum obstaculum ponunt, quominus iudices possint contra illorum tenorem iudicare. Hinc quando rescriptum aliquo vitio laborare potest, petitur a S. Congregatione *reportatio,* uti aiunt, *rescripti,* idest ut rescriptum revocetur et e medio tollatur. Hac super re proponitur quaestio in plenario conventu Sacrae Congregationis, auditis partibus, nam agitur de iure tertii, et debet probari causa obreptionis et subreptionis. Aliquando Sacra Congregatio cognoscit etiam causam quoad meritum pro qualitate rei, de qua disceptatur; aliquando annuit pro reportatione rescripti, et cognitionem causae quoad meritum iudici ordinario remittit „.

388 **Apes.** — Examen apum, quod ab alicuius fundo ad alterius fundum evolavit, de iure italico non fit statim ipsius bonum; sed prior dominus ius habet illud insequendi per alterius fundum cum obligatione compensandi damna, si quae inferat. Si intra duos dies id non fecerit, vel per biduum cessaverit, possessor fundi sibi illud sumere potest. *C. C. art. 713.* Vid. *Animalia.*

Apostasia. — **De apostasia a fide.** — 389 Apostasia a fide est totalis defectio a fide christiana. S. Th. *2. 2. q. 12. a. 1;* Lugo *de fide divina disp. XVIII. n. 95 sq.* Crimen autem hoc apostasiae in hoc praecise est, quod quis a christiana fide recedat; quare totum est in desertione christianae fidei; hinc perinde est quoad crimen apostasiae, quod, quis, christianam religionem prorsus abiiciens, iudaismum amplectatur aut mahumedanismum, vel profiteatur atheismum. Lugo *l. c. n. 96.* Ad hoc autem, ut quis sit stricte loquendo apostata, necesse est non solum, ut actu interno fidem spernat et abiiciat, volens inter christianos non amplius adnumerari, sed etiam ut hoc ipsum externis actibus prodat. Si quis vero externis actibus hoc manifestaret, sed interne dissentiret, is non esset vere apostata, sed in foro externo ecclesiae tamquam apostata haberetur. Cfr. *c. 3. de haereticis (V. 2) in 6°.* Quid si quis haereticus suam sectam deserit, ut ad sectam non christianam, ad iudaismum ex. gr., discedat? Et per se iuxta definitionem apostata esset; attamen observat P. Palmieri in B. P. *VII. 273. (a),* non hunc esse usum, ut nomine fidei christianae intelligatur fides haereticorum; quare non esse dicendum, huiusmodi homines incurrere poenas

contra apostatas statutas; quod forte verum est.

Apostasia est gravissimum peccatum, et apostatae incurrunt excommunicationem latae sententiae R. P. specialiter reservatam (*Const.* " Apost. Sedis „ *serie I. n. 1*); et, si clerici sint, amittunt ipso iure beneficia ecclesiastica, quae possident (*cc. 9. 13. de haeret. X. [V. 7]; c. 12. eiusd. tit. [V. 2] in 6°;* Schmalzgrueber *in tit. 7. lib. V. Decr. n. 110*); imo ipsis infligi potest degradatio, si fuerint pertinaces. *c. 9. cit. de haeret. X. (V. 7).* Praeterea apostatae incurrunt irregularitatem et ad suscipiendos ordines et ad exercendos ordines iam susceptos (*cc. 2. 15. tit. cit. [V. 2] in 6°*); quae irregularitas non tantum ex infamia, quam incurrunt, provenit, qua fiunt inepti ad exercendum cum debita reverentia divinum ministerium, sed etiam iis infligitur in poenam admissi delicti (Suarez *De censuris disputat. XLIII. sect. 1. num. 3. sq.*); hinc etiamsi infamia facti cessaret per poenitentiam rite peractam, maneret tamen irregularitas. — His omnibus poenis subsunt non tantum apostatae, sed et eorum receptores, defensores, fautores.

De abiuratione apostasiae. Vid. *Abiuratio.*

tit. de apostatis et reiterantibus baptisma X. (V. 9); Const. « Ap. Sedis » excomm. 1. ser. 1; Const. Ben. XIV. « Inter omnigenas » 2 febr. 1744; Const. eiusdem « Quod provinciale » 1 aug. 1754; Comment. iuris Decr. in tit. cit.; S. Th. 2. 2. q. 10. a. 3. q. 12. a. 1; *Ricciullus A.* Tract. de iure personarum extra ecclesiae gremium exsistentium; *Carena C.* Tract. de officiis s. inquisitionis; *Godofredi P.* In tit. Cod. de haereticis, de apostatis etc.; *Passerini P.* Tract. de hominum statibus tom. 3; *Lugo* De fide disp. 18 et 19; *München* Das kan. Gerichtsverfahren und Strafrecht II. lib. 3. tit. 6; *Albitius* De inconstantia in fide cc. 9. 24; *Del Bene* De officio S. Inquisit. part. I. dub. 47. sect. 2; *Sinistrari de Ameno* De delictis et poenis tit. 2. § 1; *Bordoni* Sacrum tribunal c. 9. sect. 2; *Ferraris* Prompta biblioth. v. « Apostasia »; *Mühlbauer* Th. res. S. C. C. v. « Apostasia »; *Thesaurus* De poenis p. II. v. « Apostasia » c. 1; *Schmidt* Der Austritt a. d. Kirche; *Zech* De iudiciis eccles. § 170 sqq.; *Gerlach* in Kirchenlexikon. a. « Abfall »; *Holkweck* Die kirch. Strafgesetze § 95; *Hergenröther-Hollweck* Lerhrbuch des kath. KR. n. 748; *Sägmüller* Lehrbuch des kath. KR. § 113; *Mocchegiani* Iurisprudentia eccl. II. lib. 17. c. 5; *Kober* Der Kirchenbann cap. 2. pag. 95.

De apostasia ab ordine religioso. — Apostasia ab ordine religioso, quam etiam nonnulli vocarunt apostasiam inobedientiae, est defectio a religioso statu; et ille proprie dicitur a religione apostata, qui absque debita venia legitimi superioris, et sine animo redeundi, vel alium ordinem ingrediendi (secus enim esset fugitivus, non apostata) deserit illum ordinem religiosum (vere religiosum, idest cum votis solemnibus, secus quis in sensu canonum et in ordine ad poenas subeundas non esset apostata), cui per professionem adscriptus est. Apostasia habetur per dictam defectionem, tum si ea fiat post professionem votorum solemnium, tum etiam si fiat post professionem votorum simplicium, quum et haec sufficiat ad constituendum aliquem in statu religioso. — Defectio fieri potest tum retento, tum dimisso habitu, et quamvis in utroque casu habeatur verum crimen apostasiae, quoad poenas tamen diversitas quaedam erat antiquo iure. Apostatae tenentur observare omnes ordinis constitutiones et vota omnia (Reiffenstuel *in tit. 31.*

lib. III. Decr. n. 251); praeterea quamdiu manent extra monasterium, privantur privilegiis ordinis (Conc. Trid. *sess. XXV. de reg. c. 19*), et subiiciuntur iurisdictioni ordinarii loci. De Angelis *in tit. 31. lib. III. Decr. n. 16.* Quoad poenas nunc, quamvis possint ab episcopis, sive deferant habitum regularem sive non, in carceres coniici et superioribus consignari, ut iuxta ordinis constitutiones puniantur (*S. C. C. ex mand. Urb. VIII. 21 sept. 1624*), nihil tamen certi in iure habetur. Antiquo iure, si durante apostasia ordines recipiebant, ab iis suspendebantur *(c. 6 de apostatis etc. X. [V. 9])*, et si eos exercuissent, fiebant irregulares; si autem dimisissent habitum, incurrebant excommunicationem latae sententiae non reservatam. *c. 2. ne clerici vel monachi etc. (III. 2) in 6°.* Istae poenae silentio praeteritae sunt in Constitutione " Ap. Sedis „, et per consequens probabiliter de iure communi non amplius vigent; attamen possunt vigere de iure particulari illius ordinis, e quo quis apostasia discedit, ut patet ex ipsa Constitutione " Ap. Sedis „ in fine. Non pauci tamen (D'Annibale, Bucceroni, etc.; cfr. etiam Mon. eccl. *vol. XVII. pag. 280*) contrarium putant, quia videntur ipsis eae esse, quae pro interno regimine ordinum regularium latae sunt, et quae ex expressa sanctione facta in Constitutione " Ap. Sedis „ etiam post eam in suo robore permanserunt. Quod saltem dubium videtur esse, quum hae non videantur pertinere ad regimen sed ad summum ad conservationem horum ordinum; verius autem latae sunt tantummodo in poenam apostatarum. — Superiores regulares tenentur apostatas conquirere et revocare; attamen non amplius viget antiqua obligatio idipsum quotannis faciendi. Santi *in tit. 31. lib. III. Decr. n. 46.*

Apostatae ab ordine religioso (si fuerint solemniter professi), si matrimonium attentent, incurrunt excommunicationem l. s. locorum ordinariis reservatam. *Const.* " Ap. Sedis „ *ser. 3. n. 1.*

Quoad declarationem nullitatis professionis, Vid. *Nullitatis declaratio.*

c. 3. C. XX. q. 3; cc. 5. 6. de apostatis etc. X. (V. 9); Const. Pauli IV. « Postquam » 20 iul. 1558; Const. Pii IV. « Sedis » 3 apr. 1560; Const. Greg. XIII. « Officii nostri » 21 ian. 1577; Const. Ben. XIV. « Si datam » 4 mart. 1748; decr. S. C. C. sub Urbano VIII. de regularibus apostatis et eiectis 21 sept. 1624; decr. S. C. C. sub Urbano VIII. 5 ian. 1636; decr. S. C. super discipl. regul. 5 aug. 1672; decr. S. C. super reform. 28 nov. 1814; S. C. EE. RR. 23 maii 1818, litt. ad Card. Consalvi; Conc. Trid. sess. XXV. de reg. c. 19; Comm. iuris Decr. in tit. 31. lib. II. Decr.; *Passerini* De hominum statibus t. 3. in 2. 2. q. 189. a. 8; *Suarez* De religione tr. 8. lib. 3. cap. 1-3; *Thesaurus* De poenis p. II. v. « Apostasia » cc. 2. 3; *De Grassis* Tract. de effectibus clericalibus eff. 1. n. 1041 sqq.; *Del Bene* De officio S. Inquis. p. I. dub. 47. sect. 1, p. II. dub. 236; *Sinistrari de Ameno* De delictis et poenis tit. 2. § 1; *Bordoni* Sacrum tribunal c. 9. sect. 2. Variarum resolutionum p. I. res. 41; *Pellizarius* Manuale regul. tr. 8. c. 8. n. 43-80; *Bouix* De iure regular. II. p. 6. s. 4. c. 1; *Mocchegiani* Iurisprud. eccl. I. lib. 2. c. 9. § 1; *Vermeersch* De religiosis instit. et pers. p. IV. sect. 4. a. 4; *Scherer* Handbuch des KR. § 148; *Sanchez* In decalogum lib. 6. c. 8; *Rotarius* Th. mor. reg. lib. 3. c. 1; *Sägmüller* Lehrbuch des kath. KR. § 187; *Hollweck* Die kirch. Strafgesetze § 228; *Hergenröther-Hollweck* Lehrbuch des kath. KR. n. 496; *Kober* Die Suspension c. 10. n. 7; *Lucidi* De visit. ss. liminum II. c. 4. n. 15 sqq.

391 **De apostasia a clericatu.** — Apostasia a clericatu seu ab ordine, quam etiam vocant apostasiam irregularitatis, est defectio clerici in sacro quodam ordine constituti ab ipso statu clericali propria auctoritate facta. Fit autem per depositionem habitus clericalis et assumptionem habitus et conditionis laicalis, nec non per cessationem a quolibet clericali munere, gerendo se tamquam laicum in ecclesia; tamen ad hoc ut quis incurrat crimen apostasiae, debet haec omnia propria auctoritate facere. — Huiusmodi apostatae cogendi sunt a superioribus ecclesiasticis redire ad statum clericalem per excommunicationem ferendae sententiae (*c. 3. de apostatis etc. X. [V. 9]*); incurrunt infamiam, non iuris, sed facti (*c. 3 nuper cit.*); post trinam et frustraneam admonitionem episcopi amittunt privilegium canonis. *c. 25 de sent. excomm. etc. X. (V. 39).*

Apostatae a clericatu, si matrimonium attentent, incurrunt excommunicationem l. s. locorum ordinariis reservatam. *Const.* " Ap. Sedis „ *ser. 3. n. 1.*

Quoad declarationem nullitatis subdiaconatus, Vid. *Nullitatis declaratio.*

cc. 1. 3. de apostatis etc. X. (V. 9); cc. 23. 25 de sent. excomm. etc. X. (V. 39); Const. Ben. XIII. « Ap. eccl. regimini » 2 maii 1723; Comm. iuris decr. in tit. cit. (V. 9); *De Grassis* Tr. de eff. cleric. eff. 1. n. 1041 sqq.; *Thesaurus* De poenis p. II. v. « Apostasia » c. 4; *Del Bene* De officio S. Inquis. p. I. dub. 47. sect. 1; *Sinistrari de Ameno* De delictis et poenis tit. 2. s. 1; *Bordoni* Sacrum tribunal c. 9. sect. 2. § 25; *Vering* Lehrbuch des kath. orient. und protestant. Kirchenrechts § 200; *Hollweck* Die kirch. Strafgesetze § 227; *München* Das kan. Gerichtsverfahren und Strafrecht II. lib. 3. tit. 6. n. 6 sqq.; *Aichner* Comp. iuris eccl. § 221. 2; *Kober* Die Deposition und Degradation c. 1. pag. 96 sqq.

Apostolatus orationis. — Iuverit 392
et satis sit referre hic decretum S. C. EE. RR. 11 iul. 1896, quo ultimo approbantur statuta huius pii operis eiusque natura definitur, omissis anterioribus decretis eiusdem S. Congregationis 27 iulii 1866 et 24 maii 1867, quae abrogata postea fuerunt decreto Leonis XIII 28 maii 1879 approbantis statuta apostolatus orationis, ipsoque hoc decreto omisso, quum plura ex eo decreto vel hic repetantur, vel aliquatenus immutentur. Decretum autem est sequens:

1. Apostolatus orationis est pia societas, quae apostolicum munus divinae gloriae et animarum salutis promovendae exercet oratione, sive mentali sive vocali, et aliis etiam piis operibus, quatenus impetratoria sunt, et SS. Iesu Cor nobis conciliare possunt ad praedictum finem assequendum. Quare licet apostolatus orationis quaedam cum aliis piis societatibus, ex. gr. SS. Cordis Iesu et Rosarii viventis, communia habere videatur; tamen ab iis omnibus tum fine, qui maxime universalis est, tum mediis peculiaribus, quibus utitur, prorsus distinguitur.

2. Tres sunt huius apostolatus gradus pro operum varietate, quae exercere curat; unde triplex sociorum ordo. Primus gradus (qui essentialis est et omnibus sociis communis) ab iis constituitur, qui quotidie certa quadam formula suas preces omnes, actiones et aerumnas Deo offerunt una cum SS. Corde Iesu, et in eos omnes fines, ob quos Dominus Noster assidue interpellat et se in sacrificium offert pro nobis. Unde amor et devotio erga SS. Iesu

Cor valde propria est sociorum omnium, qui apostolatui orationis accensentur; siquidem devotio haec, licet non constituat finem societatis, medium est omnium validissimum et singulare, unde et socii omnes, exemplo SS. Iesu Cordis permoti, ad orationis studium impensius excitentur, et oratio ipsa, una cum eodem SS. Corde peracta, efficacior evadat et intentum finem gloriae divinae promovendae assequatur.

Est igitur apostolatus orationis societas ab archiconfraternitate SS. Cordis Iesu plane distincta, et ideo societates, ecclesiae, iique omnes, qui sese huic pii operi adscripsere, minime censeantur in posterum adscripti etiam archiconfraternitati SS. Cordis Iesu Romae erectae in templo S. Mariae de pace, nisi in eadem archiconfraternitate ab eius moderatore rite recepti fuerint.

3. Alter gradus est eorum, qui praeter illa, quae primi gradus propria sunt, idest praeter orationem, qua sibi conciliant SS. Cordis intercessionem apud Patrem, ut gloria divina promoveatur, alias etiam preces fundunt ad B. V. Mariam, ut potentissimae Matris opem implorent, et eamdem in hoc pium opus salutis animarum procurandae adiutricem sibi adsciscant. Hi scilicet singulis diebus semel precantur *Pater noster* cum decem *Ave Maria* ad eam intentionem, quae initio cuiusque mensis eisdem indicatur, per Rom. Pontificem approbata, quin tamen ideo censeri possint adscripti pio operi Rosarii viventis, neque legibus adstringantur, quibus id regitur, hoc est ut mysterium sorte sibi attributum inter precandum meditentur et in turbas constituantur, quae quindecim sociis singulae constent.

4. Tertius gradus iis constituitur, qui, opera saltem primi gradus exercentes, impedimenta praeterea removere curant, ne preces nostrae pro salute animarum ad Deum fusae effectu fraudentur. In eum finem singulis mensibus vel hebdomadis, ad normam brevis die 10 febr. 1882 dati, communionem reparatricem peragunt, qua SS. Iesu Cor peccatis hominum ad iram provocatum placare et precibus nostris propitium reddere contendunt. Quare hi omnes, qui tertio huic gradui adscribuntur et praedictam communionem secundum regulas pro pio opere communionis reparatricis peragunt, huius associationis membra constituuntur eiusdemque indulgentias lucrantur.

5. Pariter quamvis pia sodalitas ab *hora sancta* nuncupata diversa sit a pia societate apostolatus orationis, tamen omnibus sociis apostolatus orationis, qui pium exercitium ab hora sancta dictum rite peragunt, ut SS. Iesu Cor iniuriis hominum lacessitum placent, nostrisque precibus benignum reddant, integrum est gratias omnes spirituales sibi comparare, quae illis, hoc pium exercitium peragentibus, conceduntur rescripto Pii IX die 13 maii 1875 et brevi Leonis XIII die 30 mart. 1886. Sed alia pia opera apostolatui adiicere nemini fas erit, integris tamen perstantibus facultatibus, quibus locorum ordinarii, pro sua quisque dioecesi, gaudent.

6. Christifideles in piam hanc societatem adsciti, qui prae ceteris pietati dediti singulari flagrant animarum studio, adeoque zelatores et zelatrices dicuntur, omni ope contendant, ut magis in dies divina gloria, animarum salus

et cultus SS. Cordis Iesu secundum apostolatus statuta provehantur. Idcirco statis temporibus simul conveniant, ut de iis omnibus statuatur, quae ad hunc finem procurandum magis conferre videantur.

7. Sedes princeps seu centrum societatis constitutum est Tolosae, Moderator vero generalis est ipse praepositus generalis pro tempore societatis Iesu, qui munus suum delegare potest alii a se deligendo, qui Tolosae resideat.

8. Praeter moderatorem generalem erunt quoque moderatores dioecesani et directores singularum societatum. Moderatores dioecesani, qui designandi sunt ab ordinariis locorum, inter fines dioeceseos, constituentur vel a praeposito generali pro tempore societatis Iesu vel a moderatore generali, quam ipse praepositus delegaverit Tolosae. Directores autem singularum societatum constituentur, approbante ordinario, a moderatore dioecesano. Tum moderatores dioecesani tum directores singularum societatum ordinario subiicientur etiam in iis omnibus, quae ad praedicta opera pertinent; iis exceptis, quae spectant ad statuta ab apostolica Sede approbata.

9. Ad socios adlegendos satis est, directores singularum societatum inscribere eorum nomina in libro indice ecclesiarum vel locorum piorum, ubi apostolatus institutus est, et tesseras distribuere, quin necesse sit catalogum centro principi transmittere.

10. Indulgentiae ceteraeque gratiae praedictis apostolatus operibus a Summis Pontificibus hucusque concessae vel extensae in suo robore maneant.

S. Congr. Em. et Rev. S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus EE. et RR. praeposita, statuta, de quibus supra, benigne approbavit et confirmavit.

Datum Romae ex secretaria eiusdem S. Congreg. die 11 iulii 1896. — Cfr. C. A. a. 379.

Apostoli. — Qui recitat feria III. 393
officium votivum omnium sanctorum apostolorum non debet, nec potest omittere in suffragiis ad vesperas et laudes commemorationem ss. apostolorum Petri et Pauli. *S. R. C. 24 nov. 1883 ad 7 (3597).*

Quoad apostolos relate ad appellationem vid. *Appellatio.*

Apparitiones. — Libri aut scripta, 394
quae narrant novas apparitiones (revelationes, visiones, prophetias, miracula, vel quae novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae), si publicentur absque legitima superiorum ecclesiae licentia, proscripta sunt. *Const.* Leonis XIII. " Officiorum ac munerum „ *VIII. kal. febr. a. 1896 a. 13.* Ex his, quae habemus in hoc articulo Leonianae constitutionis apparet, eos libros vel ea scripta prohiberi, quae *novas* apparitiones narrant, idest non obiter earum narrationem instituunt, sed ita ut eiusmodi narratio eorum sit argumentum, ut rite explicat Vermeersch *De prohibitione et censura librorum n. 14. 1. 2. b.* « Hac de causa, addit Vermeersch ibidem, arbitramur posse ephemerides catholicas seu profanas, ut hucusque fecerunt, referre facta mirabilia, sanationes, quae v. gr. in peregrinatione Lapurdensi contigerint, praesertim si nihil de supernaturali harum indole pronuntient. Ceterum et istis favet haec altera ratio, quod sat obtinet usus, vi

cuius ob difficultatem " exsecutionis „ ut aiunt, a censura dispensentur articuli, per se recognoscendi ab ecclesiastica auctoritate. Sine cogente ratione non est reprobandum, quod passim frequentatum videmus ». Cfr. etiam Gennari *Della nuova disciplina sulla proib. e sulla censura dei libri, comment. al § 13.*

Iuverit hic referre litteras, quas quoad hanc materiam apparitionum relate ad casum quemdam particularem scripsit Emus Card. Seraphinus Vannutelli Secr. S. Congr. Univ. Inquisitionis, et quae continent normas ad alios etiam similes casus accomodandas. Scripsit igitur: « In Congr. generali S. O. habita feria IV. die 31 aug. pr. pr., expensis omnibus, quae ad supremum hoc tribunal delata sunt circa cultum B. M. V. " de Pellevoisin „ Emi DD. Cardinales una mecum Inquisitores generales decreverunt: — Quamvis devotio scapularis SSmi Cordis Iesu et adscriptio inter sodales piae confraternitatis in loco vulgo " Pellevoisin „ a B. Virgine Matre misericordiae nuncupatae, probatae sint, nullam tamen ex dicta approbatione sive directam sive indirectam approbationem sequi quarumcumque apparitionum, revelationum, gratiarum, curationum, aliorumque id genus, quae praedicto scapulari vel piae confraternitati quovis modo referri vellent; eos vero omnes, sive sacerdotes sint, sive non, qui libros vel diarios in vulgus edunt, sedulo curare debere, ut adamussim, prout conscientia dictat, sequantur normas in constitutione apostolica *Officiorum* praefixas: ut, qui verbo Dei praedicando incumbunt, servent omnino praescriptiones Conc. Lateranensis V. et Tridentini sess. XXV. circa praedicationem apparitionum et miraculorum: et ecclesiarum demum rectores, qui eiusmodi piam confraternitatem in propriis ecclesiis institui, statuasque vel picturas B. Virginis sub praedicto titulo " Matris misericordiae „ dicari satagunt, ut regulis pro scapulari SSmi Cordis a S. Rituum Congregationi statutis sine ulla restrictione in posterum se conforment. — Quod dum cum Amplitudine tua communico, ut eorum plenam exsecutionem cures, fausta quaeque ac felicia tibi precor a Domino. — Addictissimus in Dño S. Card. Vannutelli ».

Apparitor. — Apparitor ille est, qui 395.
ex officio iussum comparendi in iudicium et mandata iustitiae defert, atque exsecutiones a iudice decretas perficit. In suo munere fidelitatem praestare debet; ad salarium ius habet, imo ad multiplex, si diversa mandata unico cursu deferat, nisi ius particulare repugnet. G. B. *I. 963 sqq.*; Bucc. *II. 46. 54 sqq.*; Berardi *Praxis confess. III. 114 sqq.*

Appellantes. — Appellantes omnes 396
et singuli, cuiuscumque status seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore exsistentium ad universale futurum Concilium, et illi quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit, incurrunt excommunicationem latae sententiae R. P. specialiter reservatam. *Const.* " Apost. Sedis „ *serie 1. n. 4.*

Ad incurrendam hanc excommunicationem necesse est appellare a Romano Pontifice, qua tali; ac proinde non qua rege, sed qua Pontifice ecclesiae universalis, seu supremo Pastore ecclesiae (D'Ann. *Comm. in Const.* " Ap. Sedis „

n. 47), nec, ut puto, qua episcopo dioecesis romanae. — *Pro tempore exsistente,* ac proinde adhuc vivo, non iam defuncto. D'Ann. *loc. cit.* — *Ad futurum universale concilium,* ac proinde non ad concilium universale praesens, etsi forte intermissum (B. P. *VII. 279;* D'Ann. *loc. cit.*), aut ad futurum Romanum Pontificem (Bucc. *Comm. in Const.* " Ap. Sedis „ *n. 17*), aut etiam ad Concilium quoddam provinciale futurum (B. P. *loc. cit.;* D'Ann. *loc. cit.*). — *Ab ordinationibus seu mandatis,* circa nempe res spirituales (Bucc. *loc. cit.*), et quae instar sententiarum particularium sunt. Quapropter non incurreret hanc excommunicationem, qui interponeret appellationem a statutis vel legibus Romani Pontificis. D'Ann. *loc. cit.* — Excommunicatio autem incurritur statim ac appellatio interposita est.

Eadem excommunicatione plectuntur qui auxilio, consilio vel favore iuvant appellantem, ad hoc ut appellet; nempe ii omnes, qui sive persuasione, sive subsidio et adiumento tum materiali, tum morali iuvant eum, qui de facto appellat. Bucc. *loc. cit.* Et hi omnes excommunicationem tunc tantum incurrunt, quum de facto appellatum est (D'Ann. *loc. cit. n. 48;* Bucc. *loc. cit.*); et si appellantem iuverint ad appellandum, non igitur si eum iuverint, postquam appellaverat. D'Ann. *loc. cit.;* Bucc. *loc cit.*

397 Universitates, collegia et capitula, quocumque nomine nuncupentur, eamdem appellationem interponentes, incurrunt ipso iure interdictum R. P. specialiter reservatum. *Const. cit. interd. sub. n. 1°.*

Hoc interdictum afficit corpora moralia, seu communitates, quocumque nomine appellentur, sive ecclesiasticae fuerint, sive seculares: lex non distinguit. Tenet autem harum communitatum singula membra (B. P. *VII. 399*), sive clerici fuerint, sive laici, sive causam interdicto dederint, sive non, idest sive ipsi pro appellatione fuerint, sive contra appellationem, dummodo communitas appellaverit. D'Ann. *loc. cit. n. 216;* Bucc. *loc. cit. n. 127.* Excipiuntur tantummodo infantes et amentes, quousque infantiam non fuerint praetergressi, vel ex amentia non convaluerint; quo in casu et hi interdicto tenentur, quemadmodum tenetur ille, qui communitatem ingreditur, postquam ipsa in interdictum incidit; ex. gr. ille, qui in civitatem hoc interdicto ligatam transtulerit domicilium. D'Ann. *loc. cit.*

Quum hoc interdictum vim censurae non habeat, clerici, qui ei causam non dederunt, si illud violaverint exercendo ordines, irregularitatem non incurrunt. D'Ann. *loc. cit.;* Bucc. *loc. cit.* An incurrentes hoc interdictum contrahunt etiam excommunicationem superius recensitam? D'Annibale et Ballerini-Palmieri *(loc. cit.)* putant, eos non incurrere, quia in excommunicatione de singulis, hic de personis moralibus agitur. — Auxilium vero, consilium vel favorem praestantes hoc interdictum non incurrunt, quippe eos praeterit Constitutio " Ap. Sedis „; imo neque excommunicationem incurrunt superius recensitam, quia non singulis, de quibus in excommunicatione, sed personae morali hoc praestant. B. P. *loc. cit.;* D'Ann. *loc. cit.;* Bucc. *loc. cit.*

Const. Pii II. « Exsecrabilis » 18 ian. 1459; Const. Iulii II. « Suscepti regiminis » 1 iul.

1509; Bulla « In coena Dñi » sec. 14 in suam ultimam formam redacta ab Urb. VIII. a. 1627 (huius Bullae accuratam historiam vide apud *Hausmann* Geschichte der päpstlichen Reservatfälle § 12.); Const. Pii IX. « Ap. Sedis »; Comm. const. Ap. Sedis in excomm. 4. ser. 1. et in interd. sub. n. 1; *P. Hergenröther* in Kirchenlex. v. « Appellation »; *Mühlbauer* Th. res. S. C. C. v. « Appellatio » n. 19; *Hollweck* Die kirch. Strafgesetze § 130; *Sägmüller* Lehrbuch des kath. KR. § 86.

398 **Appellatio. — Quid sit, et quaenam iudicialis, quaenam extraiudicialis.** — Appellatio est unum ex remediis iuris contra prolatam sententiam. Ius enim providit, ut contra sententiam invalidam daretur *remedium nullitatis*, contra iniustam vero daretur *appellatio*.

Est autem appellatio " provocatio a iudice inferiore ad superiorem proposita, ratione gravaminis per sententiam (sive definitivam, sive interlocutoriam) vel actum iudicialem illati vel inferendi, rite facta „. Haec est stricte dicta appellatio.

Attamen nomine appellationis venit etiam aliquando ea, quam nonnulli vocant appellationem extraiudicialem, quae est provocatio rite facta ab actibus vel decretis extra-iudicialibus inferioris, etiam privati, ad superiorem iudicem ob gravamen illatum vel inferendum (ut esset in casu electionis, collationis, provisionis beneficiorum). Haec proprie non est appellatio, sed potius provocatio ad causam; eaque sententiam non suspendit, nisi fuerit acceptata a superiore. *cap. 5 de appellationibus etc. X. (II. 28).*

399 **Quinam possunt appellare.** — Regulariter possunt appellare omnes, qui aliquod gravamen tulerunt, vel se laturos timent (*l. 30 de appellationibus etc. C. [VII. 62]*), quia appellatio species est defensionis (*arg. c. 61. tit. cit. X. [II. 28]*), defensio autem nemini denegatur. Hinc est, quod in foro ecclesiastico etiam excommunicatus appellare potest. Santi *in tit. 28 lib. II. Decr. n. 5.*

Attamen nonnulli etiam in foro ecclesiastico a beneficio appellationis excluduntur in poenam. Sunt autem: iudicialiter confessi, dummodo sine errore vel metu confessi sint (*c. 61. tit. cit. X. [II. 28]; c. 3. § 5 de appellat. [II. 15] in 6°*); haeretici sententia definitiva condemnati (*c. 18 de haeret. [V. 1] in 6°*; quamvis etiam hi per supplicationem ad superiorem recurrere possint); formaliter contumaces, seu hi qui peremptorie citati noluerunt se iudici sistere (*l. 23. § 3 de appellationibus etc. D. [XLIX. 1]*); qui in eadem causa tres contra se sententias tulit (*c. 65. tit. cit. X. [II. 28]*); rei notorii, dummodo vere notorii sint. (*c. 3. § 5. tit. cit. [II. 15] in 6°*).

A quo et ad quem appellari potest. — 400 Regulariter appellari potest a quocumque iudice, cui sit aliquis superior, sive delegato, sive ordinario. Schmalzgrueber *l. cit. n. 36.* Hinc non potest appellari a Papa vel a Concilio generali cum Papa, quia eadem semper auctoritate pontificia sententia tunc lata esset, quae superiorem in terris non habet. Sed neque admittitur in foro ecclesiastico appellatio proprie dicta a Congregationibus Cardinalium in Urbe.

Appellatio autem interponi regulariter debet coram iudice, qui tulit sententiam; vel, si huius copia haberi nequit, coram iudice ad quem, et si hoc etiam fieri nequit, coram notario aut viris honestis. Schmalzgr. *l. c. n. 42.*

Generatim appellatio facienda est ad iudicem immediate superiorem, ita ut procedatur per gradus, et non per saltum, ex. gr, ab episcopo ad archiepiscopum. *c. 66. tit. cit. X. (II. 28); c. 3. tit. cit. (II. 15) in 6°.* Ad Romanum Pontificem tamen semper quis appellare potest, relictis iudicibus intermediis (*cc. 4. 6. C. II. q. 6*), nisi hoc ipse vetuerit, ut aliquando factum est, ex. gr. per aliquod concordatum.

Si episcopus sententiam dederit tamquam delegatus Sedis apostolicae in causis, quae sub eius iurisdictione ordinaria non comprehenduntur, appellatio interponenda est penes unum Romanum Pontificem. *S. C. EE. RR. 16 oct. 1600.* Quod si episcopus dederit sententiam, etiam tamquam delegatus Sedis apostolicae, potest appellari ad metropolitanum. *S. Congregat. Concil. in Tarraconen. a. 1588; in Zamoren. a. 1589; in Ianuen. a. 1597.* (Cfr. Concil. Tridentin. *Ed. Richter pag. 166. n. 2*).

A iudicio delegati ab episcopo, sede plena, appellandum est ad episcopum vel eius vicarium generalem; sede vacua, ad capitulum vel ad vicarium capitularem iam constitutum. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 54.* Et in generali a iudice primum delegato ad delegantem, a iudice autem subdelegato a delegato appellari debet ad delegantem, si delegatus totam causam subdelegaverit (quia tunc nihil iurisdictionis retinuit), ad prius delegatum, si is non subdelegaverit totam causam, sed aliquid iurisdictionis sibi retinuit. Schmalzgrueber *l. c. n. 53.* — A sententia vicarii generalis (qui cum episcopo unum constituit tribunal) non appellatur ad episcopum, sed ad archiepiscopum. *c. 2 de consuet. (I. 4) in 6°.*

In quibusnam causis appellari potest vel non. — Generatim, ut diximus, ab omnibus gravaminibus potest appellari; dantur tamen aliquae exceptiones. Causae vero, in quibus non datur appellatio, sunt: causae criminales criminaliter actae, quum reus convictus vel confessus fuerit de crimine, nisi dubium contra confessionem promoveri possit (*l. 2 quorum appellationes etc. C. [VII. 65]*; attamen, si agitur de capite damnato, et semper appellare potest, et quilibet alius potest hoc facere, etiam ipso invito, *l. 6. tit. cit. D. [XLIX. 1]*); causae, in quibus transactum vel conventum est (Santi *in tit. 28. lib. II. Decr. n. 12*); in re notoria (*cc. 5. 13. 14. tit. cit. X. [II. 28]*); a sententia, quae transiit in rem iudicatam, seu transactis fatalibus (Santi *loc. cit.*); ab arbitris voluntariis (Vid. *Arbiter*); in causa exsecutionis, nisi forte exsecutor modum excedat (*c. 15 de sententia etc. X. [II. 27]*); in causis correctionis paternae aut regularis disciplinae, in quibus nempe praelatus procedat ut pater non ut iudex, si modus non excedatur (*cc. 3. 26. tit. cit. X. [II. 28]*; Schmalzgrueber *loc. cit. n. 23*); in causis, quae dilationem non admittunt, saltem cum effectu suspensivo, ut esset causa alimentorum (Schmalzgrueber *loc. cit. n. 28*); in causa, quae a superiore alicui committitur cum clausula, ut procedatur " appellatione remota „ exceptis casibus, in quibus a iure appellatio conceditur expresse (*c. 53. tit. cit. X. [II. 28]*), ut ex. gr. si iudex negat spoliato restitutionem spolii (*c. 10 de restitut. spoliat. X. [II.* 401

13/), etc.; haec clausula praeterea prohibet quidem appellationem ad effectum suspensivum, sed non ad devolutivum. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 31.* Aliae quaedam huiusmodi causae sunt minoris momenti, a quibus appellare non licet, quas vide apud auctores.

Nota autem, iure canonico post Tridentinum non licet interponere appellationem a quacumque sententia interlocutoria, sed tantum ab interlocutoria, quae habeat vim definitivae, aut quae praeiudicium inferat non reparabile per appellationem a definitiva. Conc. Trid. *sess. XIII. c. 1 de ref.*

402 **De effectibus appellationis.** — Appellatio generatim triplicem producit effectum: *suspensivum* sententiae, semper, nisi casus expresse in iure excipiatur (*c. 55. tit. cit. X. [II. 28]*); *devolutivum* in eo consistentem, quod tota causa eiusque cognitio devolvitur ad iudicem superiorem. Quare quum, stante appellatione, suspendatur iurisdictio inferioris iudicis, is nihil potest amplius in causa innovare (*cc. 42. 55. tit. cit. X. [II. 28]*), sed neque pars appellata; et si quid attentatum vel innovatum fuerit, debet *remedio attentatorum* a superiore iudice revocari et cassari. *c. 7. tit. cit. (II. 15) in 6°.* Etiam pars appellans prohibetur, ne aliquid in causa innovet; si secus fecerit, privatur favore appellationis. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 123.*

403 **De appellatione rite inchoanda et prosequenda.** — Appellatio vero debet interponi intra decendium, seu 10 dies (*c. 15. tit. cit. X. [II. 27]*), quod tempus initio est utile, in decursu continuum (cfr. Schmalzgr. *l. cit. n. 72;* cfr. *S. C. C. 22 febr. 1890*); et iste est terminus absolute peremptorius, qui a iudice nec limitari nec prorogari potest. — Appellatio fieri potest, stante pede, et viva voce, si in continenti fiat (Schmalzgrueber *loc. cit. n. 58*); quod si in continenti non fiat, facienda est per libellum appellatorium rite conscriptum.

Iudex a quo, interposita appellatione, debet mittere ad iudicem ad quem litteras, quae ipsum de facto appellationis edoceant et de causa, in qua appellatur. Hae litterae dicuntur *apostoli.* Eos tamen mittit ad petitionem appellantis, qui eos exquirere debet a iudice intra 30 dies (Schmalzgrueber *loc. cit. n. 74 sqq.*); secus censetur renuntiasse appellationi. *c. 6. tit. cit. X. (II. 15) in 6°.* Apostolorum autem quinque sunt species: *conventionales,* qui dantur a parte adversa appellationem admittente; *dimissorii,* per quos iudex dimittit appellantem ad iudicem ad quem, quia appellationi detulit eam admittendo; *reverentiales,* per quos iudex ob reverentiam appellati superioris defert appellationi, cui alias deferre non tenebatur; *refutatorii,* quos iudex dat, quando appellationi non defert, simul causam manifestando, cur appellationem non admiserit; *testimoniales,* qui non dantur a iudice, sed ab honestis et probis viris testantibus partem intra debitum tempus et legitimo modo apostolos petiisse, eique denegatos fuisse.

Iudex a quo assignare potest congruum tempus, intra quod appellans suam appellationem in tribunali superiori introducat, praesentando apostolos etc.; quo transacto, appellatio censetur deserta. *c. 4. tit. cit. X. (II. 28).* Si a iudice tempus non determinetur,

appellatio debet fieri intra annum (*c. 3 de appellationibus [II. 12] in Clement.*), vel ad summum ex iusta causa intra biennium. *c. 8. tit. cit. X. (II. 28).*

Introducta appellatione, iudex debet prius cognoscere de legitimitate appellationis, et postea procedere ad cognitionem ipsius causae, et ferre sententiam, quam poterit etiam exsecutioni mandare. Pirhing *in tit. 28. libr. II. Decret. n. 238.*

Posita et acceptata appellatione, acta litis transmittenda sunt ad iudicem ad quem, expensis appellantis. Conc. Trid. *sess. XIII. c. 3 de ref.; sess. XXIV. c. 20 de ref.;* Schmalzgrueber *loc. cit. n. 95.*

Si quis post introductam rite appellationem eam non fuerit prosecutus, iusto impedimento cessante, intra legitimum tempus, iudex ad quem pronuntiare debet appellationem fuisse desertam. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 79.* Cfr. *S. C. EE. RR. in Aquinaten. 17. mart. 1854; in Pennen. 30 iul. 1836.* Cfr. C. B. *a. 316;* C. A. *a. 990.* Vid. *Fatalia.*

Decr. C. II. q. 6; tit. de appellationibus etc. X. (II. 28); id. tit. (II. 15) in 6°.; id. tit. (II. 12) in Clem.; Conc. Trid. sess. XIII. cc. 1. 2. 3 de ref., sess. XXII. c. 7 de ref., sess. XXIV. cc. 10. 18. 20 de ref., sess. XXV. c. 14 de ref.; Const. Pii V. « Inter illa » 20 nov. 1570; Const. Greg. XV. « Inscrutabili » Non. febr. a. 1622; Const. Ben. XIV. « Ad militantis » 3 kal. apr. a. 1742; decr. S. C. EE. RR. 16 oct. 1600; Instr. eiusd. S. Congr. 11 iun. 1880 a. 36 sq. cum decl. 26 mart. 1886; Dig. lib. XLIX. a tit. 1°. usque ad 13; Cod. lib. VII. a tit. 62 usque ad finem; Nov. XXIII.; Comm. iuris Decr. in tit. cit.; Comm. iuris romani in tit. cit.; *Alexandri D.* De appellationibus; *Altimari B.* De nullitatibus; *Besoldi Chr.* De appellationibus seu de appellatorio iuvamine; *Bonincontrus (filius Ioannis Andreae)* Tract. de appellationibus: *Brederodii P. C.* De appellationibus; *Fuchs I.* Sollemnia appellationis; *Cletzelii ab Altenach I. M.* De appellationibus; *Fermosini N.* De exceptionibus (ubi etiam de appellationibus); *Fragosi I. B.* Tract. de regimine reipublicae christianae; *Lynckeri N.* De gravamine extraiudiciali et quatenus ab illo provocare liceat; *Montani F.* Tract. de appellationibus, supplicationibus, restitut. et recusat.; *Scaccia S.* Tract. de appellationibus; *Ursellus* Examen apum concl. 128; *Zangeri I.* Comm. in tit. Decr. de appellationibus; *Wamesii I.* Comm. in tit. 28 lib. 2 Decr. de appellationibus; *Pellegrini C.* Praxis vicariorum p. 3; *Bardi M. A.* De tempore utili et continuo ad appellandum; *Lipstorpii D.* Tract. de appellationibus in causis criminalibus; *Crépon Z.* Traité de l'appel en matière civile; *De Mauro M.* Dell'appello in materia penale nelle legislazioni italiane; *Lega* De iudiciis I. 617 sqq. *Zech* De iudiciis eccl. tit. 33; *Mühlbauer* Th. res. S. C. C. v. « Appellatio »; *Vering* Lehrb. des KR. § 183 dd.; *Ph. Hergenröther* Die Appellationen nach dem Dekretalenrecht; *Hergenröther-Hollweck* Lehrbuch des kath. KR. n. 638. sqq.; *Sägmüller* Lehrb. des kath. KR. § 172.

Applicatio missae. — **De ipsa applicatione missae** *(remissive).* — Applicatio missae requiritur pro fructu speciali, non pro specialissimo, nec pro generali. Est autem intentio, qua sacerdos vult, ut sacrificii fructus in utilitatem certae personae cedat. Non debet tamen esse actualis, sed habitualis sufficit, imo nec explicite determinata. S. Alph. *VI. 335.* Vid. *Sacrificium.* 404

De applicatione missae pro populo. — Episcopi (ritus quoque orientalis, quos etiam ligari Constitutione " In suprema „ Leonis XIII. declaravit S. C. de Prop. Fide litteris datis ad delegat. ap. pro Oriente *8 nov. 1882* — post adeptam possessionem, *S. R. C. in una* 405

Marsorum 12 nov. 1831 [2682]) pro universa dioecesi; parochi etiam regulares imo et amovibiles, pro sua parochia omnibus diebus festis pro populo missam applicare tenentur. *Constit.* Ben. XIV. " Quum semper „ *19 aug. 1744.*

Imo si parochus duas regit parochias (nisi agatur de duabus parochiis unitis unione plenaria et exstinctiva), ad duas missas tenetur (*S. C. C. in Lucen. 12 martii 1774*); non item episcopus, qui duas dioeceses. *Const.* Leonis XIII. " In suprema „ *10 iun. 1882.*

Episcopus autem, qui simul cum episcopali exercet officium parochiale, non satisfacit, applicando diebus festis unam tantum missam pro populo. *S. C. P. F. 23 martii 1863.*

Abbates habentes iurisdictionem quasi episcopalem tenentur et ipsi, quum vere exerceant curam animarum, missam pro populo applicare. *Const. cit. Leonis XIII.*

Cappellani etiam curati, amovibiliter a capitulo deputati pro exercitio curae animarum, tenentur missam applicare pro populo diebus statutis. *S. C. C. in Ferrarien. 18 mart. 1719.*

Eodem modo hoc onere tenentur etiam vicarii seculares, qui ad aliquam parochiam mittuntur usque ad novi rectoris electionem, nec non vicarii regulares, brevi omnes et singuli qui actu animarum curam exercent. *Const.* Bened. XIV. " Quum semper oblatas „ *19 aug. 1744; S. Congreg. C. in Egitanien. 18 iul. 1789, in Maceraten. 21 ian. 1826.*

Multo magis vicarius, qui obtinet vicariam a parochia divisam et ab ea non dependentem, ad missam pro populo celebrandam obligatur. *S. C. C. in Aquilana 24 mart. 1906.*

Episcopus titularis non tenetur die- 406
bus festis applicare missam pro ecclesia, cuius titulum gerit; attamen decet eum quoque interdum sacrificium offerre, ut respiciat Deus miseram conditionem illius ecclesiae. *Const. cit. Leonis XIII.*

Item cappellani monialium curae praepositi non tenentur pro iisdem moniabus missam diebus dominicis et festivis applicare, quum non sint parochi. *S. C. C. 7 dec. 1844.*

Pariter curati seu vice parochi, qui nomine parochi, munia parochialia exercent, quum titulares non sint, sed coadiutores, non tenentur ad applicationem missae pro populo. *S. C. C. in Tiburtina 21 nov. 1801; in Visen. 17 dec. 1803; in Astorien. 9 dec. 1865.*

Imo ipse vicarius capitularis, sede vacante, non tenetur ad applicandam missam pro populo. *S. R. C. in una Marsorum 12 nov. 1831 (2682) ad 23.*

Vicarii apostolici et missionarii, qui quovis modo suscipiunt animarum curam in aliquo determinato loco, dummodo non agatur de locis, in quibus sedes episcopalis ac paroeciae canonice erectae iam sint, atque ad ea vicarius apostolicus et missionarii missi sint, ut legitimorum pastorum vices gerant, non tenentur applicare missam pro populo, sed decet ex caritate eos id facere. *S. C. P. F. decr. nuper cit.* Vid. *Administrator apostolicus.*

Superiores regulares hoc onere applicandi missam diebus festis pro subditis certa lege non obstringuntur; attamen notanda sunt verba Concilii Tridentini (*sess. XXIII. c.1. de ref.*), scilicet:

" Quum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, etc. „. Quibus ex verbis etiam in huiusmodi superioribus videtur adesse obligatio, et quidem ex iure divino, offerendi aliquoties missam pro subditis.

407 Onus istud applicandi missam pro populo est simul onus *personale*, quo nempe quis obligatur missam per se ipsum applicare, excepto casu verae necessitatis et concurrente causa canonica (*S. C. C. in Fesulana 26 ian. 1771; 25 sept. 1847*); et *reale*, quo nempe parochus obligatur ad celebrandam missam in propria parochia, ut declaravit Rota Romana (Cfr. Ferraris *Prompta bibl. v. Parochus a. 3. n. 1;* B. P. *IV. 502*), nisi a sua parochia legitime abfuerit, quia tunc satisfacit celebrando ubi est. *S. C. C. 14 dec. 1872.* Parochus autem, utcumque legitime impeditus, ne missam celebret, tenetur eam die festo celebrari et applicari facere pro populo in ecclesia parochiali. *S. C. C. decr. nuper cit.* — Non potest applicari pro populo missa parochialis, cui populus adstare consuevit, si ea celebretur a vicario, quando parochus privatim celebrat aliam missam, sed debet parochus applicare missam, quam ipse celebrat (*S. R. C. in Camberien. 20 dec. 1864 [3128]*), etiamsi fideles firmiter putent, missam parochialem pro ipsis applicari semper, et propter hoc ad eam audiendam libenter confluant. *S. C. C. 9 apr. 1881.*

408 Obligatio haec urget omnibus diebus festis, non exclusis illis diebus festis, qui in constitutione Urbani VIII. enumerantur, et postea de numero dierum festorum ex praecepto fuerunt sublati. *Const.* Pii IX. " Amantissimi Redemptoris „ *3 maii 1858.* Si quando autem aliquod festum translatum fuerit ex pontificio indulto una cum solemnitate in dominicum diem, una tantum missa pro populo est a pastoribus applicanda. *Const. nuper cit. Pii IX.*

Quaesitum est, num parochi missae sacrificium pro populo celebrare debeant non solum in festo primario principalis patroni propriae parochiae, sed etiam in festo primario patroni praecipui totius dioeceseos; et Sacra Rituum Congregatio respondit affirmative ad primam partem; et etiam ad secundam, si hoc alterum festum celebretur cum feriatione, saltem de iure. *S. R. C. in Agennen. 28 maii 1897. ad 2 (3957).*

Dispensare possunt ab hac obliga- 409
tione S. Congr. Concilii aut S. Congr. de Prop. Fide, et concesserunt aliquando episcopis facultatem dispensandi, *praesertim* ob nimiam paupertatem parochorum. Cfr. *indulta S. C. C. 10 mart. 1888, 18 iul. 1893, 19 ian. 1894.*

Imo ipse Benedictus XIV in constitutione ultimo citata hanc facultatem concessit episcopis, restrictam tamen ad casum, in quo agatur de parocho vere paupere et egente, qui ab aliquo pio benefactore rogetur de sibi applicanda missa in aliquo die festo, dummodo ad necessariam populi commoditatem in ipsa parochiali ecclesia missam celebret et tot missas infra hebdomadam pro populo applicet, quot in diebus festis infra eamdem hebdomadam occurrentibus iuxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerit. Quare, ut ex dictis patet, una ratio egestatis seu inopiae in parocho ipsum non ex-

cusat ab hoc onere applicandi diebus statutis missam pro populo. *S. C. C. in Civitatis Castellanae 26 aug. 1628; in Forosempronien. 8 febr. 1726.*

Non raro etiam conceditur indultum non applicandi pro populo missam in festis suppressis cum onere eam applicandi pro eleemosyna, quam parochi mittere debeant episcopo in subsidium seminarii. Circa hoc indultum episcopus Anneciensis sequentia dubia S. Congregationi Concilii proposuit: " 1. Quando parochi diebus festis suppressis celebrant missam cantatam, sive manualem sive fundatam, quae in dominica praecedenti praenuntiata fuerit cum indictione diei et horae, licetne ipsis ad episcopum transmittere tantummodo stipendium missae lectae iuxta taxam dioecesanam, an debent tradere integrum stipendium per constitutiones dioecesanas pro huiusmodi missis praestitutum? — 2. Si missam exsequialem cum cantu praedictis diebus celebrant, satisfaciuntne suae obligationi, mittendo stipendium missae lectae communis iuxta taxam dioecesanam, an debent mittere stipendium missae cantatae iuxta praedictam taxam, salvis iuribus stolae? „ Et S. Congregatio respondit: " Ad utrumque, affirmative ad primam partem, negative ad secundam, quoties morali certitudinem constet augmentum communis eleemosynae datum fuisse ob maiorem laborem vel incommodum, ad quae aliunde parochus obligatus non sit „ *S. C. C. in Annecien. 24 mart 1906.*

410 **Varia** (remissive). — Quoad canonicos relate ad applicationem missae conventualis pro benefactoribus vide *Canonici.*

Quoad onus applicandi missam in eo, qui obtinet aliquam cappellaniam vide *Cappellania, Stipendium.*

Conc. Trid. sess. XXIII. c. 1 de reform.; Const. Inn. XII. « Nuper a Congregatione » 24 apr. 1699; Const. Ben. XIV. « Quum semper oblatas » 19 aug. 1744; Const. Pii IX. « Amantissimi Redemptoris » 3 maii 1858; Const. Leonis XIII. « In suprema » 10 iun. 1882; *Scherer* Handbuch des KR. II. § 142. III; *Arndt* Die Pflicht der Messapplikation pro populo in Archiv. f. k. KR. 69. 1893, 3 sqq.; *Heuser* Die Verpflichtung d. Pfarrer für die Gemeinde zu applizieren; *Sägmüller* Lehrb. des kath. KR. § 101; *Hergenröther-Hollweck* Lehrb. des kath. KR. n. 439; *Wernz* Ius. Decr. II. 758. 834.

Approbatio. — De approbatione ad praedicandum. — Approbatio episcopi ad praedicandum verbum Dei omnibus in aliqua dioecesi commorari volentibus necessaria omnino est (Encyclic. Pii X. 28 iulii 1906), nec solum presbyteris secularibus, sed etiam regularibus, si concionantur extra ecclesias sui ordinis. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 4. de ref. et sess. V. c. 2. de ref.* Si vero in ecclesiis suorum ordinum praedicare voluerint, debent prius petere benedictionem ab episcopo; et si is contradixerit, a praedicatione debent abstinere. Conc. Trid. *c. 2. cit. sess. V.* Si vero nec annuerit nec contradixerit, benedictione petita, praedicare possunt. Et si, benedictione petita, a dioecesi recesserint, vel longum tempus intercesserit ab ea obtenta, tenentur novam petere. *S. C. C. in Bituntina 14 nov. 1626.* — Regulares praedicare volentes extra ecclesias sui ordinis episcopus potest pro suo arbitrio, quod tamen moderatum esse debet, circa doctrinam examinare. *Const.* Clementis X. " Superna „ *a. 1670.* Semel tamen concessa 411

regularibus licentia praedicandi, non potest, nisi ex rationabili causa (praedicationem concernente, *Const. cit. Clement. X.*) suspendi. *S. C. C. in Brugen. 17 maii 1636.*

De approbatione ad confessiones generatim (*remissive*). — Quoad approbationem pro confessionibus vide *Confessarius.*

412 **De approbatione ad confessiones monialium.** — Etiam pro confessariis monialium necessaria est specialis approbatio, quae danda est ab episcopo loci; quamvis, si moniales subiectae sint praelato regulari, deputatio confessarii ab isto facienda est, etsi approbatio etiam tunc episcopo competat. Cf. *Const.* " Inscrutabili „ Greg. XV. *5 febr. 1662; S. C. C. 12 iul. 1668, 30 ian. 1723.* Haec approbatio requiritur singularis pro unoquoque monasterio, nisi confessarius fuerit approbatus in genere pro monialibus. Cfr. *Const. cit. Greg. XV.*

413 **De approbatione quoad libros edendos.** — Ad edendas *versiones S. Scripturae* in lingua vulgari necessaria est approbatio S. Sedis, nisi sub vigilantia episcoporum edantur, adnotatae ex operibus SS. Patrum, vel a doctis et catholicis viris; imo imprimentes vel imprimi facientes libros S. Scripturae et eorumdem librorum adnotationes et expositiones contra decretum Concilii Tridentini (*sess. IV. de editione et usu ss. librorum*) sine ordinarii approbatione incurrunt excommunicationem, nemini reservatam latam a Tridentino et confirmatam in constitutione " Apost. Sedis „. Cfr. *S. U. I. 22 dec. 1880; Const.* Leonis XIII. " Officiorum ac munerum „ *VIII. Kal. febr. 1896. a. 48.*

414 Omnes fideles tenentur praeviae censurae ecclesiasticae eos saltem subiicere libros, qui divinas scripturas, sacram theologiam, historiam ecclesiasticam, ius canonicum, theologiam naturalem, ethicam, aliasve huiusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit. *Const.* Leonis XIII. " Officiorum ac munerum „ *a. 41. — Omnes fideles:* Emus Card. Gennari (*Della nuova disciplina sulla proibizione e sulla censura dei libri § 41*) putat, hac voce *omnes fideles* intelligendos esse tantummodo imprimentes aut imprimere facientes, idest typographos aut editores, non auctores, exceptis auctoribus Romae degentibus ex art. 37 Const. Leonianae. Ratio est, quia a. 44 de typographis et editoribus tantum agitur. Sed nescio, utrum haec ratio cogat: sapientiores videant. — *Libros;* non autem libellos aut minoris molis publicationes periodicas singulatim spectatas. Vermeersch *De prohib. et censura librorum n. 21. — Scripta omnia;* ergo libellos quoque cuiuscumque formae et molis, imo et singulare folium cuiuspiam diarii. Vermeersch *loc. cit.;* Gennari *loc. cit. — In quibus etc.;* tunc nempe scripta omnia indigent approbatione, quum ex adiunctis eorum argumentum est pro religione vel moribus peculiaris momenti. Vermeersch (*loc. cit.*) contra Gennari (*loc. cit.*), cuius explicatio et nobis reiicienda videtur, ni toti fallimur. In dubio autem, addit Vermeersch, an *specialiter* intersit, non erit imponenda necessitas.

Viri e clero seculari ne libros qui- 415
dem, qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, *inconsultis* suis or-

dinariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum praebeant. Debent igitur ordinarios suos *consulere,* nihil aliud; neque haec commendatio videtur esse praeceptum; attamen ordinarius potest hoc ipsum praecipere etiam sub proportionata poena, ut eruitur ex a. 49 Const. Leonianae. Vermeersch *loc. cit. n. 26.* — Nota autem consuli debere ordinarium auctoris, non ordinarium loci, in quo publicatur liber, ad quem pertinet libri censura, si liber censurae aliunde sit subiiciendus. Gennari *loc. cit. § 42.* Iidem prohibentur quominus, absque praevia ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant. *Const. nuper cit. a. 42.*

416 Regulares, praeter episcopi licentiam, meminerint teneri se S. C. Tridentini decreto operis in lucem edendi facultatem a praelato, cui subiacent, obtinere. Utraque autem concessio in principio vel fine operis imprimenda est. *Const. cit. a. 36.* Regulares autem diximus, nempe stricte tales; alii religiosi poterunt hac obligatione teneri vi suarum regularum, non tenentur autem vi Constitutionis Leonianae. — Nova operis alicuius approbati editio novam approbationem exigit; idem dicendum de versione in aliud idioma alicuius operis approbati. *Const. cit. a. 44.*

417 Approbatio librorum, quorum censura Apostolicae Sedi vel romanis Congregationibus non reservatur, pertinet ad ordinarium loci, in quo publici iuris fiunt (nempe non in quo liber imprimitur, ut antea, sed in quo publicatur). *Const. cit. a. 35.* Auctor Romae degens, qui librum, non in urbe, sed alibi imprimere vult, praeter approbationem cardinalis urbis vicarii et magistri sacri palatii apostolici, alia non indiget. *Const. cit. a. 37.* — Libri autem, quorum censura reservatur Sedi Apostolicae vel romanis Congregationibus, sunt sequentes: Versiones SS. Bibliorum (*a. 7*); libri aut scripta, quae narrant novas apparitiones, miracula etc. (*a. 13*); libri proscripti (decreto speciali) ab Apostol. Sede, qui nequeunt edi sine venia S. Congr. Indicis (*a. 31*); quae ad causas beatificationum et canonizationum servorum Dei utcumque pertinent (de iis agitur, quorum causa est pendens, Vermeersch *loc. cit. n. 22*), haec enim edi nequeunt absque approbatione Sacrae Congregationis Rituum (*a. 32*); collectiones decretorum (seu collectaneae, quas vocant, B. P. *II. 1202*) singularum romanarum Congregationum, quae edi nequeunt, nisi obtenta prius licentia et servatis conditionibus a moderatoribus uniuscuiusque Congregationis praescriptis (*a. 33*).

Ordinarii, qui, peracto examine ali- 418
cuius libri, praeviae eorum censurae submissi, licentiam denegant eumdem publicandi, tenentur auctori rationes denegatae licentiae indicare, si liber videatur correctionis seu expurgationis esse capax. *S. C. Ind. 3 sept. 1898.*

Aqua. — Aqua naturalis est mate- 419
ria remota baptismi valida (Conc. Trid. *sess. VII. de bapt. c. 2*); licita est aqua pura, benedicta et chrismate immixta, saltem pro solemni baptismo (Cfr. Rit. Rom. *tit. II. c. 1. n. 4*); materia proxima est ipsa ablutio per immersionem vel aspersionem vel infusionem. Quoad haec omnia vid. *Baptismus.*

Quoad asservationem aquae baptismalis vid. *Fons baptismalis.*

Vi praecepti ecclesiastici, sub gravi

tantillum aquae vino consecrando permiscendum est. *c. 6. de celebr. miss. X. (III. 41);* Conc. Trid. *sess. XXII. c. 7.*

420 **Aqua benedicta.** — Aqua benedicta singulis saltem hebdomadibus renovetur (Cerem. Episc. *lib. 1. c. 6. n. 2*). Ad eam faciendam adhiberi potest sal iam exorcizatum et in hunc usum servatum. *S. R. C. in Lausannen. 8 april. 1713 (2218).* Ultimo maioris hebdomadae triduo retinenda est consuetudo aquam benedictam removendi a vasis ecclesiae. *S. R. C. in una Marsorum 12 nov. 1831. n. 54 (2682).*

Sacerdos, ad sacrum faciendum e sacristia egrediens, ad eius ianuam, si commode queat, signet se aqua benedicta; sin minus se abstineat. *S. R. C. in una Ordinis Minorum 27 mart. 1779. n. 4 (2514).*

Marsilii Columna M. A. Hydrologia seu de aqua benedicta; *Burdragi G.* De aqua benedicta; *De Nigro-Monte L.* De aqua benedicta.

421 **Arbiter.** — **Quinam sint arbitri et quaenam eorum potestas.** — Arbiter lato sensu est ille, qui amicabili compositione negotium terminat; stricto sensu est " persona idonea sive ex legis dispositione (arbiter iuris), sive ex conventione partium (arbiter compromissarius) electa, ut circa exortam controversiam suum iudicium proferat, cui partes stare debent „.

Arbiter iuris assumit partes iudicis, et debet procedere ordine iuris servato; idem dicendum de arbitris compromissariis, nisi a partibus aliud cautum fuerit expresse, quia tanta est potestas arbitrorum, quanta ipsis a partibus in compromisso attributa fuerit. Reiffenstuel *in tit. 43 lib. 1. Decr. n. 56.*

Arbitri iuris etiam aliquando eligi possunt a partibus, quando nempe iure cautum est, ut quaedam controversia terminetur per arbitros a partibus electos *c. 14 de rescript. X. (I. 3.)* Hi tamen differunt a compromissariis, quia a lege habent proprie dictam iurisdictionem in similitudinem iudicis et quamdam coercitionem (possunt enim testes compellere ad comparendum), compromissarii vero non habent nisi notionem quaestionis. Praeterea ab istorum sententia appellari nequit; ab illorum potest.

Arbitri non possunt excedere limites causae sibi commissae; de una ergo ad aliam causam nequeunt transire. Possunt vero videre et decernere de iis, quae necessario et intrinsece connectuntur cum causa principali, ita ut, nisi de illis decernerent, quaestio circa principalem causam perseveraret. *c. 5 de off. et pot. iud. ord. X. (I. 29).*

Arbitrorum potestas exspirat:

1°. pronunciatione laudi in causa principali.

2°. mutuo compromittentium consensu.

3°. morte arbitri vel unius ex pluribus arbitris.

4°. morte alterutrius ex compromittentibus.

5°. lapsu diei praefiniti in compromisso.

6°. per delationem causae ab una parte factam ad iudicem ordinarium.

7°. iusta recusatione suspecti arbitri.

Quinam compromittere, et quinam eligi in arbitros possint. — In arbitros compromittere possunt illi solummodo, qui habent liberam rerum suarum admini- 422

strationem, et per consequens possunt transigere et alienare res suas. Cfr. *c. 5 de arbitr. X. (I. 43).*

Compromissum sine consensu libero partium non intelligitur. Imo ad hoc ut vim suam in foro externo exserere possit, ita fieri debet, ut de eo constet, sive scriptura sive alio quocumque modo. *l. 32 de receptis etc. D. (IV. 8) § 15. 21.* Cfr. *S. C. C. in una Venetiarum 27 apr. 1883.*

In arbitros assumi possunt omnes, qui non prohibentur. Prohibentur autem:

a) pupilli, amentes, surdi et muti, etc.

b) mulieres (nisi illustres, quae aliqua iurisdictione potiantur). *c. 4. tit. cit. de arbitr. X.*

c) excommunicati vitandi. *c. 9 de sent. excomm. X. (V. 39);* Suarez *De censuris disp. XVI.*

d) religiosi sine consensu sui superioris. *cc. 3. 5 tit. cit. de arbitr. X.;* Schmalzgr. *in tit. cit. n. 7. 8.*

e) laici in causis spiritualibus. *c. 8. tit. cit. de arbitr. X.* (nisi per privilegium apostolicum, vel una cum clerico, *c. 9. tit. cit.*).

Possunt vero assumi in arbitrium vel unus vel plures, sive pari, sive melius dispari numero. *c. 1. 12. tit. cit. de arbitr. X.*

423 **Quandonam compromissum in arbitros admittatur vel non.** — In omni causa compromissio in arbitros fieri potest, nisi iure sit prohibita. *c. 9 de in integr. rest. X. (I. 41).* Prohibentur autem, seu excipiuntur eae causae, quae magis ad bonum publicum et ad ius superioris pertinent, quam ad privatum (causae matrimoniales, *c. 12 de excess. Praelat. X. [V. 31];* Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 20 de ref.:* criminales criminaliter intentatae, *c. 9. tit. cit. de arbitr. X.:* de restitutione in integrum, *c. 9 tit. cit. de integr. nolit, X,* etc.; cfr. etiam *S. C. C. in Foroiulen. et Nicien. seu Aquen. 15 dec. 1888*).

De effectibus arbitrii. — Effectus ar- 424
bitrii principaliores sunt:

a) compromittentes stare debent arbitri iudicio seu laudo, ut dicitur; quod si se laesos enormiter putent, intra decem dies debent coram iudice ordinario curare, ut laudum ad arbitrium boni viri reducatur (*c. 11. tit. cit. de arbitr. X.*); secus laudum dicitur homologatum seu a partibus acceptatum.

b) arbitrium interrumpit praescriptionem.

c) acta coram arbitro habent vim probandi in iudicio inter easdem personas et in eadem causa.

d) homologato arbitrio, datur parti volenti, vel actio in factum coram iudice ordinario, vel etiam exceptio, si altera pars actionem intentet contra laudum. *c. 9. tit. cit. de arbitr. X.*

De arbitris ex iure italico. — Iure ita- 425
lico haec habentur quoad arbitros in codice processus civilis. Quicumque, sive civis sive alienigena, potest eligi in arbitrum. Arbitri nequeunt esse mulieres, minores, interdicti et ii, qui, a iuratorum munere ob poenalem quamdam condemnationem exclusi, nondum fuerunt rehabilitati. *a. 10.* Si alicui ex iis, qui ad compromittendum sese obligarunt, successerint personae, quae sub tutore sunt, facultas eligendi arbitros exercetur a tutore cum approbatione consilii familiae aut tutelae. *a. 12.* Acceptare debent arbitri munus suum per scripturam; sufficit ad hoc subscriptio eorumdem actui electionis. *a. 13.*

Partes transmittunt sua documenta, suasque memorias ad arbitros sine ulla iudiciali formalitate. *a. 14.* Arbitri non tenentur servare formas et terminos statutos ad instruendas causas coram auctoritate iudiciaria; attamen possunt partes aliter convenire, et tunc debent arbitri sese conformare formis et terminis, qui in compromisso a partibus indicantur. *a. 17.* Arbitri decidere debent iuxta iuris normas, nisi compromittentes fecerint eis facultatem controversiam decidendi ut amicabiles compositores, *a. 20.* Arbitrorum sententiae debent pronuntiari in Regno. *a. 22.* A sententia arbitrorum appellare licet, nisi pronunciaverint tamquam amicabiles compositores, aut tamquam iudices appellationis, aut partes renunciaverint appellationi, aut tandem causa ex iis sit, quae spectet ad iudicem conciliatorem. *a. 28.* Contra arbitrorum sententias admittitur petitio revocationis, non obstante quacumque renunciatione facta, in casibus, formis, et terminis statutis pro sententiis auctoritatis iudiciariae. *a. 30.* Sententia arbitrorum potest etiam ex nullitate impugnari, non obstante quacumque facta renunciatione, in quibusdam casibus ibi enumeratis. *a. 32.* Arbitri, qui electionem suam acceptaverint, et sine iusta causa destiterint aut non pronuntiaverint sententiam intra tempus statutum, tenentur ad refectionem damnorum erga partes. *a. 34.* — Arbitri ad effectus legis poenalis considerantur tamquam publici officiales. *C. Poen. a. 207.*

Decr. c. 33. sqq. C. II. q. 6; c. 1. C. III. q. 7; tit. de arbitris X. (I. 43); id. tit. (I. 22) in 6°; Conc. Trid. sess. XIV. c. 5 de ref.; tit. de receptis, qui arbitrium receperunt, ut sententiam dicant D. (IV. 8); tit. de receptis arbitris C. (I. 56); Commentatores in tit. cit.; *Durandus* Speculum lib. 1. p. 1. de arbitris; *Fragosi I. B.* Tract. de regimine reipublicae christianae tom. 1; *Hammer G.* De arbitris; *Lancellotti C.* Tract. de arbitris; *Wichmann I.* Disp. inaug. de arbitris; *Lega* De iudiciis I. n. 15 sqq.; *Zech* De iudiciis eccl. tit. 11; *Ferraris* Prompta bibliotheca v. « Arbiter »; *Thomassin* Vetus et nova eccles. discipl. p. II. lib. 3. c. 101 sqq.; *Hergenröther-Hollweck* Lehrb. des kath. KR. n. 658; *Mongalvy M.* Traité de l'arbitrage en matière civile et commerciale; *Rivalta V.* I giudizi di arbitri; *Amar M.* Dei giudizi arbitrali.

Archiconfraternitas. — Non abs 426
re videtur hic referre decretum S. C. Indulgentiarum 8 ian. 1861 datum ex audientia SSmi circa archiconfraternitates et confraternitates ab ipsis aggregandas. Est autem tenoris sequentis:

" Ad religionis et pietatis incrementum, ad mutuam caritatem inflammandam Apostolica Sedes pluribus sive ordinibus regularibus, religionibus et institutis, sive etiam christifidelium secularium archiconfraternitatibus et congregationibus potestatem fecit alias confraternitates et congregationes erigendi et instituendi, nec non etiam sibi aggregandi, ac indulgentias, privilegia aliasque spirituales gratias sibi concessas communicandi.

Quum autem nulla certa forma vel ratio praescripta fuisset, quae in huiusmodi institutionibus vel aggregationibus et communicationibus faciendis servari deberet, Urbanus VIII fel. record. constitutione, quae incipit *Quaecumque a S. Sede apostolica,* data sub die 7 dec. 1604 modum praecepit servandum in his peragendis, formulam quoque praescribendo, atque inter alia statuit,

indulgentias, privilegia etc. tantummodo communicari posse, quae nominatim et expresse societati aggreganti concessa sunt, non tamen ea, quae per extensionem vel communicationem sibi quovis modo concessa sunt, et quidem communicari non sub generali verborum forma vel ad instar, sed expresse et in specie atque per dictam formulam ab ipso Pontifice approbatam; quae quidem omnia in eadem constitutione reperiuntur praecepta sub nullitatis poena, ut clarius patet ex laudata constitutione.

Compertum tamen est, progressu temporis non ab omnibus adhibitam fuisse hanc formulam, neque privilegia neque indulgentias adamussim communicatas, quemadmodum Pontifex praeceperat.

Quum insuper statutum fuisset in eadem constitutione, ut institutiones et aggregationes gratis omnino fierent, et tantummodo per decretum congregationis cardinalium sub Paulo V. indulgentiarum moderationi praepositae datum die 6 martii 1608 titulo expensarum permissum fuisset instituentibus vel aggregantibus scutum unum aureum recipere, et quidem sub poena, inter cetera, nullitatis, prout clarius innotescit ex eodem decreto, attamen cognitum similiter est, neque dispositionem hanc ab omnibus servatam fuisse.

Ad dubitationem itaque omnem tollendam super validitate harum institutionum seu aggregationum, Sanctitas Sua benigne sanavit institutiones et aggregationes hucusque factas, in quibus aliquid ex praedictis desideretur, quod perficiendum erat per constitutionem enunciatam aut decretum superius expressum, vel contra in iisdem praescripta peractum sit, simulque mandavit, ut in posterum formula in huiusmodi erectionibus seu institutionibus seu aggregationibus adhibenda concordet, saltem in substantialibus, cum illa praescripta a Clemente VIII., cuius constitutionis ad minus praecipua capita in eadem formula inserantur cum variationibus ab eadem Sanctitate Sua approbatis, cuius quidem formulae exemplar, iis praesertim, quorum interest, communicandum, in actis S. Congregationis servari praecepit, et ut societati aggregatae ab ordine, instituto seu archiconfraternitate aggregante tradi possit separatim et distincte a formula, ac etiam typis impressus elenchus indulgentiarum et privilegiorum ab ordinario tamen loci recognitus; cuius impressio in hunc tantum finem permittitur, etiamsi indulgentiarum concessiones sint depromptae ex pluribus Brevibus etc., non obstante decreto S. Congr. Indicis et altero S. C. Indulg. explicante et moderante praedictum decretum Indicis diei 22 ianuarii 1858.

Atque hoc decretum absque ulla Brevis expeditione publicari iussit derogando cuicumque apostolicae dispositioni in contrarium, etiam specialis mentionis dignae.

Notandum praeterea hic ea sunt, quae habentur in litteris Secretariae Brevium 5 iun. 1881 circa titulum archiconfraternitatis, eum scilicet non concedi cum facultate aggregandi extra dioecesim aut extra provinciam ecclesiasticam, si pium sodalitium institutum inveniatur in dioecesi metropolitana, nisi agatur de confraternitatibus erectis in insignioribus sanctuariis.

Confer hic ea etiam, quae dicta sunt sub *Confraternitas.*

Archidiaconus. — Archidiacono, quando est prima dignitas, competit intimare in chorali recitatione divini officii *Pater noster* et indicere nutu, ut incipiatur *Domine labia mea* etc. vel *Deus in adiutorium* etc., quando tamen hebdomadarius non est canonicus, sed inferior de clero. Non spectat vero ad ipsum dicere ad primam *Dies et actus nostros* etc., *Adiutorium nostrum* etc., aut ad completorium *Noctem quietam* etc., *Benedicat et custodiat nos* etc., aut in fine horarum et matutini *Dominus det nobis* etc. Chorales autem non tenentur, expleta functione, non egredi e choro antequam ab archidiacono detur signum finis divini officii. *S. R. C. in una S. Marci 22 mart. 1862 ad 23 (3110).*

Archidiaconus, quando praebendae non sunt distinctae, tenetur non solum in missa solemni sed etiam in omnibus functionibus episcopalibus, excepta sacra ordinatione, in qua aliud speciale munus ab eo est obeundum, inservire episcopo in officio diaconatus. *S. R. C. in Granaten. 14 dec. 1888 ad 1 (3700).* In ordinatione clericorum officium ab archidiacono induto cotta supra rochettum prouti a duobus canonicis archiepiscopo assistentibus exercendum est, ad tramitem Pontificalis Romani. *S. R. C. decr. nuper. cit. ad 2.*

Si quando archidiaconus est episcopus, in missa solemni ab eo decantata in choro canonici hebdomadarii tenentur explere munus presbyteri assistentis, absque tamen emolumento. *S. C. C. in Venafrana 13 iun. 1885.*

tit. de officio archidiaconi X. (I. 23); Commentatores in hunc titulum; *Thiers* Tract. de stola in Archidiaconorum visitationibus gestanda a Parochis, etc; *Ursellus* Examen apum concl. 137; *Pertsch* Von dem Ursprung der Archidiacone, Officiale und Vicare; *Kress* Rechtsbegründete vollständige Erläuterung des Archidiaconalwesens und der geistlichen Sendgerichte; *Spitz* De archidiaconatibus in Germania ac eccl. Col. *Scherer* Handbuch des KR. I. § 91. v.

Archiepiscopus. — Archiepiscopus, 427
seu metropolita vel metropolitanus, est episcopus, qui iure ecclesiastico, in aliquibus, subditos sibi habet alios episcopos alicuius provinciae ecclesiasticae.

Praecipua, quae ad potestatem ar- 428
chiepiscoporum spectant, haec sunt: possunt singulis trienniis concilium provinciale celebrare eique praesidere (Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 2 de ref.*), quamvis eorum votum eiusdem omnino valoris sit in decisionibus ac votum aliorum episcoporum; possunt visitare dioecesim suffraganeorum, sed nonnisi ex causa approbata iam in concilio provinciali et dummodo iam plene visitaverint dioecesim suam (Conc. Trident. *sess. XXIV. c. 3 de ref.*); possunt compellere suffraganeos, qui suum officium negligant, praesertim ad habendas synodos dioecesanas (Conc. Trid. *loc. cit.*), ad servandam legem residentiae (Conc. Trid. *sess. VI. c. 1 de ref.*), ad erigenda seminaria dioecesana etc. (Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 18 de ref.*); possunt, imo debent aliquando, supplere negligentiam suffraganeorum, ut in collatione beneficiorum etc., vel etiam negligentiam capituli cathedralis in eligendo vicario capitulari. Vid. *Vicarius Capitularis.*

In disciplina recenti certo, imo et in 429

antiqua verius, archiepiscopi non sunt iudices in causis, nec civilibus, nec criminalibus suorum suffraganeorum. Wernz *Ius Decr. II. 724 (54)*. Hodie causae criminales graviores episcoporum habentur tamquam causae maiores, quae proinde ab uno R. P. cognosci debent. Minores vero causae criminales episcoporum terminantur a concilio provinciali, vel à deputandis per ipsum. Conc. Trid. *sess. XIII. c. 8 de ref.; sess. XXIV. c. 5 de ref.*

Nota hic, archiepiscopum non posse, in sua etiam ecclesia, pontificalia exercere, antequam receperit pallium. *S. R. C. in Lisbonen. 7 aug. 1627. (443)*. Vid. *Pallium.*

Archiepiscopi nullam habent immediatam iurisdictionem in subditos suffraganeorum, in quos nihil omnino possunt, nisi in casu appellationis, devolutionis aut visitationis. Cfr. Bouix *De episcopo p. IV. sect. 2. c. 4.*

Quoad regulares possunt archiepiscopi, tamquam delegati Sedis Apostolicae, pro tota sua provincia superiores regulares obligare, ut invigilent, ne in paroeciis adnexis propriis monasteriis praedicatio verbi Dei negligatur. Conc. Trid. *sess. V. c. 2 de ref.*

Archiepiscopus in sua provincia benedicere potest populo, etiam praesente episcopo suffraganeo. *S. R. C. in Oppiden. 3 dec. 1672 (1459).*

430 Archiepiscoporum insignia, praeter ornamenta communia ipsis episcopis, sunt pallium (Vid. *Pallium*), et, si pallium iam receperint (Pont. Rom. *de pallio*) crux unico transverso ligno constans, quae ipsis praefertur in tota provincia (Ben. XIV. *De syn. lib. II. c. 6. n. 2 sqq.*) etiam in locis exemptis (*S. R. C. in Theatina 13 iul. 1613 [312]; in Neapolitana 23 nov. 1675 [1550]*), dummodo non sit praesens legatus Papae, utens insignibus suae dignitatis (*arg. c. 23 de priv. etc. X. [V. 33]*), aut cardinalis non legatus, vel nuntius cum facultatibus legati a latere. Wernz *II. 725*. Potest praeterea archiepiscopus in tota sua provincia deferre mozzettam et rochettum discoopertum, excepto semper casu, quo praesens esset legatus Papae (*S. R. C. in Taurinen. 16 febr. 1593. ad 2. [27]*), aut cardinalis. Vid. *Mozzetta.*

Crucem potest semper, ut diximus, et ubique in sua provincia ante se deferre facere, dummodo non sit in curru. *S. R. C. in Arboren. 18 sept. 1666. ad 1. (1342)*. Vid. *Crux.* Vide etiam *Suffraganeus.*

tit. de supplenda negligentia Praelatorum X (I. 10); Commentatores in tit. cit. et in tit. de officio iudicis ordinarii X (I. 31); *Politi* Ius metropoliticum; *Ferraris* Prompta bibl. v. « Archiepiscopus »; *Thomassin* Vetus ac nova eccl. disc. p. I. lib. 1. cc. 39-49; *De Luca I. B.* Theatr. Verit. et iust. tom. 3; *Alvarez Pegas E.* Tract. de competentis inter archiepiscopos episcoposve etc.; *Genovesi M. A.* Praxis archiepiscopalis curiae Neapolitanae; *Pilaia I.* Inst. decisiones pontificiae tr. 6; *A Corona M.* Tr. de potest. iudic. episc. et de dignit. et potest. archiep.; *Motta* Dissert. de metropolitico iure; *Quaranta* Tr. de archiepiscopali auctoritate; *Ventriglia I. B.* Tr. de iurisdictione archiepiscopi; *Mast* Die rechtliche Stellung der Erzbischöfe; *Usserius* De origine episcopor et metropolit.; *Bouix* De episcopo part. IV. s. 2; *Duchesne* Les origines du culte chrétien c. 1. § 3; *Scherer* Handb. des KR. I. § 88; *Wernz* Ius Decr. II. 712. sqq.; *Sägmüller* Lehrbuch des kath. KR. § 92; *Hergenröther-Hollweck* Lerbuch des kath. KR. n. 395.

Archivium. — Maximi momenti est 431

constitutio Benedicti XIII. " Maxima vigilantia „ VIII. kal. iul. a. 1727 de archiviis in Italia erigendis pro custodia iurium et scripturarum, qua insistendo constitutioni Pii V. pro archiviis sedium episcopalium utriusque Siciliae, eamque ampliando, iubet ut intra sex menses archivia instituantur, ubi non sunt, et ubi sunt, recognoscantur et in optimam conditionem aptentur. In ea Pontifex hanc obligationem imposuit omnibus Italiae ordinariis, universis capitulis, superioribus et superiorissis regularibus, collegiis et locis piis utriusque sexus. Statuit, ut non solum scripturae et documenta congererentur, disponerentur et clauderentur accurate in archiviis exstructis vel exstruendis, sed etiam omni diligentia et sollicitudine earumdem catalogus et inventarius conficeretur et cum brevi singularum scripturarum synopsi et lemmate vel summario describeretur. Statuit accurate a quibusnam hi catalogi archiviorum cathedralium, collegiatarum, monasteriorum, collegiorum, seminariorum, hospitalium, locorum piorum conficiendi essent, voluitque ut duo exemplaria fierent, subscriptione notarii vel cancellarii singulis paginis adiecta, eaque a diversis personis custodirentur. Archivia quoque claudi voluit duabus clavibus et seris inter se diversis, custodiendis altera ab archivista, altera a superiore, scilicet ab episcopo etc. vel ab antiquiore canonico vel a confessario monasterii. Iussit ut, catalogo semel confecto, quovis anno mense ianuario adiungeretur elenchus scripturarum anni praecedentis, voluitque, episcopos et visitatores ordinum regularium etiam quoad ea loca, quae episcopi iure delegato visitant, adigi ad visitanda archivia. Haec autem omnia praecepta sunt iis, quos respiciunt, sub praecepto sanctae obedientiae et sub quibusdam poenis, quarum pleraque nunc non amplius vigent post constitutionem "Apostolicae Sedis„.

Ea, quae generatim hic de archiviis dicta sunt, multo potiore iure applicanda sunt archivio parochiali. Quare parochus quisque in sua parochia habere et diligenter custodire debet archivium parochiale; et in eo reponendi sunt libri parochiales, instrumenta, episcopi epistolae, aliaque documenta, quae ex necessitate vel utilitate servanda sunt, tum ut faciliter reperiri possint, si quando exsurgit necessitas ea habendi, tum ut ecclesiae parochiali serventur, et amoveatur periculum, ne in extraneorum manus, ex. gr. parochi heredum, deveniant. Rit. Rom. *tit. X. c. 2.* Vid. *Libri parochiales.* Cfr. C. B. *a. 278.*

Arctatus. – Arctatus ille dicitur in 432
iure canonico, qui vel actu obtinet, vel designatus est ad beneficium, e. gr. parochiale, quod exigit, ut intra annum beneficiatus ad sacerdotium promoveatur ad quod ipse nondum promotus est. Arctatis, etiam infra annum a die vacationis sedis, potest vicarius capitularis concedere dimissorias ad ordines suscipiendos. Conc. Trid. *sess. VII. c. 10 de ref.*

Arma. — Arma deferre, seclusa ne- 433
cessitate, clericis non licet. *c. 2 de vita et honestate cleric. X. (III. 1).*

Arrha. — Arrha dicitur id, quod in 434
negotiis contrahendis ab uno alteri datur ea lege, ut is, qui non implet obligationem, si eam dedit, amittat, sin accepit, duplam reddat.

Si apponitur venditioni, non eius promissioni tantum, est argumentum venditionis iam factae. Codex Italicus de arrhis silet.

Datis arrhis sponsalia contrahi possunt (*c. 14. C. XXVII. q. 2; c. 3 et 7. C. XXX. q. 5;* S. Alph. *VI. 852*); aliud dicendum esset de *poenis*, quando nempe iniretur pactum de poena conventionali persolvenda, si unus e sponsis a sponsalibus resiliat. *c. 29. de spons. et matr. X. (IV. 1); Instr. Card. Rauscher § 109.* Differunt vero arrhae a donationibus sponsalitiis in hoc, quod hae quacumque in hypothesi, matrimonii secuti vel non secuti, repeti nequeant; illae e contra, secuto matrimonio, redeunt ad tradentem; non secuto, reddi debent duplae parti innocenti ab iniuste resiliente. Cfr. B. P. *VI. 108 sqq.;* D'Ann. *III. 509;* Bucc. *II. 943.*

Ab Hermosilla G. Notae et resolutiones ad Gregorium Lopez; *Lauterbach W.* Tract. de arrha; *Tuschi D.* Concl. pract. litt. A.

435 **Ars notoria.** — Ars notoria est ars acquirendi scientiam sine labore; vel potius simulandi sic acquisitam scientiam; nam vere doctrina seu scientia vera non est, sed illusoria, quum diabolus potius sit, qui per os hominis scientifice loquitur. Est species vanae observantiae, et superstitio, quae difficile excusari potest a mortali. G. B. *I. 264;* D'Ann. *II. 37.*

436 **Articulus.** — Tum in articulo, tum in periculo mortis, quilibet sacerdos, etiam haereticus vel excommunicatus vitandus, quemlibet a quibuslibet peccatis et censuris absolvere potest; atque probabile est (superiore affirmatione in sua generalitate sumpta) etiam praesente approbato, [et nihil interest utrum periculum immineat ab intrinseco, e. gr. ex morbo, senio etc., an ab extrinseco, e. gr. ex bello, difficili itinere etc. Cfr. Conc. Trid. *sess. XIV. c. 7;* B. P. *V. 365 sqq.;* G. B. *II. 362 sqq.;* Bucc. *II. 766. 773.*

Iuverit hic referre quoad hoc sequentem responsionem S. Congr. S. Officii. Scilicet Sacra haec Congregatio interrogata " 1°. An valida sit absolutio, quam in articulo mortis impertierit quivis sacerdos, etiam non approbatus, quando faciliter advocari seu adesse potuisset approbatus; 2°. an similiter valida sit absolutio concessa moribundo habenti peccata reservata, sive simpliciter, sive cum censura, a sacerdote non habente iurisdictionem in reservata, etiamsi advocari seu adesse potuisset sacerdos habens praedictam iurisdictionem „, respondit ad utrumque: " Non esse inquietandos, qui affirmantem sententiam tenent „. *S. U. I. 29 iul. 1891.*

Artifex. — Artifex iustitiam laedit, 437 si iniusto pretio operam suam locat; vel opus vitiose exsequitur; vel (quando pactum est de mercede computatis diebus, quibus artifex laborat, non inspecto eo, quod fecit) negligentia culpabili tempus terit. Vid. *Labor.* — Excusatur a ieiunio, si exerceat artem laboriosam; etiamsi sit viribus potens, vel eo die abstineat a labore, vel possit abstinere quia dives. Vid. *Ieiunium.* — Licet illi facere res indifferentes, quibus quis bene potest uti, licet plurimi abutantur. Vid *Cooperatio*, ubi etiam videas quid artificibus liceat quoad extruenda templa haereticorum etc.

Aspectus obsceni. — Quoad omnes 438 istos actus imperfectos in genere lu-

xuriae, quales sunt aspectus, tactus, et alia huiusmodi, placet referre principium, quod P. Palmieri in B. P. *II. 974.* ponit tamquam fundamentale in hac materia. Dicit igitur: " Omnia autem ex isto principio fere pendent: illicitum esse et mortale coniicere se in periculum plus minus proximum (nam hac in re non oportet adeo esse subtiles) consensus in delectationem veneream, et idcirco eas actiones esse sub mortali vitandas, quae tale periculum secum ferunt. Huiusmodi per se sunt, quae ex natura sua et graviter influunt ad delectationem veneream in sensu excitandam. Quum vero aliud reapse sit delectatio venerea, quae in sensu excitatur, aliud eius intentio vel consensus voluntatis in eam; potest identidem adesse iusta causa eam permittendi, citra consensum in ipsam, cuius periculum remotum fiat „.

439 Quoad aspectus autem in particulari haec sunt notanda.

Peccatum mortale certissime habetur in quocumque aspectu, qui fiat praecise propter libidinosam delectationem. S. Th. *2. 2. q. 154. a. 4.*

Peccatum quoque mortale *ordinarie* adest in aspectu copulae inter virum et feminam, et in aspectu permanenti et diuturno et a loco vicino personae diversi sexus omnino nudae, vel eiusdem partium verendarum, etsi hae partes cooperirentur tenui velo (hoc enim non tantum non imminuit, sed generatim auget periculum). Castropalao *Op. mor. tr. XXX. disp. III. p. 7. § 2. n. 13;* Berardi *Praxis confess. I. 912.* Ratio est, quia haec de se commovent naturam, et ad coitum proxime incitant. Dictum est *ordinarie.* Nam retinendum est ante omnia principium supra ex Palmieri adductum, ex quo deducitur illud, quod affirmat Berardi *loc. cit.,* quod si puerulus (v. gr. ab ancillis vel nutricibus) vel infantula aspiceretur, aut si qui aspicit, esset puer, vel senectute confectus, vel valde frigidus etc., utique gravis culpa deesse posset. Idem dicendum de eo, qui alias expertus est ex tali aspectu periculum sibi non imminere, dummodo absit ratio scandali, ut planum est.

Si vero aspectus fieret ob curiositatem experiendam percipiendamque delectationem obiecti, et sit alterius rei ab iis, quas supra enumeravimus, regulariter non excludit culpam venialem, quod Castropalao (*loc. cit.*) et Sanchez (*De matr. lib. IX. disp. XLVI. n. 27 sqq.*) dicendum etiam existimant de aspectu propriarum partium, vel alterius eiusdem sexus, vel coitus brutorum, quia haec regulariter non commovent vehementer naturam. Ad haec addit Sanchez (*loc. cit. n. 26*) inspicere pectora nuda feminarum non esse de se mortale, quamvis adsit aliqualis delectatio (non utique, ut patet, libidinosa) ex eo aspectu consurgens, cessante alio periculo vel mala intentione. Vid. *Partes.*

Sed et praeterea etiam in casibus, in quibus supra diximus ordinarie adesse mortale peccatum, necessitas excusat aut gravis quaedam utilitas; sic saepe excusantur medici, qui pudenda mulierum, aut ancillae, quae ad iuvandos heros infirmos eorumdem pudenda aspiciunt. Berardi *loc. cit.*

Inter coniuges autem aspectus quicumque numquam de letali sunt damnandi, nisi adesset grave periculum pollutionis extra vas, deficiente causa iusta,

quae tamen in reddente intervenire facile potest. Sanchez *loc. cit. disp. XLV. n. 41 sqq.*; Berardi *loc. cit. I. 975.*

Aspectus obsceni malitiam non contrahunt specie diversam pro diversis circumstantiis personarum, quibuscum exercentur, nisi cum pravo desiderio coniungantur. B. P. *II. 973.*

Bibliographiam quaere sub *Amplexus.*

440 **Aspersio.** — Aspersio aquae benedictae in dominicis fieri debet de praecepto in ecclesiis collegialibus ante missam conventualem, sive haec canatur cum diacono et subdiacono, sive absque sacris ministris; in ecclesiis vero non collegialibus praefatis diebus fieri potest, sed non debet. *S. R. C. in una Urbis 15. dec. 1899 ad 1 (4051).*

Facienda autem est iuxta rubricas missalis *(Ordo ad faciendam aquam benedictam)* et praescriptum ritualis romani *(tit. VIII. c. 2)* post tertiam ante missam conventualem; nec tolerari potest consuetudo eam transferendi post nonam ante aliam missam, ex. gr. ante votivam ss. Sacramenti, quae aliquibus in locis, Sacramento exposito, ex privilegio canitur; nisi ratione processionis ss. Sacramenti, missae dominicae vel festi transferenda sit post nonam, quia tunc post nonam debet fieri aspersio. *S. R. C. in Gerunden. 31 aug. 1872. ad 1 (3268).*

In aspersione autem hac aquae benedictae in choro incipiendum est ab ea parte, in qua sedet dignior ex praesentibus (*S. R. C. in Molinen. 12 sept. 1857 ad 15 [3059]; in una s. Iacobi de Chile 20 aug. 1870 [3216]*), vel ab ea parte, in qua chori tabella appensa est (*S. R. C. in Ferentina 14 nov. 1654 [973]*), iuxta consuetudinem ecclesiarum. *S. R. C. in Urgellen. 29 maii 1900. ad 6.*

Aspersio super populum debet fieri a sacerdote ad cancellos presbyterii (*S. R. C. in Sanctorien. 12 sept. 1884 ad 4 [3621]*); attamen nota, episcopo S. Pauli de Minnesota petenti, an tolerari posset consuetudo, iuxta quam sacerdos ante missam conventualem gradiebatur per ecclesiam incipiens a parte epistolae et rediens per partem evangelii, interim populum aqua benedicta aspergens, responsum esse, in casu servandam esse consuetudinem. *S. R. C. in una S. Pauli de Minn. 22 mart. 1862 ad 2 (3114).*

Aspersio haec aquae benedictae, non obstante etiam contraria consuetudine, facienda est a celebrante, non ab alio (*S. R. C. in Ianuen. 16 nov. 1649 ad 1 [926]; in Ianuen. 11 iul. 1857 [3055]*), saltem per chorum; nam per ecclesiam et ad populum possunt etiam ipsi ministri aspergere (*S. R. C. in Elboren. 2 sept. 1597 ad 10 [86]*); sabbato sancto autem aspersio cum aqua recenter benedicta potest fieri etiam ab alio, quam a celebrante, si adsit consuetudo. *S. R. C. in una Salutiarum 29 nov. 1856 ad 5. (3039).* Quando autem est expositum in altari ss. Sacramentum, omittitur sola aspersio altaris. *S. R. C. in Urgellen. 18 iul. 1885 ad 2 (3639).*

Rit. Rom. tit. VIII. c. 2; Miss. rom. Ordo ad faciendam aquam benedictam; *de Herdt* Sacrae liturgiae praxis III. p. 5. n. 38; Praxis pontificalis I. 141. III. 193 sqq.; *Schüch* Pastoraltheologie § 338.

Assecuratio. — Assecuratio est con- 441 tractus aleatorius, quo quis, pro certo pretio, alienae rei periculum in se suscipit. Lugo *De iust. et iure disp. XXXI.*

n. 93. Codex Commercialis Italicus assecurationem definit contractum, quo assecurator se obligat, mediante praemio, ad resarcienda detrimenta et damna, quae assecurato provenire possunt ex certis casibus fortuitis aut ex maiore vi (cui nempe resisti non potest), aut ad solvendam summam pecuniae secundum durationem vel eventus vitae unius sive plurium personarum. *Codex Comm. a. 417.*

Est contractus, qui revocatur ad contractum emptionis venditionis, et est licitus certis servatis conditionibus: id-est, ut pretium sit periculo proportionatum, ut dubitatio de eventu apud utrumque contrahentem habeatur; ut periculum sit verum, ut uterque contrahens habeat, unde solvat id, quod spopondit; ut serventur leges locorum, ubi contractus initur, si hae non adversentur iustitiae. B. P. *III. 934.*

Nunc generatim assecurationes non praestantur a singulis, sed a societatibus publica auctoritate probatis; quae societates non videntur illicitos contractus inire, quum ex quotis assecurationum, quas exigunt, possunt actionariis dividere excessum lucri 20 %, ut sentit Lehmkuhl *Th. mor. I. 1135.* Potest enim adhuc pretium, quod singuli solvunt, iustum esse comparatum cum periculo, quod societas subit pro singulis. B. P. *III. 935.*

442 Iure italico assecuratio debet fieri scripto. *C. Comm. a. 420.* Assecurator potest efficere, ut alter assecuret res, quas ipse assecuravit; assecuratus potest efficere, ut alter assecuret pretium assecurationis. *C. Comm. a. 422.* Quando de assecuratione contra damna agitur, res, quae pro integro suo valore assecuratae sunt, non possunt denuo assecurari pro eodem tempore et pro iisdem periculis. Valet secunda assecuratio, quum facta est sub conditione nullitatis prioris aut insolubilitatis totalis seu partialis primi assecuratoris; vel quum iurium, quae ex prima assecuratione fluunt, fit cessio alteri assecuratori, aut renunciatio primo. *C. Comm. a. 426.* Assecurator praestare debet detrimenta et damna, quae ex casibus fortuitis aut maiore vi rebus assecuratis accidunt. Assecurator non praestat detrimenta aut damna, quae oriuntur ex solo vitio rei assecuratae inhaerente, quod non fuerit denunciatum, neque ea, quae debeantur actioni aut culpae assecurati, vel eius nomine agentium. Pariter non praestat damna ex bello provenientia, aut ex tumultu populari, nisi conventio contraria exstet. *Cod. Comm. a. 434.*

Assecuratio *ab incendio* complectitur 443
omnia damna ab incendio causata, ex quacumque causa incendium fuerit productum, ea tantum exclusa, quae dependeret ex culpa gravi imputabili personaliter ipsi assecurato, et exclusis casibus ultimo recensitis in articulo 434. *Cod. Comm. a. 441.*

Assecuratio *vitae* in hoc est, quod 444
quis, mediante praemio, assecurat solutionem alicuius summae pecuniae iuxta durationem vitae suipsius aut tertii. Attamen assecuratio contracta super vita alicuius tertii est nulla, si contrahentis nihili interest, ut iste vivat. *Cod. comm. a. 449.* Assecurator non tenetur solvere pecuniam assecuratam, quum mors illius, qui suam vitam assecuravit, accidit ex iudiciaria condemnatione, ex duello aut suicidio voluntario, vel immediatam causam habeat crimen aut

scelus ab assecurato perpetratum, cuius consequentias, quae postea evenerunt, praevidere ipse poterat. His in casibus assecurator non solvit praemium, nisi exstet contraria conventio. *Cod. Comm. a. 450.*

Molina De contractibus disp. 507; *Lugo* De iust. et iure disp. XXXI. sect. 7; *Lessius* De iust. et iure lib. II. c. 28. dub. 4; *Rocca* Disputationes iuris selectae; *Santerna P.* Tract. de assecurationibus et sponsionibus mercatorum; *Bensa E.* Il contratto di assicurazione nel medio evo; *De Lalande H.* Traité théorique et pratique du contrat d'assurance contre l'incendie; *Pagani C.* L'assicurazione sulla vita; *Salvioli G.* L'assicurazione e il cambio marittimo nella storia del diritto italiano; *Sacerdoti A.* Il contratto d'assicurazione; *Levi E.* Della assicurazione sulla vita e contro gli infortuni; *Vivante C.* Il contratto di assicurazione; *Id.* Il suicidio nelle assicurazioni della vita; *Id.* L'assicurazione delle cose; evoluzione storica; *Ricci* Diritto civile X. n. 67-74; *S. Alph.* III. 911 sqq.; *Ballerini-Palmieri* Op. th. mor. III. 933 sqq. et generatim moralistae omnes in tract. de contractibus; *Huppert* Der Lebensversicherungsvertrag; *Pruner* Kath. Moraltheologie II. 762 sqq.; *Wagner* Das Problem vom Risiko in d. Lebensversicherung; *Koch* Lehrb. der Moraltheol. § 74. 2. b. § 147; *Schwane* Die theologische Lehre über d. Verträge 173 sqq.

445 **Assistens.** — Presbyter assistens *in missa solemni* debetur episcopis aliisque praelatis inferioribus, dum actu pontificalia exercent. *S. R. C. decr. gen. Alex. VII. 27 sept. 1659. n. 7 (1131).* (Cerem. episcop. *I.* 7). Canonicis et dignitatibus illum habere non licet (*S. R. C. in Cortonen. 10 sept. 1701 n. 14 [2079]; in Baren. 3 aug. 1839 n. 1 [2794]; in Lucana 7 dec. 1844 ad 2. [2867]; in una Montis Pessulani 11 iul. 1857 [5249]* etc.); sed ex privilegio et antiquissima consuetudine permittitur. *S. R. C. in Mantuana 19 iun. 1604 (165); etc.*

Ipsis dignitatibus et canonicis ecclesiae cathedralis non permittitur habere presbyterum assistentem, etiam tunc, quum missam celebrant loco episcopi impediti vel absentis (*S. R. C. in Dianen. 19 sept. 1883 [3588]*), nisi habeatur contraria consuetudo legitime praescripta. *S. R. C. in Caesenaten. 29 mart. 1659 ad 3 (1111); in Senen. 30 iun. 1883 ad 1 (3580).* Attamen in hoc casu presbyter assistens non potest se gerere more presbyteri assistentis episcopo solemniter celebranti, quamvis, si habeatur consuetudo legitime praescripta, quod pluviali utatur, eo uti potest. *S. R. C. decr. cit. 29 mart. 1659 ad 3; in Vicentina 1 dec. 1882 ad 1 (3564).*

Prohibetur etiam protonotariis ad instar per Const. Pii IX. *IV. kalend. sept. 1872;* multo autem magis prohibetur ne passim a quocumque fere sacerdote solemniter celebrante adhibeatur presbyter assistens cum pluviali. *S. R. C. in Iacien. 28 iul. 1876 ad 2 (3408).* Quare omnibus simplicibus sacerdotibus interdicitur usus presbyteri assistentis (*S. R. C. decr. cit. 7 dec. 1844, 11 iul. 1857*), excepta missa solemni neo-sacerdotis, in qua tolerari potest, ut assistat presbyter cum pluviali. *S. R. C. in Vicentina 1 dec. 1882 ad 2 (3564).* Numquam tamen, ne in hoc quidem postremo casu, subtus pluviale stolam gestare potest.

Presbyter assistens *primae missae,* 446
non tamen solemni, neo sacerdotis, debet uti stola a principio missae usque ad finem, vel eam assumere a principio canonis usque ad consummationem tantum, iuxta consuetudinem in loco vi-

gentem. *S. R. C. in Viglevanen. 11 iul. 1880 (3515).*

447 Presbyter qui *assistentiam praebet episcopo,* dum in oratorio privato aut alibi missam non solemnem celebrat, non potest deferre stolam (*S. R. C. in Valentina 12 mart. 1836 [2741]; in una de Zacathecas 4 sept. 1875 [3367]*); attamen Romae hoc passim fit, forte ex consuetudine.

448 Quando ex privilegio canonici in missis cantatis habent presbyterum assistentem, in exitu a sacristia ad altare ministri debent procedere unus post alium, et presbyter assistens incedere debet ad sinistram celebrantis (*S. R. C. in Urgellen. 15 apr. 1899 ad 2 [4018]*); initio missae debet assistere ad dexteram celebrantis (*decr. cit.*); non debet assurgere, cum diaconus bursam ad altare defert (*decr. cit. ad 5*); incensari debet ante subdiaconum, pacem recipere debet a celebrante, quam ipse dabit diacono (*decr. cit. ad 6*).

449 **Assistentia.** — Assistentia episcopo in sua dioecesi pontificaliter celebranti aut alia pontificalia exercenti a canonicis debetur (Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 12 de ref.*), etiam quando haec episcopus exercet extra cathedralem (si tamen invitati fuerint ab episcopo, secus non [*S. R. C. in Aliphana 19 ian. 1743 ad 3-2371*]; ad hoc autem ut invitentur nullum ius habent), dummodo in choro tot remaneant canonici et ministri, quot ad officia divina sunt necessarii. Haec assistentia, etiam quando extra cathedralem episcopus pontificalia celebrat, si canonici cathedralis adsint, spectat ad canonicos cathedralis, non autem ad canonicos collegiatae (*S. R. C. in Brundusina 15 iun. 1617 [354]; decr. cit. 19 ian. 1743 ad 1 [2371]*); aut ad clerum ecclesiae exemptae (*S. R. C. in Urbevetana 17 sept. 1639 [688]*).

Inter canonicos vero cathedralis, quando praebendae non sunt distinctae, duo diaconi assistentes apud solium episcopo debent esse primae duae dignitates immediate sequentes post primam (quae prima dignitas debet episcopo assistere et servire de libro, *S. R. C. in Placentina 19 maii 1607 ad 2 [235]*); si autem inter praebendatos canonicos perpetua, non autem accidentalis, esset ordinum distinctio in presbyterales et diaconales, pro munere assistentiae assumuntur primi duo canonici ex ordine diaconali. Diaconus vero evangelii et subdiaconus pro epistola in missa pontificali inservientes, quando tale onus inter omnes per vices, vel alias iuxta ecclesiae consuetudinem non sit definitum, debent esse alii duo digniores, sive canonici sive dignitates fuerint, qui sequuntur in ordine post assistentes canonicos in solio, si nempe nulla intercedat ordinum ac dignitatum distinctio. *S. R. C. in Pernambucen. 4 sept. 1745 ad 3 (2388);* cfr. etiam *S. R. C. in Sarnen. 5 apr. 1895 ad 1 (3849).*

Ad hanc assistentiam episcopo praestandam canonici et dignitates compelli possunt ab ipso episcopo per mulctas et poenas, imo etiam per ecclesiasticas censuras. *S. R. C. in Miranden. 24 ian. 1596 (56).*

Episcopo autem concionanti debetur 450
assistentia canonicorum tunc tantum, quum id facit cum pluviali et mitra. *S. R. C. 19 dec. 1643 (855).* — Quando autem episcopus concionem audit cum cappa, debetur ei assistentia duorum canonicorum, si talis sit usus ecclesia-

rum vicinarum. *S. R. C. in Nicien. 20 nov. 1628 ad 5 (482); decr. cit. 17 nov. 1646 ad 2 (900).*

451 Nulla assistentia canonicorum debetur episcopo interessenti horis matutinis et completorio, etiam cum cappa pontificali (*S. R. C. in Nicien. 17 nov. 1646 ad 2 [900]*); vel in processionibus, in quibus episcopus cum cappa incedit post baldacchinum Sanctissimi Sacramenti, vel post reliquias, vel post celebrantem pluviali indutum, sed solum in iis processionibus, in quibus episcopus paratus incedit. *S. R. C. decr. nuper cit. ad 3.*

452 Pariter canonici non tenentur praestare assistentiam episcopo privatim missam celebranti, nisi contraria legitima consuetudo illos obliget (*S. R. C. decr. nuper cit. ad 5*); nec pueros plebemque docenti christianam doctrinam. *S. R. C. in Pacten. 29 mart. 1760 (2454).*

453 Episcopo non celebranti, sed tantum divinis interessenti, assistentia presbyteri assistentis debet fieri per canonicum presbyterum digniorem, non autem per canonicos habentes dignitatem. *Cer. episcop. lib. 1. c. 7., S. R. C. in Ianuen. 9 dec. 1628 (486).*

454 Episcopus titularis, nulla gaudens iurisdictione, nequit assistere missae per alium cantandae. *S. R. C. in Romana 9 maii 1893 ad 1 (3798).*

Cer. Ep. lib. I. c. 7. n. 1 sqq.; *De Herdt* Praxis pontificalis I. 55 sqq, Sacrae liturgiae praxis II. 72, Praxis capitularis c. 13.

Assistentia infirmorum. — Vid. *Parochus.*

455 **Assistentia missae.** — Ad missam audiendam debet quis esse praesens moraliter et continue. Graviter peccat, qui notabili missae parti, ut puta consecrationi, leviter, qui exiguae non assistit. G. B. *I. 341.* Vid. *Missa.*

Associatio. — Ecclesiae ritus iubet, 456 ut fidelium cadavera, utcumque deferuntur (idest sive humeris sustentata, ut magis pia fert consuetudo, sive curru, qui mos est magis magisque in dies invalescens), sive ad ecclesiam sive ad coemeterium, semper a sacerdote sint associanda. *S. R. C. in Santanderien. 15 iul. 1876 (3405).* — Quis autem sit sacerdos, qui debeat associare cadaver demortui fidelis vide sub *Exsequiae.* Interim haec nota.

Associatio cadaveris sanctimonialium pertinet ad earum confessarium, dummodo cadaver deferatur cum stola et cruce, sed absque pompa et recto tramite ad coemeterium. *S. C. C. 24 febr. 1872.* Item regulares possunt cum stola et cruce conventus, et sine parochi interventu, deferre ad coemeterium commune regulais defuncti cadaver, modo id fiat absque pompa, et defunctus recto tramite deferatur ad coemeterium. *S. C. C. 24 ian. 1846.*

Episcopus non potest reservare ius associandi cadavera fidelium uni confraternitati, aliis exclusis; et si decretum super hoc ferret, non sustineretur. *S. C. EE. RR. 24 febr. 1899.*

Associatio episcopi. — Secundum 457 praescriptum ceremonialis episcoporum (*lib. I. c. 15*), canonici ecclesiae cathedralis debent associare episcopum pontificaliter in ecclesia cathedrali celebraturum, vel missae ab alio celebratae cum cappa magna adstiturum, tum in accessu a palatio ad ecclesiam, tum in recessu ab ecclesia ad palatium episcopale. Nempe quoties episcopus missam pontificalem est celebraturus, dignita-

et detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero, quam quis ex turpitudinis peccati consideratione vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipit. Conc. Trid. *sess. XIV. cap. 4.*

Non iustificat sine sacramento, sed in sacramento poenitentiae sufficit, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae (Conc. Trid. *loc. cit.*); etiamsi ex metu poenarum purgatorii concepta, si de venialibus agatur; et verius ex metu poenarum temporalium huius vitae, prout a Deo pro peccato infliguntur. Probabilius venialia etiam extra sacramentum remittit. Palmieri *De poenitentia p. II. c. IV. a. 1. § 3;* Billot *De poenit. th. 14 et 15;* G. B. *II. 253 sqq.;* D'Ann. *III. 311 sqq.*

461 **Auctores.** — Auctores ius habent in fructum suae industriae et sui ingenii. Eorum iura certo violantur, si quis eorum opus, ab ipsis nondum in communitatem traditum, ipsis inscientibus vel non consentientibus, evulget; si opus in communitatem iam fuerit traditum, controvertitur. Cfr. Gury Ballerini *I. 566 sqq.;* Bucceroni *I. 876;* Vermeersch *Quaestiones de iustitia n. 246 sqq.* Placent autem ea, quae habet circa hoc Ballerini-Palmieri *III. 53.*, ubi statuit certo violare ius alienum illum, qui, tacito nomine auctoris, tamquam suum publicat manuscriptum (idem dicas de lithographia) alterius; imo etiam ille, qui publicat alterius manuscriptum cum nomine sui auctoris, eo tamen invito. Et si hoc faciens damnum auctori infert quodcumque, tenetur resarcire damnum. — Eadem, proportione facta, applicanda sunt ad casum impressionis lectionum alicuius professoris aut concionis alicuius oratoris. — Quamvis, edito libro, auctor de solo iure naturae non videatur habere strictum ius impediendi, ne quis rursus eius librum imprimat; attamen ius naturae vehementer suadet, ut hoc ipsum ius a legibus auctori reservetur ad vitam, licet non perpetuum ad posteros transmittendum. Et de facto recentiores leges hoc ius auctoribus tribuunt; imo ab ipsis plerumque hoc ius fit non tantum auctoribus indigenis vel incolis, sed etiam a variis nationibus vicissim auctoribus quoque extraneis. Cfr. *C. C. a. 437.*

Qui turpia conscribunt gravissimi criminis rei sunt.

Quicumque vel docendi vel alio munere funguntur apud athenaea vel facultates, quae iure pertinent ad Sacr. Congreg. studiorum, unum exemplar cuiusque operis, quod ediderint, ad Sacram eamdem Congregationem, veluti argumentum obsequii, mittere tenentur. *Litt. Card. Satolli Praef. Congr. Studior. 10 febr. 1900.*

Auditio. — Auditio missae omnibus 462 fidelibus usum rationis habentibus sub gravi praecipitur, singulis dominicis et festis diebus, nisi iusta causa excusentur. Vid. *Missa.* Quoad auditionem detractionis, Vid. *Detractio.*

Aurora. — Ante ipsam celebrare 463 sine speciali privilegio non licet (cfr. Rubr. missal. *tit. XV. n. 1*): quod tamen ita intelligendum est, ut missam ante auroram absolvere non liceat, sed liceat inchoare. S. Alph. *VI. 341.* — Quoad regiones vero carentes aurora rubrica intelligitur moraliter de tempore, quod aequivalet et correspondet aurorae, h. e. de exordio diei civilis,

moralis et usualis, in quo homines diluculo surgere solent ad opera, iuxta receptas et approbatas regionum consuetudines. Sic nempe intellexerunt rubricam plerique e consultoribus in discussione, quae facta est in Sacra Rituum Congregatione circa quaestionem, utrum immutanda esset ista rubrica missalis ratione habita regionum, quae continuam fere per totam noctem habent auroram vel continuas habent tenebras, aut continuam lucem per plures menses; cui quaestioni Urbanus VIII. respondit, nihil innovandum, et solum adnotandum in registro dubium excitatum, addens, iuxta casuum contingentiam Sedem apostolicam daturam esse responsionem. *S. R. C. 2 nov. 1634 (614).*

Nocte Nativitatis dominicae missa solemnis decantatur iuxta rubricas statim post mediam noctem. *Rubr. gen. miss. tit. XV. n. 4.* Et haec est unica generalis exceptio regulae generali de non celebranda missa ante auroram. Quare nec possunt sacerdotes sine apostolico indulto unam etiam tantummodo missam privatam media nocte Natalis Domini celebrare; nec sacerdos, qui unam missam (nempe primam) media nocte decantavit, potest sine indulto alias duas immediate post primam celebrare.

Rubr. gen. missalis tit. XV., de defectibus tit. X. n. 1; decr. Ben. XIII. 20 dec. 1724; *Ben. XIV.* Inst. eccl. 13. 34. 68; *Schüch* Pastoraltheolog. § 258; *De Herdt* Sacr. lit. praxis I. p. 1. n. 36; *Gasparri* De euch. I. 98; *Martene* De antiquis eccl. ritibus lib. I. c. 3. a. 4; *Wernz* Ius decr. III. 543.

464 **Auxilium.** — Auxilium praestare est opem ferre ad patrandum delictum. Saepe auxilium praestantes ad aliquod delictum incurrunt excommunicationem.

Ex constitutione " Apost. Sedis „ 465
serie 1ª. incurrunt excommunicationem l. s. Romano Pontifici *speciali modo* reservatam: *a*) Auxilium praestantes appellantibus ab ordinationibus seu mandatis RR. Pontificum pro tempore exsistentium ad universale futurum concilium, seu ii, quorum auxilium appellatum est. *art. 4.* - *b*) Praestantes auxilium interficientibus, mutilantibus, percutientibus, capientibus, carcerantibus, detinentibus, vel hostiliter insequentibus SS. RR. EE. cardinales, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, Sedisque apostolicae legatos vel nuncios, aut eos a suis dioecesibus, territoriis, terris seu dominiis eiicientibus. *a. 5.* - *c*) Auxilium praestantes impedientibus directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentibus ad forum seculare. *art. 6.* - *d*) Auxilium praebentes invadentibus, destruentibus, retinentibus, per se vel per alios, civitates, terras, loca aut iura ad ecclesiam romanam pertinentia, vel usurpantibus, perturbantibus, retinentibus supremam iurisdictionem in eis. *a. 12.*

Ex eadem constitutione *serie 2ª.* ex- 466
communicationem latae sententiae *simpliciter* reservatam R. P. incurrunt: *a*) Qualemcumque operam praestantes duellum perpetrantibus, aut simpliciter ad illud provocantibus, vel ipsum acceptantibus. *a. 3.* - *b*) Favorem praestantes qualemcumque sectis, quae contra ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinantur. *art. 4.* - *c*) Auxilium praestantes extrahenti-

bus, absque legitima venia, reliquias ex sacris coemeteriis sive catacumbis urbis Romae eiusque territorii. *art. 15.* Vid. etiam *Reliquiae.*

467 Ex citata constitutione *serie 4ª* . excommunicatione l. s. *nemini reservata* plectuntur auxilium praestantes laedentibus aut perterrefacientibus inquisitores, denunciantes, testes, aliosve ministros S. Officii eiusve s. tribunalis scripturas diripientibus aut comburentibus. *art. 2.*

468 His excommunicationibus latis in const. " Ap. Sedis „ accessit excommunicatio alia Romano Pontifici *specialiter reservata* contra eos omnes, qui auxilium praestant dignitatibus et canonicis cathedralium ecclesiarum vacantium, et illis, qui deficientibus capitulis vicarios deputant aut vacantes ecclesias legitime administrant, qui ante exhibitionem litterarum apostolicarum concedere et transferre in nominatum et praesentatum ad eamdem ecclesiam eius cūram, regimen et administrationem sub quovis titulo, nomine, quaesito colore ausi fuerint. Pariter in praestantes auxilium nominatis et praesentatis ad vacantes ecclesias, qui earum regimen et administrationem suscipere audent ex concessione et translatione a dignitatibus et canonicis, de quibus supra, in eos peracta. *Const.* Pii IX. " Romanus Pontifex „ *28 aug. 1873.*

469 Ex Tridentino autem, a constitutione " Ap. Sedis „ retenta, remansit excommunicatio l. sent. nemini reservata in eos, qui auxilium praebent raptoribus, qui mulierem rapiunt ad matrimonium cum ea contrahendum. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 6 de ref. matr.* Hanc eamdem excommunicationem tulerat Concilium Tridentinum contra eos omnes, qui auxilium praestant illis omnibus, qui cogunt aliquam mulierem ad ingrediendum, aut ad suscipiendum habitum religionis aut ad emittendam professionem. Conc. Trid. *sess. XXV. c. 18. de reg.*

Thesaurus De poenis p. 1. c. 10; *Schmalzgruber* in tit. 39. lib. V. Decr. et alii comm. ibidem; *D'Annibale* Comm. in const. Ap. Sedis n. 12; *München* Das kan. Gerichtsverfahren und Strafrecht II. lib. 1. tit. 7. n. 7 sqq.; *Hollweck* Die kirchl. Strafgesetze § 8.

Avaritia. — Avaritia est appetitus 470 inordinatus bonorum temporalium, et est peccatum, quia temporalia habent rationem utilium ad finem; quare homo debet ea quaerere secundum aliquam mensuram. Si huiusmodi divitiarum amor in tantum crescat, ut dicit S. Thomas (*2. 2. q. 118. a. 4. c.*), quod praeferatur caritati, ut scilicet propter amorem divitiarum aliquis non vereatur facere contra amorem Dei et proximi, sic avaritia erit peccatum mortale; si autem inordinatio amoris intra hoc sistat, ut scilicet homo, quamvis superflue divitias amet, non tamen praeferat earum amorem amori divino, ut si propter divitias non velit aliquid facere contra Deum et proximum, sic avaritia est peccatum veniale. Cfr. B. P. *I. 708 sqq.;* G. B. *I. 175;* Berardi *Praxis confess. I. 1145.*

Ave Maria. — Nonnulla fuerunt ab- 471 hinc paucis annis in vulgus sparsa foliola decem, quae preces referebant, quarum recitationi indiscretae indulgentiae dicebantur attributae. S. Congregatio Indulgentiarum, ad quam ea foliola delata fuere, foliola ipsa prohibuit, et in eisdem assertas indulgentias apocryphas et falsas declaravit decreto 26

maii 1898. Inter haec foliola foliolum habetur sub numero primo distinctum, in quo praeter litanias B. Virginis perdolentis, refertur etiam salutatio quaedam ad eamdem B. Virginem, cui initium est: Ave Maria doloribus plena; quemadmodum in quinto foliolo referebantur verba, quae dixit B. Virgo, quum demortuum filium in ulnas suas accepit, et in nono habebatur quoddam " Breve S. Antonii Patavini „ et in aliis alia huiusmodi.

Quoad salutationem angelicam, Vid. *Salutatio angelica.*

Aves. — Vid. *Occupatio.*

Avulsio. — Avulsio tunc habetur, 472
quum pars terrae detracta vi fluminis defertur ad alienum agrum (*l. 7, § 1 de acquirendo rerum dom. D. [XLI. 1]*), eique vel adiicitur vel superponitur. D' Ann. *II. 137.* Haec omnia, quae agro meo accedunt, mea fiunt; sed ex Cod. Ital. (*a. 456*) tantummodo in hypothesi, quod dominus partis avulsae non reclamaverit eius proprietatem intra annum. Vid. *Alluvio.*

Bibliographiam vide sub *Accessio.*

B

473 **Baldachinus.** — Episcopo in omnibus ecclesiis suae dioecesis, quantumvis exemptis et privilegiatis, debetur prima sedes cum baldachino. *S. R. C. in Caven. 24 mart. 1664 ad 1 (1290)* et *alias pluries.* Attamen non posset episcopus permanenter retinere in qualibet ecclesia dioecesis thronum cum baldachino (*S. R. C. in Naulen. 11 iul. 1711 [2212]*), sed hoc ei licet in cathedrali, in qua potest habere thronum cum tribus gradibus et suppedaneo (*S. R. C. in Septempedana 11 maii 1715 ad 7 [2231]*), non vero cum quinque gradibus. *S. R. C. in Urbeventana 3 augusti 1737 ad 7 (2331).*

Quando vero episcopus accedit ad ecclesiam exemptam, in qua abbas mitratus sedem habet, sedes episcopi convenienter ornata paranda est in dextero cornu ecclesiae vel chori, et debet esse eminentior saltem uno gradu, quam sedes abbatis, qui sedere debet in sinistro (vel etiam a sinistris episcopi in sede camerali, absque aliquo ornatu et gradu, *S. R. C. in Aquilana 18 martii 1617 [347]*), et absque ornatu. *S. R. C. in Alexandrina 7 febr. 1604 ad 3 (156).*

Quid autem liceat abbatibus quoad thronum et baldachinum vide sub *Abbas.*

Baldachinus sedis episcopalis, etiam 474
quando ss. Sacramentum in ipso maiore altari ecclesiae cathedralis publice et solemniter expositum est, non est removendus. *S. R. C. in Volaterrana 19 iun. 1875 ad 2 (3360).*

Baldachinus non debetur vicario epi- 475
scopi, absente episcopo, imo nec episcopo coadiutori. Quandonam vero ex recenti iure possit episcopus concedere usum throni et baldachini alii episcopo, loco sui in dioecesi pontificalia agenti, vide sub *Thronus episcopalis.*

Baldachinum deferre super sacris 476
imaginibus, quando haec processionaliter deferuntur, stricte vetitum est non

obstante immemorabili consuetudine, decreto generali S. Congregationis Rituum *27 maii 1826 (2647)*, quod, quamvis de reliquiis sanctorum proprie loquatur, a fortiori de imaginibus intelligendum esse patet ex aliis decretis eiusdem S. Congregationis *in Triventina 11 april. 1840 (2808) et in Angelopolitana 11 sept. 1847 ad 1 (2951)*.

Attamen notandum est, quod eadem S. Congregatio *in Carthaginien. 7 sept. 1885 (3641)* rescripsit tolerari posse usum, ex quo ibidem deferebatur baldachinus, caerulei tamen coloris, quod explicabatur veluti tentorium, si pluvia decideret, in processionibus quorumdam simulacrorum B. Virginis. Imo, stante immemorabili consuetudine, a cuius cessatione populus abhorrebat, Emus Praefectus S. Congr. Rituum litteris datis 11 iul. 1891 in Andrien. sodalibus confraternitatis S. Mariae de Carmelo petentibus, ut ipsis concederetur a S. Congregatione conservatio usus, ex quo *post* simulacrum B. V. de Carmelo baldachinus deferebatur, transmisit sequens responsum eiusdem S. Congregationis: " expositum usum tolerari posse „. Hoc tamen decretum in novissima collectione decretorum eiusdem S. Congregationis non amplius invenitur.

Quaenam reliquiae possint sub baldachino exponi vel deferri, quaenam non, vide sub *Reliquiae*.

477 Consuetudo ponendi seu deferendi baldachinum nigrum super cadaver aut super castrum doloris in exsequiis pro episcopo vel archiepiscopo aut patriarcha, tam praesente quam absente corpore, et in exsequiis pro Summo Pontifice, absente corpore, uti abusus est eliminanda. *S. R. C. in una Congr. Oratorii 4 iul. 1879 ad 1 (3500)*.

Balsamum. — Balsamum debet ad- 478
misceri oleo olivarum ad habendum chrisma, quod benedictum ab episcopo est materia remota confirmationis. Cfr. Eug. IV. *in decr. pro Union.* — Discrepant doctores, utrum sit de necessitate sacramenti; qui affirmant tutius, qui negant verius forte dicunt, quum, ut asserit D' Annibale (*III. 279. [4]*, allegans Aguille *Collect. Max. Concil. T. IV. ad Conc. Limanum a. 1583*), Paulus IV. Indis concesserit privilegium, pro balsamo, alio liquore utendi, quod balsamum vocant, sed balsamum revera non est; quod privilegium renovatum dicit a Pio V.

Scilicet materia sacr. confirmationis iuxta probabiliorem sententiam est unctio olei per impositionem manus. Sed an oleum tantum requiratur, an potius balsamum, et quidem ad valorem sacramenti disputant doctores. Certe ad liceitatem requiritur balsamum. Oleum vero in casu necessitatis, deficiente balsamo, potest adhiberi. B. P. *IV. 787*.

Alia etiam est quaestio, an benedictio episcopi pro balsamo sit conditio necessaria ad hoc, ut valeat sacramentum. Et doctores etiam in hoc discrepant, praesertim si quaestio fiat, an ex delegatione Romani Pontificis simplex sacerdos valeat chrisma benedicere ad hoc, ut evadat materia remota sacramenti. B. P. *IV. 788*. In praxi certo illicitum esset, sacramentum conferre cum chrismate ab episcopo non benedicto; imo etiam quando conceditur sacerdoti simplici delegatio apostolica ad conferendum hoc sacramentum, semper haec facultas eidem fit cum conditione,

ut utatur chrismate benedicto ab episcopo. Vid. *Confirmatio.*

479 **Banna.** — **De natura et obligatione bannorum.** — Banna sunt publicae denuntiationes, quibus fideles admonentur de matrimonio inter certas aliquas personas contrahendo. Cfr. *c. 3 de clandestina desponsat. X. (IV. 3)*, quod desumptum est ex c. 51. Conc. Lat. IV., et in quo praecipitur una tantum matrimonialis publicatio, quae proinde requiritur etiam in locis, ubi caput " Tametsi „ tridentinum non fuit promulgatum. Cfr. *Const.* Bened. XIV. " Paucis abhinc „ *19 mart. 1758*; Feije *De imped. et disp. matr. n. 240.*

Non ex necessitate sacramenti, sed ex praecepto ecclesiae, ut diximus, sub gravi omnes fideles hac lege obstringuntur (Conc. Trid. *sess. XXIV. cap. 1 de ref. matr.*); quare nec in matrimoniis servorum seu mancipiorum (*S. C. P. F. 1 apr. 1816*), nec in matrimoniis barbarorum (*S. U. I. ad Arch. Quebecen. 14 iun. 1703*), idest indigenarum, haec lex per se cessat. Attamen matrimonium celebratum in forma tridentina, sed absque praemissis debitis proclamationibus, non solum non est invalidum, sed ne clandestinum quidem dici potest. *S. C. C. in causa Hieracen. ann. 1587 apud Richter pag. 224.* Sicubi autem praescriptum esset ex lege civili, ut nemo admitti possit ad matrimonium, nisi publicatio ipsius matrimonii a ministro quodam haeretico, ter quoque, facta fuerit, quamvis nihil obstet, quominus fideles testimonium harum denuntiationum ab officiali civili postulent et accipiant, hae tamen publicationes nec eos nec parochum excusant a publicationibus ecclesiasticis faciendis. *S. U. I. ad vic. ap. Iamaicae 12 ian. 1881.*

Peccat graviter parochus, qui banna omittit, etiamsi sciat nullum adesse impedimentum, vel ab impedimento existente dispensationem obtentam fuisse. Cfr. Sanchez *De matrimonio lib. III. disp. 5. n. 6*; Schmalz. *in tit. 3. lib. IV. Decr. n. 6*; Gasparri *De matr. I. 198.*

Ordinarie tres proclamationes requiruntur ex citato decreto tridentino. Parochus, qui unam aut alteram omittit, forte non peccat graviter. Gasparri *loc. nuper cit.*

Lex ista publicationum, quippe quae 480
ad tuendam validitatem matrimoniorum inducta est, adeo fortis est, ut consuetudo contra ipsam nequeat induci; esset enim contraria bonis moribus. *Const.* Ben. XIV. " Nimiam licentiam „ *18 maii 1743.*

Aliquando haec lex proclamationum non urget per accidens. Scilicet ante omnia, si probabiliter timeatur, matrimonium malitiose impeditum iri, si trinae proclamationes fierent, ipsum Conc. Trident. (*l. c.*) statuit, vel unam tantum denunciationem faciendam, vel matrimonium celebrandum et proclamationes omnes postea faciendas, vel proclamationes omnino omittendas ex dispensatione episcopi, si is ita iudicaverit.

Praeterea non urget haec lex, instante mortis periculo, quum quis ad salutem animae suae, vel ad prolem legitimandam vult ducere concubinam. D'Annib. *III. 453 (13)*; De Iustis *II. 19. 24.*

Non solum autem haec lex non urget, sed et prohibentur denuntiationes in casu contrahendi matrimonii inter partem fidelem et haereticam, vel fidelem et infidelem, etiam obtenta dispensatione sive ab impedimento impediente

mixtae religionis, sive ab impedimento dirimente disparitatis cultus. *Epistol. Pii VI. ad card. arch. Mechliniensem 13 iul. 1783; S. U. I. ad episcopum Nesqualiensem 4 iul. 1874;* Gasparri *loc. cit. I. 508. 709.* Attamen alicubi publicationes in casibus supradictis permittuntur; semper tamen faciendae sunt, reticita religione partis acatholicae. *S. U. I. decr. cit. 4 iul. 1874.*

Consuetudo etiam adest, teste Scavini (*Th. mor. III. 897*) et Gury (*II. 547*), ut in matrimoniis principum banna omittantur.

481 **Quoties, quomodo, ubinam proclamationes faciendae sunt.** — Debent fieri diebus festivis de praecepto (qui tales sint iure sive communi sive particulari), continuis, inter missarum solemnia, seu in parochiali vel conventuali, non item in privata, neque in vesperis, nisi ex causa urgenti. Cfr. *decr. S. C. C. 25 oct. 1586.*

Quare fieri non possunt diebus ferialibus, vel etiam in festis suppressis, quae nempe plane suppressa sunt, ita ut non habeatur amplius populi frequentia ad ecclesias (cfr. *S. C. C. in Brunen. 5. iul. 1780*); attamen si haec frequentia haberetur, ac functiones ecclesiasticae festivae iis diebus conservarentur, et suppressio festi reduceretur tantum ad ablationem oneris audiendi missam et abstinendi a servilibus pro fidelibus, tunc proclamationes iis diebus fieri possent (cfr. *S. C. C. in Pinarolien. 7 apr. 1862*), quia salvaretur finis legis tridentinae (Feije *loc. cit. n. 244 sqq.*); quamvis in casu, ut videtur, deberet haberi licentia ordinarii. Gasparri *loc. cit. I. 213.*

Hi festi dies debent esse continui, ut diximus, quod ita intelligendum est, ut inter se ab alio die festo, non autem a diebus feriatis, non separentur. Imo si tres dies festi immediate succedant, consuetudo generatim est, ut una proclamatio ad proximum diem festum transferatur, ita ut aliquot dies feriati inter primam et ultimam proclamationem intercedant; sed hoc non est praeceptum, nisi ius particulare restrinxerit in hoc ius commune. Cfr. Salmanticenses *Th. mor. tr. IX. 8. 75.* Alicubi etiam consuetudo est, ut principalioribus quibusdam festis proclamationes non fiant, et quae inceptae fuerant postea prosequantur aliis diebus festis sequentibus; quae consuetudo, ubi invecta est, mitigavit tantisper rigorem legis tridentinae. Lehmkuhl *Theol. mor. II. 673.*

Debent fieri in ecclesia parochiali 482
(parochus, qui ea faceret in alia parochiae ecclesia, ubi magnus esset ea die populi concursus non esset inquietandus, quia non contrairet decreto tridentino praescribenti, ut fiant in *parochia,* Gasparri *l. c. I. 215*), non originis, sed domicilii utriusque sponsi (Rit. Rom. *tit. VII. c. 1. n. 8*), imo etiam in parochia quasi domicilii proxime praeteriti, nisi iamdiu (quod ad sex menses generatim determinant auctores, cfr. Feije *l. c. n. 251*) illud sponsi dereliquerint. *Const.* Ben. XIV. "Paucis abhinc„; *S. C. C. 3 apr. 1734, 9 maii 1719.*

Banna militum proclamantur in loco residentiae, et ubi domicilium habebant ante initam militiam.

Banna vero vagorum fieri debent in loco, ubi celebrandum est matrimonium, si nempe sistamus verbis legis tridentinae, quae requirit, ut publicationes fiant a proprio contrahentium parocho. Cfr. Gasparri *loc. cit. I. 208.* At-

tamen, inspecto ipsius legis fine, dicendum videtur pro matrimoniis vagorum banna proclamanda esse non solum in parochia loci, ubi contrahunt, sed etiam ubi diutius vagi sunt commorati, nec non in loco originis, nisi eum in aetate non nubili reliquerint. Cfr. Feije *loc. cit.* Et quoad vagorum matrimonia nota, ea denunciari a parocho non posse, nisi obtenta prius ordinarii licentia. Feije *l. nuper c.* Notandum etiam est, vagorum matrimoniis parochum interesse non posse, nisi diligenti inquisitione facta et re ad ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerit. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 7 de ref. matr.*

Semper autem in dubio, quonam in loco faciendae sint denuntiationes parochus consulere debet ordinarium, qui, inspecto fine legis tridentinae, id statuet, quod melius ad rem esse cognoverit. Feije *loc. cit.*

Attendenda hic sunt ea, quae Sacra Congreg. Univ. Inquis. in instructione ad orientales locorum ordinarios *de status libertate ante nuptias probanda* habet: " Publicationes faciendae sunt in loco domicilii vel quasi domicilii. Expedit etiam, ut fiant in loco originis, si contrahentes ibidem morati fuerint post adeptam aetatem ad matrimonium contrahendum idoneam; atque insuper in locis, ubi saltem per decem menses commorati fuerint, nisi iam a pluribus annis domicilium fixerint in loco, ubi matrimonium contrahendum est „. *S. U. I. 29 aug. 1890.*

483 Banna autem repetenda per se sunt (nisi aliud episcopo videatur), si matrimonium non contrahatur intra duos menses (Rit. Rom. *loc. cit. n. 11*); nec videtur esse conveniens statim post ultimam proclamationem eadem die matrimonium contrahere. Cfr. Feije *loc. cit. 240 sqq.*

Parochus pro his publicationibus fa- 484
ciendis potest moderatum aliquod emolumentum percipere. Gasparri *loc. cit. I. 205.*

Forma bannorum non est determi- 485
nate praescripta; quare ex rituali (Rit. Rom. *loc. cit. n. 13*), vel ex particulari consuetudine loci desumenda est.

Debet vero fieri promulgatio intelligibili voce, sermone vulgari (Gasparri *loc. cit. I. 203*), et accurate indicandae sunt personae earumque parochia (nempe exprimendum est nomen, praenomen, patria, parochia, dioecesis, pater contrahentium; et si de viduis agatur, exprimendum etiam est nomen et praenomen demortui coniugis, nec non dies, mensis et annus obitus eius, Gasparri *loc. nuper cit.*), et quota sit denuntiatio; quod si in una vel altera fuerit dispensatum, hoc idem annuntiandum est, monendo, illam proclamationem ex. gr. loco primae et secundae esse, scilicet ut, qui impedimentum cognoscunt, citius illud detegant. Cfr. Fejie *loc. cit. n. 252.* Si quando adsit aliquod impedimentum publice notum, a quo obtenta est dispensatio, ne hoc quidem silentio praetereundum est; attamen attente cavendum est, ne quid dicatur, ex quo possit nupturis vel aliis oriri infamia. Gasparri *loc. nuper cit.* Quando autem praecedens quoddam matrimonium ratum legitime fuerit solutum, ut ecce dispensatione Romani Pontificis aut solemni professione religiosa alterius coniugis, hoc quoque indicandum est. Gasparri *loc. cit.*

Proclamationes parochus peragere

potest sive per se, sive per alium, etiamsi non sacerdotem (Schmalzgrueber *in tit. 3. lib. IV. Decr. n. 12*); decet tamen ut sit clericus. Fejie *loc. cit. n. 250.* — In hoc sicut in aliis supradictis attendendae praeterea sunt laudabiles locorum consuetudines et statuta conciliorum provincialium.

Iuxta rituale romanum (*loc. cit. n. 13*) exprimenda est etiam in denuntiationibus faciendis obligatio, qua fideles omnes tenentur, denuntiandi episcopo vel parocho impedimenta, si quae sint, quae ipsi noverint.

486 Parochus denuntiationes facere numquam aggrediatur, nisi prius de utriusque contrahentis libero consensu sibi bene constet. Rit. Rom. *loc. cit. n. 10.*

487 **De dispensatione a lege bannorum.** — Dispensare per se vel per alium ordinarius potest a proclamationibus omnibus; facilius ab una aut altera (Conc. Trid. *loc. cit.; Const.* Ben. XIV. " Satis vobis „ *27 nov. 1741*); aliquando dispensare non solum potest, sed debet, ut si secus grave damnum utrique vel uni sponsorum timendum sit. Cfr. S. Alph. *VI. 1005.* Nomine ordinarii hic intelligitur episcopus loci, praelatus nullius (*S. C. C. 2 mart. 1624*), vicarius apostolicus (*Instr. S. C. P. F. ad vic. ap. Ind. 8 sept. 1869*), vicarius capitularis, et etiam vicarius generalis vi mandati generalis (Schmalzgrueber *loc. cit. n. 28;* Gasparri *loc. cit. I. 228;* et alii plures), nisi episcopus id sibi reservaverit ex iusta causa (de qua constet per extraiudicialem cognitionem).

Attamen nota ea, quae habet Benedictus XIV. in nuper citata Constitutione: " Licet episcopo relictum sit omnimode super denuntiationibus dispensare, haec tamen facilitas non a sola dispensantis voluntate pendet, sed a Tridentino coercetur arctis prudentiae discretique arbitrii legibus; quod idem est ac legitimam causam dispensationis requirere. Parem quoque, imo fortasse maiorem vigilantiam necesse est a vobis (episcopis) adhiberi, ne, post remissas denuntiationes, celebretur matrimonium coram parocho, vel alio sacerdote ab ipso parocho vel a vobis deputato, praesentibus duobus vel tribus testibus *confidentibus,* ne ulla celebrationis notitia vel rumor oriantur. Id enim ut ad praescriptum SS. Canonum licite fieri possit, non satis est obvia quaevis et vulgaris causa, sed gravis urgens et urgentissima requiritur „. Cfr. *decr. S. C. P. F. 25 iun. 1791.* — Hinc D'Annibale *III. 453 (7)* ait, posse ordinarium dispensare ab una denuntiatione ex iusta, a duabus ex gravi, ab omnibus ex urgentissima causa.

Dispensatio, si sponsi sint ex diversa 488
dioecesi, ab utroque episcopo per se est habenda (*S. C. C. 29 apr. 1616;* Giraldi *Expos. iur. pont. p. II. sect. 104*); attamen graves auctores putant (cfr. Sanchez *de matr. lib. III. disp. 7. n. 7;* S. Alph. *VI. 1007*), posse unum ex ordinariis dispensare a publicationibus etiam in alia dioecesi faciendis; de qua sententia D'Annibale *loc. nuper cit.* ait: " quod ego propter S. Doctoris auctoritatem impugnare non ausim; sed non expedit (scilicet quod unus dispenset) propter impedimenta, quae alienum dumtaxat tenere possunt, nisi ex gravi causa „.

Episcopus, cui expedire in Domino 489
visum fuerit, ut denuntiationes vel

omnes vel earum aliqua remittantur, nihil quacumque de causa accipere potest. *S. C. P. F. ad omnes Hiberniae ordinarios ann. 1768; 12 febr. 1821.*

490 Si ex necessitate contrahitur matrimonium, proclamationibus postea faciendis, ante eas consummari non debet (Conc. Trident. *loc. cit.*); attamen sponsi, qui matrimonium consummarent, etiam ante factas publicationes, si constaret ipsis nullum esse impedimentum, graviter non peccarent. Cfr. B. P. *VI. 595* contra Sanchez *De matr. lib. III. disp. XI. n. 3* et Pontium *De matr. lib. X. c. 4. n. 2.*

In locis, in quibus decretum capitis 1. sess. XXIV. de ref. matr. Conc. Tridentini publicatum non est nè quoad partem quidem respicientem publicationes, ordinarius ab una saltem promulgatione dispensare nequit, nisi hoc ius ex consuetudine acquisiverit, aut agatur tantummodo de declaratione facienda, legem ecclesiasticam in illis adiunctis non obligare. Ratio est, quia lex Concilii Lateranensis pertinet ad ius commune, et Concilium Lateranense non facit ordinariis hanc facultatem, quemadmodum eam postea fecit Concilium Tridentinum quoad suam legem de trina promulgatione. Cfr. Gasparri *De matr. I. 227.*

491 Parochus dispensare in bannis nequit, at aliquando epikeia uti potest; idest quando periculum est in mora et episcopus adiri non potest, licet parocho sponsos coniungere sine denuntiationibus. Sanchez *De matr. l. III. d. 7. n. 16;* Fejie *loc. cit. n. 268.* Si vero tempus suppetat, adiri debet episcopus seu ordinarius. Et si is dispensare nollet, quando dispensare deberet, tunc impune etiam absque dispensatione banna praetermitterentur. D'Ann. *III. 453 (7).* Attamen parochus hoc facere non deberet, nisi in casu urgentissimo et evidenti. Cfr. B. P. *VI. 597.*

De poenis contra omittentes banna. — Parochus aut quilibet sacerdos etiam regularis, qui matrimonio assistit, omissis culpabiliter bannis, plecti debet suspensione ab officio per triennium, vel graviori poena. *c. 3 de cland. despons. X. (IV. 1).* Et si ordinarius tulerit sententiam suspensionis ab officio, eam ante finem triennii tollere nequit, quum tempus sit determinatum ab ipso iure. Cfr. Ben. XIV. *De syn. dioec. l. XII. c. 6. n. 2;* Feije *De imp. et disp. matr. n. 263.* 492

Sponsi, qui ita contraxerunt, condigna poenitentia castigandi sunt. Ben. XIV. *l. c. et c. 5. n. 4; S. C. C. 17 febr. 1629.* Si autem matrimonium ab ipsis contractum sit nullum ob aliquod impedimentum dirimens (etiamsi ambo id ignoraverint), proles forte suscepta erit *illegitima* in foro ecclesiastico (*S. C. C. 6 iul. 1726;* [Thes. *S. C. C. t. 3*]); ipsi ex Conc. Trid. (*sess. XXIV. c. 5 de ref. matr.*) erunt separandi et spem consequendae dispensationis non habent, seu eam multo difficilius impetrabunt; nec non condigna poenitentia plecti debent. Ben. XIV. *l. c. c. 6. n. 2;* Feije *l. c. n. 264.* Sacra Congregatio Concilii declaravit, posse eos plecti poena pecuniaria (*17 feb. 1629*), vel etiam excommunicatione (*19 ian. 1690*). Gasparri *loc. cit. I. 219.* Quoad illegitimitatem vero prolis animadverte, iuxta quosdam prolem tunc tantum fore illegitimam, quum contrahentes, saltem unus, fuerit in mala fide; quae mala 493

fides praesumitur. Attamen si bona fides in utroque adfuit in foro interno, et, si hoc probari possit, etiam in foro externo prolem legitimam habendam esse dicunt. Cfr. Suarez *De censuris lib. I. n. 10;* D'Ann. *I. 56 (63);* Gasparri *loc. cit. I. 219.*

494 Testes quoque, qui matrimonio, cui banna non fuerint praemissa, assistunt, puniri possunt ab ordinario ad eius arbitrium. Sanchez *De matr. l. III. d. 46. n. 8.*

Conc. Lat. IV. = c. 3 de clandest. desp. X. (IV. 3); c. 27 de sponsal. et matr. X. (IV. 1); c. 6 qui matr. accusare etc. X. (IV. 18); Rit. Rom. tit. VII. c. 1. n. 7 sqq.; Conc. Trid. sess. XXIV. c. 1 de ref. matr.; Const. Ben. XIV. « Satis vobis » 27 nov. 1741; Const. eiusd. « Nimiam licentiam » 18 maii 1743; Const. eiusd. « Inter omnigenas » 2 febr. 1744; Litt. eiusd. ad arch. Goanum 19 mart. 1751; Const. eiusd. « Paucis abhinc » 19 mart. 1758; Ep. Pii VI. ad card. arch. Mechliniensem 13 iul. 1783; *Panormitanus*, *Innocentius IV*, *Hostiensis* et alii commentatores in tit. cit. X. (IV. 3); *Hahn* De denunciationibus ad praescriptum Concil. Lateran. et Tridentini; *Sanchez* De matr. lib. III. disp. 5-16; *Scherer* Handbuch § 111; *Binder* Vom kirchl. Aufgebot der Ehe; *Schindler* Die Notwendigkeit u. d. Umstände d. Eheaufgebots; *Sägmüller* Lehrbuch § 127; *Leitner* Lehrbuch des kath. Eherechts § 47; *Wernz* Ius decr. IV. 134 sqq.; *Gasparri* De matr. I. 195 sqq.; *Kugler* De matr. I. 221 sqq.; *D. Covarruvias* In lib. 4. Decret. p. 2. c. 6. n. 10; *Pontius* De matr. lib. 5. c. 30 sqq. *Esmein* Le mariage I. p. 2. tit. 1. c. 2. VI.; *Rosset* De sacram. matrim. II. 1082 sqq.; Moralistae omnes quando de clandestinitate.

495 **Baptismus.** — ***De natura, et necessitate baptismi.*** — Baptismus est sacramentum regenerationis per aquam in verbo. Catech. Rom. *de bapt. n. 5.* — Baptismus aquae in re vel in voto non utique explicito, sed implicito, est omnino necessarius ad salutem.

De materia sacramenti baptismi. — 496 Eius materia *remota* valida est aqua naturalis (Conc. Trid. *sess. VII de bapt. c. 2*); licita aqua pura, et extra casum necessitatis benedicta et chrismate immixta (*S. U. I. 30 ian. 1765; S. C. P. F. ad ep. Scodren. 11 sept. 1779, pro Sin. 16 ianuar. 1797*), saltem pro baptismo solemni; *proxima* est ipsa ablutio per immersionem vel aspersionem vel infusionem.

De materia remota. — Quamvis ut 497 materia remota sit *valida,* necesse sit, ut iam diximus, ad baptizandum uti aqua vera ac naturali, ac nullum alium liquorem ad id adhiberi possit (Rit. Rom. *loc. cit. n. 3*), ad validitatem tamen non est necesse, ut aqua sit *omnino* pura, seu ex hydrogenio tantum et oxygenio constans, sed sufficit etiam aqua aliis quoque materiis commixta, ita tamen ut adhuc possit et soleat appellari aqua. Hinc materia est valida aqua maris; vel aqua sulphurea aut mineralis; vel ea, quae ex rore colligatur aut ex nive, grandine, glacie, pruina resolutis; ea, quae habetur ex condensatione vaporis; ea, quae succo aliquo odorifero condita fuerit aut saccharo aut huiusmodi, dummodo semper verum sit, eam adhuc vocari posse et solere aquam. B. P. *IV. 721;* Berardi *Praxis confess. III. 823.* Hinc missionariis Loangi et Kacongi in Africa petentibus an liceret uti aqua expressis commixta odoribus, quibus color aquae immutaretur, dum, urgente periculo mortis, simplici aqua uti fas non esset, contradicentibus morituri parentibus, qui ex simplicis aquae usu mortem filii

pertimescerent, S. Congregatio S. Officii respondit *8 nov. 1770,* in casu necessitatis id licere, et huiusmodi aquam esse adhibendam, dummodo tingentes eae seu odoratae aquae vel partes, quae miscentur, naturam verae aquae non corrumpant.

Ad hoc iuverit hic integre referre sequens recens decretum Sancti Officii, quod potest esse scitu valde utile in praxi; scilicet: " Archiepiscopus Ultraiectensis ad Sanctitatis vestrae pedes provolutus humiliter exponit, quae sequuntur. — Plures medici in nosocomiis aut alibi in casu necessitatis infantes, praecipue in utero matris, baptizare solent aqua cum hydrargyro bichlorato corrosivo (gallice: *chloride de mercure*) permixta. Componitur fere haec aqua solutione unius partis huius chlorati hydrargyrici in mille partibus aquae; eaque solutione aquae potio venefica est. Ratio autem, cur hac mixtura utantur, est, ne matris uterus morbo afficiatur. — Quae quum ita sint pro maiori rei gravissimae securitate Sanctitatem vestram enixe rogo, ut haec dubia solvere dignetur: — 1°. Estne baptisma cum huiusmodi aqua administratum certo, an dubie validum? — 2°. Estne licitum, ad omne morbi periculum vitandum, huiusmodi aqua sacramentum baptismatis administrare? — 3°. Licetne etiam tunc hac aqua uti, quando sine ullo morbi periculo, aqua pura adhiberi potest? „ — Responsum autem est: " Ad 1um. Providebitur in 2°. — Ad 2um. Licere, ubi verum adest morbi periculum. — Ad 3um. Negative „. *S. U. I. 21 aug. 1901.*

Liquor, in quo nihil aut fere nihil sit aquae, quique ex communi hominum usu aqua dici nec potest nec solet, est materia certo invalida. Hinc saliva (*c. 5 de baptismo etc. X. [III. 42]*), urina, sudor, lac, sanguis, glacies nix etc. non resolutae, lutum, atramentum etc. sunt materia certo invalida. Berardi *loc. cit.*

Quaedam vero est materia dubia, de qua scilicet non bene scimus aut scire possumus, utrum vere sit aqua an non. Hinc iusculum, cerevisia valde tenuis, aqua resoluta ex sale, liquor qui ex floribus aut herbis exprimitur (ut aqua rosacea, B. P. *loc. cit.*), lixivium, cafaeum, aqua vino mixta (in qua, ut patet, vinum certo non praedominet) et alia huiusmodi (D'Annibale *III. 270* his addit atramentum) sunt materia nec certo valida, nec certo invalida. S. Alph. *VI. 103;* B. P. *IV. 722.*

Quoad *licitam* materiam haec adverte. 498
Baptismus, saltem solemnis (nam quoad baptismum privatum fuerunt etiam synodi, quae prohiberent usum aquae consecratae), debet extra casum necessitatis conferri cum aqua consecrata, idest benedicta et chrismate immixta, ut diximus. Attamen si quis aqua non consecrata uteretur, mortaliter non peccaret, etiam secluso casu necessitatis, quia in necessitate ea omnino adhibenda esset, ut planum est. B. P. *IV. 723.* Volunt autem nonnulli, in defectu aquae consecratae adhibendam esse, si fieri potest, aquam benedictam; quod non videtur verum. Exstat enim responsio S. Congregationis Univ. Inquis. *6 apr. 1741* (*Collect. S. C. P. F. n. 499*), qua edicitur, in defectu aquae consecratae non aquam benedictam, sed naturalem esse adhibendam. Hanc responsionem confirmavit S. Congr. de Prop. Fide

17 apr. 1758 (*Coll. S. C. P. F. n. 500*). Attamen si sacerdos haberet olea sancta, in defectu aquae baptismalis adhibenda esset aqua benedicta iuxta formulam in novis editionibus et in appendice Ritualis Romani positam. *S. U. I. 22 iun. 1883. (Coll. S. C. P. F. n. 517*). Vide *Fons baptismalis.*

Nota tamen etiam, S. Congregationem S. Officii vicario apostolico Sandwicensi interroganti rescripsisse, in casu necessitatis missionarios posse in administrando baptismo uti aqua benedicta. *S. U. I. 11 dec. 1850.*

Diximus extra casum necessitatis aquam debere esse benedictam et chrismate immixtam. Porro casus necessitatis non est tantummodo carentia aquae benedictae pro baptismo; sed et alii dari possunt. Hinc suspicio vaga, quod quidam indigenae, qui multis inficiebantur superstitionibus, mortem infantium in extremo agone baptizatorum ipsi baptismo tributuri essent, si specialem vidissent aquam adhiberi, sufficiens declarata fuit ad adhibendam aquam non consecratam pro missionariis Melanesiae et Micronesiae. *S. U. I. 14 maii 1851.*

In periculo mortis adhiberi debet materia dubia, si non habeatur certo valida. — Quod dicendum est, non solum de materia remota, sed etiam de materia proxima, si nempe quis in talibus circumstantiis forte inveniatur, ut aqua abluere infantem nequeat, ita ut aqua decurrat, sed tantum ex. gr. possit super infantem aquam ex aliquo panno lineo aut spongia exprimere (*S. C. P. F. pro Sin. 25 ian. 1789*), aut etiam solum digito vel panno madefacto infantem in fronte signare. *S. U. I. ad miss. Loangi et Kacongi 8 nov. 1770, ad vic. ap. Sutchuen. 9 iul. 1779.*

De materia proxima. — Materia pro- 499
xima est ablutio (*Eph. V. 26; Hebr. X. 22*), quae fieri potest immersione (hic modus baptizandi antiquitate illustris mysticam quoque habet significationem, de qua vide Paulum (*Rom. VI., Colossens. II. 12*), aspersione (alter hic modus baptizandi non est in usu propter dubitationem, quam relinquere potest circa validitatem baptismi collati propter defectum debitae ablutionis, praesertim si pluribus simul conferretur baptismus), et infusione. *Doctrina Apostolorum c. 7.* Cfr. Sägmüller *Lehrb. des kath. KR. § 112.* Retinendus autem est ritus baptizandi per immersionem vel per infusionem iuxta consuetudinem ecclesiarum. Rit. Rom. *de baptismi administr. n. 10.* Quando autem baptismus non datur per immersionem, debet aqua corpus tangere et fluere, atque in ea copia, qua quis vere ablutus dici possit. Attamen certum est non requiri, ut corpus abluatur totum, et sufficit certissime, quod aqua tangat caput seu frontem baptizati (B. P. *IV. 725;* imo probabilius sufficit, si aqua tangat tantum crines, Gennari *Consult. p. 1. cons. 113*); si vero aqua tangat partem capite diversam, sed principaliorem (pectus, scapulas, etc.), probabilissime validus est baptismus (Suarez *De bapt. disp. XX. sect. 2. n. 11,* Salmant. *II. II. 40,* contradicente S. Thoma *3. p. q. 68. a. 11* et forte etiam Rituali Roman. *tit. II. c. 1. n. 16*); si partem secundariam tantum (pedem, digitum), dubius est omnino (Rituale Romanum *de bapt. admin. nn. 10. 16;* B. P. *IV. 725. 731*); idcirco in hac certe, sed et

in altera hypothesi sic baptizatus est iterum, si vivat, sub conditione baptizandus. S. Alph. *VI. 107;* B. P. *IV. 731;* G. B. *II. 49 sqq.;* D'Annibale *III. 371.*

Pariter dubius est baptismus, si conferatur per modum unctionis in fronte cum pollice in aqua baptismali madefacto. Hinc, quum deprehensum fuerit, quemdam parochum hoc modo per plures annos baptismum infantibus in sua parochia administrasse, S. Congregatio S. Officii de ea re ab episcopo interrogata *14 dec. 1898* respondit: " Curandum ut iterum baptizentur privatim, sub conditione, adhibita materia cum forma absque ceremoniis, et ad mentem „. In sua autem mente episcopum monuit, ut speciali modo ad eos attenderet, qui sic baptizati fuerant et postea ad sacros ordines promoti.

Certo autem invalidus est baptismus, si aqua tangat vestes tantummodo.

Trina ablutio ex praecepto sub gravi, sed non ad valorem, necessaria est. S. Alph. *VI. 107.*

500 Nota autem sedulo, non esse confundendam ablutionem cum eius ordinario effectu et fine, qui est emundatio a sordibus. Ad baptismum requiritur ablutio, non requiritur ablutio corpus emundans; quare valet baptismus, etiamsi conferatur cum aqua sordida. B. P. *IV. 724.*

501 ***De forma sacramenti baptismi.*** — Eius *forma,* cui non est adiungenda vox Amen (Rit. Rom. *tit. II. c. 2. n. 19; S. R. C. in una Cochinchinae 9 iun. 1853 ad 2 [3014]*), est: " Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti „. Matth. *XXVIII. 19.* — Ad validitatem in forma debet exprimi spiritualis ablutio, quae fit super certam quamdam personam (cfr. *propos. 27 damn. ab Alex. VIII. decr. 7 dec. 1690*), nec non unitas naturae et trinitas personarum (singillatim nuncupatarum) in Deo, in cuius nomine hominem baptizari exprimendum quoque est. Innocentius I. *ep. 17 ad episcopos Macedoniae c. 5; decret. pro Armenis Eug. IV.;* Tertullianus *De bapt. c. 13.* — Hinc hae formulae: " baptizetur talis servus Christi in nomine Patris etc. „; vel: " baptizatur manibus meis talis in nomine Patris etc. „ (*decr. c. pro Armenis Eug. IV.*); vel: " baptizat (aut baptizet) nunc manus mea in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, seu etiam: in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti „ (*S. U. I. 8 sept. 1633*), sunt verae ac legitimae, idest omnino validae. Hinc valida pariter est formula, in qua omittatur pronomen *ego* vel particula *et,* quae primo loco ponitur, dicendo: " Ego te baptizo in nomine Patris, Filii et Spiritus Sancti „. Valida etiam est formula: " Ego te baptizo in nomine Patris, ego te baptizo in nomine Filii, ego te baptizo in nomine Spiritus Sancti „ (*S. U. I. 11 ian. 1882*). Valida etiam omnino videtur formula sequens: " Ego te baptizo in nomine Dei Patris, et Dei Filii, et Dei Spiritus Sancti „. B. P. *IV. 739.* — Hinc invalidae certo sunt, quae aliquid ex iis omittunt, quae necessario exprimenda sunt, ut supra diximus, quales essent ex. gr.: " Ego te baptizo in nominibus etc. „, vel: Ego te baptizo in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto „; prima quia certo non exprimitur unitas essentiae, altera quia eadem unitas non satis clare exprimitur.

B. P. *IV. 737.* Invalida est: " Ego te baptizo in nomine Trinitatis „; vel: " Ego te baptizo in nomine Iesu Christi „; haec, quia trinitatem personarum et unitatem divinae essentiae nullo modo exprimit, illa, quia personae non numerantur singillatim. D'Ann. *III. 272.* Invalida etiam est formula: " Ego te baptizo in nomine Omnipotentis et Sapientis et Boni „, quia personae significantur per appropriata, non autem per propria; quare formula dici posset de Deo, qui esset unus non tantum in natura, sed etiam in personis. B. P. *IV. 738.* Invalida est et haec alia: " Ego volo ministrare tibi sacramentum baptismi peccatorum in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti „. *S. U. I. ad vic. ap. Cocincinae 23 iun. 1840.* Invalida etiam: " Ego baptizo in nomine Patris „ etc., quia deest expressio baptizati. *S. C. P. F. ad vic. ap. Coreae 11 sept. 1841.*

Dubiae sunt eae formulae, in quibus a doctoribus dubitatur, an ea, quae necessario exprimenda sunt, recte et satis exprimantur. Tales sunt ex. gr.: " Ego te baptizo in virtute (vel in auctoritate) Patris etc. „ (B. P. *IV. 735*); vel: " Ego te baptizo in nomine Genitoris et Geniti et Spiràti (seu Procedentis) „. B. P. *IV. 738.*

502 Ad liceitatem quod attinet, adhibenda est ea formula, quam supra ab initio dedimus, iuxta Rituale Romanum, desumptam ex Matthaeo. Ab illis, qui eam latine nesciunt, potest usurpari in lingua vernacula, modo ad usitatam formulam latinam quam proxime accedat, eamque, quo melius fieri possit, reddat, ut esset italice: " Io ti battezzo nel nome del Padre, e del Figliuolo e dello Spirito Santo „ B. P. *IV. 734.* Quare haec forma in sua integritate servanda omnino est, nec aliquid addi potest, ut, ex. gr., nomen B. M. Virginis. Cavendum etiam est, ne corrumpatur, et si corruptiones sensum immutent forma vitiatur; secus dicendum, si sensus maneat. Quare S. U. I. *22 maii 1871* dixit, valere formam: " Ego te baptismo etc. „, et Scavini *III. 217.* idem tenet de hac alia forma: " Ego... in domine Patris etc. „. Cfr. etiam *S. C. C. in Brixien. 11 febr. 1797, in Santandrien. 11 iul. 1801, in Geneten. 12 maii 1753, in Fesulana 12 sept. 1801, in Forosempronien. 24 maii 1823, in Senen. 16 aug. 1828.*

Quoad formam baptismi iuverit hic 503
referre ea, quae S. Congregatio de Prop. Fide *27 martii 1631* rescripsit huic dubio sibi proposito, scilicet: " An baptismus, qui a Chaldaeis sacerdotibus administratur maribus cum verbo *eemdat* in eorum rituali posito, quod significationem habet praesentis imperativi, videlicet *baptizare talis* et significationem praeteriti videlicet *baptizatus est talis,* sustineri possit, praesupposita in baptizante intelligentia dicti verbi in praeterito „. Porro S. Congregatio respondit: " 1°. Baptismus collatus per verbum praeteriti temporis ad significandam actionem praeteritam, et non etiam quae per ministrum exercetur tunc, quando baptizat, cum invocatione SS. Trinitatis et aquae naturalis ablutione, immersione vel aspersione, non est verus baptismus. — 2°. Esset tamen verus baptismus collatus per verbum indifferens ad praeteritum indicativi et praesens imperativi, si baptizans uteretur illo pro praesente imperativi, si

cetera adsint recta, nempe intentio, in aquam naturalem immersio, ablutio vel aspersio cum SS. Trinitatis expressa invocatione. — 3°. Idem dicendum, quando minister utens verbo indifferenti, ut supra, nihil cogitans de praeterito vel de praesenti, virtualem autem intentionem haberet utendi illo verbo eo meliori modo, quo potest, etiam si crederet vocem significantem vel exprimentem actum, qui per ministrum exercetur, esse praeteriti temporis, retenta tamen intentione faciendi quod Christus instituit, vel observat ecclesia, christianusque populus, et non alligandi formae significationem suae privatae credulitati. — 4°. Si baptizans uteretur verbo praeteriti temporis ad significandum actum, qui per ipsum ministrum exercetur, quando baptizat, ceteraque adessent, esset baptismus, si apud nationem illam vel clerum esset usus accipiendi vocem illam praeteriti ad significandam actionem praesentem. — 5°. Est etiam baptismus, si quis ex ignorantia linguae infringendo verba, absque animo introducendi errorem aut haeresim, proferat vocem praeteriti, pro praesente, si tanta sit inter vocem praeteriti et praesentis similitudo, ut facilis sit lapsus ex una voce in aliam, prudentesque viri iudicent communiter, baptizantem vocem praeteriti pro praesente corrupte prolatam supposuisse, et prolata voce concipiant actionem praesentem sufficienter significari. — 6°. Ad tollendam tamen in huius tam necessarii sacramenti administratione omnem ambiguitatem vel erroris occasionem admoneantur in posterum Chaldaei, dum baptizant, uti verbo praesentis indicativi aut saltem imperativi; vel, si velint uti verbo indifferenti ad praeteritum et praesens, accipiant illud in significatione praesentis „.

De ministro sacramenti baptismi. — 504
Omnis homo ratione utens, potest baptizare valide (Nicolaus I. *in resp. ad consulta Bulgarorum c. 104;* Concil. Lat. IV. *c. 1; decr. pro Armenis Eugen. IV*), imo et licite in necessitate (*decr. cit. pro Armenis; decr. pro Iacobitis in Concilio Florentino*); attamen nemo, ut patet, potest baptizare seipsum in quacumque necessitate sit constitutus, quia inter baptizantem et baptizatum debet esse discretio. *c. 4. de bapt. etc. X. (III. 42).* Extra necessitatem licite baptizare potest solus sacerdos (*decr. cit. pro Armenis*) iurisdictionem habens ordinariam vel delegatam (Rit. Rom. *tit. II. c. 1. n. 12,* — et si quis alius sacerdos extra casum necessitatis baptizaret, gravi non careret, D'Ann. *III. 273. [29]*). Posset quaeri, quinam sit sacerdos ille habens ordinariam iurisdictionem, cui prae aliis competit baptizare. Est autem parochus (multo magis episcopus in sua dioecesi, Papa in universa ecclesia) sive domicilii, sive quasi domicilii mulieris, si in domicilio vel in quasi domicilio ipsa peperit (D'Ann. *III. 273*); si autem peperit extra domicilium vel quasi domicilium, est parochus, quem parentes elegerint. S. Alph. *VI. 115.* Etiam diaconus ex delegatione, et de gravi causa, solemniter potest baptizare (sed tunc non potest salem benedicere et aquam, *S. R. C. in Mariannen. 10 febr. 1888 [3684]*). Parochus autem, qui sit tantum diaconus, nonnisi deficientibus presbyteris, baptizare potest solemniter. Schmalzgr. *in III Decret. tit. 42. n. 44.*

— Ordo servandus inter ministros baptismi hic est: sacerdos, diaconus, subdiaconus, clericus, laicus, vir, femina, nisi pudoris gratia deceat, feminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius femina sciret formam et modum baptizandi. Rit. Rom. *t. II. c. 1. n. 13.* Sed, ut ait D'Annibale (*l. cit.*), iurisdictionis, ordinis et cognationis spiritualis tantum ratio habenda est sub gravi; ideo grave est tantum, si praesente parocho, baptizet sacerdos, vel, hoc praesente, laicus (S. Alph. *VI. 117*); vel, praesente quovis alio, pater aut mater. Attamen in mortis periculo, quando alius non reperitur qui baptizet, pater aut mater prolem suam baptizare possunt et debent, neque tunc ullam contrahunt cognationem, quae matrimonii usum impediat. Rit. Rom. *loc. cit. n. 14.*

505 Casus autem necessitatis, extra quem nonnisi sacerdos iurisdictionem habens ordinariam aut delegatam licite baptizat, non est adeo stricte sumendus, ut ad periculum mortis coarctetur. Nam licite laicus ex. gr. baptizat infantem recenter natum, etiamsi infans bona valetudine utatur, absente e loco sacerdote; " hominum quippe vita, infantium praesertim, continuis est obnoxia periculis „. *S. C. P. F. ad vic. ap. Cocincinae 11 febr. 1804; pro Sin. 21 ian. 1788, 16 ian. 1804.*

Nota tamen hic, quod, si non adesset nisi sacerdos schismaticus, quicumque alius catholicus, etiam mulier, deberet prae illo baptizare. *S. U. I. 20 aug. 1671.* Sacerdos autem catholicus, sed suspensus et interdictus, numquam administrare potest baptismum cum solemnitatibus; sed, quando propter necessitatem urgentem debet baptizare, baptizare debet private. *S. C. P. F. 21 ian. 1789.*

Non potest minister pecuniam exi- 506
gere pro administratione baptismi, sed potest aliquid recipere a sponte dantibus titulo merae et liberae eleemosynae. *S. C. P. F. pro dioec. Illyrici 18 apr. 1757.*

Quoad intentionem requisitam in ministro, Vid. *Intentio, Sacramentum.*

De subiecto baptismi. — Subiectum 507
baptismi est omnis et solus homo viator nondum baptizatus. Valide baptizantur infantes (Concil. Later. IV. *c. 1;* Innoc. III. *in prof. fidei Waldensibus praescripta;* Conc. Trid. *sess. V. decr. de peccato origin., sess. VII. de bapt. can. 12. 13*); nec non is, quem minister putat esse alium (B. P. *IV. 751*); perpetuo amentes (*S. U. I. ad miss. Loangi et Kacongi 8 mart. 1770;* S. Alph. *VI. 121*); qui tamen ex his aliquando ratione usi sunt, nisi quousque in amentiam inciderint, recusaverint baptizari (*c. 3 de baptismo etc. X. [III. 42]*), aut de baptismo nil cogitaverint (S. Th. *3. p. q. 68. a. 12*). Infans autem dubie vivus, fetus abortivus (si nempe non desit fundamentum, quod fetus ille sit animatus anima rationali, *S. U. I. 5 apr. 1713*), infantes expositi, si diligenti facta inquisitione non constet, eos esse baptizatos (Rit. Roman. *loc. cit. n. 17*), *sub conditione* sunt baptizandi.

Quoad modum practicum baptizandi 508
hos fetus abortivos seu parvos embryones nota ea, quae habet Capellmann (*Medicina pastoralis, de baptismo pag. 113 in nota*): " Iis, qui minime vel non satis harum rerum periti sunt, utilissimum ac certissimum consilium erit,

ut baptismum per immersionem conferant, et ita quidem, ut in, vel sub aqua, velamenta disrumpant, hisque disruptis, statim formam baptismi pronuntient: si vivis, ego etc. Apprehende igitur utriusque manus pollice et indice aliquam velamenti plicaturam, atque ita disrumpe, ut materia ovi effluat, hoc est, ut aqua baptismalis integram ovi materiam bene alluat. Quod si ita fit, etiam vitabitur accedentis aeris appulsus in embryonem, quem nonnulli adeo timent „.

509 Etiam infans, qui in utero matris moriturus praevidetur, in eodem utero, si fieri potest, ut mediante aliquo instrumento, ex. gr. syphone aliquo, attingatur (quod generatim medici tantum est), aqua ex eo syphone immissa, sub conditione certo baptizandus est. G. B. *II. 50.* Ceterum quoad hoc vide *Operatio caesarea.* Attamen fetus in utero supra verticem baptizatus post ortum denuo sub conditione rebaptizandus est. *S. U. I. 12 iul. 1794, 16 mart. 1897; S. C. C. in Sutrina 12 iul. 1794.* Eodem modo baptizandi quidem sunt sub conditione fetus non omnino nati, qui aliquam tamen sui partem emiserint, si nempe necessitas urgeat aut periculum immineat, et si postea perfecte editi fuerint, iterum sub conditione baptizandi sunt, excepto tantum casu, quo prima vice (et tunc absolute baptizari debuerunt) in capite fuerint baptizati. Rit. Rom. *loc. cit. n. 16.*

510 Filii infidelium, si ratione utuntur (quod regulariter censetur esse, completo septennio), et petunt baptismum (*S. C. C. 16 iul. 1639; S. C. P. F. 3 mart. 1703*); item ante usum rationis mox morituri, vel in non communi mortis periculo constituti (*Const.* Ben. XIV. " Postremo „ *24 febr. 1747; S. U. I. ad vic. ap. Sandwich 11 dec. 1850; S. C. P. F. 17 apr. 1777*), quod nempe sit verum periculum et particulare illius pueri, non vero commune tantum, quia ex. gr. eo loci saevit pestilentia (*Instr. S. C. P. F. 17 aug. 1777 ad 7 et 8*), certo baptizandi sunt, si tamen hoc fieri possit sine scandalo (*S. U. I. 28 ian. 1637*); si non sint mox morituri, requiritur consensus alterutrius parentis (*S. U. I. 17 sept. 1671, 18 nov. 1745; 9 febr. 1764; S. C. P. F. ad vic. apost. Siamen. 15 febr. 1781; Const.* Pii VI. " Alias „ *15 maii 1775*), nisi e patria potestate exciderint (quod esset si venderentur, in quo casu eos emere oporteret, et empti baptizari deberent, *Sacr. Congr. P. F. ad vic. ap. Indiar. 8 sept. 1868*). Haec sunt generalia principia; attamen varii particulares casus sunt examinandi. Aliquando ipsi parentes filios baptizandos offerunt sacerdoti. Porro non licet eos baptizare, quando prudenter dubitari potest, ne baptizatus tractu temporis e catholica religione desciscat (*Const. cit.* Benedict. XIV. " Postremo „), quod periculum semper videtur adesse, quum pueri relinquendi essent sub potestate parentum, qui ambo infideles essent. Cfr. *S. C. P. F. 31 ian. 1796; S. U. I. ad vic. ap. promont. Bonae Spei 22 iul. 1840; ad vic. ap. Sutchuen. 4 maii 1853.* Attamen si in casu nullum adesset grave perversionis periculum, possent a missionariis baptizari (audito, si fieri posset, praefecto apostolico), dummodo non constaret parentes ob superstitionem filios offerre baptizandos. *S. U. I. ad praef. ap. Nossi-bè ann. 1867*

(Collect. S. C. P. F. n. 592); *S. U. I. 6 sept. 1899 quoad Goagiros (ex regione Goajira in Columbia)*. Filii quoque apostatarum a fide, parentibus petentibus, baptizari possunt, dummodo adsit spes iusta et rationabilis separationis ipsorum infantium a parentibus ac transmissionis ad catholicos et christianae educationis, de quibus baptizaturus diligenter inquirere debet. *S. U. I. 28 ian. 1637*. Si autem parentes non sint ambo infideles, sed alteruter fidelis sit (etiamsi in apostasiam inciderit, sed postea absolutionem obtinuerit, *S. U. I. 8 febr. 1624*), et parens fidelis filiolum offerat baptizandum in finem aeternae salutis adipiscendae, et promittat se filium in religione catholica educaturum, perpendere debet diligenter sacerdos, an huic proposito et promissioni partis fidelis fidem praestare possit, quo facto ipse iudicare debet, utrum in casu conveniat puerum baptizare, necne; attamen si baptizaverit, monere debet parentem catholicum de gravissimo, quo tenetur, munere, filium docendi christianam religionem. *Const. cit.* Ben. XIV. " Inter omnigenas „ " Postremo „; *S. U. I. 6 iul. 1898*. Videtur autem tunc non esse timendum periculum perversionis, quum, altero parente catholico, alter in baptismum consentit, ac proinde tunc puer baptizari debere (*S. U. I. 17 sept. 1671; 18 nov. 1745 ad 2*), etsi dubium adhuc maneat vel timor, ne parens infidelis eum in infidelitate postea sit educaturus (*S. U. I. 17 sept. 1671*); nisi tamen hoc ipsum certum moraliter sit, ut eruitur ex allatis nuper constit. Ben. XIV. Cfr. *S. U. I. 18 nov. 1745 ad 1; ad praef. miss. Tripolit. 23 ian. 1763; 29 nov. 1764.*

Imo baptizari etiam debent huiusmodi pueri, quando parens catholicus iam morti proximus baptismum pro ipsis petit, dummodo possibilis spes affulgeat, ut huiusmodi pueri possint suo tempore in vera religione instrui, et cautiones a moribundo catholico dentur, ut hoc valeat obtineri. *S. U. I. 6 iul. 1898.*

Quaesitum est S. Congr. S. Officii 511
a vicario apostolico ad Gallas quid agere deberet quoad administrationem baptismi relate ad puellas, quae periculo sunt expositae, ne viro infideli in matrimonium dentur. Et S. Congr. respondit:

" Distinguendum est inter puellas infantes et puellas adultas. Illae, ubi nihil aliud obstet praeter futurarum nuptiarum periculum, admitti tutissime possunt ac debent ad baptismum..... Puellae vero adultae, vel nondum nubiles sunt, vel iam quidem nubiles sed nondum in matrimonium promissae, vel iam desponsatae viris infidelibus aut polygamis. In primo et in altero casu non est, cur denegetur, aut differatur baptismus, modo puellae supradictae necessarias habeant dispositiones... At in tertio casu nullatenus expedit eas ante matrimonium baptizare, tum propter difficultatem non minimam legitimae dispensationis obtinendae, tum ob gravissimum periculum ne transeant ad nuptias, etiam non dato dispensationi loco, quae certe indulgeri nequit super impedimentis iuris naturalis: satius igitur erit baptismum differre, quam proximae profanationi exponere. Si qua autem ob peculiares circumstantias gravesque causas baptizanda iudicetur, omnino requiritur talis

eius animi dispositio, ut, si dispensari nequeat, potius mori velit, quam sacrilegum irritumque matrimonium contrahere „. *S. U. I. 25 iun. 1866.* — Quaesitum etiam nuper est, utrum expediret baptismum administrare illis puellis rite dispositis, de quibus tamen moralis exsistit certitudo, fore ut invitae a propriis parentibus tradantur viris europaeis, ut vivant cum iis tamquam concubinae. Cui quaestioni respondit S. Congregatio Sancti Officii transmittendo decisionem a. 1892, quae similem casum respiciebat, cuius haec sunt verba: " Praefectum apostolicum laudabiliter se gessisse miseras puellas, de quibus agitur, redimendo, ne nuptui traderentur viris irretitis impedimento ligaminis, aut etiam disparis cultus, quoties cautiones obtineri non possunt. Puellis vero, quae redimi nequeant, et baptizari instanter petant, haud facile baptismi sacramentum esse denegandum, si debita instructione sint praeditae, aliasque necessarias dispositiones congruo experimento comprobatas se habere ostendant, una cum firmo proposito, ita ut paratae sint potius mori quam foedari „. *S. U. I. 8 iul. 1895.* Notandum etiam est, praevisionem, quae haberi posset, pueros sufficienter instructos et baptismum petentes, adultos factos, oblituros esse praecepta religionis catholicae et in gentilium vitia lapsuros, prohibere non posse, quominus ipsis baptisma administretur. *S. U. I. 8 iul. 1895.*

512 Quoad filios haereticorum, schismaticorum, apostatarum nulla fieret iniuria parentibus, si baptizarentur, etiam invitis ipsis. Sunt enim parentes ratione baptismatis subditi Ecclesiae; et Ecclesia baptizando eorum filios ius suum prosequeretur. B. P. *IV. 756.* Attamen in praxi putat Ecclesia, baptismum non esse conferendum, si prudenter timeatur periculum perversionis seu apostasiae, quia non debent sancta dari canibus, nec margaritae proiici ante porcos. *Instr. S. U. I. 21 ian. 1767; S. C. P. F. ad N. mission. in Syria 23 febr. 1788.*

Patet autem, filiis haereticorum ba- 513
ptismum non esse conferendum, quando pro ipsis filiolis a parentibus haereticis baptismus petitur in absentia seu defectu ministri protestantis, qui eos protestantico ritu baptizet, quum parentes in casu baptismum petant ex intentione adscribendi filios falsae sectae (*S. U. I. in Mantuana 19 ian. 1886*), excepto casu de periculo mortis secundum ea, quae diximus supra, quemadmodum expresse loquitur citatum deeretum S. Officii.

Filiis autem catholicorum numquam 514
denegandum baptisma, si parentes illud petant, etiamsi parentes adeo barbari sint, ut, licet baptizati, nullum fere actum catholicae religionis exerceant, sed per nemora vagentur, sequentes pristinas superstitiones (curandum tamen tunc est, ut parentes filios suos catholicam religionem doceant, vel ut parentum defectum missionarii suppleant, *S. U. I. ad ep. Quebecen. 24 aug. 1703*), aut ob parentum tepiditatem nulla probabilis spes affulgeat fore, ut dicti infantes in christiana religione postmodum instituantur. *S. C. P. F. ad vic. ap. Sutchuen. 31 ian. 1796.*

Quid autem *de monstris* est dicen- 515
dum? Ex generali regula statuendum videtur, monstris, quaecumque sint, sem-

per esse conferendum baptismum, stante nunc opinione, saltem probabili, fetum ab initio conceptionis animari anima rationali; nec videtur obstare illud Ritualis Romani *loc. cit. n. 19:* " Monstrum, quod humanam speciem non praeseferat, baptizari non debet „; haec enim dicta sunt iuxta placita antiquioris scientiae. Quoad monstra vero, quae *duplicitates* etiam dicuntur, quia duo habent capita, vel duo corpora inter se unita etc., standum est Rituali Romano (*loc. cit. n. 20. 21*); scilicet, si habet duo capita et duo pectora, tunc unumquodque est baptizandum separatim et absolute; si duo capita et duo pectora non habet distincta, alterum est baptizandum absolute, nempe primum quod baptizatur, alterum sub conditione, scilicet: " Si alius es a primo, ego etc. „.

516 Notandum praeterea est illud, quod habet Capellmann *Medicina Pastoralis de baptismo:* " Denique ex utero mulieris res prodeunt, quae nec fetum continent, nec ullo modo pro fetu habendae sunt, quas *molas* vocant. Sunt quidem molae fructus fecundi coitus; sunt ova fecundata, in quibus tamen fetus plerumque praemature mortuus et absorptus aut resolutus est, quorum membranae postea in varias molarum formas degenerabant (sic). Molae autem partim magnae, partim exiguae inveniuntur, modo crassum modo tenue habent tegumentum, nunc solidiores sunt et massae carneae similes, nunc ex multis vesiculis liquore impletis constant. Has molas vesiculares si exceperis, in quarum ingenti magnitudine cetera vix apparent, fere semper cavum invenies plerumque exiguum et liquore impletum, *sed fetus ne vestigium quidem* „.

Quoad adultos notandum est etiam, 517
licite eos baptizari non posse, nisi catholicae fidei dogmata saltem principaliora cognoscant (*S. U. I. 22 maii 1713; S. C. P. F. 8 maii 1779; S. U. I. 12 maii 1830; 6 iun. 1860; S. C. P. F. 18 oct. 1883*), ut ex. gr. eucharistiae mysterium, excepto casu, quo in contrarium tale urgeat motivum, ut expediens prudenti sacerdoti videatur dilatio post baptismum. *S. U. I. ad ep. Quebecen. 10 maii 1703 ad 1. (Coll. P. F. n. 552).* Attamen mysteria fidei, quae sunt scitu necessaria necessitate medii, ut sunt praecipue mysteria Trinitatis et Incarnationis, semper explicari debent et explicite credi a baptizando (*S. U. I. ad ep. Quebecen. 25 ian. 1703, 10 maii 1703 ad 2 [Coll. P. F. n. 551]*), etiam in mortis articulo (*S. U. I. 30 mart. 1898*), in quo tamen sufficeret, si temporis defectu melius fieri non posset, quod iisdem fidei mysteriis ipsi propositis vel simplici oris affirmatione vel nutibus saltem ostenderet, se consensum praebere (*S. U. I. ad miss. Loangi et Kacongi 8 mart. 1770 ad 1; pro Tchely meridio-orient. 10 apr. 1861*); imo sufficeret etiam, quod cognitionem mysteriorum Trinitatis, Incarnationis et Redemptionis ab haereticis habuerit, dummodo quoad fidem catholicam (in quantum ab haeretica distinguitur) sit in bona fide, quia tunc, si voluntatem habeat suscipiendi baptismum, et, si tempus suppetat, adhaereat symbolo apostolico, quod ante baptismi collationem coram eo recitandum esset, baptizari deberet (sub conditione: si dubie fuerit baptizatus). *S. U. I. 27 ian.*

1892. At non sufficeret ad dandum baptisma infideli moribundo, quod praetermissa omni instructione praesenti, ipse promitteret, se sacerdoti instruendum daturum, ubi a morbo convalesceret. *S. U. I. 25 ian. 1703.*

Sed et praeterea adulti etiam in articulo mortis, ad hoc ut licite baptizentur, debent poenitentiam habere de peccatis admissis. *S. U. I. 10 maii 1703 ad 2* (*Coll. P. F. n. 552*), *28 mart. 1860, 10 apr. 1861*. Attamen S. Congr. Inquisitionis ad quaesitum, an adulti, qui in articulo mortis ob quamcumque causam nequeunt instrui de iis quoque, quae necessaria sunt necessitate medii, aut nequeunt actum doloris de peccatis emittere, possint baptizari, respondit: " Si antea dederint signa velle baptizari, vel in praesenti statu aut nutu aut alio modo eamdem dispositionem ostenderint, baptizari posse sub conditione, quatenus tamen missionarius, cunctis rerum adiunctis inspectis, ita prudenter iudicaverit „. *S. U. I. ad ep. Perthen. 18 sept. 1850, 30 mart. 1898 ad 3.*

Adultis, antequam baptizentur, debent insuper insinuari omnia praecepta legis naturalis (*S. C. Prop. Fid. ad mission. Sinen. 12 septembr. 1645; Const.* Alex. VII. *pro Goa et insulis adiac. 18 ian. 1658*) aut positivae divinae (*S. U. I. 10 maii 1703 ad 3 [Coll. P. F. n. 551]*), eaque ipsi debent, se servaturos serio promittere (*S. U. I. 10 apr. 1861*); quare non possent baptizari ii (praesertim feminae), qui nullam omnino vestem sibi vellent induere, nisi prius velare saltem pudenda consuescerent. *S. U. I. ad episcopum Perthen. 4 iun. 1851.* Confer etiam *respons. citat. S. U. I. 18 sept. 1850.*

Iuverit etiam hic referre sequentem 518
responsionem S. Officii ad quaesitum: " An catechumeni confiteri possint sacramentaliter, antequam baptizentur sive absolute sive conditionate „. Responsum est: " quoad confessionem ante baptismum absolute conferendum, negative; quod si nihilominus catechumenus velit sese confiteri, instruatur, id nullatenus haberi posse sub ratione sacramenti, quum nequeat absolutio impertiri, nec teneri missionarium ad secretum (scilicet ad sigillum) servandum. Si vero agatur de iis, qui debent baptizari sub conditione, tunc poterunt ad maiorem functionis ecclesiasticae facilitatem prius audiri sacramentaliter quoad eorum culparum accusationem: deinde post collationem baptismi sub conditione, confessarius, iterum reassumptis per summa capita iis, de quibus iam accusationem fecerit, absolvat sacramentaliter pariter sub conditione „. *S. U. I. 2 dec. 1874.*

Ad hoc non immerito referendae hic 519
videntur responsiones S. Congregationis de Prop. Fide pro Sinis datae ad sequentia dubia: " 1°. Multi sunt inter christianos, praesertim novos, qui tempore gentilitatis promiserunt in matrimonium filias suas gentilibus. Maxima autem difficultas est rescindendi huiusmodi contractum, neque ulla via ad id possunt cogi infideles, qui ad praefectos appellant, quando puella ipsis denegatur, et causam semper obtinent consequenter ad leges imperii. Quaeritur, num istae puellae ante adultam aetatem licite possint baptizari, saltem quando harum pater vel mater, vel uterque,

fidem amplectuntur, ab iisque usque ad matrimonii tempus possent christiane educari. Ratio dubitandi nobis est, ex una parte quod, si baptizentur, et postea cogantur gentilem ducere, forsan, deficientibus conditionibus requisitis, non erit locus dispensationi, et tunc matrimonium nullum erit, aut gravissimas molestias a praefectis sustinebunt, qui habent ius per vim illas maritis tradendi, quando puellae matrimonium recusant. Ex altera parte forsan ante matrimonii tempus resiliet a sponsalibus futurus maritus, vel ipse morietur, vel ipsa puella, vel fiet christianus, vel saltem locum dabit conditionibus, quas exigit S. C. ad dispensandum. Nihil nunc probabiliter determinari potest, quia futuri sponsi adhuc in infantili aetate constituuntur. — 2°. Utrum mulier fidelis viro infideli coniugio copulata, de qua spes probabilis affulget, quod sub iugo viri sui christiane victura sit, nulla tamen spes affulget, quod proles ex ea suscepta in christiana fide libere educetur propter viri infidelis oppositionem (separatio autem obtineri non possit abque gravibus damnis) ad sacramentum baptismi admitti possit absque eo quod praecedat divortium saltem quoad torum „. Porro respondit S. Congregatio: " Ad 1.um affirmative; ad 2.um attentis circumstantiis posse, dummodo promittat se fore curaturam omnibus modis educationem prolis in religione christiana „. *S. C. P. F. 3 ian. 1777.*

520 ***De effectibus baptismi.*** — Effectus baptismi sunt deletio omnis culpae et remissio omnis poenae, nec non impressio characteris baptismalis: per hunc characterem baptizatus incorporatur Christo et fit membrum eius ac proinde Ecclesiae suae. *Decr. pro Armenis Eugenii IV.* Quare baptizatus semper est et manet subditus Ecclesiae, et licet de facto esse possit extra corpus Ecclesiae, exigentia tamen sacramenti semper est et manet catholicus. Cfr. litteras Pii PP. IX. ad Gulielmum Germanorum imperatorem *7 aug. 1873.*, nec non causam Edgardi Mortara neophyti (La Civiltà Cattolica *ser. 3. vol. 12. p. 385 sqq.*); *S. U. I. ad ep. Quebecen. 25 ian. 1703, 6 iul. 1898.*

De loco ad baptismum conferendum. 521 — Locus pro impertiendo baptismo generatim est ecclesia parochialis, Rit. Rom. *loc. cit. n. 28; cap. un. de baptismo etc. (III. 15) in Clem.* (non vero sacristia, nisi ex rationabili causa ab episcopo approbanda, *S. R. C. in una S. Iacobi de Chile 16 mart. 1861 ad 9 [3104]*); et, exceptis filiis regum vel magnorum principum, si parentes hoc petant, alii nec privatim, nec solemniter baptizari debent domi extra casum necessitatis. Rit. Rom. *loc. cit., n. 29; c. cit. (III. 15) in Clem.; Const.* Bened. XIV. " Magno cum „ *2 iun. 1751.* Quare parochus in casu, quo parentes id vellent, debet eos a proposito dimovere, si potest, vel saltem episcopum interpellare. Imo episcopus, si alicubi haec consuetudo esset, ut etiam alii praeter filios principum domi baptizarentur, deberet prudenter abusum eliminare. *S. R. C. in Asculana in Piceno 27 apr. 1877 (3418).* Verum, stante consuetudine, haud difficile posset episcopus obtinere facultatem a S. Congregatione Concilii id in particularibus casibus permittendi. Cfr. *S. C. C. in una Castrimaris 20 ian. 1894.* In locis au-

tem missionum, ubi catholici haud raro incolunt procul ab ecclesiis vel oratoriis publicis, et translatio infantium in tenera aetate per tantam locorum distantiam magnis periculis et incommodis obnoxia est, licet missionario baptismum ministrare in domibus privatis, servato ritu Ecclesiae consueto, idest solemniter. *S. R. C. in una Vicar. Ap. de Dania 4 febr. 1871 ad 3 (3234).*

522 Notandum hic est, curare parochum debere, ut parentes nimium timorem, ne aliquod damnum infanti immineat ex delatione ad ecclesiam, deponant; nam, praestitis cautelis necessariis, " baptismus in ecclesia collatus quam rarissime grave aliquod damnum infanti adducet „, ait Capellmann (*loc. cit. de bapt.*); additque: " Usus ille pervulgatus (non apud nos, Deo miserente) infantem in domo baptizandi a protestantibus introductus est, et id ipsum fortasse est, cur tanto indignationis et affectationis impetu defendatur „. Ceterum meminisse etiam parochum oportet illud, quod idem Capellmann habet ex Vering, maxime nempe vituperandum esse, quod baptisterium reponatur in frigidissima et humidissima ecclesiae parte, sed curandum ut locus sit aptus et in frigidioribus regionibus minori quodam spatio inclusus, ut esset parvum quoddam sacellum.

523 Baptismus generatim conferendus est non solum in ecclesia parochiali, sed etiam ad fontem baptismalem (*c. un. tit. cit. [III. 15] in Clem.*); attamen alicubi, ubi mos iste fuerat introductus, relictum est arbitrio prudenti episcopi permittere administrationem baptismi extra locum fontis, apud aliquod ecclesiae altare festive ornatum et alicui sancto dicatum, qui peculiari devotione colatur. *S. R. C. in Iacen. 1 sept. 1888 ad 1 (3695).*

Nota hic, aliquibus in locis consue- 524
tudinem invaluisse, ut in ipsa civitate episcopali sola ecclesia cathedralis, aut extra civitatem episcopalem sola ex. gr. plebania seu aliqua principalior parochia fontem habeat et ius baptizandi. Sicubi haec consuetudo viget, servanda est. Hinc S. Congregatio Concilii, etsi nonnullorum civium petitiones receperit pro institutione novorum fontium baptismalium, quum constaret de consuetudine qua cathedrali ius privativum erat baptizandi, et nulla occurreret ratio urgens consuetudinem abrogandi, praxis enim ostenderat nullum fundatum periculum pueris imminere ex eo quod cogerentur deduci pro baptismo ad cathedralem extra urbis moenia sitam, in Sulmonensi (*22 aug. 1835*) respondit, sustineri omnino iura cathedralis, et nullam immutationem esse inducendam. Cfr. etiam *S. C. C. in Reatina apud Mühlbauer (sine data) Th. res. S. C. C. pag. 42 sqq.*

De tempore, intra quod baptismus est 525
administrandus. — Tempus administrandi baptismum parvulis non est determinatum in iure; attamen certe detestabilis est usus, in Deum simul impius ac in homines, ut baptismus in hebdomadas, in menses, in annos differatur. *Ep. Leonis XIII. ad episc. Anglonen. et Tursien. 13 aug. 1899.* Quare episcopus et parochi urgere debent, ut baptismus quam citius pueris ministretur. *S. C. P. F. 11 sept. 1841; S. U. I. 11 ian. 1899.* Et si parentes nimis in hoc negligentes essent, deceret, ut ii, ad quos pertinet, terminum brevio-

rem quam fieri posset, attentis circumstantiis, genitoribus praefigerent, graviter conscientiam eorum onerantes, nisi filios intra praefixum tempus ad ecclesiam deferant sacro fonte abluendos. *Const.* Ben. XIV. " Omnium sollicitudinum „ *12 sept. 1744.* Imo, si baptismus diu secus differendus esset, praestaret, eum conferri a viro laico, ex. gr. a catechista in missionibus, quando sacerdos abest aut difficile est eum adire, quum hominum vita, infantium praesertim, continuis sit obnoxia periculis (*S. C. P. F. 16 ian. 1804, 11 febr. 1804*); maxime si quando aliquod speciale periculum infantibus imminet, ut ubi viget consuetudo minime tuta, ut parentes recens natos infantes in eodem lecto secum deponant. *S. C. P. F. 21 ian. 1788; 12 sept. 1841.*

526 ***De patrinis.*** — In baptismo solemni sub gravi; in privato laudabiliter tantum adhiberi debet patrinus unus, vel certo non plures quam duo, sive mas sive femina baptizetur. *c. 101. dist. IV. de cons.;* Rit. Rom. *tit. II. c. 1. n. 22;* Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 2 de ref.* Hi in defectu parentum, baptizatum res fidei docere debent. *Instructio Bened. XIV. ad Miss. Aegypt. per S. C. U. I. 9 dec. 1745* (*Coll. P. F. n. 604*); B. P. *IV. 770.* — A munere patrini prohibentur variis de causis ignorantes rudimenta fidei, non compotes sui, non baptizati, haeretici (Rit. Rom. *loc. cit. n. 25; Instr. cit. Ben. XIV.; S. U. I. a. 1763, 14 oct. 1676, 27 iun. 1900*), criminosi, infames, massones notorii. *S. U. I. 5 iul. 1878.* Tolerari vero potest, ut ecclesiasticis censuris notorie innodati sint patrini, quando removeri non possint sine gravi damno. *S. Poen. 10 dec. 1860, 20 mart. 1885.* Attamen nota illud, quod dicitur de innodatis ecclesiasticis censuris, non esse extendendum ad haereticos, sed in casibus his difficilibus praestat baptismum sine patrino administrare (*S. U. I. 3 maii 1893*); haereticus posset assistere ut testis, non vero tamquam patrinus, quod sacerdos expresse declarare deberet; et si haereticus vellet omnino munus patrini sibi assumere, debet sacerdos a baptismate administrando abstinere, etsi timeat ne baptismus a ministro haeretico administretur. *S. U. I. decr. cit. a. 1763* (*Coll. P. F. n. 606*). Haeretici ne tunc quidem admitti possunt tamquam patrini, quum ageretur de baptismo catholico conferendo filiis coniugum mixtae religionis, qui matrimonium inierunt tantummodo coram haeretico ministro. *S. U. I. 27 iun. 1900.* Monachi etiam vel sanctimoniales aut alii cuiusvis ordinis regulares a seculo segregati ab hoc munere arcentur (*cc. 103. 104. dist. IV. de cons.;* Rit. Roman. *loc. cit. n. 26; Brev.* Clement. X. " Caelestibus et apostolicis „ *12 sept. 1671*); attamen in casu quod alii patrini desint et solummodo praesto sint moniales (agebatur de sororibus Caritatis) praestat adhibere moniales ut matrinas pro feminis, quam sacramentum conferre sine patrino. *S. R. C. in una Praef. Apost. Bengalae Centr. 15 febr. 1887 ad 2 (3670).* — Pater etiam et mater nequeunt esse patrini suorum filiorum. — Quandocumque autem patrini haberi nequeant, absque patrinis non necessariis necessarium baptisma est conferendum, ut respondit S. Congr. de Prop. Fide 1 apr. 1816.

Catholicis vero omnino prohibetur patrinos agere in baptismo haereticorum. *Instr. cit. Ben. XIV. 9 dec. 1745; S. U. I., 10 mart. 1770, 7 iul. 1864 ad 4.*

Quoad munus, quod patrinus exercet in ipso actu baptismi nota, quod per verba ritualis " *Patrino infantem tenente* „ susceptio absoluta haud requiritur, quum *tenere* aeque intelligatur ac sufficiat, si patrinus, ut in more est, physico contactu infantis iungat se cum eo, cuius manibus ille tenetur et ad aquae infusionem comitetur deferentem, quin opus sit ut patrinus vel matrina tantum, amoto deferente, infantem suas in manus excipiens, sacerdoti baptizandum exhibeat. *S. C. P. F. 21 ian. 1856.* Vid. *Confirmatio.*

527 Ex suscepto munere patrini oritur cognatio spiritualis, quae intra quosdam limites est impedimentum dirimens matrimonii in patrino, etiam a parentibus vel parocho non designato, qui infantem per se vel per alium physice tetigerit in actu ablutionis cum intentione agendi patrinum. Cfr. S. Alph. *VI. 48 sqq.* Vid. *Cognatio.*

Interrogationes patrinis faciendae sunt lingua latina; possunt tamen explicari lingua vernacula. *S. U. I., 9 maii 1879, 23 aug. 1880, 24 maii 1882, 23 aug. 1886.* Possunt etiam patrini in baptismo recitare Pater et Ave in lingua vernacula, quando parochus ea recitat in lingua latina. *S. R. C. in Urgellen. 30 dec. 1881 ad 10 (3535).* In supplendis ceremoniis baptismi mos est, ut patrini adhibeantur. Et hic mos videtur cohaerere praescriptionibus ritualis, quod in casu praecipit ea servari, quae in ipsa baptismi collatione praescripta sunt, paucis quibusdam exceptis. Attamen tunc, quum revera patrini non levent infantem de sacro fonte, non contrahunt cognationem spiritualem.

De ceremoniis in administratione baptismi. — Mortale est omittere absque necessitate sive omnes baptismi ceremonias in rituali praescriptas sive aliquam ex iis notabilem (*Const.* Ben. XIV. " Inter omnigenas „ *2 februar. 1744; Const. eiusd.* " Omnium sollicitudinum „ *13 sept. 1744*); uti sunt adhibitio aquae consecratae, unctio olii catechumenorum et chrismatis, quod sub gravi debet esse praesentis anni, locus sacer idest ecclesia (*Instr. S. C. P. F. ad ep. Scodren. 11 sept. 1779*), sed si quae necessitas sit aliquam ceremoniam omittere, non ideo licet private et non solemniter baptizare; sed sacerdos baptizans tenetur uti illis ceremoniis, quibus potest (*S. U. I. 28 febr. 1663; S. C. P. F. 8 sept. 1869*); si autem in casu necessitatis extra ecclesiam baptizat, omittere debet eas, quae baptismum praecedunt (*S. R. C. in Calaguritana et Calceat. 23 sept. 1820 [2607]*); dummodo sacerdos non baptizet in locis, ubi ecclesia vel oratorium publicum non sit, aut ubi, ecclesia nimium distante, praevidetur parentes infantium neque decursu temporis permissuros, ut infantes suos ad ecclesiam pro supplendis ceremoniis deferantur, quia tunc debet dari baptismus solemnis etiam in domibus privatis, nulla omissa ceremonia, quantum fieri potest. *S. C. P. F. ad miss. Loangi 27 iul. 1775; Instr. cit. S. C. P. F. ad ep. Scodren. 11 sept. 1779; Instr. S. C. P. F. pro Sin. 21 ian. 1789; S. U. I. 10* 528

apr. 1861. Notandum tamen hic est illud, quod S. C. de Prop. Fide contra ea, quae nuper retulimus ex S. Congr. Rituum in Calaguritana etc., rescripsit pro Sinis *27 ian. 1805*, scilicet: " Posse sed non debere (missionarios) occasione, qua infantes in periculo mortis constitutos in privatis locis baptizant, adhibere, si tempus ferat, omnes ceremonias, quae in rituali romano pro baptismo solemni praescribuntur „ (*Coll. S. C. P. F. n. 614*).

529 Ceremoniae vero omissae, si baptizatus e. gr. periculum mortis evaserit, debent suppleri in ecclesia quam primum ex Rit. Rom. *de sacr. bapt. tit. 2. c. 5. S. C. P. F. 21 ian. 1789.* Ceremoniae adhibendae pro catholico adulto, qui valide fuit baptizatus in infantia, sed omissis ceremoniis, ex. gr. in casu necessitatis, sunt illae, quae assignantur pro baptismo infantium, non autem illae, quae pro adultis praescribuntur. Aliud est pro adulto valide baptizato in haeresi; nam, si super ipsum supplendae sunt ceremoniae, servandae sunt illae, quae praescriptae sunt pro baptismo adultorum. *S. R. C. in Rhedonen. 27 aug. 1836 ad 3 et 4 (2743).*

530 Ritus etiam pro baptismo infantium alius est a ritu pro baptismo adultorum, ut videre est in rituali romano; nec licet etiam ob paucitatem sacerdotum in baptismo adultorum usurpare ritum proprium baptismi infantium, qui brevior est (*S. R. C. in una Portus Aloisii 6 maii 1857 ad 3 [3051]*), nisi de hoc habeatur apostolicum indultum, quod ex. gr. vicario ap. Tunkini Occident. pro suo vicariatu concessit ex audientia Sanctissimi S. Congr. de Propaganda Fide *30 ian. 1803.* Quaeri potest quinam censeantur adulti, quando agitur de ritu pro baptismo *adultorum.* Quoad hoc sequentia habet De Herdt *Praxis ritualis romani c. 2. § 11:* " Adulti, de quibus hic agitur, sunt qui adulta aetate sunt, et perfectum rationis usum habent „ (*Catech. S. Conc. Trid. de bapt. c. 35*), quae aetas adulta intelligitur septennio expleto (Baruffaldus *tit. 12. n. 4 sqq.*). — Non raro tamen accidit, quod aliquis adultus, e parentibus catholicis ortus, et in fide catholica instructus, omnique sectae vel impiae pravitati alienus, baptizandus sit, eo quod incuria parentum infans baptizatus non fuerit, vel quod subsit probabilis dubitatio de validitate baptismi: uter in casu adhibendus est ordo, an baptismi parvulorum, vel potius baptismi adultorum? Eo casu S. Rituum Congregationi (*31 aug. 1867. n. 5382. 1.* — in novissima editione decretorum numerus est 3158) proposito, responsum fuit, recurrendum esse ad sacram universalem Inquisitionem. Necio, an hoc factum fuerit, et quod responsum datum fuerit. In toto autem ordine baptismi adultorum, neque in ceremoniis, neque in precibus aliquid obstat, quatenus in hoc casu ordo baptismi adultorum adhibeatur, omittendo scilicet *Horresce* etc., quae in rituali conditionate praescribuntur, et igitur praetermittenda sunt, si baptizandus ex idololatris, hebraeis, mahumedanis aut haereticis non fuerit „. Cfr. etiam Monitore eccl. *vol. X. p. 2. pag. 279.*

Ceremoniae autem strictim adhiben- 531
dae sunt prouti praescribuntur in rituali romano, quare non est admittenda consuetudo utendi penicillo seu virgula argentea loco pollicis manus dexterae

in tangendo saliva aures et nares, aut oleo pectus et scapulas baptizandi (*S. R. C. in Toletana 31 aug. 1872 ad 1 [3276], in Colimen. 12 iul. 1901 ad 8*); sed debent haec digito, et quidem pollice peragi, nec tantum in baptismo adultorum, sed et in baptismo parvulorum. *S. R. C. in Erien. 4 sept. 1875 ad 3 (3368).* Pariter non possunt adhiberi in baptizando parva instrumenta ex sale confecta, quibus interna oris infantium tangantur, sed servandum est rituale (*loc. cit. n. 39*), requirens ad hoc sal bene confractum et attritum. *S. R. C. in Urgellen. 30 dec. 1881 ad 9 (3535).* Loco tamen duarum stolarum, quarum altera sit violacea, altera alba, potest sacerdos uti stola bicolori, ex altera scilicet parte violacea, ex altera alba, quam invertet ex una in aliam partem suo tempore. *S. R. C. in una Congr. cler. Pass. 26 mart. 1859 ad 7 (3086).*

532 Usus interrumpendi ceremonias baptismi solemnis adultorum ad easdem ceremonias vernacula lingua explicandas tolerari nequit. *S. R. C. in una Praef. Apost. de Madagascar 21 iun. 1879 ad 2 (3496).* Quod quidem non contradicit iis, quae pluries S. Congr. S. Officii statuit, baptizantem scilicet posse interrogationes lingua latina factas in vulgari lingua repetere ad intelligentiam baptizandi vel patrini et assistentium. Quare notanda est responsio S. Officii ad sequens dubium: " Utrum liceat in baptismatis collatione interrogationes lingua vulgari facere; vel saltem dictas interrogationes primo latine factas dein in vulgarem linguam vertere, ut ab adulto baptizando intelligantur, vel a patrinis et matrinis, si agitur de baptismo infantium „. Responsum fuit: " Quoad primam partem: non expedire; quoad secundam: affirmative „. *S. U. I. 23 aug. 1880 (Coll. S. C. P. F. n. 637).* Eumdem in sensum respondebat eadem Congregatio S. Officii vicario apost. Cocincinae de hac eadem re interroganti *9 maii 1879 (Coll. S. C. P. F. n. 635).* Et die 23 augusti 1886 petitioni episcopi S. Antonii pro facultate faciendi in administratione baptismatis interrogationes lingua vernacula, respondit: " Detur decretum fer. IV. 24 maii 1882, hoc est: — baptismus conferendus est semper in lingua latina. Interrogationes vero fiant in lingua latina et repetantur in lingua vernacula — „.

In supplendis ceremoniis baptismi 533
omittenda est interrogatio, an velit baptizari, forma baptismi et ablutio; quaedam autem orationes et exorcismi sunt tantisper immutandi, ut cavetur in ipso rituali. Rit. Rom. *tit. II. c. 5. n. 1.*

Alicubi consuetudo est, ut quaedam 534
honoris externae manifestationes habeantur in baptismo infantium ex legitimo matrimonio natorum, quae omittuntur in baptismo illegitimorum, ex. gr. sonitus aeris campani, organi, etc. Haec consuetudo, sicubi viget, servanda est, et proinde excludendae sunt eae significationes honoris, etiam quando agitur de baptismo infantis nati ex iis, qui solo civili vinculo coniuncti sunt. *S. C. C. 31 iul. 1867.*

Diaconus, cui commissa esset solem- 535
nis baptismi administratio, non posset in casu salem et aquam benedicere. *S. R. C. in Mariannen. 10 febr. 1888 (3684).*

536 ***De nominibus baptizando imponendis.*** — Curet baptizans, ne obscena, fabulosa aut ridicula, vel inanium deorum vel impiorum ethnicorum nomina baptizandis imponantur, sed potius, quatenus fieri potest, sanctorum, quorum exemplis fideles ad pie vivendum excitentur et patrociniis protegantur. Rit. Rom. *de sacr. bapt. tit. II. c. 1. n. 54.* — Hoc autem consilium tantum est, aut leve praeceptum ex S. Alphonso *VI. 145.* Quod verum videtur, si agatur de non imponendo nomine alicuius sancti; sed, si ageretur de nomine ethnicorum aut impiorum etc. (quae contraria consuetudine non fuerint, ut ita dicam, *christianizata,* ut Hercules, Scipio, etc.) non videtur verum. Primum probatur ex verbis ritualis romani et ex eo, quod S. Congr. Un. Inquis. (*21 ian. 1733*) censuit corrigendum decretum Card. de Tournon, qui *praeceperat* semper imponenda esse nomina alicuius sancti ex martyrologio, substituendo verbo *praecipimus* verba *curent, quantum fieri potest,* simul addens " firma remanente interdictione quoad nomina idolorum et falsae religionis poenitentium „. Constitut. Clem. XII " Compertum „ *aug. 1734*; Const. Ben. XIV mox citanda; Gennari *Consultazioni p. 3. cons. 35.* Alterum vero, praeter alia, ex eo quod verba, quae usurpat Benedictus XIV. in epistola ad episcopos et missionarios Albaniae (*1 aug. 1744*), plus quam leve praeceptum indicare videntur, quum approbet praescriptum Concilii Albanensis iubentis, ne Christifideles turcicis seu mahumedanis nominibus, ob quamcumque vel tributorum exemptionem et immunitatem vel liberi commercii commodum vel evitandarum poenarum causam, se nuncupari permitterent. Quod et in constitutione sua " Omnium sollicitudinum „ (*12 sept. 1744*) confirmat. Cfr. *S. C. P. F. 12 ian. 1869.* Haec obligatio parentes urget, seu patrinos, quibus cura imponendi nomen baptizando incumbit; si hi tamen obligationi suae satisfacere renuunt, non exinde damnum pati debet infans baptizandus.

Quare, si baptizandum deferens ad baptismum nolit aliud, quam nomen a praescriptione ritualis alienum, ei imponere, non ideo est differendus baptismus; sed statim baptizandus, addito submissa voce nomine alicuius sancti. *S. U. I. iun. 1883.*

De reiteratione baptismi. — Baptismus, 537
quum imprimat characterem, reiterari non potest; quare baptizati ab osbtetricibus vel ab haereticis (*Dec. Stephani I. contra rebaptizantes;* Conc. Arelatense I. *c. 8;* Conc. Nicaen. I. *c. 8;* Conc. Trid. *sess. VII. de bapt. can. 4*) non sunt rebaptizandi, nisi illarum imperitia aliud suadeat (D' Ann. *III. 277*), aut horum impietas huiusmodi sit, ut aut formam aut materiam vitiaverit. Cfr. Conc. Nic. I. *can. 19. contra Paulianistas.* — Quare tantum in dubio non improbabili de invaliditate baptismi iam collati aut de baptismi collatione licet rebaptizare forte baptizatum, in quo casu id fieri etiam debet. *S. U. I. ad ep. Harlemen. 6 apr. 1859, ad vic. ap. Tche-Kiang 6 iun. 1860; S. C. C. 29 dec. 1682, 27 mart. 1683, in Constantien. 8 iul. 1769, 20 ian. 1770, in Neapolitana 1 sept. 1714, in Ripana 12 dec. 1733, in Sutrina 12 iul. 1794, in Tarvisina 4 maii 1737, in una Nullius Nonantulae 2 mart. 1765.* Attendenda autem quoad hoc ea sunt, quae rescripsit S.

Congr. de Prop. Fide (*29 maii 1838*), scilicet in casu baptismi certo invalidi collationem novi baptismi fieri debere absolute et sine conditione; in casu vero baptismi dubii secundum praxim generalem et actualem Ecclesiae, conditionem debere esse expressam et non mentalem (*Coll. S. C. P. F. n. 524*).

538 Hinc S. Congr. Un. Inquisitionis interrogata, an conferri debeat baptismus sub conditione haereticis, qui ad catholicam fidem convertuntur e quocumque loco proveniant et ad quamcumque sectam pertineant, respondit: " Negative: sed in conversione haereticorum, a quocumque loco vel a quacumque secta venerint, inquirendum est de validitate baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur in singulis casibus examine, si compertum fuerit aut nullum, aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute. Si autem pro temporum et locorum ratione, investigatione peracta, nihil sive pro validitate sive pro invaliditate detegatur, aut adhuc probabile dubium de baptismi validitate supersit, tunc sub conditione secreto baptizentur. Demum, si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abiurationem seu professionem fidei „. *S. U. I. 20 nov. 1878.* Cfr. etiam *S. U. I. pro Bulgaria 5 iul. 1753, 17 nov. 1830, ad pro-vic. ap. ad Gallas 20 iun. 1866, ad ep. Nesquallien. a. 1877.* Nec inutiliter hic ea referenda videntur, quae S. C. de Prop. Fide (*30 sept. 1848*) scribebat ad vic. ap. Cocincinae occidentalis, scilicet: " Quaestio fiebat an rebaptizandi sub conditione sint, qui promovendi sunt ad minores vel sacros ordines, quique nullum exhibent collati eis baptismatis documentum seu testimonium, tum ob librorum defectum, tum ob memoriae labilitatem, aut mortuis parentibus, patrinis, etc., vel dubium exsurgat, an valide baptizati fuerint a minus instructis cathechistis aliisve christianis. Hac de re Ampl. tuam, quoad primam dubii partem, testimonii nimirum defectum, nosse praestat iugiter, tum a S. C. tum a Supr. Inquisitione, quoties eiusmodi quaestiones propositae fuerunt, rescriptum esse negative, sententiam communem afferendo, eos nempe, qui a parentibus christianis nati et ab iis christiano more educati sint, baptizatos omnino fuisse praesumendum. Praesumptioni vero huiusmodi inhaerere licet in altero quoque casu, seu quum dubitatur de catechistarum aut christianorum, qui clericum baptizaverint, sufficienti instructione ad sacramenti administrationem. Nisi enim valida admodum sit dubitandi ratio, quae moralem in hoc aut in illo casu peculiari certitudinem pariat, pro validitate baptismi standum erit, nec fortuito suspicioni adhaerendum, qua vel fideles in re adeo familiari in Sinis, ac multo magis cathechistae, quorum deputationi adeo caute ab apostolicis vicariis proceditur, minus instructi censeantur. Secus enim ac si negativa dubia admittantur, ambiguitatibus quovis in casu ac sine fine locus fieret „. — Similiter quoad eos, qui exponuntur et schedulam collo suspensam deferunt de suscepto baptismate testantem, responsum est, eos ne sub conditione quidem baptizandos esse, si non lateret qui schedulam scripsit, isque sit, cui fides tuto praestari possit (*S. C. C. in una Urbis 15 ian. 1724; Const.* Bened. XIV. " Postremo „ *28 febr. 1747*);

si vero testimonium sit ab homine incerto, in re adeo gravi ignoto testimonio deferri non posse; quare tunc rebaptizandos esse sub conditione, etiamsi schedulam de suscepto baptismate a collo suspensam ferant. *S. U. I. 5 ian. 1724.*

539 Ex dictis tamen non sequitur, ita praecavendam esse reiterationem baptismi, ut catholicus administrare baptismum non possit infantibus, quibus minister haereticus probabilissime baptismum denuo ritu haeretico collaturus erit. Ad rem facit decretum S. Congr. S. Officii (*19 sept. 1765*), quod est tenoris sequentis: " Non esse prohibendos sacerdotes catholicos ne baptizent privatim infantes natos a parentibus catholicis, tametsi certo praevideant, eosdem infantes fore iterum per ministros schismaticos sacrilege baptizandos; quantum tamen christiana prudentia permittere potest, monendos et instruendos eosdem infantum parentes de illicita eorum cooperatione ad iterationem praedictam baptismi „. Quae adamussim consonant cum iis, quae S. Congregatio de Prop. Fide rescripserat pro Ceylan *16 aug. 1637 ad 2.*

540 Nota autem hic, parvulis rationis expertes, qui in protestantismo dubie et sine ceremoniis iam baptizati sunt, baptismum sub conditione quidem iterandum esse, sed administrandum secreto et cum ceremoniis in rituali praescriptis. *S. U. I. ad. ep. Nottinghamen. 2 apr. 1879.*

541 Illi, qui in adulta aetate sub conditione rebaptizantur, si agatur de neoconversis in Anglia, debent, collato baptismo, praeteritae vitae suae peccata confiteri, et ab iis sub conditione absolvi. *S. U. I. 17 dec. 1868.* Quoad alios controversia est inter doctores, quorum quidam hanc obligationem negant, alii urgent, praesertim ex decreto S. U. I. *17 iun. 1715.* Attamen hoc decretum non est lex quaedam generalis, sed respicit casum et personam particularem. Quare res adhuc controversa est, nec in praxi imponenda est obligatio non certa. D'Ann. *III. 301 (3);* Bucc. *Casus conscientiae II. 120. n. 3.* Vid. *Haereticus.*

Qui permittunt se rebaptizari (*c. 65* 542
d. 30), vel qui rebaptizant (Schmalzgruber *in tit. 9. lib. V. Decr. n. 36* et alii omnes argumento a fortiori *ex c. 2 de apost. mox cit.; S. C. C. in Murana 14 nov. 1716*), aut ministrant presbytero rebaptizanti (*cap. 2 de apost. et reiter. bapt. X. [V. 9]*), incurrunt irregularitatem, quae verius impedit susceptionem ordinum, non vero exercitium ordinum susceptorum. Cfr. *c. cit. 2. X. (V. 9);* D'Ann. *I. 410.* Probabilius hanc irregularitatem non incurrit, qui rebaptizat occulte (idest quando uterque baptismus, et datus et iteratus, non est notorius; iteratus vero non est solemnis, D'Ann. *loc. nuper cit.*), vel sub conditione, etsi sine iusta causa. Laymann *lib. 1. tr. 5. p. 5. c. 2. n. 1. IV.*; Castropalao *Opus mor. tom. VI. tr. 29. disp. 6. punct. 16. n. 5;* Tamburini *Op. mor. tom. II. lib. 10. tr. 4. c. 13. § 2;* Suarez *De censuris disp. 42. sect. 1. n. 1 sqq.;* S. Alph. *VII. 356* (qui tamen *VI. 122* probabilius habet contrarium); Monitore eccl. *vol. X. 2. 108* (corrigens ea, quae dixerat *vol. III. 2. 131*); B. P. *IV. 749 sqq.;* alii multi. Cfr. tamen Ben. XIV. *Inst. LXXXIV., de Syn. dioec. lib. VII. cap. 6* et alios

(Sayrum, Barbosa, etc.), qui contrarii sunt et arguunt ex auctoritate cuiusdam instructionis S. Caroli Borromaei, quae ius non constituit, et ex Catechismo romano (*p. 2. c. 2. n. 56*), ubi hoc tantummodo dicitur, fas non esse, etiam sub conditione, rebaptizare, nisi, re diligenter perquisita, dubium maneat baptisma.

543 Irregulares etiam sunt, qui adulti baptismum ab haereticis susceperunt. Cfr. *c. 18. C. 1. q. 1; c. 10. C. 1. q. 7; S. C. C. a. 1718.*

544 ***De baptismo flaminis et sanguinis.*** — Locuti hucusque sumus de vero baptismo, nempe de baptismo fluminis vel aquae, quem vocant. At theologi alia duo baptismata commemorant, baptismum nempe flaminis et baptismum sanguinis. Ista in tantum dicuntur baptismata, in quantum effectum veri baptismatis supplent, restituendo homini gratiam, et sic eum efficiendo Dei filium et Christi coheredem. Quod peragunt, illud ex nativa vi caritatis seu contritionis perfectae, in quo consistit (Io. *XIV. 23;* I. Io. *XIV. 28;* cfr. *c. 2. de presb. non bapt. X. [III. 43]*); istud ex privilegio martyrio adnexo. Matth. *X. 39.* Vid. *Martyrium.*

Decr. dist. 4. de cons.; tit. de baptismo et eius effectu X. (III. 42); idem titulus (III. 15) in Clem.; decr. Steph. I. contra rebaptizantes; ep. 1 Siricii ad Himerium Tarraconensem c. 1; ep. 2 Inn. I. ad Victricium Rotomagensem c. 11; ep. 17 eiusd. Inn. I. ad episcopos Macedoniae c. 5; Conc. Lat. IV. decr. contra Albigenses; decr. pro Armenis Eug. IV.; resp. Nic. I. ad consulta Bulgarorum; Conc. Trid. sess. VII. de bapt.; Brev. Clem. X. « Caelestibus » 12 sept. 1671; Const. Ben. XIV. « Etsi pastoralis » VII. kal. iun. a. 1742; Const. eiusd. « Inter omnigenas » 2 febr. 1744; Const. eiusd. « Omnium sollicitudinum » 12 sept. 1744; Const. eiusd. « Postremo » 28 febr. 1747; Const. eiusd. « Singulari » 9 febr. 1749; Const. eiusd. « Probe te » 15 dec. 1751; Ep. Leonis XIII. ad ep. Anglonen. et Tursien. 13 aug. 1899; Rit. Rom. tit. 2; Instr. S. C. P. F. super dubiis nonnullis propositis quoad baptismum pro diversis cum personarum tum periculi circumstantiis 17 aug. 1777; ad missionarios Caiennae 8 maii 1779; ad vic. ap. Siam 23 iun. 1830; ad vic. ap. Sinen. 18 oct. 1883; Instr. S. U. I. ad P. Custodem Terrae sanctae 30 ian. 1833; ad pro-vic. ap. ad Gallas 28 mart. 1860 et 20 iun. 1866; ad vic. ap. Tche-Kiang 6 iun. 1860; ad ep. Nesqualliensem a. 1877; S. Th. III. q. 66-71; Comm. in tit. cit. Decr.; *Ben. XIV.* De syn. lib. VII. c. 5 et 6; Inst. eccl. 8. 84. 98; *Vicecomes* Observationes de antiquis baptismi ritibus; *Castropalao* Op. tom. IV. tr. 19; *Verricelli* De apostolicis missionibus tit. 6; *Walch* Historia paedobaptismi; *Ferraris* Prompta bibl. v. « Baptismus »; *Albitius* De inconstantia in fide c. 33; *Florentinus H.* de abortivis baptizandis; *Hollzmann* Th. mor. tom. II. tr. 2 c. 2. n. 2; *München* Das kan. Gerichtsverfahren II. lib. 3. tit. 6. n. 12 sqq.; *Corblet* Histoire dogm. lit. et archéol. du sacr. du baptême; *Bourgeois* Le baptême romain au IVe siècle; *Scherer* Handbuch des KR. II. § 106; *Sägmüller* Lehrbuch des kath. KR. § 112; *Wernz* Ius Decr. III. 719 sqq.; *Hergenröther-Hollweck* Lehrbuch des kath. KR. n. 839; *S. Alph.* VI. 94-160; *Gobat* Th. experim. de sacram. tr. 2 de bapt.; *Lehmkuhl* Th. mor. II. 55-88; *Gassner* Pastoral c. 13; *Noldin* Th. mor. de sacr. n. 54 sqq.; *Gennari* Consultazioni p. I. cons. 112. 113, p. II. cons. 63. p. III. cons. 33. 35; *Schüch* Pastoraltheologie § 271; *De Herdt* Sacrae lit. praxis III. p. 6. n. 4 sqq., Praxis liturgica rit. rom. c. 2; *Duchesne* Origines c. 9.

Barbitonsor. — Barbitonsor artem 545 suam exercere potest die festo. G. B. *I. 359.*

Basilica. — Basilicae dicuntur ec- 546 clesiae quaedam insigniores vel ob an-

tiquitatem vel ob magnitudinem atque celebritatem. Wernz *Ius Decr. III. 428.* Ex his tantummodo quinque romanae ecclesiae, idest ecclesia S. Ioannis in laterano, quae caput est omnium ecclesiarum urbis et orbis, ecclesia S. Petri in vaticano, ecclesia S. Pauli in via ostiensi, ecclesia S. Crucis in Hierusalem, ecclesia S. Mariae Maioris nomen habent et praerogativam basilicarum maiorum. Aliae omnes, quibus concessa est appellatio et titulus basilicae, sunt et dicuntur basilicae minores.

Nomine autem privilegiorum, gratiarum, praeeminentiarum, exemptionum, indultorum ceterorumque similium, quae continentur in litteris apostolicis in forma brevis expeditis favore alicuius ecclesiae ad gradum basilicae minoris elevatae, veniunt conopaeum, omni tamen auri et argenti ornatu ab eo excluso, tintinnabulum et usus cappae magnae. *S. R. C. in Lucerina 27 aug. 1836 (2744).*

Gerstenberg De basilicis eorumque iuribus, *Heuser* in Kirchenlex. a. « Basilika »; *Scherer* Handb. des KR. § 140 II; *Wernz* Ius Decr. III. 428.

Basilica S. Petri. Vid. *Petri (Sancti) Basilica.*

547 **Beati.** — De beatis non canonizatis, etiam ubi officium et missa de iisdem concessa est, votivas celebrare non licet, nisi speciale indultum ab apostolica Sede ad hoc habeatur. Beatorum reliquiae sine speciali concessione Sanctae Sedis in processionibus minime circumferantur. *S. R. C. decr. gen. Alex. VII. 27 sept. 1659 (1130),* cuius praecipuas dispositiones iuvat hic referre. Sunt autem sequentes: beatorum imagines in ecclesiis, sacrariis et oratoriis quibuscumque, in iis praesertim, in quibus missae sacrificium vel alia divina officia peraguntur, inconsulta Sede apostolica, exponere non licet; quod indultum si habeatur, facultatem non facit, easdem beatorum imagines collocandi super altare, sed restringitur ad expositionem faciendam in parietibus tantum. Si indultum praeterea sit, ut exponantur super altare, non exinde deducendum est, indultum pariter esse, ut de iisdem beatis missa et officium celebretur; (e contra, hoc ultimo concesso, et primum concessum intelligitur *[S. R. C. 17 apr. 1660 - 1156]*); cultus beatorum non extendendus est, inconsulto Pontifice, de uno loco in alium; quare in honorem beatorum dies festi non sunt celebrandi (scilicet liturgia cum missa et officio, non autem festa simplicis devotionis, *S. R. C. decr. cit. 17 apr. 1660*), nisi de speciali indulto apostolico; nec apponenda eorum nomina calendariis (nisi in eorum calendariis, quibus beati alicuius cultus permissus est cum officio et missa), nec beati in publicis precibus, praeter indultas et a Sede apostolica approbatas, sunt invocandi; in locis, ubi beatos praedictos ab omnibus coli permissum est, non inde publica recitatio officii censenda est permissa, sed privata tantum; nec beatorum reliquiae in processionibus circumferri possunt. — Attamen per has praescriptiones noluit Alexander VII. removere cultum beatis per communem ecclesiae consensum, vel per immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque sanctorum scripta, vel temporis annorum centum metam excedentis licentiam ac tolerantiam Se-

dis Apostolicae aut ordinariorum eo usque tempore praestitum, ac certis modo et forma ab eo tempore eis exhibitum.

In ecclesiis, in quibus officium et missa de beatis recitari et celebrari possunt, licet etiam eorum reliquias exponere. *S. R. C. decr. cit. 17 apr. 1660.* — Beatorum nomina in martyrologio non sunt apponenda. *S. R. C. decr. gen. 31 aug. 1680 (1651).* Beati, absque Pontificis indulto, nequeunt eligi in titulares ecclesiae alicuius, seu in eorum honorem ecclesias dedicare non licet (*S. R. C. in una S. Th. de Meliapor. 23 ian. 1740 [2353]*), imo nec altaria. *S. R. C. in Vercellen. 11 apr. 1840 (2809).* — Beati nequeunt etiam eligi in patronos locorum. *S. R. C. decr. gener. 23 mart. 1630 ad 1 (526).*

Praeterea addit Benedictus XIV. (*de beatificat. et canoniz. Sanctorum lib. I. c. 37. n. 13*), beatis titulum sancti tribui non posse et eorum capita radiolis quidem, sed non diademate, posse ornari.

Quoad celebrationem missae de beatis in ecclesiis, quibus concessae sunt, ab iis faciendam, qui in eis ecclesiis celebrant, etsi ad eas non pertineant, vide *Celebratio missae.*

Beatificatio. — Vid. *Canonizatio.*

548 **Bellum.** — Bellum est pugna multitudinis contra multitudinem extraneam. B. P. *II. 939.* — Licitum est tum ad iniuriam repellendam, tum ad ius vindicandum, dummodo tamen fiat de consensu auctoritatis legitimae, ex causa iusta et gravi (quae reducitur ad vindicandam gravem iniuriam, quam inferentes reparare nolunt), debito modo. Cfr. Laymann *Th. Mor. lib. II. tr. 3. c. 12. n. 5.* — Iuxta quosdam non licet bellum gerere cum probabilitate tantum sui iuris, sed requiritur certitudo; attamen alii contrarium sentiunt; et forte verius illi sentiunt, qui statuunt, licitum esse bellum gerere, quando quis pro se habet ius non quidem certum sed probabilius, non vero probabile tantum. B. P. *II. 944.*

Miles iam conductus, vel subditus, debet obedire, nisi agatur de bello evidenter iniusto (*can. 4. C. XXIII. q. 1*); non conductus, in dubio de iustitia, non potest stipendia facere. B. P. *II. 951.* Praeliantes in bello iusto defensivo, imo etiam offensivo, nisi propria manu occiderint, non fiunt irregulares; in bello iniusto, uno tantum adversario occiso, fiunt irregulares quotquot ex adverso eo cornu dimicant.

S. Th. 2. 2. q. 40; *S. Alph.* III. 402-411; *Laymann* Th. mor. lib. II. tr. 3. c. 12; *Molina* De iust. et iur. tom. 1. tr. 2. disp. 99 sqq.; *Pruner* Kath. Moraltheol. n. 539; *Koch* Lehrb. der Moralth. §§ 136; *Ballerini Palmieri* Op. theol. mor. II. 939 sqq.; *Cathrein* Moralphil. II. 2. lib. 3. c. 3; *Simar* Lehrb. der Moralth. §§ 184. 4.

Benedictiones. — De benedictionibus in genere. — De natura benedictionum. — Benedictio ecclesiastica est precatio quaedam sive verbalis, sive realis, qua aliqua sanctitas non ex opere operato confertur, et illa proprie dicitur, quae fit nomine ecclesiae, et ex auctoritate a Deo ei concessa, quando nempe quis ratione muneris, quo fungitur, petit a Deo, ut vel personis vel rebus bona convenientia tribuat. *Suffragium super decreto 2745 in Veronen. (Coll. auth. decr. S. R. C. vol. IV. pag. 360).* 549

Liturgice autem loquendo, benedictio est ille ritus, qui complectitur eas ceremonias et preces, quae nomine ecclesiae a ministro fieri debent, ut non nomine mere privato Deus rogetur, qui personis vel rebus certa quaedam bona tribuat.

Hinc " effectus benedictionis non ex merito sacerdotis constat, sed hanc invocatio divini Nominis administrat, ut quod ex ore sonat hominis, intus impleat Creator, et per indigni saepe hominis ministerium divina virtus suum veraciter efficit sacramentum „. S. Petrus Dam. *in orat. ad cives Florentinos.* Quare " Deo operante in ministerio sacerdotali benedictio ecclesiastica suum sortitur effectum; non quidem ex opere operato ad instar sacramentorum, sed ex vi precum ecclesiae, quae, quum Christi sit sponsa, non potest non exaudiri a Deo pro merito et dignitate sua, quando aliquid pro filiis petit. Tota itaque benedictionum ecclesiasticarum vis posita est in oratione et invocatione ecclesiae, quae fit per suos ministros; hinc est quod non aliis formulis, non aliis verbis uti quisque benedicendo debeat, quam iis, quae ab ecclesia sunt constituta „. *Suffr. supr. cit.*

Benedictiones igitur sunt ritus sacri, quibus legitimus ecclesiae minister nomine ecclesiae vel bonum aliquod alicui adprecatur, vel aliquid ex profano sacrum efficit, aut ex iam sacro efficit magis sacrum (ut quum ecclesia iam benedicta consecratur).

550 **De divisionibus benedictionum.** — Ex dictis patet divisio benedictionum. Benedictiones, quibus aliquid ex profano sacrum efficitur, vel ex iam sacro magis sacrum, dicuntur constitutivae; benedictiones, quibus adprecatio fit alicuius boni, invocativae dicuntur. Constitutivae dividuntur in *verbales,* quae sine sacris oleis, et in *reales,* quae cum oleis sacris fieri debent, quaeque proprie dicuntur consecrationes.

Benedictiones invocativae non immutant statum personae seu rei, cui tribuuntur. Constitutivae vero res vel personas, quibus dantur, constituunt in permanenti statu rei sacrae, quae proinde iis ad divinum cultum specialiter destinantur. Quare res benedictione constitutiva sacrae effectae considerari vel iterum effici (nisi suprema ecclesiae auctoritate) profanae non possunt, et licet aliquando possint ad humanum usum adhiberi, numquam tamen adhiberi possunt ad profanum.

Nonnulli ritus, qui secundum datam definitionem benedictionis inter benedictiones referri deberent, ex usu recepto benedictionibus non adnumerantur, sive ex effectu, quem producunt, ceteris effectibus a simplicibus benedictionibus productis nobiliore, ut est ex. gr. collatio tonsurae, consecratio ecclesiae etc.; sive ex nobilitate rei, qua minister ecclesiae ad benedictionem impertiendam utitur, uti est ex. gr. benedictio cum ss. Sacramento, quae, etsi sit vera quaedam benedictio in sensu liturgico supra exposito, retineat imo ipsum nomen benedictionis, non solet tamen simplicibus benedictionibus adnumerari.

Retinentes hic nomen benedictionis in sensu generico, quem ab initio diximus, de plerisque benedictionibus hic agemus, nonnullis ad aptiorem locum remissis.

Constitutivae igitur benedictiones, 551

quae personas respiciunt, sunt: collatio tonsurae et secundum quosdam collatio etiam ordinum minorum et subdiaconatus; benedictio abbatialis; benedictio et consecratio virginis; benedictio et coronatio regis et reginae etc. Eae vero, quae res respiciunt, sunt: consecratio seu dedicatio ecclesiae; benedictio ecclesiae; consecratio altaris; consecratio seu benedictio sacrorum vasorum; benedictio sacrorum oleorum, paramentorum sacerdotalium, coemeterii, primarii lapidis ecclesiae, campanae, aquae baptismalis, cinerum, palmarum, etc.

Ad has benedictiones constitutivas referuntur eae, quibus indulgentiae adnectuntur instrumentis pietatis ex. gr. coronis marialibus etc.

552 Invocativae autem benedictiones, quae respiciunt personas, sunt: benedictio nuptialis; benedictio mulieris post partum; benedictio, quae a celebrante datur diacono evangelium vel praeconium paschale cantaturo; benedictio, quae ab episcopo concionatori datur; benedictio peregrinorum; benedictio, quae a sacerdote vel ab episcopo fidelibus datur, quae si non simplici manus signo aut reliquia quadam, sed cum ss. Sacramento detur, principem et nobilissimum locum tenet inter has benedictiones invocativas. Benedictiones invocativae, quae ad res pertinent, plures omnino sunt, ut benedictio anuli, benedictio domus, benedictio agri, benedictio esculentorum, etc.

Ad has benedictiones invocativas referuntur eae, quibus quis alicui personae aliquam indulgentiam impertitur.

553 Benedictiones constitutivae reales omnes ab episcopo faciendae sunt, qui eas simplici presbytero nequit delegare; constitutivae verbales quaedam episcopo reservantur, quaedam et simplici presbytero sunt communes. Ne verbales quidem benedictiones, episcopo reservatae, possunt ab eo simplici presbytero delegari. *S. R. C. in Lemovicen. 2 apr. 1875 (3343).* Quaenam vero exclusiva ad episcopum, quaenam ad episcopum simul et ad presbyterum pertineant, docent pontificale, rituale et missale romanum. — Benedictiones invocativae omnes spectant simul ad episcopum et ad presbyterum; quaedam tamen sunt de iuribus parochialibus. Vid. *Parochus.* — Sunt demum nonnullae benedictiones, quae ab uno Romano Pontifice fieri possunt.

Benedictiones uni Rom. Pontifici re- 554
servatae sunt: benedictio pallii (Vid. *Pallium*); benedictio formarum cerearum, quae vocantur *Agnus Dei* (Vid. *Agnus Dei*); benedictio rosae aureae (Vid. *Rosa aurea*); benedictio ensis principis, vel pilei (Vid. *Ensis*).

Nec episcopus nec ab eo delegati 555
sacerdotes possunt impertiri benedictiones, quae propriae sunt diversorum religiosorum ordinum, etiamsi in ea dioecesi religiosi illius ordinis non habeantur. *S. R. C. in Imolen. 2 dec. 1881 ad 3 (3533).*

De ritu adhibendo in his benedictionibus dandis. 556 — In primis recitandae sunt eae orationes et ii ritus adhibendi, qui in libris liturgicis pro unaquaque benedictione sunt praescripti, ut diximus supra. Praeterea pro benedictionibus, quae fiunt in altari, et pro quibus in particulari statutum est, sacerdos utitur pluviali, et si pluviale desit, stat sine planeta et manipulo

cum alba et stola; in omni autem benedictione extra missam sacerdos saltem superpelliceo et stola pro ratione temporis uti debet, nisi aliter in missali notetur, ut habet Rituale Roman. *tit. VIII. c. 1.* Omnis praeterea benedictio fieri debet stando et aperto capite, manibus iunctis etiam cum dicitur " Dominus vobiscum „ ; et si benedictio fiat ad altare, omnia recitantur in cornu epistolae.

Rit. Rom. tit. VIII.; *De Herdt* Praxis ritualis c. 10; *Schüch* Pastoraltheol. §§ 335 II.

557 **De quibusdam benedictionibus in specie. — De benedictionibus constitutivis. — *De benedictionibus constitutivis personas respicientibus.* — De benedictione abbatum *(remissive).*** — Benedictio abbatum a solis episcopis consecratis licite et valide perficitur. *Const.* Ben. XIII. *6 maii 1725.* Abbates tenentur infra annum petere benedictionem ab episcopis, in quorum dioecesi eorum monasteria sita sunt. Attamen etiam abbates non benedicti habent titulum et iura suae dignitatis; privantur tamen iure conferendi tonsuram et minores ordines suis subditis regularibus. Vid. *Abbas.*

De benedictione abbatissarum, virginum, regis et reginae. — Quoad has benedictiones confer Pontificale romanum *part. I.*

De benedictionibus pro clericis tonsurandis aut constituendis in minoribus ordinibus *(remissive).* — Pro iis, qui putant minores ordines non esse sacramentum, ritus, quibus hi ordines conferuntur, quemadmodum (et hoc omnes admittunt) ritus, quo confertur tonsura, non sunt aliud nisi aliquod sacramentale, quod proinde ad has benedictiones reducitur. De his omnibus quaere hic suis locis.

De benedictionibus constitutivis res respicientibus.* — De benedictione et consecratione ecclesiae *(remissive). — Quoad benedictionem solemnem seu consecrationem ecclesiae, Vid. *Consecratio;* quoad simplicem ecclesiae benedictionem, Vid. *Ecclesia.*

De consecratione altaris *(remissive).* — Quoad consecrationem necnon execrationem altaris, Vid. *Altare.*

De consecratione et benedictione sacrorum vasorum *(remissive).* — Quoad eam, Vid. *Consecratio.*

De benedictione coemeterii *(remissive).* — Quoad eam, Vid. *Coemeterium.*

De consecratione campanae *(remissive).* — Etiam campanae benedicendae sunt et consecrandae chrismate, quare huius benedictionis minister est solus episcopus consecratus, qui nequit ad hoc delegare simplicem sacerdotem sine indulto apostolico. Attamen eas campanas, quae ad usum ecclesiae inservire non debent, quilibet sacerdos hanc facultatem habens potest benedicere simplici benedictione, cuius formula approbata est a S. R. C. *4 mart. 1892.* Plura quoad consecrationem campanarum vide sub *Campana.*

De consecratione seu benedictione sacrorum oleorum *(remissive).* — Quoad eam, Vid. *Olea sacra.*

De benedictione sacerdotalium indumentorum. — Benedictio sacerdotalium indumentorum impertitur casulis, stolis, manipulis, albis, amictis, quae certo, et cingulis, quae probabilius etiam benedici debent. Benedictio corporalium datur simul etiam pallis, quae tamen benedici possunt etiam absque corpo- 558

ralibus; formula autem istius benedictionis recitanda est prout iacet, etiamsi benediceretur unica palla cum unico corporali, aut corporalia sine pallis etc. (*S. R. C. in Briocen. 4 sept. 1880 ad 3 [3524]*); benedictio linteaminum altaris est pro solis mappis seu tobaleis. Purificatoria (*S. R. C. in Tuden. 7 sept. 1816 ad 12 [2572]*), vela calicis, bursae non benedicuntur. Haec benedictio facienda est ab episcopo (non autem ab abbate, etsi is gaudeat privilegio pontificalium, Monit. Eccles. *vol. XIV. pag. 533*), qui eam simplicibus sacerdotibus delegare non potest (*S. R. C. in Lemovicen. 2 apr. 1875 [3343]; S. C. C. 28 nov., 12 dec. 1733*), nisi specialem ad hoc habeat facultatem; et tunc sacerdotes delegati uti debent benedictione, quae legitur in Rituali Romano *tit. VIII. c. 20* (*S. R. C. in Blesen. 16 mart. 1876 [3392]*), etiamsi ageretur de benedicendo solo manipulo cum stola. *S. R. C. in Imolen. 2 dec. 1881 ad 1 (3533).* Superiores regularium et rectores, priores, guardiani, ministri et alii, supposito S. Sedis privilegio, possunt facere benedictiones omnes, in quibus tamen sacrum chrisma non requiritur, et pro servitio dumtaxat monasteriorum et ecclesiarum suarum. *S. R. C. 18 aug. 1629 (513); in Cameracen. 13 mart. 1632 (587); in Tirasonen. 16 maii 1744 ad 3 (2377); in Mechlinien. 31 aug. 1867 ad 11 (3157).* Episcopus, qui habet indultum delegandi sacerdotem pro benedictione sacerdotalium indumentorum, potest eum delegare etiam ad benedictionem sacrorum vasorum, in quibus benedicendis sacra unctio adhiberi non debet. *S. R. C. decr. cit. 2 dec. 1881 ad 2 (3533).* Paramenta non benedicta, cum quibus sacerdos bona fide missam celebravit, non sunt ex eo actu censenda iam benedicta, sed benedicenda omnino sunt. *S. R. C. in una S. Hippolyti 31 aug. 1867 ad 7 (3162).*

Nota, quando agitur de benedictione *sacerdotalium indumentorum* vel etiam *sacrae suppellectilis,* sub eo nomine venire ea omnia, quae benedicenda sunt, quin in eorum benedictione intervenire debeat sacra unctio, proinde etiam pyxis etc., quemadmodum sequitur ex iis, quae supra diximus, et eruitur ex formula facultatis, quibus Sacrae Congregationes Romanae indulgere solent episcopis, ut alios ad hanc benedictionem delegare valeant.

Rubr. gen. miss. tit. XX.; Ritus celebrat. tit. I. n. 1. sqq.; de defect. tit. X. n. 1; *Ben. XIV.* Inst. eccl. 21; *De Herdt* Sacr. lit. praxis I. p. 1. n. 54; *Schüch* Pastoraltheol. §§ 210; *Gennari* Consultazioni p. 3. cons. 63.

559 **De benedictione candelarum, cinerum et palmarum.** — Benedictiones et distributiones candelarum, cinerum et palmarum ex obligatione faciendae sunt in omnibus ecclesiis collegialibus; in aliis autem possunt fieri (*S. R. C. in Romana 21 nov. 1893 ad 1 [3813]*); quare non sunt de iuribus mere parochialibus. *S. C. P. F. 10 aug. 1841; S. R. C. decr. gen. 12 ian. 1704 ad 5 (2123).* Qui benedicit candelas, cineres et ramos debet etiam cantare missam sequentem (*S. R. C. 13 febr. 1666 [1333]; in Pinerolien. 1 sept. 1838 ad 2 [2783]*); etiamsi benedicens sit episcopus titularis, qui nulla gaudet iurisdictione (*S. R. C. in Romana 9 maii 1893*

ad 2 [3798]), aut episcopus administrator (*S. R. C. in Liburnen. 23 sept. 1848 ad 8 [2976]*), nisi speciale ii habeant privilegium. Vid. *administrator apostolicus*. Quare ab hac lege unice excipitur episcopus ordinarius loci. *S. R. C. decr. cit. 23 sept. 1848 (2976)*.

In cathedralibus autem haec functio, absente episcopo, spectat ad primam dignitatem, dummodo cantet postea missam (*S. R. C. in Brundusina 26 febr. 1628 [453]*); et episcopus cogere potest etiam per censuras ipsam quoque primam dignitatem, ut si benedictionem perficiat, postea missam cantet. *S. R. C. in Tudertina 22 mart. 1653 (946)*. In collegiatis vero haec functio pertinet ad digniorem, si celebrare velit, secus ad celebrantem. *S. R. C. in Lauden. 17 mart. 1663 (1252)*. In ecclesiis monialium pertinet ad confessarium monialium. *S. R. C. in una S. Miniati 6 sept. 1663 (1281)*.

Regulares in propriis ecclesiis, si adsit consuetudo, nec specialis ratio obstet, candelas, cineres et palmas benedictas etiam populo distribuere possunt. *S. R. C. in Fanen. 8 apr. 1702 ad 1. 2. 3. (2098)*.

Benedictio et distributio candelarum et processio in festo Purificationis B. M. Virg. fieri debent ipsa die 2 februarii, etiamsi indultum fuerit, ut solemnitas Purificationis B. V. ad insequentem diem dominicam transferri valeat. *S. R. C. in Rhemen. 7 febr. 1874 (3321)*.

De benedictione aquae baptismalis (*remissive*). — Quoad eam, Vid. *Fons baptismalis*.

De benedictione, qua instrumentis pietatis (coronis marialibus etc.) indulgentiae adnectuntur (*remissive*). — Quoad hanc benedictionem, Vid. *Indulgentia*.

De benedictionibus invocativis. — ***De benedictionibus invocativis personas respicientibus.*** — **De benedictione cum ss. Sacramento.** 560 Haec benedictio danda est post finem hymni *Tantum ergo*, qui praemittitur (*S. R. C. in Ultraiecten. 11 iul. 1857 ad 3 [3058]; in una Deleg. Ap. Per. 15 apr. 1880 [3513]*), et post quem recitari debet versiculus *Panem de caelo etc.* et oratio *Deus qui nobis etc.*, cui non est praemittendum *Dominus vobiscum etc.* (*S. R. C. in Granaten. 16 iun. 1663 ad 7 [1265]; in Salernitana 28 sept. 1675 [1548]*); nec dari potest ad versiculum hymni *Sit et benedictio* (*S. R. C. in Sabinen. 5 febr. 1639 [665]*), etiamsi adesset contraria consuetudo. *S. R. C. in una Ord. Cap. Prov. Helv. 23 maii 1835 ad 3 (2725)*. Tempore autem paschali in benedictione ss. Sacr. ad versiculos *Panem de caelo etc.* semper addi debet *Alleluia*. *S. R. C. in Agennen. 5 mart. 1898 (3983)*. Haec benedictio fidelibus danda est in qualibet ss. Sacramenti publica expositione, antequam Sacramentum in tabernaculo reponatur. *S. R. C. in Tlascalen. 12 iul. 1889 (3713)*. De licentia episcopi dari etiam potest pluries in die in eadem ecclesia, evitata tamen nimia frequentia, et dummodo non agatur de expositione Quadraginta Horarum. *S. R. C. in Templen. 12 ian. 1878 ad 5 (3438); in una Soc. Iesu 11 maii 1878 ad 3 (3448)*. Quoad tempus nota, S. Congregationem Rituum vicario apostolico de Marysville interroganti, an liceret benedictionem cum ss. Sacramento populo impertiri secunda et etiam tertia hora post so-

lis occasum, respondisse: " Servetur consuetudo „. *S. R. C. 26 Sept. 1868 (3187).* — Si quando ss. Eucharistia transferenda sit ab altari, in quo asservatur, ad aliud altare, in quo publicae adorationi exponenda est, non debet deferri in ostensorio, sed in capsula, aut sin minus in sphaera velo humerali cooperta. *S. R. C. in Cuneen. 2 iun. 1883 ad 12 (3576).*

561 Quoad paramenta, quibus uti debet sacerdos dans benedictionem cum ss. Sacramento in ostensorio exposito, haec statuta sunt: debet omnino et semper uti stola et pluviali et velo humerali (*S. R. C. in una Ord. Cap. 14 dec. 1888 ad 12 [3698]; in Senogallien. 12 maii 1893 ad 1 [3799]*); alba etiam uti debet, quando adsunt ministri sacri parati (*S. R. C. in una Montis Regalis 20 mart. 1869 ad 6 [3201]; decr. cit. 12 maii 1893 [3799]*), qui debent indui dalmatica et tunicella super albam (*decr. nuper cit. [3799]*), et hoc etiamsi sint canonici, et consuetudo contraria quod canonici diaconus et subdiaconus assistant episcopo benedictionem impertienti, cum cappa magna, tolerari non potest (*S. R. C. in Placentina 15 ian. 1881 [3526]*); si autem ministri sacri parati non adsunt, potest sacerdos indui supra rochettum, si eius usum habeat, amictu tantum, stola et pluviali. *S. R. C. decr. cit. 20 mart. 1869 ad 6 (3201).* Non potest vero dari cum stola tantum super cappam (*S. R. C. in Urbinaten. 23 ian. 1700 ad 1 [2047]; in una Salutiarum 29 nov. 1856 ad 4 [3039]; in Alben. 7 febr. 1874 [3319]*), etiam superimposito velo humerali (*S. R. C. in Taurinen. 22 iun. 1874 ad 1 [3333]*), ne ab ipso quidem episcopo. *S. R. C. in Alben. 29 mart. 1851 (2987).* — Imo, etiamsi detur statim post missam ab ipso sacerdote, qui missam celebravit, adhiberi debet pluviale, nec potest sacerdos retinere casulam et manipulum (*S. R. C. in Lincien. 6 febr. 1892 ad 8 [3764]*); pluviale autem potest esse coloris convenientis colori missae; at velum humerale debet esse album. *S. R. C. in Taggen. 9 iul. 1678 ad 6 (1615); in Limana 27 iun. 1868 ad 3 (3175); in una Castr. Stabiae 12 mart. 1897 ad 7 (3949).* Attamen si post vesperas daretur benedictio, sacerdos et ministri deberent semper assumere paramenta coloris albi. *S. R. C. decr. cit. 27 iun. 1868 ad 3; 12 mai 1893 ad 2.* Velum humerale semper requiritur, nec potest episcopus dare benedictionem cum ss. Sacramento absque velo humerali, assumptis eius loco chirotecis, quas ne retinere quidem potest, assumpto etiam velo humerali. *S. R. C. in una Vic. Ap. Constantin. 21 iul. 1855 ad 4 (3031).*

Sacerdos et assistentes ministri, post- 562
quam ascenderunt ad altare pro impertienda benedictione, non debent genuflectere utroque genu, sed unico genu. *S. R. C. in una ord. FF. Min. prov. Angl. 29 iul. 1904 ad 3.*

In danda benedictione cum sanctis- 563
simo Sacramento non praescribitur turificatio, quum sacerdos populo benedicit (*S. R. C. in Veronen. 11 sept. 1847 ad 9 [2956]*); in hoc servanda est consuetudo locorum. *S. R. C. in una S. Marci 7 sept. 1861 (3108).*

In danda benedictione cum Sacra- 564
mento in ostensorio exposito duplex modus servari potest. Scilicet vel sacerdos ad populum se convertit osten-

sorium ante pectus tenens, tum elevat illud decenti mora non supra caput, sed tantum usque ad oculos, et eodem modo illud demittit infra pectus, mox iterum recta illud attollit usque ad pectus, et deinde ad sinistrum humerum ducit, et reducit ad dexterum, et rursus ante pectus reducit, ibique aliquantulum sistit, tum girum perficiens collocat ostensorium super altare; qui est modus traditus a Bauldry: vel tantummodo cum ostensorio producit crucis signum super populum, ut disponit ceremoniale episcoporum *l. II. c. 33. n. 27. S. R. C. in Collen. 21 mart. 1676 (1563).* Similiter in assumendo ostensorio ad dandam hanc benedictionem duplex modus servari potest: vel enim secundum praxim romanam diaconus ostensorium celebranti tradit, et ab eodem recipit, utroque stante; vel, servatur illud, quod tradit ceremoniale episcoporum (*lib. II. c. 33. n. 27*), ex quo episcopus, finita oratione *Deus qui nobis etc.*, accedit ad altare et accepto ostensorio (nempe per seipsum) vertit se ad populum, cum illo (trinum) signum crucis super populum facit, quo facto, iterum deponit Sacramentum super altare, deponit velum et genuflectit. *S. R. C. in Parisien. 14 ian. 1898 ad 4 (3975).*

565 Immediate ante benedictionem cum sanctissimo Sacramento non possunt recitari preces in vulgari idiomate (*S. R. C. in Neapolitana 23 mart. 1881 ad 2 [3530]*); nec episcopus decantare potest versiculum " sit nomen Domini benedictum „ (*S. R. C. in una Vic. Apost. Constant. 21 iul. 1855 ad 2 [3031]*); attamen laudes consuetae *Dio sia benedetto etc.* dici possunt post benedictionem cum Sacramento, et forte etiam immediate ante, post orationem *Deus qui nobis etc,* ubi adest consuetudo; nam decretum, hoc permittens (*S. R. C. in una Burgi S. Domnini 11 martii 1871 ad 1 [3237]*), servatum est in recenti collectione decretorum S. Congr. Rituum.

Dum autem preces dicuntur ad benedictionem, exposito ss. Sacramento, officium faciens et ministri assistentes manere debent genuflexi, excepto hymno ambrosiano, in quo stant, iuxta rubricas et praxim. *S. R. C. in Augustodunen. 17 sept. 1897 ad 2 (3965).*

Tempore ipso benedictionis non licet canere versiculum: " Benedicat nos Deus, Deus noster etc. „ (*S. R. C. in Caputaquen. 9 februarii 1762 [2464]; in Bituntina 16 mart. 1833 [2698]*); nec licet sacerdoti dicere vel canere: " Benedicat vos omnipotens Deus, Pater etc. „ (*S. R. C. in Lucionen. 23 maii 1835 ad 3 [2722]*); sed et sacerdos et cantores debent eo tempore silere, non obstante quacumque contraria consuetudine. *S. R. C. decr. cit. 9 febr. 1762.* Attamen versiculus: " Benedicat nos Deus etc. „ cani potest immediate post benedictionem. *S. R. C. decr. cit. 16 mart. 1833.* Imo post benedictionem permittitur etiam cantus alicuius versiculi in lingua vernacula. *S. R. C. in Bobien. 3 augusti 1839 (2791).*

Antequam vero detur benedictio cum 566
ss. Sacramento licet habere conciunculam vulgo " fervorino „. *S. R. C. in una Congr. Pior. Operar. 14 dec. 1883 ad 2 (3599).* Benedictio autem dari potest etiam post solis occasum (*S. R. C. in una Vic. Ap. de Marysville 26 sept. 1868 [3187]*); ea tamen durante nequit accendi cereus paschalis (*S. R.*

C. in una Soc. ss. Sacr. 8 febr. 1879 ad 3 [3479]), nec decet, ut pandantur fores ecclesiae, ad hoc ut transeuntibus per viam pateat internus aspectus ecclesiae, nisi iudicio ordinarii ob peculiares circumstantias locorum aliter permitti posse videatur citra periculum irreverentiae. *S. R. C. 17 sept. 1822 ad 8 (2621).*

567 Districte praeceptum est, ut sacerdos, qui cum ss. Sacramento benedicit in quibusvis ecclesiis monialium ubique locorum erectis, cuiusvis sint ordinis et instituti, unicam tantum cum eodem ss. Sacramento benedictionem interessenti populo impertiatur; et districte prohibitum, ne praeter hanc, alteram det et separatam benedictionem monialibus; imo contraria consuetudo, sicubi aderat, declarata fuit reprehensibilis et radicitus convellenda. *S. R. C. decr. gen. 11 dec. 1733 (2499).* Vid. *Expositio SS. Sacramenti.*

De Herdt Sacr. lit. praxis t. II p. 2, n. 68; *Schüch* Pastoraltheolog. § 264.

568 **De benedictione cum pyxide.** — Non licet benedicere populo cum sacra pyxide, quin prius aliquid (puto quod innuatur recitandum esse hymnum *Tantum ergo* cum solita oratione) dicatur vel cantetur (*S. R. C. in Ravennaten. 7 iul. 1876 ad 1 [3402]*); nec benedicere populo cum pyxide parvo conopaeo contecta absque usu veli humeralis (*S. R. C. in Conversanen. 13 iul. 1883 ad 1 [3582]*); sed sacerdos in hac benedictione uti semper debet velo humerali, cuius extremitatibus debet pyxidem cooperire (*S. R. C. in Meliten. 23 febr. 1839 ad 1 [2786]; in Romana 12 iul. 1892 ad 1 [3780]; in Platien. 21 febr. 1896 ad 3 [3888]*), velum autem humerale potest a sacerdote, qui nuper celebravit et statim postea populo benedicit, assumi super planetam (*S. R. C. in una Castrimaris 20 iul. 1894 ad 3 [3833]*), dummodo non agatur de planeta nigri coloris post missam de requie. *S. R. C. in una Castrim. Stabiae 12 mart. 1897 ad 8 (3949).* Tolerari nequit praxis extrahendi e tabernaculo sacram pyxidem eamque velatam sub umbella collocandi; sed tantummodo aperiendum est tabernaculum et obiicienda populi oculis pyxis clausa, suoque velamine contecta. *S. R. C. in Olinden. 16 mart. 1876 (3394), in Labacen. 28 apr. 1903 ad 13.* Omissio incensationis in benedictione cum sacra pyxide conformior est praxi Ecclesiae. *S. R. C. in Ariminen. 11 sept. 1847 (2957).*

De benedictione cum reliquia ss. cru- 569
cis. — Benedictio cum reliquia ss. crucis semper danda est post expositionem vel processionem reliquiae ss. crucis, quando reliquia reponitur (*S. R. C. in Brixien. 15 sept. 1736 ad 1 [2324]; 31 maii 1817 ad 11 [2578]*); in danda autem hac benedictione non licet sacerdoti dicere cum cantu *Benedicat vos omnipotens Deus,* etc. *S. R. C. in Lucionen. 23 maii 1835 ad 3 (2722).* Sacerdos in benedictionibus, quae dantur cum ligno ss. crucis, uti potest supra rochettum, si eius usum habeat, amictu, stola, et pluviali, si non adsint ministri parati; sed si adsint, debet uti etiam alba et cingulo. *S. R. C. in nna Mont. Regalis 10 mart. 1869 ad 6 (3201).* Paramenta, quae adhibenda sunt in danda hac benedictione, debent esse coloris rubei, etiamsi haec benedictio daretur, expleto completorio, in die, qua recur-

rit anniversarium dedicationis ecclesiae (*S. R. C. in Fabrianen. 2 sept. 1871 [3256]*), vel etiam feria VI. in parasceve, ut puto, in qua non videtur congruere, ut adhibeantur paramenta nigri coloris. Attamen quaesitum est, cuius coloris deberet esse pluviale pro tali benedictione feria VI. in parasceve, et responsum: " Servetur consuetudo „. *S. R. C. in Mutinen. 23 sept. 1837 ad 2. quaest. X. (2769).* Episcopus in impertienda benedictione cum reliquia sanctae crucis nequit retinere mitram, imo ne pileolum quidem. *S. R. C. decr. nuper cit. ad 1 et 2. quaest. IV.*

Sacerdos, qui populo benedicit cum reliquia ss. crucis, incensare eam debet stans, et non genuflexus. *S. R. C. in Brixien. 15 sept. 1736 ad 2 (2324).*

570 **De benedictione cum reliquiis sanctorum.** — Benedictio cum reliquiis sanctorum post processionem ipsius reliquiae impertiri quidem potest, sed nulla quoad hoc urget obligatio. *S. R. C. in Albinganen. 24 iul. 1863 ad 1 (1711);* cfr. *etiam in Lauretana 16 dec. 1766 ad 5 (2483).*

571 **De simplici benedictione omnibus fidelibus ab episcopo vel sacerdotibus danda.** — Benedictio *in fine missae,* quando missa celebratur coram cardinali aut archiepiscopo vel episcopo loci sic datur a celebrante; videlicet sacerdos post solita verba: " Benedicat vos etc. „, conversus ad populum, antequam benedicat, caput episcopo profunde inclinat, postea capite erecto prosequitur: " Pater et Filius et Sp. Sanctus „, benedicens adstantes a parte, ubi non adest episcopus, idest a cornu evangelii, si episcopus est in medio. Rubr. miss. *tit. XII. n. 3;* De Herdt *Sacr. lit. praxis II. 39,* — Quando autem missa celebratur coram episcopo extra locum suae iurisdictionis, ipsi absque alio respectu, ut ceteris qui intersunt, more consueto sacerdos benedicit. Rubric. miss. *l. c.* Quando autem episcopus in ecclesiis suae iurisdictionis cappa magna vel pluviali indutus assistit missae solemni, benedictio danda est non a celebrante, sed ab episcopo, etiamsi agatur de missa solemni coram ss. Sacramento exposito. *S. R. C. in Naxien. 12 sept. 1884 ad 1 (3618).*

Sicubi viget, servari potest consuetudo, qua sacerdos superpelliceo et stola indutus post litanias et preces ad altare recitatas, ascendit super gradus altaris et benedicit populo, signum crucis super illum formans his verbis: " Benedictio Dei omnipotentis etc. „, uti fit post communionem extra missam fidelibus distributam. *S. R. C. in Veronen. 27 aug. 1836 ad 4 (2745); in Vicentina 20 aug. 1901.*

Episcopus in benedicendo populo tres cruces efformare debet, etiam quando benedictionem impertitur post distributam communionem extra missam, aut quando absolvit fideles in sacramento poenitentiae. *S. R. C. in una Montis Politiani 20 maii 1890 ad 5 (3731).* Attamen intra missam privatam, dum populo trinam benedictionem impertitur, nequit episcopus gestare mitram. *S. R. C. in Romana 20 iun. 1899 (4035).*

572 **De benedictione nuptiali.** — Benedictio nuptialis consistit in orationibus, quae habentur in missali: *Propitiare, Domine etc.* et *Deus, qui potestate etc.* dicendae ante *Libera nos etc.;* nec non *Deus Abraham etc.* dicenda ante bene-

dictionem (*S. R. C. in Romana 9 maii 1893 ad 3 [3798]*); hinc est quod dari nequit extra missam (*S. R. C. in Limburgen. 23 iun. 1853 ad 1 [3016]; in una Montis Albani 14 aug. 1858 [3079]; decr. cit. 9 maii 1893 ad 4 [3798]*); quae missa dicenda est *pro sponso et sponsa*, licet pro iis non applicetur (neque enim ad hoc obligatur sacerdos, nisi a sponsis recipiat eleemosynam, *S. U. I. 1 sept. 1841*), quibusdam diebus exceptis, in quibus dicenda est de die cum commemoratione ex missa pro sponso et sponsa, nisi nuptiae celebrentur tempore prohibito. Vid. *Sponsi*. — Non potest dari mulieri viduae, ex decreto S. Rit. Congreg. (*in Aquen. 3 mart. 1761 ad 1 [2461]*), sed danda est in nuptiis primis ex parte viri et mulieris, imo etiam solius mulieris, ex consuetudine, sive mulier sit virgo sive corrupta. *S. C. C. 2 oct. 1593; S. C. P. F. 1 febr. 1871*. At in secundis quoque nuptiis non est omittenda benedictio anuli (*S. R. C. in Rhedonen. 27 aug. 1836 ad 2 [2743]*), quae tamen benedictio in matrimoniis mixtis fieri non potest. *S. U. I. 1 aug. 1821*. Benedictio nuptialis, quam exhibet missale in missa pro sponso et sponsa semper impertienda est in matrimonio catholicorum (*S. U. I. 31 aug., 1 sept. 1887*), infra tamen missae celebrationem, ut diximus, et extra tempus feriatum (*decr. nuper cit. S. U. I; S. C. P. F. ad Vic. Ap. Sutchuen. 31 iun. 1796*, nisi habeatur speciale indultum eam dandi etiam tempore feriato, quod aliquando in missionibus concessum est, *S. C. P. F. decr. nuper cit. et 21 iul. 1841*), omnibus illis coniugibus, qui eam in contrahendo matrimonio quacumque ex causa non obtinuerint; etiamsi petant, postquam diu iam in matrimonio vixerint (*S. U. I. decr. cit.; S. C. P. F. 21 iul. 1841*), dummodo mulier, si vidua, benedictionem ipsam in aliis nuptiis non acceperit. Insuper hortandi sunt coniuges catholici, qui benedictionem sui matrimonii non obtinuerint, ut eam primo quoque tempore petant (nec excluduntur coniuges nunc christiani, qui matrimonium contraxere in infidelitate, *S. U. I. 20 iun. 1860*); significandum vero illis, maxime si neophiti sint, vel ante conversionem ab haeresi valide contraxerint, benedictionem ipsam ad ritum et solemnitatem, non vero ad substantiam et validitatem pertinere coniugii. *S. U. I. decr. cit. 1 sept. 1881*. Quare in danda hac benedictione post nuptias valide celebratas non exquirendus est novus consensus coniugum in matrimonium, nec dicenda sunt verba " Ego vos coniungo etc. „ *S. C. P. F. in Instr. a. 1806 et 21 iul. 1841*. In eadem missa potest sacerdos pluribus sponsis benedicere, et tunc orationes benedictionis (post acceptum singillatim a sponsis consensum et dicta pro singulis verba *Ego vos coniungo etc.*) dicendae sunt in numero plurali. *S. U. I. 1 sept. 1841*.

Quando autem suppletur benedictio 573
nuptialis post matrimonium clandestine celebratum benedictio danda est in omnibus iuxta solitum, nec omittenda benedictio anuli. *S. C. P. F. 20 febr. 1801; 27 ian. 1805*. Tempore feriato non solum non est permissa benedictio nuptialis, sed ne episcopus quidem potest eam permittere (*S. R. C. in una Montis Albani 14 aug. 1858 [3079]*); et consuetudo contraria est eliminanda,

ut abusus. *S. R. C. in Mexicana 25 sept. 1875 ad 1 (3380).* Consuetudo vēlandi sponsis scapulas et caput sponsae in benedictione nuptiarum, ubi viget, retinenda est. *S. R. C. in una de Guayana 15 sept. 1881 ad 6 (3531).*

574 Missionarii negligentes impertiri benedictionem nuptialem coniugibus petentibus, qui eam prius non habuerunt, sunt reprehendendi. *S. C. P. F. 29 febr. 1836.*

575 Ad recipiendam benedictionem nuptialem, etiam quando suppletur, matrimonio iamdiu celebrato, decet sponsos esse in statu gratiae (*S. C. P. F. 21 iul. 1841*); attamen non est hoc necessarium. *S. C. P. F. 23 sept. 1843.*

576 Haec benedictio nuptialis est exclusivi iuris parochialis; quare solus parochus sponsorum (et ex consuetudine generatim est parochus sponsae, qui hoc de facto peragit), vel alius sacerdos de ipsius parochi vel ordinarii licentia impertiri potest hanc solemnem benedictionem nuptialem. Quod si alius parochus vel sacerdos sive regularis sive secularis sine debita licentia parochi vel ordinarii matrimonio alicui solemniter benedicere ausus fuerit, ipso iure tamdiu suspensus manet, quamdiu ab ordinario eius parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 1 de ref. matr.*

Rit. Rom. tit. VII. c. 3; Instr. Eystett. pag. 70. 373; *Schüch* Pastoralth. § 335; *De Herdt* Praxis ritualis c. 9.

De benedictione puerperae post partum *(remissive).* — Quoad eam, Vid. *Puerpera.*

577 **De benedictione concionatori danda durante missa.** — Benedictio concionatori datur ab episcopo, non autem a celebrante; quare nec concionator debet eam benedictionem a celebrante, alio ab episcopo, petere, nec celebrans potest eam impertiri (*S. R. C. in Turritana 12 sept. 1705 ad 1 [2162]; in Olinden. 7 dec. 1844 [2882]; in Bahien. in Brasilia 23 maii 1846 [2907]; in Malacitana 31 aug. 1867 [3161]; in Angren. 18 aug. 1877 ad 8 [3434]*), nisi adsit consuetudo, quae servari potest. *S. R. C. in una S. Iacobi de Chile 1 iul. 1874 ad 1 (3334); in Urgellen. 30 dec. 1881 ad 4 (3535); in Macaonen. 10 maii 1895 ad 6 (3855).* Attamen, etiam hac consuetudine vigente, si episcopus praesens sit in presbyterio cum rochetto et mozzetta, non qui celebrat, sed episcopus debet benedicere concionaturo. *S. R. C. in una S. Iac. de Chile 13 iul. 1894 (3831).* Quando autem benedictio petitur a celebrante, non debet peti statim post diaconum mox cantaturum evangelium, sed cantato evangelio et celebrante turificato (*S. R. C. decr. cit. 1 iul. 1874 ad 1 [3334]*); celebrans autem, qui dat benedictionem, potest iisdem verbis uti, quibus utitur, dum benedicit diacono evangelium cantaturo, mutatis tantum verbis *evangelium suum* in *verba sancta sua. S. R. C. decr. nuper cit. ad 2.* Si concionaturus sit episcopus, non convenit, ut a loci ordinario, etiam cardinali, benedictionem petat. *S. R. C. in Neapolitana 28 apr. 1607 (230).*

De benedictione peregrinorum *(remissive).* — Quoad eam, cfr. Rit. Rom. *tit. VIII.*

De benedictione papali. — Benedictio 578
papalis dicitur indulgentia plenaria,

quae statutis quibusdam anni diebus christifidelibus conceditur, dum Romanus Pontifex solemni ceremonia populo coram ipso congregato benedicit. Facultas concedendi hanc indulgentiam delegatus a Romano Pontifice aliis quoque. Consuevit autem S. Sedes, eam facultatem delegare patriarchis, archiepiscopis et episcopis duabus anni solemnitatibus, nimirum paschate resurrectionis Domini, alioque die festo solemni eorum respective arbitrio designando; praelatis vero mitrae et pontificalium usum territoriumque separatum, cum vera qualitate nullius dioecesis, habentibus et activa in clerum et populum iurisdictione gaudentibus, semel in anno, in uno ex diebus, quibus ipsis pontificalium usus permittitur. *Const.* Clem. XIII. " Inexhaustum „ *3 sept. 1762.* — Haec autem benedictio impertiri debet, absoluta missa pontificali, a celebrante induto iisdem paramentis, reassumptis etiam chirotecis et pallio ornato (si nempe habeat usum pallii). *S. R. C. in Neapolitana 23 febr. 1884 ad 9 (3605).* Nec debet haec benedictio iuxta formulam in pontificali praescriptam dari tempore missae post *Placeat* loco ordinariae benedictionis episcopalis. *S. R. C. in Alexandrina 23 maii 1835 (2720).* Nec potest dari ab episcopo iis diebus, quibus pontificaliter non celebravit. *S. R. C. in Tarvisina 8 aug. 1835 (2732).* Antequam autem illi, qui hanc facultatem habent, procedant ad dandam hanc benedictionem, debent legere (utique per alios) Breve delegationis apostolicae tum latino, tum vulgari sermone, nisi ad legendum Breve patrio tantum sermone indultum habuerint (quod aliquando concessum est, *S. R. C. in Corisopiten. 27 febr. 1847 [2931]*); nec sufficit annunciare simpliciter plenariam indulgentiam, etiam ne populus abscedat. *S. R. C. in Constantien. 7 decemb. 1844 (2871).* Nemo autem potest hanc indulgentiam bis in die impertiri. *S. R. C. in Firmana 11 sept. 1790 (2541).* — Dum hanc solemnem benedictionem ab episcopo nomine Romani Pontificis impertitam canonici, dignitates et portionarii accipiunt, debent pro qualitate personae inclinare vel genuflectere. *S. R. C. in Gadicen. 14 iul. 1845 (2891).* — Ipse quoque episcopus, qui hanc benedictionem impertitur, plenariam indulgentiam lucratur. *S. C. Indulg. 20 maii 1896.* — Ad hanc indulgentiam lucrandam die paschatis sufficit etiam communio eo die peracta ad satisfaciendum praecepto paschali, quin alia communio ad hunc alterum finem necessaria sit. *S. C. Indulg. 19 mart. 1841.*

Aliquando facultas impertiendi pontificiam benedictionem super populum etiam simplicibus presbyteris delegatur. Hi in casu debent uti formula praescripta a Benedicto XIV in constitutione sua " Exemplis praedecessorum „ *19 mart. 1748,* quae servanda est etiam in impertienda hac benedictione tertiariis, quod tamen nonnisi bis in anno et sub conditione quod haec benedictio numquam detur eodem die et in eodem loco, ubi episcopus eam impertiat, fieri potest. *Brev.* Leonis XIII " Quo universi „ *7 iul. 1882.*

Quoad benedictionem apostolicam *in articulo mortis.* Vid. *Indulgentia.*

Melata B. Tractatus de benedictione papali.

De benedictionibus invocativis res re- 579

spicientibus. — **De benedictione domorum in sabbato sancto** (*remissive*). — Quoad eam, Vid. *Sabbatum sanctum.*

580 **De benedictione novae navis.** — Benedictio novae navis est functio parochialis. *S. C. C. 12 sept. 1891,* contra decr. contrarium S. R. C. *in Papien. 13 iun. 1671 (1424).*

581 **De benedictione camporum etc.** — Benedicere privato ritu campos, animalia et similia potest quisque sacerdos ad hoc invitatus, sive secularis, sive regularis. *S. R. C. 13 iun. 1893 ad 6 (3801).* Dicitur *privato ritu;* hoc autem non excludit stolam, superpelliceum et aspersionem aquae benedictae; nam ritus privatus in hoc a publico discriminatur, quod privatus sit absque populi concursu, publicus vero cum concursu populi, qui ad eum campanarum sonitu etc. invitatur. Cfr. Mon. Eccl. *vol. XIII. pag. 133.* Et haec omnia concordant cum responsione a S. Congr. Episcoporum et Regularium iamdiu data in causa capuccinorum et directa nuntio apostolico Venetiarum die 28 nov. 1664.

582 **Beneficiatus.** — **Qui sit beneficiatus et quaenam sint conditiones requisitae ad accipiendum beneficium.** — Beneficiatus ille est, qui legitime obtinet aliquod beneficium ecclesiasticum.

583 Beneficia autem ecclesiastica non omnibus conferri possunt, sed iis, quibus certae sunt qualitates.

584 Inter has prima et praecipua est clericatus (*c. 2 de institution. X. [III. 7]*); et si aliquando laici participant de fructibus beneficiorum, id legitime fieri potest tantummodo ex permissione Rom. Pontificis, quae aliquando datur. Cfr. *S. C. C. in Aprutina 17 maii 1828.*

Nemini autem concedendum est beneficium simplex, qui constitutus non sit in aetate annorum quatuordecim, quamvis sufficiat annus decimus quartus inchoatus. Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 6 de ref.* Quod si aliquando ex singulari et expressa voluntate fundatorum etiam minori quatuordecim annorum conferri possit aliquod beneficium, hoc est particulare derogans generali legi; voluntas autem haec debet exprimi in limine fundationis et de consensu ordinarii, non autem postea. *S. C. C. 29 nov. 1659, in Senogallien. 9 aug. 1766;* cfr. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 12 de ref., sess. XXV. c. 5 de ref.* Et haec quidem de beneficiis simplicibus, ad alia autem beneficia maior aetas requiritur. Vid. *Aetas.*

Quaestio autem fuit inter doctores circa aetatem requisitam ad beneficia, quando agitur de beneficiis fundatis ante Concilium Tridentinum. Et nonnulli voluerunt sufficere septennium, quum haec esset aetas de iure communi ante Tridentinum requisita, cui se fundator conformare voluisse praesumitur. Sed verius videtur, quod, nisi expresse fundator dixerit vel innuerit ad obtinendum beneficium a se fundatum aetatem impuberem sufficere, standum sit etiam quoad haec beneficia legi tridentinae de aetate quatuordecim annorum, quum in collatione servandae sint omnes dispositiones iuris communis, quas expresse fundator non excluserit. Cfr. Mühlbauer *Th. res. S. C. C. v.* " *Aetas* „ *2*).

Nota autem hic ea, quae S. Congregatio Concilii respondit episcopo Melitensi duo sequentia dubia proponenti circa pueros, qui, stante lege fundationis, etiam ante decimum quartum aeta-

tis annum a patronis praesentabantur instituendi in aliquod beneficium iurispatronatus. Proposuit igitur: " 3. An pro pueris, a patronis praesentatis, institutio ad puberem aetatem, salvis in reliquo eorum iuribus, sit differenda in casu. — 4. An praesentatis ad canonicatus vel dignitates ecclesiarum collegiatarum stallum in choro et sacrorum indumentorum usus sint interdicenda, et servitium in minoribus officiis cum simplici superpelliceo eisdem sit praescribendum, usque dum ad subdiaconatus ordinem non pervenerint in casu „. Et responsum est: " Ad 3 et 4 affirmative „. Quoad eos vero, qui obtinuerunt dispensationem apostolicam, ut in aetate non iuridica canonicatum assequi possint, vide ea, quae dicuntur sub *Canonici*.

Nota autem hic, quod, si agatur de beneficiis iurispatronatus et de persona passive vocata et unica ex ea familia, Sacra Congr. Concilii haud semel, accedente consensu patronorum, indulsit, ut ea beneficia obtinerentur a minore annis quatuordecim. Sic dispensavit cum puero sex annorum (*S. C. C. in Bononien. 11 ian. 1783*), cum alio puero quinquenni (*S. C. C. in Monasterien. seu Osnabrugen. 1 iul. 1753*), imo et cum quadrienni. *S. C. C. in Lucana 17 maii 1749*.

585 Si dignitati aut beneficio ex ipso iure, fundatione aut consuetudine adnexi sint certi ordines, beneficium conferri non potest nisi ei, qui eam aetatem habeat, ut infra annum ad eos ordines possit promoveri, et haec aetas debet iam adesse tempore electionis, impetrationis, etc.

Aliquando requiritur etiam, ut ille, cui certum beneficium concedendum est, actu habeat hunc vel illum ordinem. Patet, quod tunc tempore promotionis seu collationis hunc ordinem habere debet (*c. 5 de aetate etc. X. [I. 14]; c. 2 eiusd. tit. [I. 6] in Clem.; Conc. Trid. sess. XXII. cap. 4 de ref.*), nisi a S. Sede dispensatio obtineatur. Cfr. *S. C. C. in Placentina 26 iun. 1858*.

Necesse praeterea est, ut is, cui be- 586
neficium conferendum est, sit immunis a censuris, irregularitatibus et infamia; ac praeterea ut morum honestate fulgeat et debita scientia sit instructus. Vid. *Scientia*.

Dantur etiam qualitates praescriptae 587
in tabulis fundationum non solum quoad ordines, sed etiam quoad scientiam aut quoad locum nativitatis personae, quas omnes servari oportet, quamvis non praesumantur, sed probari debeant. Conc. Trid. *sess. XXV. c. 5 de ref.*

De oneribus et iuribus beneficiatorum. 588
— Beneficiato sua sunt iura, sua onera. At et iura et onera, ut recte advertit D'Annibale (*III. 62*), a die, non ab hora, initae possessionis initium capiunt.

***De oneribus.* — De obligatione reci-** 589
tandi horas canonicas. — A die initae possessionis beneficii (non ante, dummodo non stet per beneficiatum, quominus possessionem accipiat [Laymann *Th. mor. lib. IV. tr. 2. c. 5. n. 3; Mon. Eccl. 1900-901. p. 469*], et est verior sententia), hinc ex matutino illius diei, beneficiatus obligatur *ad horas*. Has si omittit, peccat semper graviter, nisi excusetur ex parvitate materiae. Vid. *Horae canonicae*.

Sed praeterea, si eas post semestre a die initae possessionis (nam antea poenas non incurrit, S. Alph. *III. 666*)

omnes una die omiserit, amittit omnes fructus beneficii illi diei respondentes; si omisit matutinum, amittit dimidiam partem fructuum; si unam alteramve horam, sextam partem. *Constit.* Pii V. " Ex proximo „ *20 sept. 1571.* Haec privatio (ad quam beneficiatus non ex iustitia, sed ex poena a lege imposita tenetur [Cfr. Lehmkuhl *II. 461*], et proinde sine culpa gravi ne intelligitur quidem [D'Ann. *III. 65*]), omnes attingit beneficiatos etiamsi choro non addictos, et valet in conscientia. Attamen si beneficio aliae obligationes fuerint adnexae, quibus beneficiatus satisfecerit, computatio amissionis fructuum non est facienda iuxta normam citatae constitutionis S. Pii V., sed proportionate (iuxta arbitrium boni et prudentis viri, Wernz *Ius. decr. II. 195*) tantum ad has etiam obligationes. S. Alph. *III. 673;* D'Ann. *III. 64.* Imo deducendae prius sunt expensae, vectigalia et onera realia ipsius beneficii. D'Ann. *loc. cit.* Si quis ultra semestre horas canonicas non recitaverit, sed in eodem delicto contumaciter persistat (sufficit autem ad hoc, ut quis intra spatium quindecim dierum bis officium non recitaverit, ad hoc ut praesumatur subsistere contumacia), post factam monitionem beneficio privandus est. Schmalzgrueber *in tit. 41. l. III. Decr. n. 97.* Quaesitum etiam est a doctoribus, utrum ille, qui horas quidem non recitavit, sed habitum clericalem detulit et tonsuram, vel coelibatum servavit, possit ex harum obligationum satisfactione aliquid ex fructibus beneficii, cui obligationes speciales non sunt adnexae (Bonacina *d. 1. de restitut. n. 13 in fine*) sibi retinere. Et fuerunt, qui putarunt non posse, quum obligationes istae quasi compensentur privilegiis clericalibus; alii qui contra existimarunt eum tertiam tantum partem fructuum restituere debere. Sanchez *Cons. mor. lib. II. c. 2. d. 84. n. 4.* S. Alphonsus (*III. 673*) putat hanc alteram sententiam esse laxam ex Lessio *de iust. et iure lib. II. c. 34. n. 177.* Attamen addit D'Annibale (*III. 64 [18]*): " si hoc laxum, illud rigidum est; saltem hac aetate, qua privilegia clericalia vix non exsulant „.

590 Beneficiatus, qui recitat quidem horas, sed non ex eo breviario, quo legitime utitur, non facit fructus suos. Vid. *Horae canonicae.*

591 In casibus superius recensitis in quibus dictum est, beneficiatum non facere fructus suos, patet evidenter eum ad restitutionem teneri. Restitutio facienda est pauperibus (igitur et sibi, si ipse beneficiatus pauper est, dummodo horas in fraudem legis non omiserit, Suarez *de horis can. c. 30. n. 20* citans Navarrum), vel beneficio aut eius ecclesiae (*Const. cit. S. Pii V.*), et ante quamcumque iudicis sententiam etiam declaratoriam. S. Alph. *III. 665.;* Wernz *Ius decr. II. 195.*

592 Beneficiatus, qui in maioribus ordinibus non est constitutus, et fructus sui beneficii non percipit, vel quia iniuste ei subtrahuntur, vel quacumque ex causa, dummodo non ex sua culpa, ad horas recitandas non tenetur. Salmanticenses *Th. mor. tr. XVI. c. 2. n. 39;* Sanchez *loc. cit. lib. II. c. 2. d. 71. n. 4;* S. Alph. *III. 664.* Idem dicendum de eo, qui beneficium habet adeo tenuis reditus, ut reditus iste non pertingat ad tertiam partem patrimonii iuxta taxam cuiusque dioeceseos, one-

ribus (ut pensionibus, missarum stipendiis etc.) detractis. *arg. c. 19 de praebendis etc. (III. 4) in 6°;* Lessius *loc. cit. lib. II. c. 34. n. 169;* Sanchez *loc. cit. lib. II. c. 2. d. 66;* S. Alph. *III. 674;* D'Annibale *III. 66 (30).*

593 **De oneribus in ordine ad beneficium ipsum.** — Sed et praeterea beneficiatus, quum sit quasi fructuarius relate ad suum beneficium, tenetur erga illud omnibus obligationibus, quibus fructuarius teneretur. Quare res beneficii nec alienare, nec pignorare, nec immutare (nisi in evidenter et longe melius) potest. *c. 2 de donationibus X. (III. 24).* Ex eodem titulo debet beneficiatus ea, quae ad beneficium suum pertinent, sarta tectaque servare; hinc reparationes necessarias in aedificiis facere debet, plantationes ordinarias in vineis, substitutionem novarum arborum in locum arborum excisarum (*S. C. C. in Auximana 11 iun. 1825, in Aquinaten. 22 dec. 1860*), etc. Si quas autem meliorationes in bonis beneficii fecerit, iis gaudere potest quoad vixerit, sed, eo mortuo, ecclesiae seu beneficio cedunt. *c. 5 de peculio cleric. X. (III. 25).* Cfr. *S. C. C. in Terracinen. 26 iun. 1903.* Et reparationes quidem necessarias, quae non superent fructus bonorum beneficii ipsius debet beneficiarius suis expensis facere, scilicet hae beneficiatum gravant; eae vero reparationes, quae superant fructus beneficii, gravant ipsum beneficium. Quare si quae debita solvenda supersunt post mortem beneficiati propter reparationes, ad quas faciendas reditus beneficii sufficientes erant, ea ab heredibus solvenda erunt; si autem debita facta fuerunt ob reparationes, ad quas faciendas impares erant fructus beneficii, ea solvenda sunt a successore. Cfr. *c. 1 de solutionibus X. (III. 23).* In praxi, adnotat Santi (*in tit. nuper cit. lib. III. Decr.*), gravare censentur ipsum beneficium, et per consequens etiam successores, solummodo ea debita, quae contracta fuerint cum solemnitatibus iuris seu praecipue cum beneplacito apostolico; onus enim impositum beneficio alienationem sapit et constituit. Cfr. *S. C. EE. RR. 28 apr. 1865.* Beneficiatus autem ad hoc, ut ius habeat ad refectionem extraordinariarum expensarum, intra limites iam dictos, debet praeterea has ipsas expensas probare simulque ostendere eas in bonum beneficii fuisse factas. Cfr. *S. C. C. in Romana 12 sept. 1891.*

Quum autem sit tutor sui beneficii, 594
tenetur beneficiatus eiusdem beneficii iura tueri etiam per actiones iudiciales sive in petitorio sive in possessorio. Hinc debet convenire debitores sui beneficii, et quidem suo tempore; secus, si exinde beneficium ipsum aut successor in beneficio aliquid patiatur, ipse debet refundere vel reparare; debet retinere servitutes activas sui beneficii, etc. Cfr. D'Ann. *III. 67 (37).* Hoc autem debet facere expensis beneficii, si nempe reditus superfluos ad hoc habeat (*arg. cc. 1. 4. de ecclesiis aedif. etc. X. [III. 48]*); secus ordinarium consulat, dummodo periculum non sit in mora, quia tunc more boni patrisfamilias deberet providere etiam de suo, si potest, repetiturus postea quidquid supra superfluum expenderit. D'Ann. *loc. cit.*

De aliis obligationibus. — Debet insu- 595
per beneficiatus implere omnes obligationes, si quae sint, beneficio adnexas in tabulis fundationum; et planum est.

Quibus obligationibus satisfacere etiam debet beneficiatus eo modo, tempore et loco, quibus fundator voluerit. Quod si fundator nihil statuerit de modo, tempore et loco, sufficit ut obligationibus satisfaciat, etiam per alium. Riganti *in regulam 1. Cancellariae VIII. 20;* D'Annibale *III. 69* citans *Rot. Roman. 4 april. 1729.* Hinc, si alicui beneficio obligatio adnexa sit celebrandi quinquaginta missas quotannis, satisfacit beneficiatus, qui eas quandocumque intra annum, quocumque in altari, quocumque ritu celebret, vel celebrare faciat. Si autem sit simul determinatum, eas celebrandas esse in altari privilegiato, aut in tali ecclesia (ad cultum nempe divinum in ea ecclesia procurandum) etc., debet beneficiatus et his satisfacere, et graviter peccaret, si in re gravi non satisfaceret, utpote si, loco celebrandi in altari privilegiato, in altari non privilegiato celebraret. Attamen si quas mutationes in satisfaciendo induceret, quae omnino in bonum fundatoris cederent, ut ecce si deberet celebrare quinque missas in mense pro anima fundatoris, et omnes primis anni diebus celebraret, omni certe culpa careret (Lugo *de euch. disp. XXI. n. 44*), nisi exinde aliquod alicui damnum eveniret, ut ecce si celebrandae essent pro animabus omnium fidelium defunctorum praesertim fundatoris, quia tunc ex anticipatione quidam essent defuncti, qui iis gaudere deberent, et de facto non gauderent. Lugo *loc. cit.* — Ad quid teneantur beneficiati, qui beneficium possident, cui adnexa est obligatio celebrandi quotidie, vide sub *Stipendium.* Et generatim nota ea omnia, quae ibi dicuntur de obligatis ad celebrationem missarum ratione stipendii, proportione habita, applicanda esse beneficiatis, qui ratione beneficii ad missas celebrandas tenentur.

Beneficiatus, qui beneficium accipit, 596
cui adnexus sit aliquis ordo sacer, debet eum suscipere anno insequente diem adeptae possessionis. *arg. c. 5 de aetate etc. X. (I. 14); Conc. Trident. sess. XXII. c. 4. de ref.; sess. XXIV. c. 12. de ref.*

Obligatio haec recipiendi intra annum ordinem praescriptum urget sub poena privationis, quae pro beneficiis curatis est latae sententiae, ita ut privatus beneficio non possit pro ea vice illud rursus recipere, etsi praescriptum ordinem postea receperit.

Praeterea provisi de beneficiis cura- 597
tis vel canonicatibus et dignitatibus ecclesiae cathedralis debent facere professionem fidei infra duos menses post ingressum in beneficium. Vid. *Professio fidei.*

Insuper qui habent beneficia residen- 598
tialia, ad residentiam tenentur (Vid. *Absens, Canonici, Parochus, Residentia*), et ad praestanda generatim per se ea officia, quae beneficio forte sunt adiuncta.

Omnis autem beneficiatus superfluum, 599
seu quod honestae eius sustentationi superest ex fructibus beneficii, erogare debet in pauperes vel in alia pia opera, probabilius tamen non ex iustitia, ut docet S. Thomas *quodl. 6. a. 12.* Cfr. etiam Ben. XIV. *de Syn. lib. VII. c. 2. n. 12. sqq.* Vid. *Clericus, Superflua.*

De iuribus. — Sunt et beneficiatis 600
sua iura, ut diximus. Et in primis beneficiati sunt veri usufructuarii sui

beneficii, quoque fructus faciunt suos, eos saltem, qui a substantia beneficii sunt separati. Imo nunc certum, ex responsis Sacrae Congregat. Concilii *23 decembris 1873, 28 ianuar. 1882*, beneficiati suos faciunt fructus etiam pendentes a beneficio, ita ut ii fructus non accessoribus in beneficio, sed ipsis beneficiatis aut eorum heredibus tribuantur. *D'Ann. III. 63*; Wernz *Ius Decr. III. 186*. Ex dictis autem sequitur, beneficiatum nullum ius habere directum dominium in beneficium. Vid. *Bona Ecclesiastica*. Quare etiam emolumenta extraordinaria, ut esse ex. gr. thesaurus inventus in fundo beneficii, statuae pretiosae e solo erutae et alia huiusmodi non beneficiato, sed beneficio ipsi aut ecclesiae, cedunt, ac praeterea eorum pretium in augmentum beneficii e subvertendum. *S. C. C. 28 ian. 1854*; *S. C. EE. RR. 6 mart. 1868*; Wernz *loc. cit. n. 185*.

101 Sed et praeterea beneficiato quum collatione beneficii functionibus ecclesiasticis applicetur, ius est in ea ecclesia, in qua est beneficiatus, sacras functiones non parochiales libere, ceteris paribus. *D'Ann. I. 99, III. 63*.

Nequeunt insuper beneficiati privari beneficio, nisi in poenam admissi crimenis. Vid. *Privatio*.

An et quando possint etiam inviti transferri de uno beneficio in aliud. Vid. *Amovibilitas. Translatio*.

102 Ex regula 30 Cancell. apostolicae deprometa ex conc. Basileens. si quis quemcumque beneficia absque simoniaco ingressu, aut apostolica, aut ordinaria collatione, aut electione, per triennium pacifice possederit, si se non intruserit, super huiusmodi beneficiis nequit molestari. Haec regula, si possessionem triennalem praecesserit titulus coloratus, et possessor fuerit bonae fidei (sunt etiam qui hanc bonam finem in casu non requirunt. Sanchez *Consilia l. II. c. 1. d. 25*; Lugo *de iust. et iure disp. VIII. n. 103*; D'Ann. *III. 99*), valet etiam in foro conscientiae, sanat vitia collationis, quum habeat vim litterarum " perinde valere „ et, ut dicit Riganti *in reg. Canc. n. 191*, meliorem de mundo beneficiato titulum praestat; non habilitat tamen incapacem, ex. gr. irregularem vel censuris irretitum.

In regula autem 35 Cancellariae apo- 603
stolicae statuitur, quod quicumque beneficium per annum, immediate ipsam datam impetrationem praecedentem, pacifice possessum, et quod certo modo vacare praetenditur, deinceps impetraverit, ea idoneare debet, ex quibus clare constet nullum ius ipsi possessori in dicto beneficio competere. Deinde actualem possessorem intra sex menses computandos a die impetrationis datae ad iudicem evocare tenetur, atque intra annum a die citationis exercitae usque ad definitivam sententiam causam prosequi in possessorio. Quod si uni ex his duabus conditionibus non satisfecerit, impetratio declaratur nulla, atque impetrans debet resarcire damna possessori.

De aliis quibusdam circa beneficiatos. 604
— Beneficiatus, etiam ille, qui habet beneficium curatum, absque licentia episcopi, imo etiam episcopo contradicente, potest per se religionem ingredi, priore casu, duo exinde ecclesia grave detrimentum pateretur, vel quo ipse ex pacto sese obligaverit ad dioecesim serviendam per aliquot

annos Cfr. litt. Ben. XIV. " Ex quo „ ad Card. Quirinum *14 ian. 1747.*

605 Quaeri etiam potest, an beneficiatus debitis obaeratus, in satisfactionem debitorum, suis creditoribus reditus beneficii sui cedere possit. Hanc quaestionem scite resolvit cl. scriptor ephemeridis " Monitore ecclesiastico „ *vol. VIII. p. 1. pag. 139* distinguendo casum, in quo beneficiatus iste ab alio pecuniam recepisset, cedens eidem ius ad exigendos reditus beneficiales, a casu, in quo beneficiatus nil aliud facit, nisi ipsos reditus beneficiales in solutum dare alteri, cum quo debitum contraxit. In primo casu videt locationem redituum beneficialium, quae si ad longum tempus fiat (ultra triennium) prohibita est a Benedicto XIV sub poena excommunicationis ferendae sententiae *Const.* " Universalis ecclesiae „ *27 aug. 1741*); in altero rem licitam agnoscit.

606 Beneficiatus committit simoniam, quum in beneficii resignatione in alterius favorem quidquam ex pacto vel circa beneficii fructus vel circa ipsum beneficium sibi reservat. Vid. *Resignatio, Simonia.*

607 **Beneficium.** — ***De beneficio in se considerato.*** — Beneficium ecclesiasticum est ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiae, propter officium spirituale, ecclesiae auctoritate constitutum. Schmalzgrueber *in tit. 5 lib. III. decr. n. 2 sqq.* Quandoque in iure nomine beneficii venit etiam vel ipsum officium spirituale seu sacrum, quod exerceri debet a beneficiato; vel ipsa bona, ex quibus beneficiatus ius habet percipere fructus. Wernz *Ius Decr. III. 176.*

Ex data beneficii definitione et acceptione sequitur, non esse adnumerandas inter beneficia ecclesiastica cappellanias laicales (Vid. *Cappellania*), commendas praesertim temporales (nam perpetuae quoad effectus non differunt a beneficiis veri nominis), coadiutorias temporales, coadiutorias cum iure successionis, praestimonia, pensiones, quae nempe alicui assignantur non ob officium spirituale praestandum, seb ob servitia praestita (Vid. *Pensio*), et alia huiusmodi.

Beneficia alia sunt maiora (pontifi- 608
catus, episcopatus, abbatiae etc., ea nempe, quae cum speciali praeeminentia honoris habent iurisdictionem ordinariam in foro externo), alia minora; alia regularia, quae nempe regularibus, alia secularia, quae saecularibus clericis conferuntur; alia perpetua, quae vere, alia manualia, quae minus proprie beneficia dicuntur; alia reservata seu affecta, alia non reservata et non affecta. Vid. *Affectio.* Praeterea quae habent adnexam iurisdictionem, administrationem, vel curam animarum, dicuntur duplicia, alia simplicia. Insuper quae onus residendi alicubi coniunctum habent, residentialia, alia non residentialia audiunt. Sic alia dicuntur titularia seu intitulata, alia manualia, prout vere in titulum et proinde in perpetuum alicui conferuntur, vel tantum ad nutum competentis superioris ecclesiastici alicui committuntur; quare qui haec habet, non potest dici stricto sensu beneficiatus. Ratione autem mutuae relationis alia dicuntur compatibilia, alia incompatibilia; de hac divisione. Vid. *Pluralitas beneficiorum.*

Beneficia acquiruntur per electionem 609
(Vid. *Electio*), praesentationem (Vid. *Ius-*

patronatus), collationem (Vid. *Collatio beneficiorum*).

610 Debent dari viro idoneo et habili, imo digniori (Vid. *Dignus*); nec uni plura nisi gravis quaedam causa id exigat.

611 Amittuntur per mortem, per sententiam iudicis (Vid. *Privatio*), per resignationem; quae tamen fieri debet sub certis conditionibus ut valeat (Vid. *Resignatio*).

612 A quocumque beneficio alterum impedire secum fert obligationem restitutionis, si fiat contra strictum ius alterius vel mediis iniustis.

613 Ad *erigendum* beneficium requiritur legitima auctoritas superioris ecclesiastici, qui pro erectione beneficiorum maiorum est unus Romanus Pontifex. Cfr. *c. 1 de transl. etc. X. (I. 7); c. 4 de off. leg. X. (I. 30); c. 6 de maior. et obed. X. (I. 33); c. 5 et 6 de praeb. (III. 2) in Xvag. comm.;* Riganti *in reg. Canc. 22 n. 80 sqq.* Imo etiam erectio capitulorum cathedralium et collegiatorum uni Romano Pontifici reservatur. Vid. *Capitulum.*

614 Beneficia minora, uti canonicatus, parochias etc. etiam episcopus sive praelatus nullius (non vero inferiores praelati etiam exempti) erigere potest. *c. 73 C. XII. q. 2.; c. 3 de eccl. aed. X. (III. 48);* Conc. Trid. *sess. XXI. c. 4 de ref.*

615 Requiritur preterea iusta causa (*c. 5 de praeb. etc. [III. 2] in Xvag. comm.;* Riganti *in reg. Canc. 22. n. 96;* Ben. XIV. *de syn. XIII. 7*), nempe necessitas aut utilitas ecclesiae seu cultus divini augmentum; locus fundationis congruus seu titulus, cui beneficium adscribatur (ut ecclesia, altare); et constitutio dotis sufficientis, scilicet tum ad sustentationem beneficiati tum ad ferenda onera fabricae ecclesiae et cultus divini. Conc. Trid. *sess. XXI. c. 4 de ref.;* Reiffenstuel *in tit. 48 lib. III. decr. n. 9.*

Modus autem in erectione servan- 616
dus hic est: ut superior ecclesiasticus praevio consensu omnium interesse habentium, det decretum, quo beneficium ipsum in perpetuum titulum ecclesiasticum erigat, eique dotem applicet, et approbet leges et conditiones, quas fundator praescripserit et ipse admittendas censuerit. Cfr. Card. De Luca *De ben. d. 95. 10. V. c.;* Gonzalez *in c. 4 tit. 5 libr. III. decr.;* Santi *in tit. 5 lib. III. decr. n. 38;* D'Ann. *III. 18. sqq.*

Fundatores in limine fundationis pos- 617
sunt donationi, quam ecclesiae faciunt, apponere conditiones sive praeter, sive etiam contra ius commune, dummodo non sint turpes, vel repugnantes naturae beneficiorum, vel nominatim a iure reprobatae. *c. 23 de iurepatron. X. (III. 38); c. 16 de censibus etc. X. (III. 39);* Santi *in tit. 5 lib. III. decr. n. 39 sqq.;* D'Ann. *III. 20;* Wernz *Ius decr. II. 248.* Dixi: in limine fundationis; nam, post excitatum beneficium, fundator non potest, imo nec ipse episcopus, conditiones appositas aut qualitatem beneficii immutare. Conc. Trid. *sess. XXV. c. 5 de ref.; Acta S. Sedis vol. VII. pag. 614.* Attamen immutare statum, qui dicitur, beneficii, idest ex. gr. beneficium regulare efficere seculare, beneficium iuris patronatus efficere liberum etc., si sit utilius ecclesiae, et ab ipso fundatore, et ab eius quoque heredibus fieri potest. D'Ann. *III. 20 (3).*

Quibusnam autem dari possint be- 618
neficia aut institutio in beneficiis dicetur suis locis. Universim is est dignus,

ut beneficio ecclesiastico praeficiatur, qui habet omnes qualitates, quae requiruntur in promovendo ad ordines, excepta subiectione relate ad episcopum, qui beneficium confert, et excepto titulo; dummodo una cum his habeat etiam qualitates, quae relate ad officium, quod beneficio adnexum est, requiruntur, sive iure communi, sive iure speciali. Wernz *Ius decr. II. 294.*

Quoad suppressionem beneficiorum, Vid. *Suppressio:* quoad dismembrationem seu divisionem, Vid. *Dismembratio, Divisio:* quoad unionem, Vid. *Unio:* qnoad collationem beneficiorum Vid. *Collatio beneficiorum.* Vide etiam *Pensio.*

619 ***De beneficio ut titulo ordinationis.*** — Beneficium est etiam titulus proprius et ordinarius *(S. C. C. 24 aug. 1850)* ad hoc, ut clericus secularis (idem dicas de novitiis et professis votorum simplicium, qui in hoc clericis secularibus aequiparantur) ad maiores ordines valeat promoveri; et in eo consistit, quod ordinandus pacifice possideat (scilicet in cuius possessionem iam sit inductus, et praeterea nulla sit controversia neque super proprietate neque super possessione, Honorante *Praxis Secr. Card. Urbis Vicar. cap. III. not. 2)* verum, certum et perpetuum beneficium ecclesiasticum, quod sibi iuxta taxam synodalem vel regionis morem (dioecesis nempe, ad quam clericus pertinet, non illius, in qua sita sunt bona *[S. C. C. 9 iul. 1701]*, nisi agatur de beneficio residentiali, in quo attenditur taxa loci beneficii *[S. C. C. 27 maii 1713])*, ad honestam (honestam scilicet in se, non relate ad statum ordinandi, ita ut nempe ex beneficio impediatur, ne clericus emendicare cogatur aut viles artes exercere, Gasparri *De sacr. ord. I. 597)* sustentationem sufficiat. Conc. Trid. *sess. XXI. c. 2 de ref.; S. C. C. 26 sept. 1623,*

Quare ex primo capite excluditur cappellania mere laicalis, quippe quae verum beneficium ecclesiasticum dici nequit; ex altero non sufficiunt reditus, qui *stolae* vocantur, quia incerti; ex tertio insufficiens est beneficium manuale ad nutum revocabile, nisi collator vel patronus *legali* obligatione sese adstringat non utendi iure suo revocationis, donec ordinato aliter provideatur. Cfr. decl. S. C. C. in Conc. Trid. *Ed. Richter p. 113. 193;* Lucidi *de Vis. Sacr. Lim. I. c. 3. n. 396.* 620

Quare perperam videtur asseri a Gasparri *(de sacr. ord. II. 842),* beneficium manuale, etiam sine pacto inamovibilitatis, dummodo sit erectum auctoritate ordinarii, sufficere pro titulo ordinationis. Doctus auctor nititur in responsione S. C. Concilii *in Pientina seu Ilcinensi 18 iul. 1733,* quam compendiatim refert Richter *Concil. Trident. pag. 193. n. 18.* Porro ex ea causa contrarium potius erui videtur. Nam ibi, in folio nempe causae, extra dubium ponitur, beneficium amovibile non sufficere ad ordinationem, sed quaestio fit, an beneficium, de quo agebatur, esset vere inamovibile. Perpendantur haec verba folii: « Praeterea in praesenti facti specie videtur etiam ponderandum, an aliquid peculiaris momenti habeat, tum quod facultas removendi beneficiarium non est libere et absolute posita in voluntate patroni, sed coercetur a conditione causae legitimae, tum etiam quod in secunda dispositionis parte testator permisit, cle- 621

ricum inopem posse sacerdotio initiari ad titulum huius beneficii. Venire autem posse videtur in dubitationem, num ad hunc quoque casum referatur facultas removendi, an vero in isto casu talis facultas non censeatur tributa patrono, sed solum adiecta alia provisione — *acquistato che avesse altro sufficiente beneficio o patrimonio, allora resti in libertà il d. mio beneficio.* Enimvero, si huic interpretationi locus esse possit, cessare videretur ratio, ob quam non licet ad sacros ordines aliquem promovere ad titulum beneficii manualis, nimirum ne contingat, facta remotione, sacerdotem carere necessariis vitae subsidiis. De quo tamen timendum non est, ubi facultas removendi sit affixa conditioni, quatenus vel ex alio beneficio vel ex patrimonio satis consultum reddatur sustentationi ipsius presbyteri ». Ex quibus patet, ex ea causa certissime desumi non posse assertionem, quae contraria est sententiae omnium canonistarum, et repugnat intrinsece fini legis praescribentis necessitatem tituli ad ordinationem.

622 Quid ad honestam hanc sustentationem sufficiat, stabilitur ab episcopo, et dicitur taxa synodalis, sive in synodo sive extra synodum fuerit determinata, et determinari potest diversa pro oppidis et villis (Bened. XIV. *Inst. eccl. XXVI. n. 4*), nec non semel determinata immutari; deficiente taxa synodali attendendus est mos et consuetudo dioecesis.

623 Beneficium aere alieno vel hypotheca gravatum non est sufficiens ad constituendum titulum ordinationis; sed non obstat, si fuerit simplex vel duplex, residentiale vel non, etc. Probabilius non sufficit coadiutoria perpetua cum futura successione, etiamsi coadiutus sese obligaverit congruam portionem ex fructibus beneficii coadiutori tribuere. Cfr. *S. C. C. 1 iul. 1841, contra responsionem eiusdem S. C. 23 aug. 1723.*

Beneficium, quod ad taxam synoda- 624
lem non pertingit, ac proinde non est sufficiens, potest suppleri per patrimonium vel pensionem, praesertim si necessitas aut commoditas ecclesiae verificetur. *S. C. C. 24 oct. 1589; 12 mart. 1718.*

Ad stabiliendam sufficientiam pro 625
taxa synodali detrahi debent beneficio onera, si quae sunt; sed an detrahi etiam debeant onera missarum nunc remissum est arbitrio episcopi. *S. C. C. 17 iul. 1723; 3 aug. 1822.* Cfr. Ben. XIV. *de Syn. XII, 9.*

Beneficio, quod alicui clerico est titu- 626
lus ordinationis, privari is potest in poenam (*S. C. C. 30 maii 1665; 11 iun. 1899*), sed illud resignare nequit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus, constito per probationes concludentes, nec non per iuratam resignantis confessionem, quod aliunde vivere commode possit et surrogato alio titulo ordinationis; secus facta resignatio nulla est. Conc. Trid. *sess. XXI. c. 2 de ref.; S. C. C. 9 febr. 1726.* Cfr. decl. eiusdem S. C. in Conc. Trid. *Edit. Richter. p. 113.*

Aliquando indulgetur, ut constitua- 627
tur ab episcopo in sacrum patrimonium illud, quod veram rationem beneficii non habet. Episcopus Beiensis petiit a Sacra Congregatione, num considerari possint tamquam beneficia et proinde sufficientes ad sacram ordinationem the-

saurariae perpetuae (quae scilicet constabant annua pensione a Gubernio soluta et aliquibus oblationibus a fidelibus factis), et responsum fuit: « Iuxta proposita non constare thesaurarias esse vera et propria beneficia; sed, attentis peculiaribus circumstantiis, conceditur episcopo facultas constituendi ea in sacrum patrimonium, dummodo obtineatur nominatio perpetua a Gubernio, et quatenus agatur de clerico alienae diocesis, habeatur consensus sui episcopi, facto verbo cum SSmo ».

628 ***De beneficio ut titulo subiectionis episcopo quoad ordines suscipiendos.*** — Episcopus autem proprius relate ad ordinationem ratione beneficii ille est, in cuius dioecesi clericus obtinet beneficium, quod dotes habeat, quas necessarias diximus ad constituendum titulum beneficii pro ordinatione. Quare beneficium, quod est deficiens iuxta taxam synodalem, quamvis per patrimonium etiam pingue ordinandi suppleatur, facit quidem ut clericus ordinari possit, ut diximus; non efficit tamen, ut ille episcopus, qui eidem clerico hoc beneficium contulit, evadat episcopus proprius ratione beneficii relate ad illum clericum. *Const.* Inn. XII. " Speculatores „ *5 nov. 1694.* Ex eadem ratione non evaderet episcopus proprius ratione beneficii ille, qui alicui clerico concederet plura beneficia, tria ex. gr. compatibilia, quorum unumquodque non esset sufficiens ad congruam sustentationem, sed ad eam sufficerent omnia simul. *S. C. C. 20 nov. 1756.* Eodem modo clericus, cui concessa esset coadiutoria cum futura successione, assignata congrua, non exinde evaderet subditus relate ad eum episcopum ratione beneficii, etsi subditus fieret ratione domicilii praestito iuramento ad formam constitutionis Innocentianae. *S. C. C. in Tarraconen. 1 iul. 1741; 18 apr. 1744*; Lucidi *De vis. ss. lim. I. c. 2, n. 80.* Nec requiritur beneficium collatum esse residentiale, sed sufficit simplex. *S. C. C. in Meliten. 26 maii 1598;* Honorante *Praxis Secr. Vic. c. 8 not. 1.* Multo magis autem sufficit beneficium, quod totum in distributionibus consistit, quum talis beneficiatus titulum beneficii vere possideat. Honorante *l. c. n! 2*; Lucidi *l. c. n. 80.* Sufficere autem beneficium minus stricte dictum, quod scilicet ex lege fundationis sit amovibile ad nutum asserit Lucidi *l. c.* rescripsisse S. Congr. Concili *in Pient. seu Ilcinen. 18 iul. 1733.*

629 Nota autem, episcopum proprium ratione beneficii non posse conferre ordines beneficiato sine testimonialibus episcopi originis et etiam domicilii, si beneficiatus domicilium alibi foveat. Honorante *loc. cit.;* Lucidi *l. c. n. 79.*

tit. de aetate et qualitate et ordine praeficiendorum X. (I. 14); idem tit. in 6° (I. 10); idem tit. in Clem. (I. 6); tit. de praebendis et dignitatibus X. (III. 5); idem titulus in 6° (III. 4); idem tit. in Clem. (III. 2); c. un. eiusd. tit. in Extrav. Ioannis. XXII. (tit. 3); idem tit. in Extrav. comm. (III. 2); tit. de concessione praebendae et ecclesiae non vacantis X. (III. 8); idem tit. in 6° (III. 7); idem tit. in Clem. (III. 3); idem tit. in Extrav. Ioannis XXII. (tit. 4); tit. ne Sede vacante aliquid innovetur X. (III. 9); idem tit. in 6° (III. 8); idem tit. in Extrav. comm. (III. 3); tit. ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur X. (III. 12); Commentatores in titulos citatos Decr.; Conc. Trid. sess. VII. cc. 3-6 de ref., sess. XIV. cc. 9-11 de ref., sess. XXI. cc. 4-7 de ref., sess. XXIV. cc. 12-15 et c. 17 de ref.,

sess. XXV. cc. 5. 7. 16 de ref.; *Bauny* Nova beneficiorum praxis; *Corvini* De personis et beneficiis; *Corradi Pyrrhi* Praxis beneficiaria; *Corasius* De beneficiis; *Garcia* De beneficiis; *Gagliardi* De beneficiis eccl.; *Loterius* De re benefic.; *Columna Ant. Mars.* de eccles. redit. origine; *Laur* De aetate ad beneficia requisita; *De Mourga* De ben. eccl.; *Nicolarts L.* Praxis benefic.; *De Paris* De singularitate beneficiorum; *De la Place* De singularitate beneficiorum; *Quintini* De praebendis et beneficiis; *Rebuffus* Praxis beneficiorum; *Selva* De beneficiis; *Shguanin* Tract. beneficiarius; *Leuren* Forum beneficiale; *Thomassin* Vetus et nova eccl. disciplt. tom. III. lib. 2. et alibi; *Roth* Geschichte des Beneficialwesens; *Lingen et Reuss* Causae selectae nn. 266-286, nn. 303-313; *Zeck* De iure rerum eccl. sect. 3. tit. 8 sqq.; *Hergenröther-Hollweck* KR. n. 512 sqq.; *Vering* KR. §§ 82 sqq.; *Helfert* Von der Besetzung, Erledigung und dem Ledigstehen der Benefizien; *Navarrus* De reditibus beneficiorum eccl.; *Stutz* Geschichte d. kirchl. Beneficialwesens; *Sägmüller* KR. § 198: *Ferraris* Prompt. bibl. v. « Beneficium »; *Wernz* II. 240, sqq.; *Mühlbauer* Th. res. S. C. C. v. « Beneficiatus » « Beneficium »; *Mocchegiani* I. 1073 sqq.; *Duballet* tom. XIV. n. 670 sqq.

630 **Beneplacitum.** — Delegatio, quae facta fuerit ad beneplacitum delegantis, ex. gr. « ad beneplacitum meum », exspirat per mortem delegantis (*c. 5 de rescriptis [I. 3.] in 6.*); quae facta fuerit ad beneplacitum sedis seu dignitatis, etiam mortuo delegante, manet. *c. cit.*

631 **Bestialitas.** — Bestialitas est concubitus viri aut mulieris cum bestia, sive eiusdem sexus ea sit, sive non. Est gravissimum inter peccata luxuriae, quod specialem deformitatem habet ex accessu ad speciem diversam. — Solus tactus turpis cum bestia per se hanc malitiam non habet; hinc pollutio excitata tactu animalis non est peccatum bestialitatis; neque haec circumstantia declaranda est in confessione; neque species vel sexus bestiae explicandus. B. P. *II. 1034;* G. B. *I. 435 sqq.*

Biblia. — Vid. *Approbatio, Sacra Scriptura.*

Bibliopolae. — Bibliopolae vendere 632
nequeunt pravos libros cuilibet emptori, sed viris tantum prudentibus ac doctis; prorsus obscenos vero nemini. G. B. *I. 241.*

Hoc item sancitum habemus in nova Const. " Officiorum ac munerum „ Leonis XIII data *VII Kal. febr. a. 1896,* in qua n. 46 haec habentur: " Quicumque librorum venditores, praecipue qui catholico nomine gloriantur, libros de obscenis ex professo tractantes neque vendant, neque commodent, neque retineant; ceteros prohibitos venales non habeant, nisi a S. Indicis Congregatione veniam per ordinarium impetraverint, nec cuiquam vendant nisi prudenter existimare possint ab emptore legitime peti „.

Libri obsceni hic accipiendi sunt, qui formaliter illud argumentum tractant, non autem qui aliunde cohonestantur, ex. gr. ex scopo vere scientifico. Libros vere classicos obscenos vendere blbliopolae poterunt illis, quibus huiusmodi libri permittuntur; sunt autem ii, quos officii aut magisterii ratio excusat. *Const. cit. num. 10.* Ex verbis autem ipsis constitutionis patet, non debere bibliopolam ementes interrogare, an licentiam habeant, sed sufficit, si spectatis adiunctis hoc probabiliter iudicet. In hoc casu autem potest bibliopola etiam alicui procurare librum, quem in sua officina libraria

non habet. — Libros autem venales dicendus est habere etiam ille, qui undique coëmptos libros, etiam sub hasta, vendit nomine suo, non autem qui alieno nomine vendit. Is enim proprie non vendit, sed venditioni cooperatur, et in hoc regi utique debet legibus, quae ad cooperationem spectant. Id multo magis dicendum est de officiali, qui ex officio hastis praeest. Huc facit responsio S. C. P. F. *26 iun. 1820*, quam vide in Collectanea P. F. *n. 1870*. Cfr. Vermeersch *De prohibit. et censura libr. post Const. " Officiorum ac munerum „ dissert. n. 11. A. d.* Vid. *Stipendium missae.*

633 **Bigamia.** — Bigamia per se est successiva iteratio matrimonii. Triplex distinguitur: *vera* ex matrimonio valido cum duabus consummato; *interpretativa* ex consummatione matrimonii cum uxore iam ab alio cognita (sive licite sive illicite, imo sive cognita ab alio fuerit ante matrimonium, sive in matrimonio, ita ut si vir accedat ad uxorem adulteram, etsi vi oppressa fuerit, contrahit bigamiam interpretativam, a quo defectu, praecise quia defectus est et consideratur in iure, non excusatur vir, eo quod ignoraverit mulierem, quam ducit, esse viduam vel corruptam, aut uxorem, quam cognoscit, esse adulteram), vel ex consummatis duobus matrimoniis, quorum utrumque aut alterutrum fuerit invalidum; *similitudinaria* ex consummato matrimonio attentato post votum solemne religionis vel susceptionem ordinis sacri; nam ex fictione iuris habentur hic duo matrimonia, alterum spirituale ex voto, alterum carnale ex consummatione matrimonii attentati cum muliere sive virgine, sive vidua, sive corrupta.

Omnes huiusmodi bigami sunt irre- 634
gulares relate ad quemcumque ordinem, imo ad ipsam quoque primam tonsuram. *I. ad Tim.; cc. 2. 3. 4. de big. X. (I. 21).* Et haec irregularitas locus habet etiam in eo, qui ante baptismum plures habuit uxores, cum quibus matrimonium consummavit. Et ratio est, quia " in baptismo peccata remittuntur, non acceptarum uxorum numerus aboletur „. *c. 13. D. XIV.*

Haec quidem communiter; sed plures 635
doctores quoad bigamiam interpretativam et similitudinariam in multis discordant. Sic D'Annibale *(I. 418)* quoad bigamiam similitudinariam haec, praeter alia, habet: " Nostri et Canonistae pene omnes irregularitatem hanc ad eum producunt, qui duo successive matrimonia irrita, ex quocumque impedimento (atque ideo etsi clerici sint in minoribus constituti, vel laici) contraxit; nempe, aiunt, *non ex iure sed ex ratione expressa in iure*; ab hac sententia, etsi recepta contra omnes regulas iuris, recedere omnino non ausim; sed liceat dubiam dicere irregularitatem huiusmodi, ut saltem ab ordinario dispensare possit „. Et quoad irregularitatem ex bigamia interpretativa: " Quid si matrimonium irritum fuit? Et ordinatum in sacris, qui duxit corruptam, irregularem esse *propter affectum intentionis, quasi viduae maritum,* definiti iuris est *(c. ult. de bigam.)*; num igitur sit irregularis acolythus vel laicus, si matrimonium irritum sit ex alio capite? Sententia communior affirmat, quippe eadem est ratio; minus communis negat, quia in odiosis non fit extensio de casu ad casum; quam sequor. His *aliam* (bi-

gamiam) adiunxit communis sententia: quum quis nempe, post inita solemnia vota, vel susceptum ordinem sacrum ducit virginem, eique commiscet: oritur enim, aiunt, quasi ex duplici matrimonio, uno spirituali, carnali altero, licet invalido! „ Cfr. etiam B. P. *VII 498 sqq.*; Gasparri *De sacra ordin. I. 383 sqq.*

636 Dispensatio ab hac irregularitate, si agitur de bigamia tantum similitudinaria, quippe quae ex delicto est, concedi potest ab episcopo, dummodo fuerit occulta, vel si fuerit publica, dummodo post peractam poenitentiam bigamus laudabiliter vixerit (*c. 4. de cler. coniug. X. [III. 4]*; *cc. 1. 2. qui clerici etc. X. [IV. 6]*); si vero agitur de bigamia vera aut interpretativa solus Rom. Pontifex etiam ad ordines minores dispensat. Cfr. declarationem Sixti V. apud S. Alph. *VII. 452.* — Sixtus IV. *Const.* " Sedes Apostolica „ *26 maii 1474* (cfr. Salmant. *de irregul. c. 9. n. 42*) concessit praelatis regularibus facultatem dispensandi cum suis subditis in omni bigamia. Cfr. etiam Const. Pii V. " Dum ad Congregationem „ *15 iun. 1571*; Ferraris *Prompt. bibl.* v. " Bigamia „ *n. 24*; B. P. *VII. 421.*

637 Praeter irregularitatem propter bigamiam veram vel interpretativam clerici minorum ordinum amittunt ipso iure omne privilegium clericale, et prohibentur sub poena excommunicationis ferendae sententiae, ne tonsuram aut habitum clericalem gestent. *c. un. de bigamis (I. 12) in 6°.* Cfr. etiam Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 17 de ref.*

638 Episcopus, qui sine dispensatione bigamum ordinaret, severe puniendus est, et quidem antiquiori tempore puniebatur poenis a iure statutis, nunc autem puniri debet poenis a Romano Pontifice imponendis. Wernz *Ius Decret. II. 121. IV.*

Can. Apostol. 16-18; Decr. c. 24 C. XXVII. q. 1., C. XXXIV.; tit. de bigamis non ordinandis X. (I. 21); tit. de bigamis (I. 12) in 6°; cc. 1. 2. qui clerici vel voventes X. (IV. 6): Conc. Trid. sess. XXIII. c. 17. de ref.; Comment. in tit. cit. Decr.; *Lingen* et *Reuss* Causae selectae nn. 94. 95; *Mühlbauer* Th. res. S. C. C. v. « Bigamia » « Bigamus »; *Suarez* de censuris disp. 49; *Thomassin* Vetus et nova eccl. disc. part. II lib. I. c. 78 sqq; *Ugolini* De irregularitatibus; *Maioli* Tract. de irregularitate etc.; *Burgasius* De irregularitatibus; *Gibalinus* De irregularitatibus; *Gasparri* De sacra ordinatione I. 373 sqq.; *Thesaurus* de poenis part. 2. v. « Matrimonium » c. 2: *Hollweck* Die kirchl. Strafgesetze § 178; *Müller* De bigamiae irregularitatis fonte et causa; *Sachsse* Die Lehre v. def. sacr., ihre hist. Entw. u. dogm. Begründung; *Baronius* Tr. de irregularitatibus; *Bönninghausen* Tr. de irregularitatibus; *Scherer* KR. § 68 IV. 7; *Ferraris* Prompta bibl. v. « Bigamia »; *Wernz* II. 120 sqq.

Binatio. — An et quando liceat binare. — Binare, seu bis in die celebrare, ex hodierna praxi Ecclesiae non licet, nisi in die Nativitatis, vel ad dandum viaticum, si pastor id resciat sumpta hostia ante ablutionem. 639

Episcopus (nec non vicarii apostolici, *S. U. I. 22 febr. 1888*) permittere hoc potest ex gravi causa dominicis vel festis diebus (non tamen iis, qui e dierum numero expuncti alicubi sunt [cfr. *S. R. C. in Namurcen. 11 sept. 1841-2841*], nisi speciale S. Sedis indultum habeatur, quale concessum fuit episcopo Argentinensi die 17 sept. 640

1859 a S. Congr. Concilii). *c. 3. de celebrat. miss. X. (III. 41.).* Dominicis vel festis diebus: quibus in casu non immerito cum Pasqualigo adnumerares feriam V. in Coena Dñi ratione specialis commemorationis de institutione SS. Eucharistiae, quae fit in missa eiusdem diei. Cfr. *Mon. Eccl. vol. XVIII. pag. 473.*

641 Ex gravi, inquam, causa; et haec praecipue verificatur, quum " sacerdos duas obtinet parochias, vel duos populos adeo seiunctos, ut alter ipsorum parocho celebranti per dies festos de praecepto et non suppressos adesse nullo modo possit ob locorum maximam distantiam, vel quando una tantum sit ecclesia, in qua celebratur missa et ad quam simul universus populus convenire non potest, et alioquin alius sacerdos inveniri nequit; imo in priori casu, unius parochi duas parochias regentis, parochus nedum potest, sed plane tenetur bis eodem die (festo) missam celebrare „. Wernz *Ius decr. II. 543, (175).* Cfr. Lucidi *De vis. sacr. lim. I. c. 3. n. 378 sqq.; S. C. C. in Senogallien. 27 aug. 1892.*

Hinc non potest episcopus binandi licentiam concedere sacerdoti, ut unam missam celebret in oratorio suburbano vel rurali, aliam vero in civitate vel loco, ubi alii adsint sacerdotes, qui missam celebrant; pariter non licet episcopo facultatem binandi concedere sacerdoti, ut ambas missas celebret in diversis ecclesiis eiusdem civitatis vel loci, in quo et alii sacerdotes celebrant, et multo minus si una ex missis celebranda esset in eadem ecclesia, in qua et alius sacerdos celebrat. *S. C. C. 10 maii 1897.*

Imo ipsa S. Sedes facultatem binandi 642
concedere non solet nisi in casibus, quos supra enumeravi. Quare, quum quaedam confraternitas careret missa diebus festis ob defectum sacerdotum, et peteret ut parocho loci concederetur facultas celebrandi alteram missam in commodum ipsius confraternitatis, S. Congr. Concilii respondit: " Non expedire „. *S. C. C. in Ortonen. 29 mart. 1890.* E contra, cum alia confraternitas hoc petiisset in iisdem adiunctis, sed simul constitisset per binationem cautum etiam iri, ut omnes parochiani missam audire possent, qui non poterant omnes accedere ad missam parochialem, eadem Sacra Congregatio, postquam primitus petitionem cum negativa responsione dimisisset (*28 aug. 1888*), quum deinde circumstantias casus melius considerasset, responsionem dedit: " Pro facultate binandi, quoadusque praesentes circumstantiae perduraverint „. *S. C. C. in Salernitana 4 maii 1889.* Eodem modo sacra eadem Congregatio denegavit facultatem binandi in casu, quo in quadam parochia tres missae habebantur, sed quatuor parocho necessariae videbantur pro populi commoditate; ratio enim maioris commoditatis populi non sufficit, neque gravis causa consideratur. *S. C. C. in una Venetiarum 28 febr. 1891.* Hinc etiam episcopo Nivernensi petenti ut facultas sibi concederetur permittendi sacerdotibus binationem quibusdam festis solemnioribus, ut maior facilitas daretur fidelibus sive sacro assistendi sive sacram communionem maiore cum devotione accipiendi, Sacra Congregatio Concilii respondit: " Non expedire „ *S. C. C. 24 mart. 1888.*

643 Ad hoc autem ut iusta et gravis causa adesse censeatur, non est necesse, ut nullus alius sacerdos inveniatur in loco, ubi binatio conceditur, sed sufficit, ut non adsit sacerdos, qui praesto sit celebrare, quem scilicet episcopus rationabiliter compellere non potest, ut celebret, vel ut celebret ibi. *Constit.* Ben. XIV. " Declarasti „ *16 mart. 1746.* Attamen Episcopus, compellens sacerdotem ad celebrandum, debet ei procurare congruum stipendium, ad quod dandum tenetur in primis parochus, si sacerdos pro parocho sacrum facit in aliqua ecclesia parochiae ab ecclesia parochiali longe dissita, et si is non potest, populus, et si ne populus quidem potest, ipse episcopus ex iis eleemosynis, quas ipse egenis elargiri solet. Quid autem, si episcopus etiam adeo tenues reditus habeat, ut ipse quoque hoc non possit? Et tunc ratio inopiae videtur sufficere, ut in casu necessitatis, etiamsi alter sacerdos adsit in loco, qui tamen sine stipendio celebrare non vult (quod tamen maxime esset dolendum), episcopus permittat binationem parocho. Mon. Eccl. *1898.-99. pag. 60 seqq.* Quid si accidentaliter in loco adesset praelatus privilegium habens altaris portatilis? Is non tenetur a privilegio abstinere in commodum populi; quare episcopus posset parocho permittere binationem, et ipse parochus, si hoc privilegium habitualiter haberet, posset sine scrupulo binare, si praelatus nollet pro ea vice a privilegio cessare et sacrum publice facere. Mon. Eccl. *loc.cit.pag.166.* Si quando autem casus necessitatis est improvisus, nec patet ex angustia temporis recursus ad episcopum, et sacerdos, qui solus celebrare potest, adhuc est ieiunus, quia in prima missa, casum praevidens, ab ablutione abstinuit, videtur is posse omnino binare. Pasqualigo *De sacr. N. L. tr. 1. q. 392. n. 4.*; Mon. Eccl. *loc. cit. pag. 201.*

De vetito stipendio pro secunda missa. 644 — Sed nemini binanti licet duplex stipendium accipere, ne sub ea quidem lege, ut alterum in pios usus convertatur *(S. C. C. in Cameracen. 25 septemb. 1858; 21 mart. 1863; 1 apr. 1876),* aut ad satisfaciendum voluntati testatoris, qui voluit diebus festis pro se sacrificium offerri, quod secus iis diebus offerri nequit (*S. C. C. in Tudertina 15 sept. 1888*); et quia applicatio missae pro populo obligatio est beneficio parochiali inhaerens, ac proinde stipendium illius missae in ipso beneficio contineri censetur, non licet parocho satisfacere huic obligationi per celebrationem secundae missae (*S. C. C. in Vivarien. 5 mart. 1887),* nisi ex speciali indulto apostolico (*S. C. C. in Lingonen. 27 aug. 1892*); quemadmodum non liceret beneficiato, ex. gr. canonico applicando secundas missas satisfacere alicui obligationi missarum, quam ex beneficio haberet, etsi pro his missis nullum speciale stipendium ipsi competeret. *S. C. C. in Senogallien. 7 sept. 1889.* Cfr. etiam *S. C. C. in Friburgen. 14 apr. 1894.*

Hoc tamen non obstante, aliquid ac- 645 cipere intuitu defatigationis cum secunda missa coniunctae non est illicitum. *S. U. I. 19 decemb. 1866; S. C. C. in Treviren. 23 martii 1861; in Aprutina 20 febr. 1886.* Quare si quis secundam missam cantaret, posset pro defatigatione cantus etc. aliquid reci-

pere. Hinc, quum archiepiscopus Bambergensis, in cuius dioecesi privilegium est pro sacerdotibus binantibus accipiendi stipendium pro secunda missa, quod tamen integre remittere debent archiepiscopo pro seminario, petiisset, num praefati sacerdotes, alteram missam cum cantu celebrantes, deberent integrum stipendium remittere quod in casu accipiunt, vel possent sibi partem stipendii retinere pro maiori defatigatione ex cantu habita, remisso archiepiscopo stipendio dioecesano tantummodo, responsum fuit a S. Congregatione Concilii 17 iun. 1905: " Communicetur archiepiscopo resolutio die 11 martii 1879 „. Est autem haec resolutio responsio data ad quaesitum archiepiscopi Lugdunensis in consimili casu, quo dicitur, non posse retineri in casu excessum supra stipendium, sed integrum stipendium remittendum esse archiepiscopo, " nisi morali certitudine constet excessum communis eleemosynae oblatum fuisse intuitu personae, vel ob maiorem laborem aut incommodum „. Quae omnino confirmant ea, quae diximus, quum in casu missae cum cantu celebratae praesumi iure possit, aliquid stipendii, etsi forte non omnem excessum supra taxam dioecesanam, datum fuisse pro maiori labore. Imo nec illicitum est per applicationem secundae missae aliis obligationibus satisfacere, quae non urgeant ex iustitia; ut secundam missam applicare pro aliquo defuncto, quando quis ad hoc tenetur ratione adscriptionis alicui piae sodalitati. *S. C. C. 14 sept. 1878; 6 aug. 1881; in Vivarien. 5 mart. 1887.*

646 Nota autem sedulo hic, prohibitionem proprie esse accipiendi duplex stipendium, pro prima scilicet et pro altera missa, non autem directe prohibitionem cadere in vetito accipiendi stipendium pro *secunda* missa. Quare, si quis celebraret sine stipendio primam missam, posset pro altera stipendium accipere. Many *De missa*; Mon. eccl. *vol. XVIII. pag. 44.*

Sacerdos, qui alteram missam celebraret sine facultate, et acciperet stipendium pro secunda missa, non peccaret contra iustitiam, nec teneretur ad restitutionem, etsi peccaret contra legem ecclesiae id prohibentem. Mon. Eccl. *vol. XV. pag. 123.* Haec lex ex generali consuetudine introducta nunc ubique viget. Cfr. Many *De missa c. 4. § 6. n. 5;* Mon. eccl. *vol. XVI. pag. 41.*

De liturgica ratione binandi. — Ad com- 647
moditatem sacerdotum binantium iuverit referre sequentem Instructionem S. Congregat. Rituum. *11 mart. 1858 (3068).*

" Quando sacerdos eadem die duas missas dissitis in locis celebrare debet; in prima dum divinum sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat. Exinde super corporali ponat calicem et palla tegat, ac iunctis manibus in medio altari dicat: *Quod ore sumpsimus;* et subinde admoto aquae vasculo digitos lavet dicens: *Corpus tuum,* et abstergat. Hisce peractis calicem, super corporali manentem adhuc, deducta palla, cooperiet ceu moris est, scilicet primum purificatorio linteo, deinde patena ac palla et demum velo. Post haec missam prosequatur, et, completo ultimo evangelio, rursus stet in medio altaris, et detecto calice inspiciat, an aliquid divini sanguinis necne ad imum se receperit, quod plerumque contingit.

Quamvis enim sacrae species primum sedulo sorptae sint, tamen dum sumuntur, quum particulae, quae circum sunt, undequaque sursum deferantur, nonnisi deposito calice, ad imum redeunt. Si itaque divini sanguinis gutta quaedam supersit adhuc, ea rursus ac diligenter sorbeatur et quidem ex eadem calicis parte, qua ille primum est sumptus. Quod nullimode omittendum est, quia sacrificium moraliter durat et superexstantibus adhuc vini speciebus, ex divino praecepto compleri debet „.

" Postmodum sacerdos in ipsum calicem tantum saltem aquae fundat, quantum prius vini posuerat, eamque circumactam, ex eadem parte, qua sacrum sanguinem biberat, in paratum vas demittat. Calicem subinde ipsum purificatorio linteo abstergat, ac demum cooperiat, uti alias fit, atque ab altari decedat „.

" Depositis sacris vestibus et gratiarum actione completa, aqua e calice dimissa pro rerum adiunctis, vel ad diem crastinum servetur (si nempe eo rursus sacerdos redeat missam habiturus) et in exsequenda purificatione in calicem demittatur; vel gossipio aut stupa absorpta comburatur; vel in sacrario, si sit, exsiccanda relinquatur; vel demittatur in piscinam „.

" Quum autem calix, quo sacerdos primum est usus, purificatus iam sit, si illo ipso pro missa altera indigeat, eum secum deferat; secus vero, in altera missa diverso calice uti poterit „.

Sacerdos binans potest deferre secum purificationem primae missae in aliquo vase mundo caute custoditam, ut eam cum purificatione secundae missae sumat. *S. R. C. in Romana 9 maii 1893 ad 5. (5798).* Quoad binationem missae confer etiam Instr. S. C. P. F. *24 maii 1870.* Cfr. C. B. aa. 100-106. Vid. *Trinare.*

Decr. c. 53 dist. I de cons.; cc. 3. 12. de celebr. miss. etc. X. (III. 41); Const. Ben. XIV « Declarasti nobis » 16 mart. 1746; Instr. S. C. P. F. 24 maii 1870; Comm. in tit. cit. Decr.; *Ben. XIV.* De sacr. missae lib. 2. cc. 4. 5; *Pasqualigus* De sacr. missae tom. I. quaest. 381; *Giribaldi* De sacr. tr. 5. cap. 7. dub. 2; *Rotarius* tom. 3. cap. 2. punct. 11; *Laymann* Th. mor. lib. 5. tr. 5. c. 4; *Suarez* in 3. p. q. 73. a. 2. disp. 80. sect. 3; *Lugo* De euch. disp. 20; *Gavanti* Ad rubr. missalis part. 3. tit. 12: *S. Alph.* VI. 351; *Lucidi* De vis. ss. lim. I. c. 3. n. 378 seq.; *Lehmkuhl* II. 222 sqq.; *Berardi* Praxis confessar. II. 3800; *Aertnys* Th. mor. II. 128; *Castropalão* Op. mor. tom. IV. tr. 22. disp. un. punct. 7; *Gennari* Consultaz. mor. cons. 100. 101. 115; *Neher* Die bination nach. ihr. geschichtl. Entwicklung u. nach d. heut. Recht; *Buvée* Histoire et discipline du binage; *Rösch* Die bination i. ält. Zeit u. nach. d. jetzt geltenden Rechte (Arch. f. k. KR. 77, 1897, 43 sqq.); *Scherer* Ueber d. Bination (Th.-prakt. Qsch. 38, 1885, 272. sqq.); *Scherer* KR. § 141. IV. 23; *Sägmüller* KR. § 157. 4.

Birretum. — Ex concessione Leonis XIII. *3 febr. 1888,* episcopi confirmati uti possunt birreto etiam violacei coloris. Magister vel doctor in theologia, aut iure canonico, nequit uti birreto doctorali (scilicet cum quatuor apicibus) in ecclesiasticis functionibus aut in choro: attamen, si quis eo in choro uteretur, non amitteret distributiones, quia birretum non est chorale indumentum. *S. R. C. in Venusina 7 dec. 1844 (2877).* Et hoc valet etiam pro archiepiscopo doctore. *S. R. C. in una S. Iacobi de Chile 6 sept. 1895 ad 5 (3873).* — Quum birretum non sit chorale indumentum, non potest 648

exigere episcopus, ut canonici in choro, nisi sacris paramentis sint induti, illud adhibeant. *S. R. C. in Lublinen. 5. maii 1891 ad 1 (3746).* Alumni autem seminarii choro interessentes possunt uti birreto, etsi canonici illud non deferant. *S. R. C. decr. nuper. cit. ad 2.*

Quoad usum birreti in ecclesia haec habet De Herdt *Praxis Pontif. v. I. n. 32. 6:* " Clerici et canonici per ecclesiam incedentes, ad altare vel ad chorum accedentes, vel ab his discedentes, caput birreto cooperiunt, si sacris paramentis vel saltem stola sint parati; numquam autem, si tantum habitu chorali, et non sacris paramentis, neque saltem stola sint induti „.

Quoad birretum doctorale vide *Doctoratus.*

649 **Blaesus.** — Blaesus, aut balbutiens, etiamsi cum aliqua difficultate verba proferat, nisi exinde afferat causam risus aut contemptus, non est irregularis. S. Alph. *VII. 406;* B. P. *VII. 477.*

650 **Blasphemia.** — Blasphemia est locutio Deo contumeliosa, et dicitur haereticalis, si haeresim contineat. Cfr. Bucc. *I. 534.* Probabilius saltem directa voluntas blasphemiis inhonorandi Deum non est circumstantia in confessione exprimenda. Cfr. Baller. *in Gury I. 299. nota 2.* — Blasphemias in Deum et in sanctos probabile est specie non differre. S. Alph. *III. 132.* — Peccatum blasphemiae est mortale ex toto genere suo; et maximum peccatum irreligiositatis (S. Th. *2. 2. q. 13. a. 3*); potest tamen evadere veniale ex imperfectione actus, ex inadvertentia, etc. — Ea verba, quae ex communi apprehensione contumeliosa in Deum reputantur, quamvis talia per se non sint, grave erit proferre ratione scandali. — Maledicere creaturis, imo etiam mortuis, sine relatione ad Deum, non est blasphemia. Generatim maledictio in mortuos est potius convicium et iniuria in vivos. S. Alph. *III. 128. sqq.* — Qui haereticas blasphemias profert, si vere haeresim mente tenet, incurrit excommunicationem l. s. Romano Pontifici specialiter reservatam. Vid. *Haereticus.*

Nota plerumque, totam malitiam bla- 651
sphemiae, tunc nempe, quum inadvertenter proferuntur, reduci ad peccatum quoddam in causa. Scilicet non tum quis peccat, quum inadvertenter et materialiter verba blasphema ore effundit, sed tunc reatum incurrit, quum causam ponit. Causa autem in eo est, quod quis ceptam consuetudinem (quam plerumque inadvertenter acquirit) negligat emendare, quam sub gravi tollere quis tenetur. Quare inutile est percontari a poenitente numerum horum materialium peccatorum, sed sufficit cognoscere, utrum quis in iis dicendis peccaverit in causa, utrum nempe ea omnino inadvertenter protulerit, adhibito tamen conatu ad auferendam malam consuetudinem, necne; nam in primo casu liber is erit ab omni culpa, in alio reus erit peccati blasphemiae in causa, ut diximus. Et si persistat in mala voluntate non adhibendi necessarium conatum ad consuetudinem abrumpedam, absolvi non poterit; secus absolvendus erit, si nempe hoc serio promittat.

Adverte tamen, difficulter decerni posse, quando gravis sit reatus negligentiae in iis, qui causam utique retractant, et conatum aliquem adhibent,

qui tamen non semper sit intensus. Ball. *in Gury I. 300 (7).*

652 **Bona.** — ***De bonis filiorum familias.*** — Bona filiorum familias ex iure romano alia sunt castrensia, idest acquisita occasione militiae: alia quasi castrensia, seu acquisita ex aliquo officio civili: alia profectitia, quae filius lucratus est ex bonis paternis, vel filio intuitu patris donata sunt: alia tandem adventitia, quae filio non intuitu patris donata sunt, vel illi aliunde quam ex bonis paternis advenerunt. Confer Inst. Iust. *lib. II. tit. 9.* — Ius italicum distinguit bona filiorum in bona, quae filio proveniunt ex successione, donatione, aut quolibet alio titulo lucrativo (horum pater habet usumfructum, nisi contrarium expresse statuerit testator vel donans, donec filius emancipetur aut pervenerit ad aetatem maiorem, *C. C. a. 228*); et in ea bona, quae filio donata sunt pro arte, professione etc. capessenda; quae ipsi proveniunt ex hereditate etc. acceptata in bonum filii contra consensum patris; quae filius acquisivit labore proprio, aut propria industria separata (horum bonorum pater usumfructum non habet, sed administrationem, donec filius emancipetur aut excedat ab aetate minori, *C. C. a. 229*).

653 ***De bonis uxorum.*** — Bona uxorum, tum ex iure romano tum ex iure italico, dividuntur in dotalia, quae nempe marito dantur vel promittuntur ad matrimonii onera sustinenda (*C. C. a. 1388*): in paraphernalia seu extradotalia, quae uxor habet praeter dotem et sibi reservat (*C. C. a. 1425*): in communia, quae in societatem cum viro suo conferuntur, sive ex pacto inter ipsos inito, sive ex determinatione legis. Dotalium vir plenam administrationem habet et usumfructum percipit, uxor habet solum dominium directum. Paraphernalium uxor non solum dominium, sed et administrationem et usumfructum habet. Communium proprietas et utilitas ad utrumque coniugem spectat, administratio ad solum virum. Haec ex iure romano (Inst. Iust. *l. II. tit. 8; L. 9. C. de Pact. conven.*), et ex iure italico *C. C. art. 1399. 1427. 1438.* Vid. *Maritus.*

De bonis clericorum. — Bona cleri- 654
corum alia sunt patrimonialia, quae ex patrimonio ipsis sunt, seu quae tamquam cives, non tamquam clerici habent; alia quasi patrimonialia, quae ab ipsis acquiruntur occasione sacrarum functionum; alia ecclesiastica, quae ex reditibus beneficiorum sacrorum obtinent; alia parsimonialia, quae coalescunt clerico ex his, quae parcius vivendo resecat ab his, quae in sui commodum expendere posset. Clericus omnium horum bonorum perfectum habet dominium, ecclesiasticis non exceptis, ut communior et verior est sententia. Quae sententia, ex modo etiam loquendi conciliorum et generatim canonistarum, comprobatur; quum et concilia et doctores loquantur de casibus, in quibus clerici beneficii fructus non faciunt suos, et de casibus, in quibus eos suos faciunt. Quod perinde est ac dicere, eos fructus aliquando transire in perfectum dominium clericorum. *arg. l. 2. de rebus creditis etc. D. (XII. 1);* cfr. etiam Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 1 de ref.; sess. XXIV. c. 22 de ref.; Const.* Iulii III. " Quum sicut " *a. 1550.* Attamen exinde non sequitur, clericum posse de suis bonis ecclesiasticis libere omnino disponere;

nam ea bona ad eum transeunt quasi onerata, idest cum onere, ut, quae eius honestae sustentationi supersunt expendantur in pauperes vel in pia opera. Quum tamen vere sua sint, et pauperes aut pia opera in ea bona nullum habeant ius quaesitum, si clericus de facto hanc obligationem non adimplet, iustitiam non violat. Quare discrimen adesse videtur inter modum, quo fiunt clerici haec bona ecclesiastica, et modum, quo fiunt heredis bona hereditaria debitis ex. gr. onerata; nec videtur ullo modo urgenda paritas inter hos duos modos, ut nonnulli faciunt. Cfr. Wernz *Ius Decr. III. 186. II.* Vid. *Clerici.*

De bonis inventis (*remissive*). — Bona *inventa* sunt quadruplicis generis: *a*) thesaurus, Vid. *Thesaurus: b*) res nuper amissae, Vid. *Res amissae; c*) bona derelicta, Vid. *Res derelictae; d*) bona vacantia seu bona eorum, qui, nullo relicto herede, decedunt: haec de iure naturali primi occupantis, de iure italico, saltem si agatur de immobilibus, Status fiunt. *C. C. 425. 758.* Vid. *Cessio bonorum.*

655 **Bona ecclesiastica.** — Ecclesiam ius nativum et proprium habere bona temporalia acquirendi et possidendi de fide est contra Wicleffum et alios haereticos. Ex quo fluit etiam in ecclesia ius liberae administrationis quoad sua bona. Vid. *Administratio.*

Bona ecclesiastica ea sunt, quae in patrimonio sunt alicuius ecclesiae vel monasterii vel locii pii, auctoritate ecclesiastica erecti; quare huiusmodi non sunt bona, quae pertinent ad cappellanias laicales, item bona confraternitatum laicalium, eoque minus bona legatis piis satisfaciendis destinata, si ex fundatorum voluntate remanserint penes heredes. Eleemosynae quoque, quae pro missionibus colliguntur, vere sunt bona ecclesiastica. *S. C. P. F. ad praef. ap. Norvegiae 27 maii 1881.* Vid. *Missiones.*

Subiectum (inhaesionis iuris dominii, 656
non utilitatis) bonorum ecclesiasticorum verius neque Deus est, neque Romanus Pontifex, sed ecclesiae vel instituta, quibus sunt adscripta. Cfr. *c. 1 de testam. X. (III. 26);* Conc. Trid. *sess. XXV. c. 3 de regul.; et sess. XII. c. 11 de ref.* Romanus tamen Pontifex horum bonorum est supremus administrator, imo habet quoad ea ius supremae dispensationis, seu, quod a nonnullis dicitur, altum dominium. Cfr. S. Th. *2. 2. q. 100. a. 1.*

Episcopi autem est pro arbitrio erogare in usus pios reditus bonorum ecclesiae, qui ad peculiarem usum non fuerunt a benefactoribus destinati, vel illud, quod, satisfacto onere a testatoribus iniuncto, de iisdem reditibus superest in usus pios erogandum. *S. C. P. F. pro Sin. 13 ian. 1794.*

Referendae hic sunt: 1°. excommu- 657
nicatio l. s. *specialiter* R. P. reservata *(Const.* " Ap. Sedis „ *ser. 1. nn. 11. 12)* in usurpantes aut sequestrantes iurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes (quoad hanc excommunicationem Vid. *Usurpantes);* — nec non in invadentes, destruentes (nempe vastantes, delentes), detinentes per se vel per alios civitates, terras, loca aut iura (temporalia scilicet; nam haec excommunicatio ad defensionem dominii temporalis S. Sedis pertinet) ad ecclesiam romanam perti-

nentia, vel usurpantes (quovis modo et quovis titulo, etsi non vi nec hostiliter), perturbantes (idest quidvis molientes ad supremam S. Sedis iurisdictionem labefactandam aut minuendam, D'Ann. *Comm. in Const.* " Ap. Sedis „ *n. 100)*, retinentes (scilicet qui non restituunt, etiamsi non ipsi, sed alii usurpaverint) supremam iurisdictionem (pariter temporalem) in eis, nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.

Et quoad hos nulla est difficultas, si de iis agatur, qui invadentibus, destruentibus, perturbantibus auxilium praebent; at, si agatur de iis, qui auxilium, consilium, favorem praebent retinentibus, salebrosa res est. D'Annibale (*Comm. cit. n. 101*) et post eum Ballerini (ad Gury *II. 784 [31]*) distinguunt inter eos, qui publicum quoddam munus exercent, et inter eos, qui nullum publicum munus obeunt. Illos ante omnia, et recte, obligatos putant, ut obedientiam usurpatori non promittant aut iurent, et si promittere aut iurare necesse sit, passivam tantum, non activam, promittant, iurent; praeterea, ut dum iurant, publice profiteantur, se nihil facturos, quod divinis aut ecclesiasticis legibus adversetur. Putant insuper, eos non excusari, qui publica acceptant munera, quae directe et proxime influunt in spolium (nempe ex resp. S. Poen. *10 oct. 1860 ad 11*); cuiusmodi erant olim officia gubernatoris aut praefecti seu primi magistratus in unaquaque provincia aut civitate (scilicet ex Instructione *10 iun. 1809*). Attamen quoad hoc sapienter adnotat Ballerini, qui a D'Annibale in recentiore editione de hoc laudatur: " A qua tamen oeconomia descisci cepit, postquam nullam haec spem relinquebat impediendi, quominus usurpatio consolidaretur, et alioquin gubernandi officium, solis rebellibus atque improbis commissum ac permissum, hunc denique fructum unice afferebat, ut eiusmodi oeconomia in religionis perniciem et in damna subditorum usque deteriora cederet „. Nam, ut ait D'Annibale *l. c.*, " quae initio novissimae invasionis circa munera publica cauta fuerunt a SS. Urbis Congregationibus, eo spectabant, ne invasores consistere possent; hodie igitur, usurpatione constituta, quasi rebus mutatis, accipienda erunt cum grano salis „. — Et haec quidem quoad illos, qui munera publica exercent; quoad eos vero, qui nullo eiusmodi officio funguntur, favere retinentibus intelliguntur ii tantum, qui proximam (non autem qui remotam tantum) operam praestant, ut usurpatores in possessione remaneant v. gr. pecunia, delationibus, consiliis, scriptis etc. Cfr. D'Ann. *loc. cit.*; G. B. *loc. cit.*

2°. Excommunicatio latae sententiae 658
simpliciter R. P. reservata (*Const. cit. ser. 2. n. 13*) in eos omnes, qui agunt penes Rom. Pont. de alienatione civitatum, oppidorum, locorum ad ius et proprietatem S. Sedis seu immediate seu mediate pertinentium, exceptis locis publicatis et fisco addictis. — Eam incurrunt omnes, etiam S. R. E. Cardinales (*Const.* S. Pii V. " Admonet nos „ *IV Kal. apr. 1567 § 3*), de hac re tractantes, consulentes aut alias verba facientes, eligentes ex. gr. oratores in hunc finem ad S. Sedem mittendos, oratores huiusmodi munus recipientes, alii omnes R. Pontifici hanc alienatio-

nem suadentes. G. B. *II. 787 (49).* — Probabilius hanc excommunicationem non incurrunt, qui R. Pontifici suadent conciliationem inire cum gubernio italico per abdicationem dominii temporalis, quippe, ut dicit D'Annibale *I. 391 (11)*, aliud est alienatio, aliud abdicatio; et in ferenda hac excommunicatione, de infeudationibus et investituris tantum a RR. PP. cautum est. Cfr. Pennacchi *Comment. in Const.* " Ap. Sedis „ *§ 1013.* Vid. *Alienatio.*

659 3° Alienantes et accipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito apostolico ad formam Extravag. *Ambitiosae,* tenentur excommunicatione latae sententiae *nemini* reservata. *Const. cit.* " Ap. Sedis „ *ser. 4. n. 3.*

Quoad hanc excommunicationem Vid. *Usurpantes.*

660 Recentes dispositiones a S. Poen. datae sunt ordinariis locorum pro absolvendis iis, qui censuram incurrerint ob bonorum ecclesiasticorum usurpationem. *15 apr. 1892.* Quas confer sub *Redemptio.*

Meurer Begriff u. Eigenthümer der heiligen Sachen; *I. F. Schulte* Die Erwerbs-u. Besitzfähigkeit d. deutsch. kath. Bistümer; *Revuée H.* Le droit de propriété de l'église; *Mamachi Th. M.* Del diritto della chiesa di acquistare e di possedere beni temporali; *Schulte I. F.* Die juristiche Persönlichkeit d. kath. Kirche, ihr. Institute u. Stiftungen sowie der. Erwerbsfähigkeit; *Scheys* De iure eccles. acquirendi et possidendi bona temporalia; *Schneemann G.* Die Freiheit u. Unabhängigkeit d. Kirche; *De Lacoste I.* Historia orig. et progressus redituum ecclesiasticor.; *Biederlack I.* De bonis ecclesiast. temporalibus; *Guyot de Preignan F.* Le droit de propriété et le temporel de l'église au 19 siècle; *Marx I.* Das Kirchenvermögensrecht; *Helfert I.* Von dem Kirchenvermögen; *Affre D. A.* Traité de la propriété des biens ecclés.; *Évelt I.* Die Kirche und ihre Institute auf d. Gebiet d. Vermögensrechtes; *Moulart* L'église et l'état; *Zech* De iure rerum ecclesiasticarum sect. 3. tit. 1. de bonis tempor. ecclesiast., tit. 6. de fideli bonorum ecclesiast. administratione; *Buschii I.* De iure bonorum ecclesiasticorum; *Le Maistre* De bonis et reditibus ecclesiarum; *Sarmiento de Mendoza* De ecclesiasticis reditibus.

Bona fides. — Bona fides quoad 661
praescriptionem est firma persuasio, qua quis prudenter iudicat, rem a se possessam esse suam. *l. 109 de verb. signific. D. (L. 16); l. 27 de contrah. empt. D. (XVIII. 1);* Inst. Iust. *lib. II. tit. 1. § 35.* Necessaria est ad praescriptionem tum acquisitivam tum liberativam, et quidem lege ipsa naturae; quare, iuxta legem naturae omnino est illud iuris canonici (*reg. 2. iur. in 6°*): " Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit „. Cfr. etiam *c. 20 de praescriptionibus X. (II. 26); l. 43 de usurpationib. et usucapion. D. (XLI. 3).* Nota autem, bonam fidem se liberantis in eo esse, quod sciat, se non teneri dominum alterius fundi monere, ut iure suo utatur. B. P. *III. 257.*

Iure romano (*l. un. de usucapione transformanda* etc. *C. [VII. 31]; l. 44. § 2. tit. cit. D. [XLI. 3]*) bona fides requirebatur tantum in initio possessionis; idem nunc est iure italico (*C. C. a. 702*); sed ab Ecclesia hoc reprobatur. *c. 20 de praescript. X. (II. 26).* Necessaria est etiam in antecessore immediato heredis ex titulo universali pro praescriptionibus ordinariis. *l. 11 de diversis tempor. praescript. D. (XLIV. 3);* Inst. Iust. *l. II. tit. 6 § 12.*

Quaerunt Doctores, an dubium tol- 662
lat bonam fidem; et communis ac vera

sententia est, dubium nocere quidem in initio possessionis, quia nemo potest spoliare possessorem re sua, qui positive non probet rem non esse illius; non autem in continuatione ipsius possessionis, ex eodem principio, quum nunc ipse spoliaretur, nec spoliari iure potest nisi ab eo, qui positive probet rem suam esse, non possessoris. Quod firmatur alio principio iuris notissimo: melior est conditio possidentis. B. P. *III. 149*. Ceterum, possessor malae fidei iure canonico ille est, qui *novit* rem, quam possidet, esse alienam (*cc. 4. 20. tit. cit. X. [II. 26]*); qui ignorat se possidere alienum, is iure canonico possessor est bonae fidei (*c. 5. C. XXXIV*). Quare qui dubitat, quum non cognoscat, sed ignoret alienum possidere, is bonae fidei possessor est. Lessius *De iust. et iur. lib. II. c. VI. n. 11*; D'Ann. *II. 119 (16)*.

663 Quaeritur etiam, an bonae fidei ad praescriptionem requisitae obsit error. Et notandum, errorem in casu praescriptionis necessario et natura sua semper adesse, quum praescriptione aliquis suam faciat rem, quae sua non est. Attamen, quum error versari possit et circa factum et circa ius, animadvertendum est, errorem facti nocere numquam (*l. 4. de iuris et facti ignorantia D. [XXII. 6]; l. 2. pro emptore § 15 D. [XLI. 4]; reg. 13. iur. in 6°*); errorem autem iuris plerumque nocere (*l. 31. tit. cit. D. [XLI. 3]; l. 2. § 15. nuper cit. D. [XLI. 4]*). Dixi plerumque, nam, si ius non fuerit evidens, potest aliquando ignorantia iuris prodesse, quod verificatur etiam, quum agitur de militibus et minorennibus. Confer quoad haec B. P. *III. 150 sqq.*

Andreani Il diritto del « bonae fidei possessor » sui frutti (in Arch. giurid. vol. 40. 41); *Bonfante* La buona fede nell' acquisto dei frutti e per l' esercizio del « ius retentionis » (in Foro Italiano, 1864). Ceterum bibliographiam quaere sub *Praescriptio*.

Bonitas. — Bonitas actuum humanorum desumitur ex obiecto (Vid. *Obiectum*), ex circumstantiis (Vid. *Circumstantia*), ex fine (Vid. *Finis*).

Bonum familiae. — Vid. *Familiae bonum*.

Bonum pacis. — Vid. *Pacis bonum*.

Brephotrophium. — Vid. *Expositi*.

Brevia. — Brevia sunt quaedam 664
Rom. Pontificum constitutiones, quae forma minus solemni pro negotiis ut plurimum levioribus dantur. Describuntur in membrana subtili communi charactere latino; subscribuntur a Cardinali Secretario Brevium, non autem a Pontifice; expediuntur a Secretaria Apostolica; obsignantur sigillo referente imaginem S. Petri in actu piscationis, quod exinde dicitur anulus piscatoris; inscribuntur nomine Pontificis, sic: « Pius Papa X. ».

Breviarium. — Vid. *Horae canonicae*.

Bullae. — Bullae sunt constitutiones 665
Romanorum Pontificum, quae graviora negotia respiciunt. Scribebantur charactere teutonico seu bullatico; quem usum Leo XIII. motu proprio *die 29 dec. 1878* abolevit, et substituit characterem latinum. Obsignantur sigillo referente imagines SS. Petri et Pauli, generatim plumbeo, adhaerente litteris funiculo serico (si agitur de re gratiae) vel cannabino (si agitur de re iustitiae); Leo XIII. hoc sigillum pendens seu bullum voluit retinendum esse solummodo in bullis maioris momenti, et in

aliis ipse substituit impressionem sigilli rubri coloris cum imaginibus SS. Petri et Pauli. Praeseferunt nomen Summi Pontificis regnantis cum addito: servus servorum Dei, sic « Pius Episcopus, servus servorum Dei ».

666 **Bursa.** — **De bursa corporalis.** — Non licet sacerdotibus, ne capucinis quidem, in celebratione missae relinquere usum bursae corporalis. *S. R. C. in una Ordinis Capucinorum 19 ian. 1692 ad 2 (1866).* Debet adhiberi bursa cum corporali etiam in distribuenda s. communione extra missam (*S. R. C. in una Ordinis Congreg. Pass. D. N. I. Ch. 27 febr. 1847 ad 1 et 2 [2932]*), et hoc est de praecepto (*ibid. ad 3*); eam decet deferri ad altare ab ipso sacerdote communionem distributuro (*S. R. C. in Neapolit. 24 sept. 1842 ad 3 [2850]*), potiusquam permanenter in ipso altari retineri. Bursa autem debet esse eiusdem coloris ac stola, quam sacerdos in administranda communione defert. *S. R. C. in Viglevan. 11 iun. 1880 ad 1 (3515).*

667 **De iocis bursae.** — *Bursa* alio nomine significat locum, quo in magnis civitatibus aguntur generatim contractus quoad titulos sive a gubernio sive a societatibus privatis emissos *(titoli, cartelle di rendita* etc.). Generatim in bursa contractus, qui fiunt, fictitii sunt, et vocantur *ioci bursae.* Sic nempe res agitur. Fingitur emptio-venditio aliquorum titulorum pro certa die tali vel tali pretio, ita ut venditor sese obliget tradere emptori quinquaginta ex. gr. titulos in ratione 95. pro 100. intra duos menses. Duobus mensibus transactis, nec venditor tradit titulos, nec emptor eos exigit; sed inspicitur pretium, quo tunc de facto illi tituli valent, et solvitur differentia inter pretium pactum et pretium praesens sive a venditore emptori, sive ab emptore venditori; a venditore nempe, si tituli maiore nunc valent pretio eo, quo pactum fuerat, ab emptore, si minore. Quare huiusmodi ioci reducuntur ad sponsionem, cuius etiam regulis regi debent, ut sint liciti. Vid. *Sponsio.* Cfr. B. P. *III. 927 sqq.*

Attamen nota, in praxi hos contractus 668
ruinosissimos esse solere; « quum enim, ait Berardi *Praxis Confes. II. 940,* de summis ingentissimis agi, et proinde quam maximi interesse soleat contrahentibus, ut valor titulorum augeatur vel minuatur, ordinarie per fas et nefas (speciatim per notitias falsas v. gr. de periculo belli, de penuria etc., vel contra de pace, de copia etc. in publicis ephemeridibus evulgandas) hoc ipsum augmentum vel decrementum procurant; unde nedum ipsi sibi invicem magna damna inferre satagunt, sed etiam alii innumeri (ab iisdem notitiis decepti) cum immensa fortunarum suarum iactura ad contractus perniciosissimos procedunt». Quoad bursas, earum leges etc., confer Piccinelli *Apprezzamento dei valori pubblici e delle operazioni di borsa (2ª ediz.), Hoepli, Milano, 1897;* Antoine *Cours d'Economie sociale ch. XIII. a. 5.*

Butyrum. — Butyrum ad instantiam 669
Sacrae Congregationis Universalis Inquisitionis *15 maii ann. 1896* Leo XIII. concessit, ut diebus ieiunio consecratis, in quibus apostolica venia usus condimentorum ex adipe indulgetur, butyro quoque per modum condimenti uti liceat. In qua concessione comprehensus non videtur usus panis butyro illiti.

C

670 **Cadaver.** — In eo altari, sub quo vel sub cuius *predella* humata sunt corpora defunctorum, non debet celebrari missa, donec alio transferantur. *S. R. C. decr. gen. 13 febr. 1666 ad 5 (1333); in Turritana 11 iun. 1629 (508).* Et si in aliquo huiusmodi altari missae ex obligatione celebrari debent, petenda est facultas alibi celebrandi, donec cadavera removeantur (*cfr. decr. S. R. C. in Veneta 7 iul. 1766 [2479]*); nec facultas celebrandi in huiusmodi altaribus conceditur, etsi petatur ad tempus, vel pro ipso die commemorationis omnium fidelium defunctorum, aut pro sacerdotibus confratribus alicuius sodalitatis celebrare volentibus in coemeterio sodalitatis eiusdem; hinc, in Neapolitana *28 sept. 1872 (3283),* Sacra Rituum Congregatio requisita, ut permitteret celebrationem missae in altari exstructo in coemeterio subterraneo alicuius sodalitatis, ubi defunctorum cadavera et ossa reperiebantur, sub conditionibus supra enumeratis, respondit: *Non expedire.*

671 Ad hoc autem, ut in aliquo altari celebrari liceat, cadavera distare debent (et hoc sufficit) tribus cubitis: tres autem cubiti sunt fere unum metrum longitudinis. *S. R. C. in Romana 12 ian. 1897 ad 2 (3944).* Nota etiam, Sacram Congregationem prohibuisse erectionem et benedictionem alicuius cappellae subterraneae, in cuius muris sepelienda erant quaedam cadavera, et in qua moderator urbis S. Iacobi de Chile erigere volebat altare, tum pro celebranda missa, tum pro aliis functionibus peragendis. *S. R. C. in una S. Iac. de Chile 21 apr. 1873 (3294).*

Ad exhumandum cadaver, illudque 672 in alium locum ab eo, in quo primum perpetuae sepulturae fuerat demandatum, necessaria est licentia ordinarii. Nam in rituali romano (*tit. VI. c. 1. n. 15*) praescribitur: " Nullum porro cadaver perpetuae sepulturae traditum ex ulla cuiusvis ordinis ecclesia asportari liceat, nisi de licentia ordinarii ".

Quoad pollutionem ecclesiae ex sepultura aliquorum cadaverum, Vid. *Ecclesia.* Quoad associationem cadaverum, Vid. *Associatio, Exsequiae.*

Caecus. — Caecus, qui visu tota- 673 liter caret, vel ita est caecutiens, ut in missali decenter legere nequeat, ne perspicillis quidem adiutus, est irregularis.

Imo, si agatur de laico, vel etiam clerico minorum ordinum, qui omnino caecus est aut fere, ita ut vix distinguat lucem a tenebris, numquam Sacrae Congregationes dispensationem concedunt, etsi ab episcopis quoque enixe rogatae, et etiamsi iuvenis, pro quo dispensatio petitur, optimis moribus et qualitatibus polleret. Cfr. *S. C. C. in Neapolitana 13 sept. 1814* apud Gasparri *de sacra ordin. I. 256; S. C. C. in Pampilonen. 28 mart. 1733.*

Sacerdoti, qui caecus factus est, di- 674 spensatio haud raro conceditur, ei indulgendo, ut quotidie celebrare possit missam de B. Virgine. Cfr. *S. C. C. in Florentina 23 aug. 1727.*

Hoc autem generatim fit cum iniun-

ctione celebrandi in oratorio privato et cum assistentia alterius sacerdotis aut saltem diaconi.

A qua ultima praesertim conditione S. Congregatio non recedit, quum nimium secus periculum irreverentiae immineat. Hinc, quum sacerdos quidam caecus factus obtinuisset indultum celebrandi cum consueta hac clausula, et ipse per aliquod tempus celebrasset bona fide cum assistentia cuiusdam viri laici sibi amicissimi et spectatissimae pietatis nec non rubricarum peritissimi, non obstante quod iste sacerdos, etsi caecus, ceremonias omnes probe calleret, easque ita perageret, ut ab inscio caecus nullo modo deprehenderetur, et ex alia parte, si alius adstitisset praeter illum sibi familiarissimum, mens eius aberraret, et iam nesciret quid agere deberet, S. Congregatio noluit concedere quod sine assistentia sacerdotis in posterum celebraret. *S. C. C. in una Venetiarum 22 febr. 1851.*

675 Etiam caecutienti nondum ordinato dispensatio ordinarie non conceditur, praesertim si timetur, ne is progressu temporis caecus evadat. *S. C. C. 28 ian. 1860: 12 sept. 1863 etc.*. Attamen concessa fuit dispensatio diacono, qui omnia nebula quadam involuta videbat (*S. C. C. in Geneven. 25 mart. 1880*); illi, qui dexterum oculum perdiderat et cum sinistro legere vix poterat adiutus perspicillis et curvus super missali (*S. C. C. in Faventina 15 febr. 1879*); illi, qui medio tantum metro distantes et non amplius legere poterat magnos characteres alicuius missalis (*S. C. C. in Augustana 17 iun. 1899*); illi, qui nonnisi magna cum difficultate legere poterat. *S. C. in Eporedien. 23 iun. 1900.*

Verum denegata dispensatio fuit cuidam, qui in missali legere non poterat, etsi calicem, patenam, hostiam et pallam videret nec non cursum theologiae perfecisset (*S. C. C. in Vercellen. 28 iul. 1860*); alteri, qui nec in ordinariis missalibus nec in breviario legere poterat, etsi antiquum quondam missale uncialibus notis impressum et psalterium quoddam legere posset (*S. C. C. in Colonien. 13 sept. 1862*); clerico, qui officium divinum regulariter recitare missasque occurrentes celebrare haud poterat, quin visiva eius virtus gravissimum detrimentum exinde caperet, etsi theologica studia perfecisset, et dignus esset, de sententia episcopi, qui ad sacros ordines ascenderet. *S. C. C. in Carcassonen. 27 febr. 1869.*

Sacerdoti vero, qui caecutiens post 676
ordinationem evasit, ita ut iam non possit decenter in missali legere, conceditur dispensatio, et indulgetur, ut missam de B. Virgine celebrare valeat quotidie. Gasparri *loc. cit. I. 257.*

Ille, qui caret oculo sinistro seu eius 677
potentia visiva (probabilius, nisi dextero sine deformitate canonem legere possit, Gasparri *loc. cit. I. 258*), irregularis etiam est, etiamsi ante hanc caecitatem presbyteratum susceperit; nempe non solum est irregularis ad ordines suscipiendos, sed etiam ad celebrationem missae, si fuerit sacerdos. Cfr. *S. C. C. in Florentina 19 apr. 1823; in Hydruntina 21 febr. 1824; 27 ian. 1872.* Eodem modo irregularis est ille, cui alteruter oculus est erutus (*cap. 13 dist. LV*); et ille, qui in alterutro oculo gravem habet maculam; attamen in his dispensatur (*cap. 2 de corpore vitiatis*

etc. X. [I. 20]), praesertim si oculus vitreus decenter suppleat oculum erutum, et non agatur de oculo sinistro.

678 Tandem nota, sacerdoti caecutienti, qui dispensatus est ad missam celebrandam, non suffragari dispensationem concessam, si totaliter caecus fiat. *S. C. C. in Camerinen. 27 iun. 1850; S. R. C. in Oriolen. 16 mart. 1805 ad 3 (2560).* Cfr. Gasparri *loc. cit. I. 257.*

679 Sacerdos caecutiens, indultum habens celebrandi missam votivam B. V., debet eam semper celebrare paramentis albis, nec potest celebrare in paramentis coloris respondentis festo, quod ea die agitur (*S. R. C. in Nolana 28 apr. 1866 ad 2 [3146]*), nec tenetur in ea missa recitare orationem officii diei currentis (*S. R. C. decr. cit. 16 mart. 1805 ad 1 et 3*); nec potest addere *Gloria*, nisi in sabbatis, quod servandum est etiam inter octavas festorum Beatae Virginis (*S. R. C. in una Congr. Obl. B. M. V. 23 febr. 1839 ad 1 [2788]*), et in festis solemnioribus (*S. R. C. decr. cit. 28 apr. 1866 ad 3*); nec potest in die Nativitatis Domini celebrare tres missas votivas de Beata (*S. R. C. in Barcinonen. 11 apr. 1840 ad 3 [2802]; decr. cit. 28 apr. 1866 ad 6*); nec in festis Beatae Virginis tenetur ad missam festi (*S. R. C. in Angelopolitana 11 sept. 1847 ad 7 [2951]*); sed potest hanc missam votivam celebrare etiam in festis solemnibus aut diebus privilegiatis, ex. gr. Nativitate Domini vel in festo Pentecostes etc., et debet in ea missa eas tantum orationes legere, quae missae votivae conveniunt, nempe de Spiritu Sancto et *Ecclesiae* vel pro Papa: quare potest etiam omittere collectas, quae ab ordinario praescriptae sint. *S. R. C. decr. cit. 28 apr. 1866 ad 1. 4. et 5.* — Debet autem servare conditiones appositas in concessione privilegii, quae conditiones non sunt considerandae ut conditiones styli, sed ut obligatoriae in conscientia. *S R. C. decr. cit. 16 mart. 1805 ad 4.*

Quoad excusationem canonici caeci a choro, Vid. *Chorus.*

c. 13. dist. 55; c. 2 de corpore vitiatis ordinandis vel non X. (I. 20); *Zech* De hierarchia ecclesiastica tit. II. § 25; *Scherer* KR. t. I. § 68. *Phillips* KR. I. § 47; *Gasparri* De sacra ordinatione I. 256. ss.; *Wernz* Ius Decr. II. 110. ss.; *Lingen et Reuss* Causae selectae S. C. C. n. 11. ss.; *Schüch* Pastoraltheologie § 253; *Sägmüller* Lehrb. des kath. KR. § 50; *Hergenröther-Hollweck* Lehrb. des kath. KR. n. 192; reliquam bibliographiam vide sub *Irregularitas.*

Calendarium. — Calendarium seu 680
ordinem divini officii tum pro missa celebranda, tum pro breviario recitando, servatis tamen rubricis ex iure communi vigentibus (*S. R. C. decr. gen. 13 ian. 1631 [555]*), praescribere in sua dioecesi debet episcopus; scilicet episcopo (vel capitulo aut primae eius dignitati, si exstet consuetudo) ius est eligendi personam pro confectione calendarii, quae tamen confectio generaliter committitur praefecto ceremoniarum, qui calendarium efformare debet iuxta rubricas missalis ac breviarii romani ac decreta Sacrae Rituum Congregationis. *S. R. C. in una Montis Regalis 20 mart. 1869 ad 5 (3201).*

Quoad calendarium vero a singulis 681
clericis sequendum in recitatione divini officii, principium generale est, clericos debere se conformare calendario dioecesis, cui sunt adscripti, nisi ex quadam magis particulari ratione ad aliud

calendarium teneantur. Cfr. *S. R. C. in Neoporten. et Meneven. 4 febr. 1898 ad 5 (3979)*. Hinc clericus, qui tamquam vicarius parochialis addictus est alicui ecclesiae, si ecclesia haec proprium calendarium habeat, illud calendarium sequi debet (*S. R. C. decr. nuper cit. ad 7*); canonicus ecclesiae cathedralis, ex privilegio S. Sedis praepositus alicui ecclesiae cum cura animarum et obligatione residentiae, tenetur stare calendario illius ecclesiae, non autem calendario cathedralis. *S. R. C. eod. decr. ad 6 et 8.* Imo generatim, quando alicui concredita est cura animarum, is debet sequi calendarium ecclesiae illius, etsi precario tantum haec cura eidem fuerit commissa. Cfr. *S. R. C. decr. nuper cit. ad 2.* E contra, si quando alicui clerico seculari precario committitur administratio alicuius ecclesiae regularis, cui non est demandata cura animarum, quaeque habebat calendarium quoddam speciale, is tenetur sequi calendarium dioecesis. Cfr. *S. R. C. decr. nuper cit. ad 4.* Si quae autem ecclesia secularis ordini cuidam religioso concredita est, sequendum in ea est calendarium ordinis (*S. R. C. in una S. Chrystoph. de Habana 23 iun. 1893 [3806]; in Ratisbonensi 27 ian. 1905; in una Ord. S. Bened. 3 febr. 1905*); si vero concredita esset alicui peculiari religioso, sequendum est in ea calendarium dioecesis. Mon. eccl. *vol. XVIII. pag. 139.* Attamen ecclesiae episcopo subiectae, quae sitae essent in territorio alicuius parochiae regularis, in qua servatur calendarium proprium ordinis, non possent servare calendarium ordinis, sed deberent stare calendario dioecesis, nisi aliqua ex dictis ecclesiis stabiliter administraretur ab iisdem regularibus, qui paroeciam administrant. *S. R. C. in una de Aguascalientes 31 maii 1907.*

Regulares utriusque sexus, qui proprium calendarium non habent, sequi debent calendarium dioecesanum, quamvis addere possint officia particularia, quae a S. Sede sibi peculiariter fuerint concessa (*S. R. C. 22 iul. 1848 ad 1 [2964]*); attamen, si quando aliquod officium, prius ipsis concessum, indulgeretur postea dioecesi, sed alia die, tenerentur se quoad diem conformare dioecesi; imo deberent etiam se conformare dioecesi quoad ritum, si festum dioecesi concederetur sub ritu altiori aut cum officio proprio, dummodo in concessione officii proprii facta dioecesi, regulares explicite non excluderentur. *S. R. C. in una Congr. Barnabit. 29 nov. 1856 ad 1. 2. et 3 (3041); in una Soc. Miss. a S. Ios. 8 maii 1903.* 682

Regulares autem, qui proprium habent calendarium, etiamsi agatur de religiosis recentium Congregationum, qui remunerationem aliquam a civili gubernio accipiant, ut dioecesanis ecclesiis inserviant, debent sese conformare suo calendario. *S. R. C. in nna S. Chrystoph. de Habana 23 iun. 1893 (3806).* Regulares autem, qui vel praedicationis vel ex alia rationabili causa per aliquot dies a suo conventu absunt et in alio morantur, si recitent breviarium in choro, debent sequi calendarium conventus, in quo sunt; si privatim, calendarium conventus, ex quo discesserunt. *S. R. C. in una Ord. Capuc. 30 iunii 1896 ad 13 (3919);* cfr. etiam *decr. in una Ord. Capuc. 31 aug. 1839* 683

ad 1 et 2 (2801); in una Soc. Iesu 15 dec. 1877 ad 2 (3436).

684 Regulares, calendario dioecesano non utentes, non possunt recitare officia propria alicuius regni vel nationis aut dioecesana, nisi eadem declarata fuerint de praecepto in rescripto concessionis, pro huiusmodi etiam regularibus. *S. R. C. in una Ord. Min. 20 mart. 1683 (1708) ad 2; in Eugubina 21 mart. 1859 ad 1 (3084); in una Soc. Miss. a S. Ios. 8 maii 1903.* Attamen regulares omnes tenentur celebrare festum patroni loci (nempe civitatis, *S. R. C. in una Ord. Min. 20 mart. 1683 ad 1 [1708];* non autem parochiae, *S. R. C. in una Congr. SS. Cord. Ies. et Mar. 12 sept. 1840 ad 2 [2822]*), vel dioecesis sub ritu duplici primae classis, sed sine octava; quod si plures habeantur in loco patroni aeque principales, ad singula eorumdem festa praefato celebranda ritu tenentur; si vero de eodem patrono plura sint in loco instituta, unum tantum solemnius, idest natalitium, regulares debent recolere, nisi sub utroque praecepto sint observanda, quia tunc ad illa regulares adiguntur. *S. R. C. decr. gen. 9 iul. 1895 ad 1 (3863);* cfr. etiam *decr. in una Ord. Capucc. 10 iul. 1896 ad 3 (3925).* Etiam titulus cathedralis ecclesiae sub ritu duplici primae classis a regularibus celebrandus est, sine octava. *S. R. C. decr. gen. cit. 9 iul. 1895 ad 2.* Festum quoque dedicationis cathedralis ecclesiae celebrandum est a clero regulari, qui degit in civitate episcopali sub ritu duplici secundae classis sine octava. *S. R. C. decr. gen. nuper cit. ad 4.* — Religiosorum communitas, quae cuidam publicae ecclesiae fuit addicta, tenetur ad officium patroni titularis huius ecclesiae et per totam octavam. *S. R. C. in una Obl. B. M. V. Imm. 7 apr. 1876 ad 4 (3397).* Immo sicubi festum aliquod a legitima auctoritate in perpetuum ad dominicam quamdam fuerit translatum, ut factum est in Borussia pro festis Assumptionis et Nativitatis B. V., quae pro ea regione in dominicam infra octavam translata sunt, regulares, ii quoque, qui proprium calendarium habent, tenentur ad translationem horum festorum. *S. R. C. in una Ord. Carmel. excalc. 5 aug. 1904.*

685 Contra illud, quod diximus supra, quasi generale principium, quod scilicet religiosi, calendario dioecesano non utentes, non possunt recitare officia dioecesana, nisi eadem etiam pro huiusmodi regularibus declarata fuerint de praecepto, difficultas exoriri potest ex alia quadam responsione S. C. Rituum, quae ad dubium: " An alumni dictae congregationis (*Miss. Filiorum Imm. Cord. B. M. V.*), post recentissimam calendarii proprii concessionem, teneantur, exceptis festis titularium, patronorum et dedicationis ecclesiae cathedralis, ad officia et missas alicui regno vel dioecesi concessa cum clausula praeceptiva pro universo clero seculari et regulari „, respondit: " Negative et ad mentem. Mens autem est, regulares non teneri ad officia loci, quo degunt, nisi quatenus eiusdem loci calendario utantur „. *S. R. C. 6 dec. 1902.* Ad hanc difficultatem notandum est, videri nobis, eam regulam concipiendam esse terminis generalibus et accuratis, quibus in antiqua responsione diei 26 mart. 1859 (3084) ad 1.um enunciata fuit,

scilicet regulares non utentes calendario dioecesano non teneri ad ea officia, nisi declarata fuerint de praecepto etiam pro regularibus calendario dioecesano minime utentibus. Si quando igitur praeceptum fit de recitatione alicuius officii huiusmodi, non addendo expresse quod praecepto ligantur ii quoque regulares, qui calendario dioecesano non utuntur, ii regulares non tenentur nec possunt talia officia recitare. Si vero, quin praeceptum imponatur, *concessio* tantummodo fit etiam clero regulari assumendi ea officia, etiam regulares, qui calendario dioecesano non utuntur, possunt ea assumere, si velint, quemadmodum eruitur ex responsione diei 26 mart. 1683 (1708) ad 2; verum si huiusmodi regulares ea officia semel assumpserint, non possunt postmodum ea relinquere, ut patet ex responsione diei 28 aprilis 1866 in Patavina (3147). Cfr. Vermeersch *Periodica de religiosis 1 ser. n. 1. pag. 12 sqq.*; Mon. Eccl. *vol. XV. pag. 342*; *S. R. C. in una Ord. Carm. Excalc. 26 mart. 1904.*

Missionarii, qui nullum habent proprium sui ordinis calendarium, romano potius uti debent, quam alterius cuiuscumque dioecesis. *S. C. P. F. 16 sept. 1771.*

686 Clerus, sive secularis sive regularis, qui in aliqua domo Societatis Iesu in communi peragit exercitia spiritualia (in quibus regulariter in communi etiam recitantur horae canonicae) sub directione patrum eiusdem Societatis, tenetur sequi calendarium Societatis Iesu, non autem dioeceseos, in qua domus posita est. *S. R. C. in una Soc. Iesu 21 maii 1897 (3935).*

687 Sacerdos, qui probabilius (non igitur, qui est certus) iudicat errare calendarium, tenetur eidem calendario se conformare quoad officium, missam et colorem paramentorum, nec potest proprio inhaerere iudicio. *S. R. C. in una plurium diocces. 13 iun. 1899 ad 5 (4031).* Cfr. De Herdt *Sacr. Lit. praxis II. 184.* Vid. *Horae canonicae.* Quodnam calendarium sequi debeant celebrantes in aliena ecclesia vide sub *Celebratio Missae.*

Caligae. — Clerici, in sacris praeser- 688
tim functionibus, adhibere debent caligas et calceamenta, quibus publice uti solent probati clerici loci seu dioecesis. *S. R. C. in Gerunden. 31 aug. 1872 ad 3 (3268).* Caligae autem et sandalia episcopi pontificaliter celebrantis debent esse coloris paramentorum. *S. R. C. in Lincien. 17 maii 1890 ad 2 (3729).*

Calix. — Calix consecratus, qui sit 689
aureus vel argenteus, aut qui saltem habeat cuppam argenteam intus inauratam simul cum patena itidem inaurata, ad celebrandam missam sub gravi requiritur. *Ritus serv. in celebr. missae I. 1.* Attamen in necessitate permittitur etiam calix stanneus (*c. 45 dist. I. de Cons.*; *Constitutiones* Ben. XIV. « Etsi pastoralis » *26 maii 1742*; « Imposita nobis » *29 mart. 1751*); licet intus non deauretur. *S. C. P. F. 16 ian. 1797.* Concessum etiam est, sive ob paupertatem missionariorum, sive ob deficientiam metallorum nobiliorum, ut alicubi uterentur missionarii calicibus ex metallo vulgo dicto *cuivre blanc* aut aere albo. *S. C. P. F. 6 iun. 1847 pro Sinis et regnis adiacentibus.* Et eadem Sacra Congregatio declaravit, indultum illud concessum fuisse non tantum missionariis

europaeis, sed presbyteris quoque indigenis. *S. C. P. F. ad Vic. Ap. Tunk. Occid. 24 dec. 1849.* Calix autem vitreus aut ligneus, ob fragilitatem aut porositatem, omnino excluditur in praesenti disciplina Ecclesiae; similiter non permittitur calix ex aere aut aurichalcho, quia ob vini virtutem aeruginem parit, quae vomitum provocat. *can. cit. 45 dist. I. de Cons.* Cfr. Mon. Eccl. *vol. 1°. pag. 561.*

Quoad consecrationem et exsecrationem calicum, Vid. *Consecratio.*

690 Non licet deferre supra calicem manutergium (et ex pari ratione nec perspicilla, nec clavem ciborii, nec quidquam aliud), tam eundo ad altare, quam ab eo redeundo. *S. R. C. in Pisauren. 1 sept. 1703 (2118).* Tam in principio missae quam post communionem, calix velatus esse debet totus in parte anteriori. *S. R. C. in Urbinaten. 12 ian. 1669 (1379); in Pragen. 1 mart. 1698 ad 1 (1991).*

691 Tolerari potest, sicubi viget, consuetudo apponendi manibus sacerdotum defunctorum, quando efferuntur, calicem cum patena, quum haec consuetudo sit antiquitati conformis. *S. R. C. in Tuden. 23 maii 1846 ad 9 (2915).*

Schüch Pastoraltheologie § 211; *De Herdt* Sacrae liturgiae praxis I. 163 ss.

Calumnia. — Vid. *Detractio.*

692 **Cambium.** — Cambium est permutatio pecuniae cum aliquo lucro (*aggio*) campsoris. Multiplex distinguitur: *reale,* quod est *manuale* vel *locale; fictum* vel *siccum.* Reale est illud, quo pecunia cum alia reapse commutatur: dicitur manuale, si pecunia cum alia pecunia in propria specie permutatur; locale, si pecunia commutatur cum alia pecunia, non in propria specie, sed in litteris cambii (*cambiali*) consignata.

Cambium reale est licitum, dummodo 693
lucrum campsoris non excedat pretium lege vel consuetudine determinatum. Cambium fictum, quod tamen nunc amplius in usu non est, per se est illicitum, quia est actio speciem habens cambii, quae tamen caret ratione cambii realis; potest tamen aliquando licere ratione mutui.

Clericis interdictum est cambium acti- 694
vum, seu munus campsoris agere, tam per se quam per alium. Ratio est, quia cambium activum natura sua est actus verae et propriae negotiationis. Quare clericus, sive secularis sive regularis, qui cambium activum exercet, omnibus fit obnoxius poenis, quae in clericos negotiatores constitutae sunt. *Const.* Clem. XIII. " Quum primum „ *17 sept. 1759.* Vid. *Campsor.*

Lugo De iustitia et iure disp. 28; *Lessius* De iustitia et iure; *Ballerini-Palmieri* Opus theol. mor. III. 842 sqq.; *Gury-Ballerini* Comp. theol. mor. I. 927 sqq.; *D'Annibale* Summ. theol. mor. II. 473 sqq.; *Bucceroni* Inst. theol. mor. I. 1174 sqq.

Camera. — Reverenda camera apo- 695
stolica, quae variis immutationibus subiecta fuit, iuxta suam institutionem fuit supremus magistratus romanae curiae pro administrandis et vindicandis iuribus et bonis temporalibus sedis apostolicae, nec non verum tribunal in causis fisci et in aliis quibusdam civilibus et criminalibus. Wernz *Ius Decr. II. 670.*

Constat cardinali camerario S. R. 696
E., qui tempore Sedis vacantis omnem obtinet auctoritatem in palatio pontificio, nec non vicecamerario seu gubernatore Urbis, auditore generali came-

rae apostolicae, thesaurario eiusdem camerae, qui omnes sunt primi inter praelatos curiae, et simul cum maiore domus seu praeposito s. palatii habent soli titulum " prelati di fiocchetto „. Vid. *Praecedentia.* His adiunguntur alii quidam praelati inferiores, quibus nomen est clerici camerae, quorum numerus plures vicissitudines passus est, et in praesenti exiguus potius est. Etiam hi adnumerantur praecipuis curiae praelatis. Phillips *Comp. iuris eccl. § 119.*

Plures Romani Pontifices constitutiones condiderunt ad ordinandam cameram apostolicam. Praecipuae sunt: Const. Urbani V. " Apostolat. off. „ *12 oct. 1363;* Constit. Eugenii IV. " In eminenti „ *8 iul. 1444;* Constit. Innocentii VIII. " Apprime „ *22 dec. 1485;* Const. Leonis X " Etsi „ *28 iun. 1514;* Const. Clem. VIII. " In conferendis „ *18 dec. 1599;* Constitutiones Pii IV. " Romanus Pontifex „ *27 maii 1562,* " Quum inter ceteras „ *1 nov. 1564.*

Nota, ducatum aureum unum de camera aequivalere scutat. 1,75; quare ducata mille aurea de camera sunt scutata 1850, quae aequivalent francis 9406,25.

697 **Campana.** — Campana consecratur oleo infirmorum pro unctione externa, chrismate pro interna.

Consecrari autem potest campana etiam fusa ex chalybe seu ex puro ferro, quod per fusionem et alias machinationes maiorem duritiem et rigiditatem acquirit. *S. R. C. in Limburgen. 6 sept. 1858 (3067).*

698 Campanae autem consecratio episcopo reservatur; nec potest ad eas consecrandas deputari aliqua capituli dignitas aut aliquis praelatus etiam in urbibus, in quibus frequenter funduntur campanae et a residentia episcopi longius remotae sunt. *S. R. C. in Strigonien. 9 maii 1857 ad 2 (3042);* cfr. etiam *decr. in Maioricen. 19 apr. 1687 (1181).* Attamen saepe indultum datur episcopo, ut valeat aliquem sacerdotem delegare ad consecrationem campanarum. Tunc autem sacerdos delegatus debet benedictionem solemniter agere etiam cum diacono sacris vestibus induto, qui in fine evangelium canat, nec debet omittere unctiones. *S. R. C. in Eistetten. 23 iun. 1853 (3015).* Attamen delegatus, cui non fuisset delegata etiam facultas benedicendi aquam pro ea consecratione, deberet abstinere a campanae benedictione. Quando tamen omnia parata essent, et non haberetur tempus recurrendi ad episcopum, posset delegatus praesumere facultatem ad benedicendam aquam. *S. R. C. in Briocen. 14 apr. 1885 ad 7 (3630).* Delegatus, qui habuerit facultatem benedicendi campanam alicui ecclesiae destinatam, posset praesumere delegationem factam etiam pro pluribus campanis, si plures campanae pro eadem ecclesia essent benedicendae. *S. R. C. decr. nuper cit. ad 5.*

Quando plures campanae consecrandae sunt, lotiones et unctiones faciendae sunt supra singulas campanas per modum unius, dum interea semel et pausatim recitantur aut cantantur psalmi praescripti, et semel dicuntur orationes plurali numero, turibula autem seu focula aut vasa, in quibus ardet incensum, tot adhibenda sunt et supponenda, quot sunt campanae. *S. R. C. decr. nuper cit. ad 1. 2. 3. 4.*

Aqua in consecratione campanae be- 699

nédicenda est toties quoties, et tantum in functione peragenda, sive ab episcopo sive ab eius delegato, et specialis oratio tradita a pontificali recitanda in numero singulari vel plurali, prout perficitur benedictio unius vel plurium campanarum. *S. R. C. decr. nuper cit. ad 6.*

Si campana benedicenda demitti nequit e turri, in qua collocata est, non decet episcopum pontificaliter indutum adscendere turrim, ut eam solemni ritu benedicat; sed posset tunc sacerdos aliquis turrim adscendere et aqua benedicta campanam aspergere. *S. R. C. decr. cit. 16 iul. 1594 ad 3 (52).*

Campanae solemniter benedictae non debent usibus profanis inservire. *S. R. C. in Perusina 16 iul. 1594 ad 1 (52).* Pulsari tamen de consensu episcopi possunt ad usus profanos, ad quos non sequuntur causae sanguinis, et etiam sine episcopi consensu in casu summae necessitatis, ut incendii etc. Ad repellendas vero tempestates pulsandae sunt, quum et ad hunc finem benedicantur.

700 Campanae, quae profanis usibus tantum inserviunt, ut campanae horologii, benedici quidem possunt, sed benedictione quadam speciali reservata episcopis vel aliis sacerdotibus facultatem habentibus, quae habetur in appendice Rit. Romani et approbata fuit a Sacra Congregatione Rituum *in Sedunen. 4 mart. 1892 (3770);* quae vero inserviunt ad usus sacros benedici debent, ut supra diximus. Cfr. Pont. Rom. *de ben. signi seu campanae.*

701 Prima pulsatio campanarum in sabbato sancto non est de iuribus parochialibus (*S. R. C. decr. gen. 12 ian. 1704 ad 9 [2123]*), sed pertinet ad ecclesiam digniorem, idest ad cathedralem seu collegiatam aut matricem (*S. R. C. in Camerinen. 27 febr. 1847 [2940]*), et ipsi regulares, quamvis exempti, non possunt eo die campanas pulsare, antequam pulsetur campana maioris ecclesiae, sive parochialis sive non. Item regulares suas campanas pulsare post silentium campanarum in ecclesia parochiali vel maiori feria V. in Coena Domini non possunt. *S. R. C. in Savonen. 19 dec. 1671. ad 6 (1440).*

Non potest episcopus impedire, ne regulares ante missam parochialem sacras functiones et missam celebrent in suis ecclesiis, praevio etiam campanarum sonitu. *S. C. EE. RR. 14 mart. 1879; S. C. C. 11 mart. 1892.*

In accessu episcopi ordinarii ad ec- 702
clesiam cathedralem rei divinae peragendae causa, sive ipse celebraturus sit sive alter, debent pulsari campanae. *S. R. C. in Platien. 21 febr. 1896 ad 1 (3888).* Contra, non licet pulsare campanas in adventu domini loci sine licentia ordinarii. *S. R. C. in Oritana 10 iul. 1638 (644); in Arianen. 19 febr. 1639 (666).*

Occasione quarumdam solemnitatum 703
aut in simili quodam peculiari casu potest episcopus praescribere sonum aeris campani omnibus ecclesiis, et stante hac iniunctione, tenentur campanas pulsare etiam ecclesiae exemptae. *S. R. C. decr. gen. 3 apr. 1821 ad 3 (2613).*

Propter specialia loci aut temporum 704
adiuncta, potest episcopus decreto suo campanarum sonitum temperare et limitare; quo decreto in casu etiam regulares exempti stare deberent. *S. C. EE. RR. in una S. Fidei 15 nov. 1905.*

Vacandard E. Notes sur l'origine des cloches; *Otte H.* Glockenkunde; *Samson H.*

Für Geschichte und Symbolik der Glocken; *De Herdt* Sacrae lit. praxis III. 136 sqq.; *Schüch* Pastoraltheol. § 345; *Van der Stappen* Sacr. lit. IV. 325 sqq.; *Stockffethi H.* Tr. de usu campanarum; *Giustiniani S.* Le campane nel diritto italiano.

705 **Campanula.** — Ex rubricarum praescripto parva campanula bis tantum, scilicet ad *Sanctus* et ad elevationem SS. Sacramenti (ter ad unamquamque elevationem, vel continuate quousque sacerdos deponat hostiam vel calicem super corporale) pulsatur infra missam. *Rit. serv. in cel. miss. VII. 8; VIII. 6.*

Pulsari autem debet etiam in oratoriis privatis, etsi solus adsit celebrans cum ministro. *S. R. C. in Marianopolitana 18 iul. 1885 ad 3 (3638).*

Responsum etiam fuerat ab eadem S. Congreg. Rituum *14 maii 1856,* tolerari posse consuetudinem eam pulsandi etiam ad verba: " Domine non sum dignus „, ante sumptionem, et quoties administratur communio fidelibus ad praedicta verba; sed in novissima editione decretorum eiusdem S. Congregationis decretum hoc expunctum est.

Omittenda vero semper est pulsatio campanulae etiam ad elevationem tempore precum 40 horarum, adorationis perpetuae aliarumque SS. Sacramenti expositionum. *S. R. C. in Mechlinien. 31 aug. 1867 ad 10 (3157); in una Soc. Iesu 11 maii 1878 ad 2 (3448).*

Etiam quando missa celebratur ad aliquod altare e conspectu chori positum, uti ad *Sanctus,* ita ad elevationem Sacramenti, pulsari non debet; quod si, non obstante hoc vetito, quandoque pulsetur, et elevatio SS. Sacramenti advertatur, omnes, qui in choro sunt, debent tunc temporis caput detegere, in recitatione horarum canonicarum prosequentes. *S. R. C. 21 nov. 1893 ad 1 (3814).*

Prohibitus similiter omnino est sonus campanulae in omnibus missis privatis, quae celebrantur tempore piae alicuius supplicationis seu processionis per ecclesiam; si vero, quod fieri non debet, ex errore pulsetur campanula, omnes ante altare transeuntes, ubi fit elevatio SS. Sacramenti, bini et bini unicum genu flectere debent, et piam supplicationem prosequi. *S. R. C. decr. nuper cit. ad 2.*

Campsor. — Campsor ratione mutui percipere potest 7 pro 100; an plus etiam exigere possit episcopi est diiudicare, omnibus rite pensatis. Cfr. G. B. *I. 930;* D'Ann. *II. 535.* 706

Cancellaria. Vid. *Regulae Cancellariae.*

Candela. — Candela ex cera duplex accensa (Rub. Miss. *tit. X. n. 1*) ad missam requiritur; nec licent plures in missis privatis, nisi celebret episcopus, vel fiat solemnitas extraordinaria, aut expositio SS. Sacramenti. *S. R. C. 12 septembr. 1857; 6 febr. 1858.* 707

Hinc, celebrantibus etiam praelatis episcopo in ferioribus (*S. R. C. decr. gen. sub Alexand. VII. 27 sept. 1659 ad 21 [1131]*), aut protonotariis (*S. R. C. in una Castri Durantis 7 aug. 1627 [441]*), aut parochis sive canonicis (*S. R. C. in Tiburtina 7 sept. 1850 [2948]*), aut vicariis generalibus (*S. R. C. in Cusentina 5 iul. 1631 [567], in Neapolitana 26 ian. 1658 [1051]*), non licet plures quam duas candelas accendere.

Attamen in missis parochialibus vel similibus, diebus solemnioribus, et in

missis, quae celebrantur loco solemnis atque cantatae, occasione realis atque usitatae celebritatis et solemnitatis, tolerari possunt, quemadmodum duo ministri missae inservientes, ita et plures candelae quam duae. *S. R. C. in Molinen. 12 sept. 1857 ad 9 (3059); in Northantonien. 6 febr. 1858 (3065); in una vic. apost. Scient-si merid. 25 maii 1895 ad 1 (3858).*

Celebrare unica tantum candela accensa est veniale (S. Alph. *VI. 394*); sine ullo lumine mortale.

708 Non possunt adhiberi in functionibus sacris candelae ex sebo (*S. R. C. in Carolinopolitana 10 decemb. 1857 [3063]*), nec ex stearina (cfr. *S. R. C. in Policastren. 4 sept. 1875 ad 3 [3376]*); attamen, attenta paupertate ecclesiarum aut difficultate comparandi candelas ex vera apum cera confectas, indulserunt aliquando Sacrae Congregationes, ut adhiberentur in missae quoque celebratione candelae ex cera satis simili cerae communi, sed non ex apibus elaborata, verum ex quadam arbore fluente (*S. C. P. F. ad vic. ap. Coreae 31 aug. 1834; ad vic. ap. Iaponensem 21 febr. 1847*); imo etiam lumina ex oleo, et, his quoque deficientibus, candelae ex oleo seu adipe ceti confectae, et vulgo dictae spermaceti. *S. R. C. in una Miss. Oceaniae 7 sept. 1850 (2985); S. C. P. F. ad vicar. Coimbatorensem 13 dec. 1874.* Exstat quoad haec recentissimum aliud decretum Sacrae Congregationis Rituum, quod referam sub *Cera*.

Tempore missae solemnis seu cantatae, praeter cereos supra candelabra positos in superiori gradu altaris, non requiruntur aliae duae candelae accensae super mensam. *S. R. C. in Lucana 5 dec. 1891 ad 1 (3759).* Nec necesse est, ut in celebratione missae lectae sive privatae duo candelabra cum candelis accensis ponantur super mensam altaris, sed poni etiam possunt super gradum superiorem eiusdem. *S. R. C. decr. nup. cit. ad 2.*

Ex rubricis (*Rit. serv. in celebr. miss. VIII. 6.*) ab elevatione ad communionem inclusive deberet accendi tertia candela: attamen consuetudo eam non accendendi servari potest. *S. R. C. 9 iun. 1899 ad 2 (4029).* Verum in potestate ordinarii est, etiam in locis, ubi consuetudo non accendendi tertiam candelam eo tempore iamdiu est introducta, praescribendi ut servetur in hoc missale romanum sive a secularibus sive a regularibus sacerdotibus. *S. R. C. in una Ord. Fr. Min. prov. Angl. 29 iul. 1904 ad 8.*

Quoad lumina in expositione SS. Sacramenti, Vid. *Expositio SS. Sacramenti.* Vide etiam *Celebratio Missae, Cera.*

Candelabrum. — Candelabra in al- 709
tari ponenda, etsi, iuxta Cerem. Ep. *l. 1. c. 12. n. 11,* aequalia inter se esse non debeant, si tamen aequalia sint, adhiberi possunt, cum in casu ceremonialis praescriptum non videatur rigorose accipiendum (*S. R. C. in Briocen. 21 iul. 1855 ad 7 [3035]*), quod etiam ex consuetudine nunc permittendum videtur.

Septimum candelabrum poni debet in altari, quando episcopus in sua dioecesi solemniter missam celebrat; quod tamen nec in missis defunctorum, nec in vesperis, fieri debet. *S. R. C. in Placentina 19 maii 1607 ad 8 (235).* Se-

ptimum autem hoc candelabrum non competit episcopo administratori (*S. R. C. in Sarsinaten. 22 aug. 1722 ad 6 [2274]*), nec praelatis episcopo inferioribus (*S. R. C. decr. gen. sub Alexandro VII. 27 sept. 1659 ad 1 [1131]*), nec rectoribus et beneficiatis ecclesiarum parochialium (*S. R. C. in Caesaraugustana 11 mart. 1684 ad 2 [1725]; 10 febr. 1685 [1745]*), et multo minus aliis.

Ad missam celebrandam candelabra collocata esse debent super altare, nec retineri potest usus, etsi antiquus, duorum candelabrorum hinc inde parieti, qui altare fere tangit, infixorum. *S. R. C. in Cameracen. 16 sept. 1865 ad 1 (3137)*. Vid. *Candela*.

Eodem modo vetitum est, loco sex candelabrorum usitatorum, collocare hinc inde in utroque altaris latere duo candelabra septiformia ad instar candelabri mosaici. *S. R. C. decr. nup. cit. ad 4*.

Pariter non licet, ut tempore evangelii in missa solemni, et orationis in vesperis, acolythi, loco candelabrorum, sustineant intorticia. *S. R. C. in Taurinen. 22 iun. 1874 (3333)*.

710 " Tolerari nequit, ut tempore missae et officiorum candelabra altaris, ne pulvere sordescant, aliquo panno vel tela permaneant vestita; imo ipsa crux eodem modo involvatur, posita alia cruce minore pro cruce altaris pretiosiore sic obtecta „. *S. R. C. in Molinen. 12 sept. 1857 ad 11 (3059)*. Attamen postea eadem S. Congregatio Rituum ad quaesitum: " Licetne lampadem ardentem coram Sanctissimo Sacramento velo cooperire, praecavendi humoris causa? item candelabra altaris aurata, sive intra, sive extra oblationem sacrosancti sacrificii? „ respondit: " Affirmative ad primam partem; ad secundam, posse tolerari, exceptis diebus solemnibus „. *Decr. cit. 16 sept. 1865 ad 2 (3137)*.

Certe tamen non licet tegere candelabra velis diversi coloris prout diversis temporibus congruit; hinc respondit S. Congr. Rituum (*in Collensi 31 aug. 1872 [3366]*), non licere servare usum immemorabilem tegendi tempore sacri Adventus et Quadragesimae, quum fit officium de tempore, candelabra, praesertim altaris, in quo functiones peraguntur, velis violaceis.

Canis. — " Episcopum, presbyterum 711
aut diaconum canes aut accipitres aut huiusmodi ad venandum habere non licet. Quod si quis talium personarum in hac voluptate saepius detentus fuerit, si episcopus est, tribus mensibus a communione: si presbyter, duobus: si diaconus, ab omni officio suspendatur „ *c. 1 de clerico venat. X. (V. 24)*. Vid. *Venatio*.

Nota hic ea, quae refert Mühlbauer (*Th. res. S. C. C. v. " Canes clericorum „*): " Propter inconvenientia secuta ex parvis caniculis, quae voluptatis gratia tenebantur in monasteriis monialium, facta fuit circa id prohibitio generalis ne amplius intus habeantur, neque masculi neque feminae. *S. Congr. EE. RR. in Mutinens. 3 febr. 1597 et in Iustinopolitana 22 sept. 1651* „.

Canon. — Vid. *Emphiteusis*.

Canon missae. — In canone mis- 712
sae exprimendum est nomen episcopi dioecesani, etiam a regularibus, in ipsis quoque ecclesiis exemptis (*S. R. C. in Tornacen. 25 sept. 1649 ad 6 [924]*;

in una Galliarum 8 apr. 1690 ad 1 [1827]); non vero abbatum et praelatorum regularium (*S. R. C. decr. gen. 13 februar. 1666 ad 9 [1333]*), nec episcopi administratoris (*S. R. C. in Sarsinaten. 22 augusti 1722 ad 5 [2274]; in Pekinen. 9 maii 1857 ad 4 [3047]*), aut coadiutoris (*S. R. C. in Pisana 11 mart. 1882 [3538]*), nec vicarii apostolici, ex. gr. in missionibus (*S. C. P. F. 13 ian. 1776; 24 aug. 1852; 11 iul. 1853*), attamen, stante consuetudine, quoad vicarios apostolicos hoc aliquando toleratum est. *S. C. P. F. pro Sinis 14 ian. 1793.*

Pro abbate Montis Cassini concessum est privilegium, ut retineretur antiqua consuetudo, qua clerus tum secularis tum regularis tenebatur, nominandi in canone abbatem Montis Cassini, retentis etiam verbis: " et antistite nostro „. *S. R. C. in una Mont. Cass. 26 apr. 1898 (3991).* Pariter responsum est, non esse inquietandos sacerdotes abbatiae Nonantulanae, qui iuxta veterem consuetudinem in canone nominant archiepiscopum Mutinensem, qui est abbas commendatarius eiusdem abbatiae. *S. R. C. in Nonantulana 26 apr. 1898 (3992).*

Exprimendum autem est nomen episcopi in canone missae (et in aliis liturgicis orationibus, ubi locum habet) a die captae possessionis vel per ipsum episcopum vel per suum procuratorem; non autem a die notitiae eiusdem electionis in consistorio. *S. R. C. in una Congr. Orat. 4 iul. 1879 ad 2 (3500).* Sede vacua, omittuntur in canone verba: " et antistite nostro „. (*Rit. serv. in celebr. miss. VIII. 2*). Quemadmodum, sede apostolica vacante, omittuntur alia verba: " una cum famulo tuo papa nostro „. *Ibid. n. 1.*

Episcopus ordinarius, celebrans missam in aliena dioecesi, ad canonem debet nominare seipsum, non episcopum dioecesanum. *S. R. C. in Lincien. 6 febr. 1892 ad 19 (3764).*

In canone missae sacerdos inclinare 713
debet caput ad nomen papae. *S. R. C. in Tuden. 23 maii 1846 ad 5 (2915).* Eodem modo iuxta rubricas inclinandum est caput in canone ad recitationem nominis alicuius sancti, de quo fit officium vel commemoratio. *S. R. C. in Tuden. 7 sept. 1816 ad 20 (2572).*

Canonicatus. — Canonicatus novos 714
instituere episcopus nequit sine consensu capituli (*S. C. C. 5 iul. 1608, 20 febr. 1677, 14 apr. 1696* apud Bouix *de capitulo p. 11. c. 3. pr. 1*); capituli consensu accedente, in capitulis, quae auctoritate S. Sedis non sint numerata (idest in iis, in quibus numerus canonicorum non fuerit a S. Sede *absolute* determinatus, Wernz *Ius Decr. II.* 777), potest episcopus novos canonicatus creare (*S. C. C. pluries*); nisi tamen vel adsit contraria legitima consuetudo, vel obstet obligatio libere assumpta ab episcopo vel a canonicis, v. gr. iuramentum a canonicis factum de non augendo numero canonicatuum, vel hoc impediant concordata. Si vero capitulum iniuste consensum denegaret, posset episcopus recurrere ad S. Congr. Concilii, quae, supplendo consensum capituli, erectionem praescriberet, ut factum refert *die 2 iulii 1696* Monacelli *p. 1. tit. 2. form. 4. adn. 14.*

Novas et inusitatas dignitates erigere 715
episcopus nequit (*S. C. C. a. 1732;* cfr. etiam Ben. XIV. *de syn. dioec.*

lib. XII. c. 1. n. 8), sed eas restituendi, quae in cathedrali sua erectae quondam sunt, et sacris canonibus sunt cognitae, ipsi ius est. *S. C. C. 26 nov. 1695; 24 mart. 1736;* cfr. Barbosa *de Canonicis c. 4. n. 1.*

716 Ad episcopum simul et capitulum pertinet de iure communi regulariter collatio canonicatuum et dignitatum ecclesiae cathedralis, quando ex regulis cancellariae apostolicae Romano Pontifici non reservatur. Ius hoc commune non est quidem claris verbis expressum, sed potius inductum ex communi quadam interpretatione et sententia doctorum, confirmata praxi iudiciaria, praesertim Rotae Romanae. Garcia *de benef. part. V. c. 4. n. 16. sqq.* In ecclesiis collegiatis de iure communi haec collatio spectat ad capitulum, salvo episcopo iure confirmandi seu instituendi electos a capitulo. Reservatur semper Romano Pontifici provisio de prima dignitate in cathedralibus, ex regula quarta Canc. apost. (Riganti *in reg. 4. Canc. ap. § 1*), et ita contingit quoad alios canonicatus vacantes mensibus papalibus, excepto favore concesso episcopis vere residentibus (Riganti *in reg. 9 Canc. apost. p. 2 § 1.* — Vid. *Reservatio beneficii*). Cfr. Card. De Luca *de beneficiis disc. 1. n. 25;* Bouix *de capitulo p. II. cap. 4. § 1.* Melius ita dividitur hoc exercitium iuris inter episcopum et capitulum, ut alternis vicibus episcopus solus et solum capitulum eligat. — Ceterum quoad iura particularia consulenda sunt concordata.

Bibliographiam vide sub *Canonici.*

717 **Canonici. — De praecipuis qualitatibus in canonicis requisitis. — De aetate.** — Quoad canonicatus iure antiquo aetas definita non erat; cautum erat tantum, ut canonicus non subdiaconus vocem in capitulo non haberet. *c. 2 de aet. etc. praef. (I. 6). in Clem.* — Tridentinum vero (*sess. XXIV. c. 12 de ref.*) statuit: ut in cathedralibus omnes canonicatus ac portiones habeant adnexum ordinem presbyteratus, diaconatus aut subdiaconatus; ut episcopus, cum consilio capituli, designet, quibus praebendis quisque ordo ex sacris in posterum adnexus esse debeat, ita tamen, ut dimidia pars canonicorum sint presbyteri, alii diaconi vel subdiaconi; ut nemo ad portionem vel canonicatum recipiatur, nisi sit initiatus, vel infra annum possit initiari, illi ordini, qui a praebenda requiritur. Cfr. Conc. Trid. *sess. XXII. c. 4 de ref.; S. C. C. 12 febr. 1644* in ed. Richter Conc. Trid. *l. c.*

Hinc patet, ad canonicatum in cathedralibus nunc requiri annum vicesimum primum inchoatum. Imo, etsi in aliqua cathedrali, neque ex consuetudine, neque ex designatione episcopi, facta esset distributio praebendarum cum assignatione ordinis sacri, non sufficeret aetas 14 annorum inchoatorum, sicut pro aliis beneficiis simplicibus, sed requireretur aetas viginti duorum annorum inchoatorum (Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 12 de ref.*), vel ad minus viginti unius anni iam inchoati. *S. C. C. 4 aug. 1654* apud Ferraris *Prompta bibl. v.* " Canonicatus „.

In collegiatis autem, si non adsit distributio praebendarum cum assignatione ordinis sacri, sufficit aetas quatuordecim annorum, nisi in fundatione maior vel minor aetas fuerit statuta. *S. C. C. in Senogallien. 11 maii 1793;*

Garcia *de ben. part. I. c. 4. n. 39*; Wernz *Ius Decr. II. 295 V.*

718 Circa aetatem dispensat tantum Summus Pontifex; nam Concilium Tridentinum (*sess. XXIV. c. 12 de ref.*) sustulit facultatem, episcopis ab antiquo iure (idest *c. un. de aet. etc. I. 10 in-6°*) concessam, dispensandi cum illis, qui vicesimum annum compleverint, ad obtinendas dignitates et personatus, quibus cura animarum non esset coniuncta, dummodo aliud impedimentam non obstaret. Vid. *Aetas, Beneficium.* Dispensati a Romano Pontifice ad obtinendum canonicatum ecclesiae cathedralis infra aetatem a iure statutam, secundum Barbosa (*de canonicis c. 17. n. 18*), vocem in capitulo habent; et haec sententia firmatur duabus responsionibus S. Congr. Concilii *in una Montis Politiani 13 ian. 1629 et in una S. Miniati 15 sept. 1629*, quas refert Lucidi *de vis. ss. lim. c. 9. n. 49.*

719 **De scientia.** — Quoad scientiam nota nihil esse in iure determinatum pro canonicis in genere, sed requiri eam tantum scientiam, quae requiritur pro ordine, quem debent habere; si excipias quosdam canonicatus speciales, ut canonicum theologum etc. Quare errat Sägmüller (*KR. § 60. II. 4*), qui pro dimidia parte canonicorum requirit gradum academicum.

720 **De obligationibus. — Quaenam sint.** — Canonicorum obligationes reducuntur ad residentiam, ad officium chori, ad missam conventualem, ad assistentiam episcopo praestandam, ad assistentiam deliberationibus capitularibus, ad acceptationem munerum capituli ab ipso capitulo eis impositorum (nisi legitima causa excusentur, vel ratione personae, quia infirmi etc., vel ratione praebendae, ut canonicus poenitentiarius seu theologus aut curatus), ad quaedam munera sede vacante.

De professione fidei (*remissive*). — Praeterea iuxta Tridentinum (*sess. XXIV. c. 12. de ref.*) canonici et dignitates ecclesiae cathedralis debent emittere *professionem fidei* infra duos menses post ingressum in beneficium. Vide *Professio fidei.* 721

De residentia. — Ad residentiam ex Tridentino (*sess. XXIV. c. 12 de ref.*) canonici omnes tum cathedralium ecclesiarum tum collegiatarum tenentur; et haec residentia non importat tantummodo manere in loco ecclesiae cathedralis seu collegiatae, sed etiam adesse choro et divinis officiis inservire per seipsos, non per substitutos (Ben. XIV. *Inst. eccl. CVII. n. 17 sqq.*); possunt tamen abesse quotannis per trimestre, nisi propriae ecclesiae constitutiones obsint (Cfr. Conc. Trid. *loc. cit.*; Fagnanum *in c. 32. tit. 5. lib. III. Decr. n. 58; S. C. C. 13 nov. 1655*), et nisi de iis capitulis agatur, in quibus vigent mediariae vel tertiariae (*S. C. C. 30 iul. 1735; 3 dec. 1739*); sed non omnes simul, seu ultra tertiam partem capituli (cfr. Ben. XIV. *Inst. Eccl. cit. n. 6*), et, si intra dioecesim, sine ullius licentia (nisi episcopus hanc licentiam exquirendam iniunxerit, ne plures quam par est, canonici simul a choro absint), si extra, cum licentia episcopi; non tamen in maioribus solemnitatibus, vel tempore Adventus aut Quadragesimae. *S. C. C. 12 iul. 1631.* Nec absentes tenentur aliquem sibi substituere. Canonici, qui absint ultra tempus concessum, poenis a iure statutis puniendi 722

sunt. Et nota, decurso trium mensium spatio, si canonicus ulterius absit, citari a curia eumdem posse ad allegangandam in termino causam, quare non debeat fructibus privari; neque esse necessarium, ut canonicus absens moneatur vel citetur ad residendum, ac si non possit puniri, nisi constituatur in mora. Probata enim absentia, militat adversus eum iuris praesumptio, qua censetur illegitime a choro abfuisse. Hinc onus absenti incumbit destruendi, per allegationem et probationem legitimae causae, hanc iuris praesumptionem, si nolit fructibus privari. Mühlbauer *Th. resol. S. C. Conc. v.* "*Chorus* „ *n. 7;* Cfr. *S. C. C. 6 iun. 1863.*

723 Quare canonici absentes ultra tempus concessum, primo anno, per sententiam iudicialem, etiam non praemissa monitione, privandi sunt dimidia parte fructuum, qui ipsis debentur ratione praebendae (nempe eis etiam, quos ratione praebendae ac residentiae fecerunt suos), secundo anno, omnibus fructibus. Concil. Trid. *sess. XXIV. c. 12 de ref.* Crescente contumacia, procedendum est contra eos secundum canonum (*cc. 8 et 11 de cler. non resident. etc. X. [III. 4]*) sanctiones, ita ut privari possint et debeant ipso beneficio. Conc., Trid. *sess. XXIV. c. 12 de ref.* Cfr. Ben. XIV. *Inst. eccl. CVII. n. 38;* Act. S. Sed. *vol. I. p. 143; vol. XVIII. pag. 275.*

Quas poenas incurrunt, non solum si absentes sint a civitate, sed etiam si abstineant a servitio ecclesiae ultra tres menses. *S. C. C. in Lucen. 1 febr. 1766; 9 aug. 1862;* Cfr. Bened. XIV. *loc. cit. nn. 17 et 18.* Circa quae adverte ea, quae habet D'Annibale *III. 180:*

" Canonici quoad fructus, beneficiatorum; quoad distributiones quotidianas, choralium iure censentur. Ac proinde fructus suos faciunt, licet absint a choro, dummodo officium recitent; sed possunt eis privari, si abfuerint ultra menses conciliares, nisi absint ex causa legitima, aut gravi, quae in foro externo, in aestimatione capituli et ordinarii posita est. Sed numquid eos non amittunt ipso iure? (S. Alph. *IV. 129*). Etenim Bened. XIV. *Const.* " Quum semper oblatas „ et *litteris 19 ian. 1748* " Dilecte fili „ *ad Patr. Aquileiensem* censuit, non psallentes in choro, nullo pacto ex praebendis et distributionibus facere fructus suos (Vid. S. Alph. *III. 129*). Minime: quia forma a Tridentino (*sess. XXIV. c. 12. de ref.*) praescripta est in viridi observantia (cfr. *S. C. C. in Verulana, Residentiae, 6 iun. 1863*); quamobrem Constitutio Bened. XIV. de his praebendis intelligenda est, quae constant ex distributionibus quotidianis, prout ante (Vid. Barbosa *de canon. et dignitat. cap. XX. n. 18;* Lucidi *tom. I. p. 296. § 106*). Sed absentes (ultra menses conciliares) letali profecto non carent. (S. Alph. *III. 675*) „.

Residentiae legem transgrediuntur canonici, non solum quando a sua ecclesia tres continuos menses absunt, sed etiam quando absentes sunt tres menses discontinuos, idest quando dies absentiae in unum numerum redacti superant spatium trium mensium. *S. C. C. in Mutinen. a. 1573; in Terracinen. 26 nov. 1853; 31 mart. 1860.* Cfr. Ben. XIV. *Inst. eccl. CVII. n. 6.*

Facultatem non residendi, et choro 724
non inserviendi ultra tres menses ca-

nonicis episcopus concedere nequit, nisi ex causa a iure approbata. Leuren. *For. benef. P. 1. q. 398.* Hae causae reducuntur ad christianam caritatem, urgentem necessitatem, debitam obedientiam, evidentem ecclesiae vel reipublicae utilitatem. Vid. *Chorus.* Unus Romanus Pontifex quacumque ex iusta causa, et ad validitatem etiam sine causa, hanc facultatem canonicis facere potest etiam ad longum tempus vel in perpetuum. Cfr. Leuren. *l. c.*

725 Canonici, qui ob infirmitatem aut ob evidentem suae ecclesiae (idest particularis ecclesiae, cui adscripti sunt) utilitatem a servitio chori et a residentia quoque abscedunt, ne ipsas quidem distributiones quotidianas amittunt (*S. C. C. in Burgen. 27 ian. 7 apr. 1900;* et consuetudo in contrarium, quippe quae iniusta, nullam vim habet, *S. C. C. in Piscien. 6 dec. 1760*), quia fictione iuris considerantur ut vere in choro praesentes (quod verificatur etiam in Italia et insulis adiacentibus pro illis canonicis, qui spiritualia exercitia peragunt [Vid. *Exercitia spiritualia*], et ubique in aliis casibus expressis in iure [Vid. *Canonicus poenitentiarius, Canonicus theologus*]); hoc autem ad alios canonicos, etsi ex aliqua alia legitima causa absint, extendendum non est. *c. un. de clericis non residentibus etc. (III. 3) in 6°.* Vid. *Chorus.*

Hinc non habentur tamquam praesentes in choro canonici, qui ministerio praedicationis vacant (excepto canonico theologo, ut innuimus), etsi concionem gratis habeant. *S. C. C. in Tranen. 20 dec. 1862; in Oveten. 27 apr. 1901.*

Nota autem hic, dignitates seu canonicos aliosque chorales omnes, qui sive conficiendis processibus tum ordinariis tum apostolicis in causis servorum Dei ac beatorum operam navant, sive uti testes vocati fuerint, haberi tamquam praesentes in choro, mutato officio, et ideo omnia percipere emolumenta, etiam eventualia. *S. R. C. decr. gen. 21 nov. 1893 (3812).* Quoad alia plura Vid. *Distributiones.*

De obligationibus, quae chorum respiciunt. 726 — **De horis canonicis.** — Ad officium divinum in choro canendum tenentur canonici; nec satisfaciunt etiam praesentes privata recitatione. Cfr. Ben. XIV. " Quum semper oblatas „ *19 augusti 1744.* Ne episcopus quidem permittere potest, ut non omnes horae canantur in choro. Sed et praeterea tenentur canonici horas canonicas debitis horis psallere (*c. 1. de celebr. miss. etc. [III. 14] inter Clem.*); quare non possunt canonici matutinum crastinae diei hodie horis vespertinis canere. Ferraris *Prompt. bibl. v. " Matutinum „ n. 1. citans S. C. EE. RR. 25 nov. 1758, 18 oct. 1591.* Attamen potest episcopus quandoque (nam, si ageretur de permissione habituali, hoc ad S. Sedem unice pertineret), iusta causa concurrente, dispensare ad tempus, ut matutinum sero diei praecedentis recitetur. Causae, propter quas episcopus valet dispensare, sunt praesertim ob hiemis rigorem, ob aeris intemperiem etc.; debet tamen in hac re episcopus caute admodum procedere. Ben. XIV. *Inst. CVII. § 4. n. 22.* Cfr. etiam Mon. Eccl. *vol. XIII. pag. 125.*

Debent insuper canonici, ad faciendos fructus suos, in choro per seipsos psallere seu psalmos cantare, etsi haberetur contraria consuetudo, quae abu-

sus revera est. *S. C. C. 17 sept. 1667; Const.* Bened. XIV. " Praeclara „ *19 ian. 1748.*

Tenentur autem canonici ad *integrum* officium canendum (*c. 1 de celebr. miss. etc. [III. 14] in Clem.;* Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 12 de ref.; Const.* Ben. XIV. " Annus „ *19 febr. 1749*), nisi contraria habeatur consuetudo centenaria, ex qua praesumi potest pontificium indultum. De Luca *de canonicis disc. 11;* Pallottini *Coll. decr. S. C. C. v.* " *Canonici* „ *§ 7. n. 247.* Cfr. *S. C. C. in Grossetana 22 nov. 1856.*

Patet autem, canonicos, ad satisfaciendum obligationi recitandi horas, teneri ad eam advertentiam, ad quam et alii ad horas obligati tenentur, nec immunes esse a culpa, si, alternatim recitando, una pars non exspectat versus ab altera parte absolvi (S. Alph. *IV. 165*); attamen in praxi canonicus, qui ex sua parte facit quod in se est, eamque praestat attentionem, quam potest, quietus esse potest in conscientia etsi forte alii nimis properent. Mon. eccl. *vol. XVIII pag. 471.*

Patet autem, canonicos teneri ad satisfaciendum officio chori *in ecclesia;* nec ipse episcopus potest eis permittere, ut alibi, ne in sacristia quidem, illud persolvant. *S. C. EE. 12 ian. 1604.* Attamen aliquando S. Congregatio edixit tolerandum esse, quod canonici tribus anni mensibus frigidioribus recitarent matutinum in sacristia diebus ferialibus (*S. C. EE. in una S. Severini 13 sept. 1641*), non tamen diebus festivis. Imo tenentur in choro etiam satisfacere omnibus oneribus, ut essent missae de requie ex legato etc. *S. R. C. in Andrien. 3 aug. 1839 (2790).*

De missa conventuali. — Item missam conventualem *canere,* fundatoribus ecclesiae applicandam, sub gravi quotidie debent canonici idest capitulares omnes (*S. C. C. in Auximana 26 dec. 1820; 24 aug. 1822; 25 ian. 1823, etc.*) nisi consuetudo contraria hanc obligationem ad quosdam tantum coarctet. *S. C. C. in Signina 1 febr. 1840; Const. cit.* Ben. XIV. " Quum semper „. *S. C. C. in Colonien. 17 dec. 1859.* — Neque a missa conventuali celebranda excusantur iis diebus, quibus episcopus pontificaliter celebrat, quamvis tunc ille, cui onus subest missae conventualis, debeat illam celebrare lectam ante vel post missam pontificalem. *S. R. C. in una Marsorum 12 nov. 1831 ad 20 (2682).* Eodem modo non excusantur a missa conventuali cum cantu celebranda, si eodem die alia missa celebranda sit, ex gr. missa de requie pro anniversario alicuius defuncti (*c. 11. de celebr. miss. etc. X. [III. 41]; S. C. C. 14 febr. 1846*), vel pro benefactoribus in specie, idest pro certo aliquo benefactore (*Const. nuper cit. Ben. XIV; S. C. C. in Caietana 20 ian. 1838*), vel votiva (D'Ann. *III. 178*), aut, si ecclesia sit parochialis, pro populo. *Const. cit. Ben. XIV; S. C. C. in Pientina 17 feb. 1731, in Caietana 20 ian. 1838.* 727

Imo ne consuetudo quidem contraria, etsi immemorabilis, canonicos ab hoc onere excusat. *Const. cit. Ben. XIV.* His adde ea, quae Benedictus XIV (*Const. cit.*) ait: " Alii... obtruderunt exiguitatem huiusmodi distributionum, quae, ob detractam eleemosynam quotidianam pro missa conventuali, ad nihilum fere redactae, vix foret ut ab aliquo curarentur, cum magno detrimento

servitii ecclesiae praestandi. Tridentina quidem synodus (*sess. XXIV. c. 15 de ref.*) opportunas rationes ostendit, quibus canonicalium praebendarum inopiae valeat provideri. Si vero designatam a concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Congregationem Concilii recursum habere, cuius erit... quotidianam applicationem missae conventualis pro benefactoribus in genere, ut alias, ad festos tantummodo dies reducere „. Ex quibus patet, numquam posse canonicos ad reductionem istius obligationis per se ipsos devenire.

Quoad concessionem similium reductionum confer *S. C. C. in Aretina 16 dec. 1769; in Mazarien. 22 apr. 1826; in Signina 17 febr. 1838; in una S. Hippolyti 23 ian. 1864.*

728 Missa conventualis, sive de sanctis, sive de feria, canenda est hora, quam rubrica praescribit, neque ex gr. potest admitti consuetudo etiam immemorabilis eamdem post nonam canendi. *S. R. C. in Perusina 9 aug. 1760 (2459); in Salten. 2 maii 1871 ad 2 (3250).*

729 Debet autem missa conventualis cani a clero capitulari (ubi sunt distinctae praebendae in presbyteros, diaconos et subdiaconos, applicatio gravat solos presbyteros) per turnum (*S. C. C. 29 apr. 1780; 9 sept. 1843*); neque episcopus potest aliquem e capitularibus ab hoc onere liberare, etiamsi ageretur de canonico parocho. *S. C. C. 27 apr. 1844.* Attamen, si quando in aliqua ecclesia, puta cathedrali, haberentur beneficia, quae non essent de choro, rectores horum beneficiorum non possent adigi ad missam conventualem canendam, sed hoc onere gravantur canonici, beneficiati, mansionarii et alii omnes habentes beneficia choralia. *Const.* Ben. XIV. " Quum semper oblatas „ *19 aug. 1774; S. C. C. 16 dec. 1820.*

Advertendum etiam est, legitime absentem non teneri alium sibi substituere ad missam conventualem canendam, etsi haberetur consuetudo immemorialis, ex qua canonici qualibet ex causa absentes adstringerentur ad sibi substituendum propriis impensis alium sacerdotem, qui missam cantaret, quemadmodum ex responsione S. Congr. Concilii *in Signina 22 iul. 1826* deducit Pallottini *Collectio res. S. C. C. v.* " *Canonici* „ *§ 2. n. 263 sqq.*

Nota tandem, missam conventualem 730
sine cantu (quum nempe habetur indultum eamdem missam non canendi, quod indultum aliquando, praesertim ob parvum numerum canonicorum, conceditur, semper tamen firma remanente obligatione de interventu capituli celebrationi missae, cfr. *S. C. C. 12 sept. 1829; 7 iun. 1845; 5 aug. 1876*) considerari posse veluti solemnem, sive quoad collectas, sive quoad preces in fine missae de mandato Leonis XIII dicendas, sive quoad numerum cereorum, qui in altari sunt accendendi. *S. R. C. in una Ord. Capuc. 7 dec. 1888 ad 7 (3697).*

De habitu chorali. — Choro autem 731
debent canonici adesse *habitu canonicali* induti (idest, si habitum specialem non habeant, talari veste, superpelliceo et birreto), non autem habitu communi, ne ratione quidem frigoris, vel alia quacumque de causa, etiamsi ab ipsamet ecclesiae erectione aliter fieret. *S. R. C. in Aquilana 30 iul. 1689 ad 2 (1819); in Salten. 2 maii 1871 ad 1*

(3250). Quod servare debent etiam quando intersunt concionibus, sedentes in propriis stallis. *S. R. C. in una Pompeii Stabiae 31 mart. 1703 (2108).*

732 **De assistentia sacris functionibus.** — Quoad assistentiam a canonicis praestandam sacris functionibus haec nota:

a) In omnibus sacris functionibus, tum in cathedralibus, tum in collegiatis ecclesiis, in quibus adest numerus sufficiens ministrorum de gremio ipsius ecclesiae, convenit ut celebrans et ministri sint de gremio ecclesiae; quatenus vero sufficiens hic numerus desit, oportet ut sacri ministri, qui extra gremium ecclesiae assumuntur, eamdem ecclesiae illius liturgiam sequantur, ne ulla prorsus in sacris exercendis ritibus ac ceremoniis difformitas habeatur. *S. R. C. in Agrigentina 18 mart. 1874 (3327)*; cfr. etiam *in Sarnen. 15 sept. 1691 (1855); S. C. C. Signina 27 aug., 26 nov. 1864.*

b) Dignitates assistere tenentur episcopo (vid. *Assistentia*), non autem canonicis. Nam S. Congr. Rituum statuit, quod " celebrantibus canonicis portionariis dignitates praedictae neque evangelium neque epistolam cantare debent; quae dignitates celebranti episcopo assistere et inservire tenentur „. *S. R. C. in Calaguritana 7 sept. 1593 (41).* Et hoc decretum confirmatum est postea *in Gerunden. 3 oct. 1699 ad 2 (2037), in Maioricen. 26 aug. 1713 ad 5 (2219).*

c) Canonici in missis aliisque functionibus, quae diaconi ac subdiaconi ministerium exigunt, vesperis proinde ac matutinis exclusis, tenentur dignitatibus ac canonicis celebrantibus, etsi coadiutoribus tantum, inservire in ecclesiis, ubi praebendae omnes presbyterales non sunt, nisi aliter ferat necessitas vel consuetudo; idque in propriis tantum, non autem in alienis ecclesiis, nisi interveniente capitulo; et ad hoc compelli possunt etiam mulctis, poenis et censuris, auctoritate episcopi, non obstante quacumque etiam immemorabili consuetudine, quam S. Rit. Congregatio abusum declaravit. *S. R. C. decr. gen. 12 iul. 1892 (3782)*; cfr. etiam *in Bituntina 14 iun. 1692 ad 1 (1878).*

d) Ubi praebendae non sunt distinctae, sed omnes presbyterales sunt, canonici non tenentur munus agere diaconi et subdiaconi, celebrantibus dignitatibus et canonicis, ne tum quidem, quum dignitas quaedam missam decantat in festis solemnioribus, episcopo impedito. *S. R. C. in Dianen. 14 mart. 1896 (3893).*

An canonici debeant assistere episcopo pontificaliter aut privatim celebranti vide sub *Assistentia.*

De substitutione ad invicem. — Nota 733
autem, quod, quamvis unusquisque beneficiatus teneatur munus suum per se obire (Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 12 de ref.*), non est tamen prohibitum ut capitulares sese invicem substituant, dummodo substituens et substitutus eidem servitio non sint adscripti. *S. C. C. 15 dec. 1605; 26 iun. 1830.* Fieri autem possunt huiusmodi substitutiones etiam sine causa (*S. C. C. in Alatrina 24 mart. 1612*); cavendum est tamen ne nimis frequentes sint. *S. C. C. 26 iun. 1830;* Ferraris *Prompt. bibl. v. « Canonicatus » art. V. n. 113.* Attamen canonici a territorio civitatis absentes, etsi intra dioecesim commorantes, non

gaudent beneficio substitutionis (*S. C. C. 26 iun. 1830*), sed debent esse praesentes in civitate vel in eius suburbiis (*S. C. C. 24 mart. 1612*); imo etiam canonici coadiutores nec substitui nec substituere possunt (*S. C. C. 26 febr. 1650; 26 iun. 1830*), nisi obtineant ad hoc apostolicum indultum.

Substituens autem debet esse unus ex capitularibus (D'Ann. *III. 178* — nisi ex pontificio indulto, quo aliquando ad tempus, ex. gr. ad annum, ex iusta causa canonico conceditur, ut substitui possit a sacerdote etiam non canonico); utrum vero requiratur etiam, ut sit eiusdem gradus, ita ut canonicus a canonico tantum, non autem a beneficiato substitui possit, non constat; attamen servandae sunt consuetudines, si quae exstant. Hinc canonici honorarii non possunt substituere veros canonicos, quia non sunt de gremio capituli (Lucidi *de visitat. sacr. lim. vol. I. c. 3. n. 26*); canonici vero iubilati alios substituere possunt, exceptis diebus, quibus iubilatus teneretur per se. *S. C. C. 21 nov. 1835.*

34 **De iuribus. — De iuribus qua capitulum constituunt. — De iure condendi constitutiones.** — Et primum ius, quod ut efformantes capitulum habent, est ius condendi sibi statuta seu constitutiones, quae tamen sint secundum vel etiam praeter ius commune, non autem contra. Notandum tamen est, has constitutiones respicere debere tantummodo res, quae ad ipsum capitulum spectant, eas nempe, quae pertinent ad corpus morale, qua tale, vel ad canonicos, ut sunt membra collegii, non autem ad canonicos, qua singulos et privatos (cfr. *cap. 6. de constit. X.* [*I. 2*]); multoque magis haec statuta respicere nequeunt ea, quae pertinent ad ipsum episcopum et ad eius iura vel ad statum dioecesis. Wernz *Ius Decr. II. 790. II.* Nec deneganda est capitulo potestas condendi etiam constitutiones seu statuta poenalia contra canonicos transgressores, dummodo poenae non excedant potestatem quamdam oeconomicam, et semper pateat recursus ad episcopum. Cfr. *S. C. C. 13 aug. 1739.*

Patet autem, hanc potestatem competere capitulo, ut est collegium; quare eiusmodi constitutiones condendae sunt a canonicis collegialiter congregatis et in forma a iure praecepta. Recenti iure generatim requiritur etiam, ut constitutiones huiusmodi ab episcopo confirmentur. Wernz *loc. cit.*

Capitulo non solum ius est, sed etiam obligatio condendi sibi statuta, si ea iam non habet (*S. C. C. in Alben. 23 mart. 1839; in Puteolana 24 iun. 1839*), vel saltem reformandi, si ea manca sint aut a praesenti disciplina abhorrentia. *S. C. C. in Valven. 24 nov. 1838.* Haec obligatio inducta est a Benedicto XIII. in concilio Romano ann. 1725, qui ibidem declaravit eam legem universalem esse, qua proinde tenerentur omnia omnino capitula; quod postea resolutionibus S. Congr. Concilii pluries firmatum est. Cfr. Lucidi *de vis. ss. lim. vol. I. cap. 3. n. 142 sqq.*

De iure se congregandi (*remissive*). — 735
Praeterea ius est capitulo se congregandi, nec solum ordinariis seu statutis quibusdam temporibus, sed extraordinariis quoque; nec tantum de licentia episcopi, sed etiam sine ea, nisi de iure particulari aliud cautum

sit. Wernz *loc. cit. II. 790. I.* Ceterum quoad hoc ius vide *Capitulum.*

736 **De iuribus quoad bona temporalia.** — Ius etiam est capitulo administrandi et possidendi bona temporalia, quae capituli ipsius, qua collegium est, sunt propria.

Si ausi fuerint, ante exhibitionem litterarum apostolicarum, concedere et transferre ecclesiae vacantis curam sub quovis titulo in nominatum et praesentatum a laica potestate, vel in electum a seipsis, incurrunt excommunicationem specialiter Romano Pontifici reservatam. *Const.* Pii IX. " Rom. Pontifex „ *28 aug. 1873.* — Si vero recipiunt episcopum de sua ecclesia apud S. Sedem quovis modo provisum ad eius administrationem, antequam ipsis exhibuerit litteras apostolicas de sua promotione, incurrunt ipso facto suspensionem a perceptione suorum beneficiorum (eorum nempe, quae ad capitulum seu communitatem, ut talis est, pertinent, etsi fructus in singulos distribuantur, B. P. *VII. 364.*) ad beneplacitum S. Sedis. *Const.* " Apost. Sedis „ *serie 2. n. 1.*

Si dant infra annum a vacatione sedis dimissorias ad ordines non arctatis, subiacent interdicto. Concilium Trident. *sess. VII. c. 10. de ref.*

737 **De iure regulandi servitium ecclesiae.** — Possunt praeterea canonici capitulariter congregati, seu capitulum, ea statuere, quae ad servitium suae ecclesiae conducunt, et beneficiati, utpote illius ecclesiae ministri, parere debent (Pignatelli *Cons. can. tom. VI. cons. 49. n. 2.*); imo minora huiusmodi statuere possunt, etiam sine consensu episcopi (Bouix *de capitulo p. IV. cap. 4. § 2*); attamen statuere non possunt, etiam accedente consensu episcopi, quidquid tale est, ut exinde tollatur ius quaesitum tertii. De Herdt *Praxis cap. c. XXXI. § 2. n. 5.* Hinc non possunt canonici compellere mansionarios aut beneficiatos, ut quasdam functiones peragant, a quibus sive ex iure sive ex consuetudine eximuntur. Cfr. *S. C. C. in una S. Miniati 28 ian. 1899.*

738 **De iuribus sede vacante.** — Insuper ut efformantes capitulum, mortuo episcopo, succedunt in iurisdictionem ordinariam (*cc. 11. et 14 de maior. et obed. X. [I. 33]*), quam tamen omnem in vicarium, a se intra octo dies eligendum, transferre debent. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 16. de ref.*; *Const.* Pii IX. " Romanus Pontifex „ *28 aug. 1873.* Vid. *Vicarius capitularis.*

739 **De iuribus qua singuli.** — Sunt etiam sua iura canonicis, non tantum ut collegium constituentibus, sed et ut singulis; nempe et ea, quae propria sunt cuique beneficiato (Vid. *Beneficiatus*), et quaedam, quae privative ipsis competunt.

740 **De insignibus.** — In primis competit canonicis ius deferendi quaedam insignia, seu quemdam habitum canonicalem aliis clericis non communem.

Quoad haec insignia iuvat quaedam heic adnotare. Et in primis, hoc non est privilegium, quod necessario canonicis competat, sed oportet ut habeant apostolicum indultum (*S. R. C. in Conimbricen. 12. sept. 1755 [2161]*), quod generatim conceditur, quamvis non omnibus idem, diversum pro diversis adiunctis. Porro ante omnia canonici habitui chorali et insignibus ipsis concessis nihil addere possunt (cfr. *S. R.*

C. in Nicien. 21 mart. 1676 [1562]), aut in eo immutare, ne colorem quidem ipsius habitus choralis (*S. R. C. in Ianuen. 26 febr. 1628 [445]*); quare cappam ex. gr. ne de licentia quidem episcopi, sine expressa licentia Sanctae Sedis, gestare possunt (*S. R. C. in Elven. 10 ian. 1603 ad 3 [152]*); sed debent quoad totum habitum et colorem servare formam apostolicae concessionis. *S. R. C. in Catanen. 13 sept. 1704 ad 1 et 2 (2144)*. Praeterea sine speciali indulto nequeunt uti rochetto vel anulo (*S. R. C. in una de Nicaragua 20 aug. 1870 [3218]*); multo autem minus anulo gemmato, quod proprium est solummodo praelatorum maiorum (*S. C. EE. RR. in Amalphitana 9 maii 1745, 7 apr. 1848*), vel almutiis, etiamsi habeant usum cappae magnae et rochetti. (*S. R. C. in Cusentina 13 iul. 1675 ad 1 (1543)*.

Canonicis vero habentibus usum cappae magnae licet, tempore tamen congruo, idest tempore aestivo, seu a sabbato sancto ad primas vesperas vigiliae omnium sanctorum (vel minore temporis lapsu pro variis locis et indultis) loco cappae magnae assumere supra rochettum cottam seu superpelliceum (*S. R. C. in Cusentina 16 ian. 1677 ad 1 et 2 [1586]; 22 ian. 1678. [1608]*); vel, si ipsis magis placeat, cappam retinere, detractis tamen pelliculis, earumque loco, serico rubro apposito. *S. R. C. in Auximana 9 maii 1885 (3633)*.

Insuper canonici possunt uti insignibus canonicalibus, tantum in propria ecclesia, non extra eam (*S. R. C. in Panormitana 12 mart. 1678 [1613]; 22 apr. 1684 ad 3 [1728]; in Policastren. 12 sept. 1716 ad 1 [2239]; decr. gen. 31 maii 1817 ad 2 [2579]*), nisi quando capitulariter incedunt vel assistunt et peragunt sacras functiones, vel nisi speciale privilegium, nedum collegium comprehendat, verum etiam singulariter et distincte ad personas extendatur (*S. R. C. decr. gen. nuper cit.*), ut aliquando concessum est. Sic concessum est canonicis metropolitanae Pisarum induere se veste (attamen sine syrmate, seu, ut dicitur, cauda), mozzetta et cappa rubri coloris in quacumque ecclesia dioecesis. *S. R. C. in Pisana 12 sept. 1840 (2817)* His adde, nisi legitima consuetudo introduxerit, ut est in Gallia pro tota dioecesi alicuius canonici. *S. R. C. in Petrocoricen. 2 aug. 1875 (3361)*.

Hinc canonici, qui concionem habent extra cathedralem, vel assistunt primae missae neo-sacerdotis (non item, si in cathedrali haec peragant) debent deponere cappam. *S. R. C. 31 maii 1817 ad dub. add. 2 (2578)*. Imo in ipsa cathedrali non possunt uti insignibus canonicalibus, si quando alteri sacerdoti in ministerio altaris deservirent, quamvis aliquid facerent omni laude dignum. *S. R. C. in Ventimilien. 18 iul. 1884 ad 5 (3614)*. Et si quando assistunt missae privatae episcopi, non possunt uti nisi rochetto (si eius usum habeant) et superpelliceo. *S. R. C. in Goana 16 iun. 1893 ad 1 (3804)*.

Attamen canonici cathedralis, in convisitatores ab episcopo adhibiti, possunt propria insignia gestare tam in ecclesiis collegiatis, quam in aliis ecclesiis dioecesis. *S. R. C. in Aliphana 19 ian. 1743 ad 5 (2371)*.

Non licet autem canonicis in missis

privatis, tam intra quam extra cathedralem, uti opera inservientis missae, sive pro delatione calicis ad altare vel ab altari ad sacristiam, sive pro sustinendo missali, indicando orationes, aperiendo et porrigendo patenam cum hostia, tergendo calicem etc. (*S. R. C. in Asculana 27 maii 1728 ad 1 [2532]*); neque possunt in choro in proprio stallo uti pulvinari vulgo dicto " cuscino di pelle „. *S. R. C. in una S. Marci 22 mart. 1862 ad 24 (3110).*

Quid ipsis liceat quoad insignia in administratione sacramentorum et sacramentalium vide sub *Administratio sacramentorum.*

Canonicus, qui sit protonotarius apostolicus, non potest choro et processionibus adesse cum habitu praelatitio, puta rochetto et mantelletta, etiam stante consuetudine quadraginta annorum (*S. R. C. in una Zagaroli 24 iul. 1638 [656]*), sed debet indui habitu chorali; quare ne rochetto quidem, sive cooperto sive discooperto, tunc uti potest, si ut canonicus eius usum non habeat. *S. R. C. in Iustinopolitana 24 nov. 1635 (626).*

741 **De iure voti.** — Praeterea canonicis (non autem dignitatibus, si non sint canonici, *S. R. C. in Maioricen. 26 aug. 1713 ad 1 [2219]*) ut singulis competit ius voti in capitulo a die captae possessionis, si sint tunc subdiaconi, secus a die suscepti subdiaconatus. Conc. Trid. *sess. XXII. c. 4. de ref.* Et sic Sacra Congregatio Concilii ad quaesitum: " An canonici clerici ecclesiae collegiatae S. Mariae in Cosmedin intervenire possint capitulo, et in eo habere vocem activam „, respondit: " Posse intervenire, sed non habere vocem „. *S. C. C. 8 aug. 1621; 22 iul. 1741.*

Quod tamen ita intelligendum est, ut huiusmodi canonici careant quidem voto deliberativo, non autem consultivo. *S. C. C. in Recanaten. 17 sept. 1831.* Et praeterea hoc non est extendendum ad eas ecclesias, in quibus presbyteri vel ad instar collegiatarum se gerunt, vel improprie collegialitatis nomen assumunt, sed restringendum ad veras cathedrales et veras collegiatas, de quibus tantummodo loquitur Concilium tridentinum *sess. XXII. c. 4 de ref.* Vid. *Capitulum.*

Et re vera ex Tridentino (*sess. XXII. c. 4 de ref.*) quicumque in cathedrali vel collegiata, seculari vel regulari ecclesia, divinis mancipatus officiis in subdiaconatus ordine saltem constitutus non sit, vocem in huiusmodi ecclesiis in capitulo non habet, etiamsi hoc ipsi ab aliis libere fuerit concessum. Nota tamen quoad hoc, quaestionem esse inter doctores, utrum inhibitio haec, canonicis non subdiaconis facta, habendi vocem in capitulis, contineat etiam privationem vocis passivae, ita ut ad officia capitularia hi omnes eligi nequeant. Cfr. pro affirmativa sententia inter alios Navarrum *cons. 6. de verb. signif.* et Lessium *de iust. et iur. lib. II. c. 34 n. 25;* pro sententia negante Garcia *de ben. p. III. c. 4. n. 5* et Barbosa *de canonicis c. 17. n. 18.* Adverte tamen pro sententia negante afferri a Lucidi *de vis. sacr. lim. II. c. 9. n. 48* ex folio cuiusdam causae in Romana agitatae apud S. C. C. responsionem eiusdem S. Congregationis, qua expresse dicitur prohibitionem hanc tridentinam ad vocem

passivam non referri. *S. C. C. in Romana 3 dec. 1663.*

742 **De iure stalli.** — Canonicis est etiam ius stalli, et istud competit canonicis etiam honorariis et coadiutoribus. Attamen coadiutor, praesente coadiuto, occupare debet ultimum stallum sui gradus. Hinc S. Cong. Concilii *in una S. Severini 9 apr. 1859.* respondit, canonico archidiacono (quae dignitas est in capitulo) coadiutori, praesente coadiuto, ius esse sedendi post omnes dignitates et ante omnes canonicos. — Absente autem coadiuto, coadiutor sedet in stallo ipsius coadiuti.

743 **De praecedentia.** — Quoad praecedentiam canonicorum haec sunt notanda. — Praecedentia semper debetur canonicis ecclesiae cathedralis supra canonicos ecclesiae collegiatae, etiam in ipsa collegiata (*S. R. C. in Fundana 2 sept. 1597 ad 1 [87]; in Algaren. 20 apr. 1641 [748]*), in associandis quoque funeribus propriis ipsi collegiatae.

Debetur etiam praecedentia canonicis ecclesiae collegiatae supra collegium parochorum (*S. R. C. in Neapolitana 9 dec. 1730 [2292]*); quid autem dicendum sit de casu, quo canonici collegiatae intersunt alicui funeri, quoad praecedentiam inter ipsos et parochum vide sub *Exsequiae.*

Attamen canonici etiam cathedralis, ut singuli, non praecedunt parocho in ipsius ecclesia (*S. R. C. in Agrigentina 2 dec. 1673 [1492]*), nisi aliquis canonicus, etiam honorarius tantum, procedat cum episcopo suo, quia tunc habet praecedentiam supra parochum, etiam in aliena dioecesi. Cfr. De Herdt *Praxis pont. I. 109.*

Quare generalis regula est, canonicis uti singulis nullam deberi praecedentiam aut praerogativam. *S. R. C. in Caputaquen. 17 iul. 1640 (711); in Policastren. 12 sept. 1716 (2239).* Canonici capitulariter et processionaliter procedentes praeferuntur abbatibus benedictis. *S. R. C. in Valven. 8 iul. 1602 (102).*

Canonicus vero prius factus debet praecedere aliis post ipsum admissis, etiamsi sint doctores (*S. R. C. in Mediolanen. 29 nov. 1603 [148]*), dummodo agatur de duobus canonicis constitutis in eodem maiori ordine vel in ordinibus minoribus. Nam in ecclesiis collegiatis et cathedralibus, ubi praebendae non sunt distinctae, canonici vel etiam beneficiati sacerdotes in omnibus praecedentiam habent super canonicos vel beneficiatos, qui sacerdotali charactere non sunt insigniti, quamvis in possessione antiquiores. Et haec praecedentia adhuc retinenda est postquam praefati canonici aut beneficiati ad sacerdotalem gradum ascenderint. *S. R. C. decr. gen. 12 iul. 1892 (3783).* Cfr. etiam *S. R. C. in Eugubina 19 dec. 1671 (1438).*

Hoc autem, quod de canonicis et beneficiatis presbyteris super alios canonicos aut beneficiatos inferiori ordine constitutos diximus, est intelligendum etiam de canonicis diaconis super subdiaconos, de subdiaconis super reliquos clericos; dummodo non obstent consuetudo contraria aut constitutiones capitulares. *S. R. C. decr. gen. nuper cit.*

Ubi autem praebendae sunt distinctae, non debet servari ordo antianitatis, sed praebendarum; quare canonici ex ordine presbyterali aliis omnibus praecedunt, deinde succedunt canonici ex

ordine diaconali, tandem canonici ex ordine subdiaconali; et hoc locum habet, licet diaconi vel subdiaconi ante canonicos presbyteros possessionem ceperint sui canonicatus, et non obstante quacumque contraria consuetudine, quae a S. Rituum Congregatione abusus declarata est. *S. R. C. in Bituntina 14 iun. 1692 ad 3 (1878).* Canonici praeterea semper praecedunt beneficiatis, dummodo hi non sint parati sacris indumentis. Vid. *Assistentia, Associatio, Chorus,* etc.

Nota autem, canonicum, qui ex certo quodam canonicatu ad alium transfertur, amittere antianitatem, quam ex priori beneficio habebat, et proinde obtinere ultimum locum post omnes scilicet canonicos, qui tempore dimissionis prioris beneficii canonicatum obtinebant. *S. R. C. in Sutrina 11 iun. 1701 (2073); in Aesernien. 16 apr. 1842 (2845); in Mileten. 24 sept. 1842 (2846).* Attamen, si ageretur de translatione ad alium canonicatum in ecclesia, ubi non habentur separatae praebendae, sed omnia beneficia pertinent ad communem massam, nec ullam habent individuam iuridicam consistentiam, translatio non secumfert amissionem antianitatis. Cfr. *S. C. C. in Brundusina 25 iul. 1856*; Mon. eccl. *vol. IX p. 2, pag. 146.*

Distinguendus autem est in capitulis canonicus dignior a canonico antiquiore seu seniore. *S. R. C. in una Patr. Bas. Liberianae 8 maii 1903 ad 1.* Scilicet dignior ille est, qui maiorem prae ceteris dignitatem obtinet; senior, qui ante alios capitulo aggregatus est.

744 **De canonicis secundae seu novae erectionis.** — Aliquando contingit ut novi canonicatus erigantur in aliqua cathedrali seu collegiata iam ab antiquiore tempore constituta. Quaeri potest, utrum novis hisce canonicis eadem sint iura et privilegia ac erant antiquis, an potius non eadem novi canonici consequantur iura. Circa hanc quaestionem generaliter consideratam haec habet De Herdt (*Praxis capitularis c. 8. § 11. n. 2*): " In casu erectionis novorum canonicatuum, novi canonici ab antiquis generaliter admittendi sunt ad omnes praerogativas absque ulla prorsus differentia. Ratio est, quia, quum isti canonici sint vere et proprie tales, et constituant unum corpus ecclesiam repraesentans, non debent ab aliis membris ipsius corporis distingui; sed quodammodo, in sequelam receptionis in canonicos, debent participare de omnibus iuribus et praeeminentiis canonicalibus ad instar antiquorum (ita Scarfantonus cum aliis, *lib. I. test. 14, animadv. 51;* Pallottini v. " *Canonici* „ *§ IV. nn. 1. 7. 8*); et omnes, qui sunt membra capituli, aequali iure vocis in omnibus capitulariter definiendis frui debent, etiamsi iidem canonicatus fuerint recentius erecti (*S. C. C. 27 febr. 1768 Sen. apud Zamboni tom. 4* " *Capitulum* „ *§ 15*). Non obstat praeiudicium antiquis canonicis inferendum, quatenus eorum iurisdictio in plures personas diffunditur; quia huiusmodi praeiudicium non est considerabile, nec attenditur in concursu utilitatis ecclesiae, quae consideratur in maiori numero canonicorum et in augmento cultus divini (Scarfantonus *lib. I. tit. 14. animad. 33*) „.

Admittitur tamen, posse capitulum, quum praestat suum consensum novae erectioni canonicatuum, conditiones quasdam adiicere pro arbitrio, dum-

modo eae sint, quae iustitiae consonae appareant, et non repugnent naturae et essentiae canonicatus. Hinc non possent antiqui canonici conditionem adiicere, canonicos novae erectionis nec stallum in choro nec vocem in capitulo habere; haec duo enim ad essentiam canonicatus pertinent, et qui ea non habent, non veri canonici sed ad summum honorarii canonici essent. *S. C. C. in Ventimilien. 17 dec. 1836.* Possent e contra adiicere conditionem, novos canonicos de legatis, anniversariis, bonis, aliisque iuribus iam antiquo capitulo quaesitis, non participaturos; vel nullam habituros vocem in capitulo, quando de negotiis pertinentibus ad interesse antiquorum dumtaxat canonicorum agetur; vel semper ultimos stallos retenturos post canonicos primae erectionis; vel alias similes. *S. C. C. in Aretina 5 maii 1703; in Alatrina 8 febr. 1727; in Toletana 1 febr. 1766; in Pisana 5 dec. 1846; in Romana 18 febr. 1865; in Veliterna 20 dec. 1851.*

745 Quid autem, si nulla apposita fuerit a capitulo conditio in erectione novorum canonicatuum? Et quoad hunc casum haec habentur in folio causae Velitern. Participationis 20 dec. 1851: "Non eadem hoc in casu est canonistarum opinio, num ad omnia iura, emolumenta et legata capitulo relicta indistincte sint admittendi (canonici secundae erectionis). Negant aliqui ob legalem iuris praesumptionem, quod admissio facta censeatur sine ulla proprii iuris diminutione ac detrimento, ideoque magis aequitati congruum, ut novi canonici ea non lucrentur, quam ut antiqui ea perdant (Tondut. *Quaest. benef. c. 68. n. 15:* Scarfantonus ad Ceccoperium *lib. 1. cit. 14. n. 59 sqq.*), praesertim si res sit de novis canonicis, qui propriam praebendam distinctosque fructus habent (Card. de Luca *de canonic. disc. 6. num. 3;* Pitonius *de controv. part. alleg. 64. n. 5*). Alii vero, distinguentes speciem canonicorum, qui sola honorifica denominatione fruuntur, et numerum antiquorum haud frangunt, ab iis, qui vere et proprie aggregantur ad capitulum et de eius corpore fiunt cum omnibus privilegiis et honoribus, et per quorum admissionem numerus augetur, censent, hos nihil differre ab antiquis, ita ut tam novi, quam antiqui in omnibus uniformes sint active et passive tam in oneribus quam in honoribus, singulisque semper aequalis debeatur omnium emolumentorum participatio, nisi aliud in novorum admissione cautum expresse fuerit. Haec tenet idem Card. de Luca (*eod. tit. disc. 37. n. 2*) et Panimoll. (*decis. 98. ann. 1. n. 6*); sed prae omnibus eminet Pignatell. (*tom. 6. consult. 48 per tot.*) .... Verumtamen haec sententiarum discrepantia, verba auctoris mox relati penitius perpendendo, conciliari posse videtur. Supponit enim ipse casum, quo ex fundatorum voluntate ceteris in omnibus peraequandi forent novi canonicatus et quod relicta ab iis substantia in communem fuerit massam collata; quibus positis, quum per hanc collationem onerum peraequatio supponatur, planum est, antiquorum consensum absque conditione praestitum id operari, ut communis

emolumentorum ex massa retrahendorum participatio esse debeat, quum hoc in casu verificetur adamussim antiquorum praeiudicium evanescere, quod profecto est fundamentum contrariae sententiae. Ceterum citra huiusmodi peculiaria rerum adiuncta primam sententiam, ex maiori saltem canonistarum suffragio praevalere, congruum apparet. — Quapropter veluti eiusdem sententiae consectaria est distinctio, quam circa legata et emolumenta alia tenendam monent Castr. (*consil. 170.* § *super secundo*), Card. de Luca (*de canonicis disc. 6. n. 27*), Pitonius (*de controv. Patron. alleg. 65. n. 27*) et Scarfantonus (*lib. 1. tit. 14. n. 60*), ab illis nimirum novos canonicos excludendos esse, quae ante eorum erectionem ac receptionem iam capitulo quaesita fuerant; ad ea vero esse admittendos, quae post erectionem obvenere: obtinet enim hoc in casu, quod quidquid capitulo relictum est aeque inter omnes dividi debet. — Quoad participationem distributionum incertarum, resultantium a funeralibus seu mortuariis ac anniversariis aliisque ecclesiasticis functionibus a populi devotione obvenientibus, eam summa ratione deberi novis canonicis respondit Card. de Luca (*cit. disc. 6. n. 14*): « quoniam participatio noviter additorum non praeiudicat antiquis, sed solum auget praeiudicium seu impensam populi volentis illas functiones ecclesiasticas facere ». Limitat nihilominus responsum ad casum distributionum seu emolumentorum, quae certam taxam non habent in singulis. Cfr. *folium causae Velitern. Participationis 20 dec. 1851 apud Lucidi de vis. sacr. lim. III. doc. 27; S. C. C. in Narnien. 14 apr. 1714; in una Nullius seu Terrae Pontiani 26 mart. 1735; in Viterbien. 14 dec. 1742; in Tusculana 9 maii 1744; in Sabinen. 2 maii 1770; in Verulana 3 febr. 1776; in Eugubina 26 mart. 1763; in Tolentinaten. 1 febr. 1766; in Fabrianen. 8 aug. 1829. 30 iul. 1831; in Massanen. et Populoniae 25 ian. 1856; in Tropien. 20 ian. 1883.*

746 Ultimo loco iuverit hic referre ea, quae Mühlbauer (*Thes. res. S. C. C. v.* « *Canonicus* » *n. 18*) ex variis causis relatis colligit, scilicet:

« 1° Canonicos secundae erectionis non debere ab aliis membris ipsius corporis distingui, sed participare de omnibus iuribus et praeeminentiis canonicalibus ad instar antiquorum.

« 2° Idque procedere, etiamsi servitium praestandum ex testatoris dispositione sit difforme et inaequale ab eo, quod praestatur ab antiquis.

« 3° Hinc ius ipsis competere ferendi suffragia in electionibus ceterisque actibus capitularibus, quae concernunt statum et servitium ecclesiae et sacristiae, non vero in his, quae respiciunt interesse et iura particularia veterum canonicorum ». Cfr. etiam Monitore eccl. *vol. III. p. 2. pag. 57.*

747 **Quoad praecedentiam nota**: *a*) si praebendae sunt distinctae, canonici secundae erectionis, qui obtinent praebendas presbyterales, habent praecedentiam supra eos, qui obtinent praebendas diaconales vel subdiaconales

etiam primae erectionis. (*S. R. C. in Casertana 12 iun. 1638* [*639*], ex quo decreto pronum est colligere, idem dicendum esse de obtinentibus praebendas diaconales prae illis, qui subdiaconales obtinent; *b*) si praebendae non sunt distinctae (idem dicas in casu de praebendis distinctis relate ad eos, qui eiusdem gradus praebendas obtinent), novi et antiqui canonici pari censu habentur, ita ut nulla sit distinctio inter eos, sed praeeminentiam habeant iuxta antiquiorem vel recentiorem receptionem (De Herdt, *Praxis capitul. c. 7. § 11*), nisi contraria conditio fuerit apposita in admissione recentiorum canonicatuum. *S. R. C. in Lunen. et Sarzanen. 9 aug. 1643* (*811*).

748 Adverte hic tandem, aliquando ob peculiares circumstantias approbari limitationes quasdam in iuribus canonicorum secundae erectionis, ut ex gr. quod habere non debeant vocem in electione vicarii capitularis. Cfr. *S.C.C. in Calatayeronen. 23 febr. 1895*

749 **De canonicis sine praebenda.** — Accidit aliquando, ut quidam in canonicos eligantur, quibus tamen non confertur praebenda, velut quum, incameratis a civili auctoritate reditibus canonicatuum eorumque numero imminuto, episcopi propter servitium ecclesiae adiguntur ad nominandos canonicos, qui a gubernio ut tales non recognoscuntur et proinde beneficiali reditu carent, et participant tantummodo fallentiis et adventitiis. Hi canonici vere canonici sunt, qui proinde fruuntur omnibus iuribus et privilegiis ad canonicatum pertinentibus, tum sede episcopali plena, tum eadem sede vacante. *S. C. C. in Elnen. 29 mart. 1890.* Sed an eisdem canonicis incumbunt onera canonicalia, quemadmodum illis incumbunt, qui praebenda gaudent? Sacra Congr. Concilii in citata Elnen. de hoc interrogata per sequens dubium: « An stricte et in conscientia (canonici sine praebenda) ad residentiam, ad chorale servitium, ad applicationem missarum pro fundatoribus et benefactoribus et ad alia onera canonicis praebenda donatis propria teneantur in casu », noluit directe respondere, sed, respondendo ad aliud dubium, propositam quaestionem diremit per oeconomicam quamdam dispositionem. Nam ad dubium: « An et quomodo in eorumdem favorem locus sit remissioni et reductioni onerum in casu », respondit: « Episcopo cum facultatibus necessariis ut, perdurantibus circumstantiis, pro sua conscientia dispensare valeat ab onere applicandi missam conventualem et reducendi onera residentiae et servitii choralis ad dies solemniores et alios sibi benevisos, facto verbo cum SSmo ». Unde deduci potest, dubium quidem esse forte theoretice, num huiusmodi canonici ad omnia onera canonicalia teneantur; aequitatem tamen suadere, ut hi, qui non magna sentiunt ex canonicatu commoda, parva etiam sentiant onera. Verum tutius saltem videtur in casu, si quando datur, recursum haberi ad S. Sedem, ut haec consueta onera huiusmodi canonicis moderetur. Cfr. *folium in citata causa Elnen.; S.C.C. in Andrien. 5 mart. 1887;* Mon. eccl. *vol. IV. p. 1. pag. 90, vol. VI. p. 2. pag. 49 sqq.*

Saepius etiam accidit, ut hi canonici 750

sine praebenda (quales in Italia sunt canonici collegiatarum) negligentes evaserint in adimplendo servitio chorali, etiamsi ab ecclesiastica auctoritate servitium fuisset reductum. Ad medendum huic incommodo S. Congregatio Concilii haec statuit: « In posterum in Italia quisquis iuxta praemissa provisus de canonicatu vel hebdomadariatu in collegiatis, aut de participatione in ecclesiis receptitiis, per sex menses sive interpolatos sive continuos in singulis annis, sine legitima causa, chorale servitium omiserit ipso facto, praevia dumtaxat sententia ipsius facti declaratoria, a suo respectivo beneficio et participatione se decidisse sciat, contrariis quibuscumque minime obstantibus ». *S. C. C. 9 sept. 1891, appr. SSmo.*

751 **Nota.** — Canonici interdictum specialiter R. P. reservatum incurrunt, si ab ordinationibus R. Pontificis ad universale futurum concilium appellant. *Const.* « Apost. Sedis » *int. sub. n. 1.*

Decr. Grat. c. 1. D. 25; c. 8. D. 74; c. 3. D. 94; c. 1. D. 21; tit. de off. archid. X. (I. 23); tit. de off. archipresb. X. (I. 24); tit. de off. primic. X. (I. 25); tit. de offic. sacristae X. (I. 26); tit. de offic. custodis X. (I. 27); tit. de praeb. et dignit. X. (III. 5); tit. ne sede vacante aliquid innovetur X. (III. 9); tit. de iis quae fiunt a prael. etc. X. (III. 10); tit. de iis quae fiunt a maiore parte capituli X. (III. 11); tit. de praebendis et dignitatibus (III. 4) in 6°; tit. de praebendis et dignitatibus (III. 2) in Clem.; tit. de praebendis et dignitatibus (3) in Extr. Ioan. XXII; Conc. Trid. sess. V. c. 1 de ref. sess. XXIV. c. 12. de ref., sess. XXV c. 6. 18 de ref. et alibi passim; Commentatores in tit. cit. Decr.; *De Luca Card.* De canonicis; *Pignatelli* Consultationes can. t. 6 cons. 48. 50. 51 sqq.; *Barbosa* De canonicis et dignitatibus; *Molanus* De canonicis; *Ceccoperius* Lucubrationum canonicalium bibliothessera; *Scarfantonius* Animadversiones in Ceccoperium; *Thurmannus* Bibl. canonicorum; *Langhecruccius* De vita et honestate canonicorum; *Mansfelt* Clericorum .... can. origo et vita; *Desnos* Canonicus saecul. et regul.; *Amort* Vetus disciplina canonicorum; *Politi* Ius canonicale; *Thomassin* Vetus et nova eccl. disc. p. 1. lib. 3. c. 7 sqq.; *Hinschius* KR. II. 49; *Scherer* KR. I. 565 sqq.; *Wernz* Ius Decr. II. 767 sqq.; *Zech* Hierarchia eccl. tit. 28. 29; *Sägmüller* Lehrb. des KR. § 95; *Hergenröther-Hollweck* Lehrb. des KR. n. 420. Reliquam bibliogr. quaere sub *Capitulum.*

Canonicus honorarius. — Canonicus honorarius ille est, qui, sine praebenda et sine iure ad praebendam etiam futuram, nomen habet et insignia canonici, et aliquando etiam ius stalli. Cfr. *S. R. C. in Patavina 16 mart. 1876* (*3393*). 752

Episcopus non potest creare canonicos honorarios sine consensu sui capituli (*S. C. C. 6 iul. 1867 : in Oritan. 27 febr. 1886; 6 iul. 1889; in una Marsorum 12 dec. 1891*), nisi habeatur contraria consuetudo (*S. C. C. in Gratianopolitana 14 ian. 1860; in Tarbien. 28 apr. 1880*), vel nisi habeatur in contrarium apostolicus indultus. *S. C. C. in Goritien. 14 ian. 1860.* 753

Quoad creationem clericorum alienae dioecesis in canonicos honorarios haec sancita fuerunt a Leone XIII. *29 ian. 1894* (Cfr. *Coll. Decr. S. R. C. n. 3817*): Si quis episcopus vult eligere canonicum honorarium aliquem clericum alienae dioecesis, praeter consensum capituli, debet ordinarii, cui cle- 754

ricus nominandus subiicitur, notitiam et votum obtinere. Canonici honorarii, extra dioecesim degentes, non debent aequare numero tertiam partem canonicorum titularium eiusdem capituli; canonici alicuius minoris basilicae vel ecclesiae collegiatae in Urbe privilegiis et insignibus uti possunt tantummodo intra ambitum eiusdem ecclesiae vel ipsius filiarum; canonici vero ecclesiae cathedralis aut collegiatae seu basilicae minoris extra Urbem privilegiis et insignibus uti possunt tantum in dioecesi, ubi nominati sunt, non vero extra ipsam, et haec omnia servari debent etiam a canonicis usque ad eam diem nominatis.

Numerus canonicorum honorariorum debet proportionari numero titularium, quo minor semper debet esse (Fagnanus *in tit. De praeb. n. 9;* Ioh. Andreae *ad c. 19. De praeb. n. 12*) nisi ageretur de extraordinariis circumstantiis, veluti nunc in Italia in capitulis ab auctoritate civili iniuste suppressis vel ad minorem numerum redactis, quando ex hoc impossibile evadit servitium ecclesiae. Mon. Eccl. *vol. IV. p. 2. pag. 26.*

755 Canonicus honorarius, ut talis, locum habet in choro post canonicos titulares (*S. C. C. 6 iul. 1867; 12 septembris 1868*), et si canonici titulares sint distincti per ordines, nimirum presbyteralem, diaconalem et subdiaconalem, in functionibus pontificalibus, quando a canonicis paramenta assumuntur, canonici honorarii debent assumere tunicellam; secus eamdem vestem communem canonicis titularibus, cuiuscumque ordinis sint. *S. C. C. decr. cit. 1 iul. 1867.*

Transeuntes in choro ante episcopum pontificaliter celebrantem, si sint canonici honorarii cathedralis, non debent genuflectere sicut reliqui de clero, sed tantummodo caput atque humeros inclinare, sicut ceteri canonici. *S. R. C. in Baionen. 25 sept. 1875 ad 2* (*3377*). 756

Huiusmodi canonicus nullam habet vocem in capitulo; imo eam ne ipse quidem episcopus potest illi concedere (*S. C. C. 17 dec. 1837*); sed ex alia parte non tenetur ad legem residentiae. *S. C. C. in Fulden. 21 nov. 1767; in una S. Miniati 26 nov. 1727; in Lucana 24 apr. 1830; in Rhemen. 23 feb. 1895.* 757

Cfr. etiam quoad canonicos honorarios causam per summaria precum agitatam apud Sacram Congr. Concilii *in Brunen. Circa ius et modum praesentandi canonicos honorarios. 27 apr. 1895.*

Canonicus poenitentiarius. — Canonicus poenitentiarius instituitur in ecclesia cathedrali pro audiendis confessionibus, ad quas excipiendas paratus semper esse debet horis, loco, sede, arbitrio episcopi, opportunis. *S. C. C. 21 apr. 1587.* Hinc eo ipso absque alia licentia habet in dioecesi facultatem absolvendi omnes episcopi subditos, sed non potest per se absolvere a reservatis. 758

Canonicus poenitentiarius ex Tridentino *sess. XXIV. cap. 8 de ref.* debet esse doctor aut licentiatus in theologia, aut in iure canonico, et annorum quadraginta (sufficit annus quadragesimus inceptus, *S. C. C. 25 iun. 1890*), vel alius, qui aptior pro loci qualitate reperiatur. Quare etiam 759

minori quadraginta annorum conferri potest beneficium canonici poenitentiarii, sine ulla dispensatione, si aptus, qui in ea aetate constitutus sit, pro loci qualitate non reperitur. *S. C. C. in Sarnen. 23 sept. 1596; in Brunen. 12 nov. 1644;* Mon. Eccl. *vol. XVII. pag. 134;* Pallottini *Coll. concl. S. C. C. v. « Canonicatus » a. 7.*

760 Poenitentiarius, dum audit confessiones in ecclesia (*S. C. C. 6 iul. 1889*), aut sedet in confessionario, vel aliter praesto est iis omnibus, qui confiteri volunt, quando probabiliter praevidet poenitentes accessuros esse ad poenitentiae tribunal (*S. C. C. in una Montis Alti 22 dec. 1906*), censetur praesens in choro, et lucratur fructus praebendae, distributiones manuales et alia emolumenta, nec tenetur ad altaris servitium, etsi alias ad id teneretur; quando vero non est impeditus in munere confessionis, interesse debet divinis officiis (*S. C. C. 24 ian. 1642;* cfr. *S. C. C. in Arianen. 12 dec. 1896;* Monit. eccl. *vol. IX. p. 2. pag. 241*); et non eximitur ab inserviendo pro diacono et subdiacono, si aliunde ad id teneatur. *S. C. C. 30 iul. 1831; 22 dec. 1906.* Cfr. Monitore Ecclesiastico *vol. XVIII. pag. 483 sqq.*

Non tenetur vero assumere administrationem seu oeconomiam bonorum et rerum capitularium, ut ceteri canonici, nec officium punctatoris in choro. *S. C. C. 3. oct. 1671.*

761 Ad solum episcopum pertinet eligere canonicum poenitentiarium (*S. C. C. apud Richter* Conc. Trid. *p. 18 sqq. n. 11 sqq. p. 344 sqq.*), nisi collatio spectet ad Rom. Pontificem, vel praebenda sit subiecta iuripatronatuis laicali. *S. C. C. 2 iun. 1860.*

In Italia vero et insulis adiacentibus electio facienda est per concursum ex Benedicto XIII. (*14 kal. iun. 1725*), et praeterea necesse est, ut sit doctor in theologia vel lauream intra annum consequatur. *Const.* Ben. XIII. « Pastoralis officii ».

Canonicus theologus. — In omni- 762
bus cathedralibus, ex Tridentino, *sess. V. c. 1 de ref.* (imo et in collegiatis exsistentibus in aliquo insigni oppido, Conc. Trid. *loco nuper. cit.*), debet esse canonicus theologus, cuius munus sit exponere et interpretari s. scripturam (scilicet vere docere s. scripturam, non autem haberè conciones de s. scriptura, habita praecipue ratione sensus mystici et moralis, *S C. C. in Casalen. 26 iun. 1847*) pro clero et populo publice in ecclesia, non vero privatim, ex. gr. in sacristia. *S. C. C. 15 mart. 1710.* Et nihil impedit, quominus in lectionibus habendis utatur chartula ad memoriam iuvandam. dummodo non abutatur, legendo modo puerili materiam, sed illud faciat, quod ordinarie lectores seu professores faciunt, quum et ipse docere debeat. Petra *Comm. ad constit. 2. Inn. IV. n. 51.*

Eximuntur autem ab hac obligatione ex ipso Tridentino (*loc. cit.*) ecclesiae, quarum annui proventus tenues fuerint, et ubi tam exigua est cleri et populi multitudo, ut theologiae lectio in eis commode haberi non possit; tunc autem debet constitui magister, ab episcopo cum consilio capituli eligendus, qui clericos aliosque scholares pauperes gramma-

ticam gratis doceat, ut deinceps ad sacrae scripturae studia, annuente Deo, transire possint.

763 Canonicus theologus, iuxta plures recentiores, non satisfacit muneri suo, si, loco interpretandi sacram scripturam, doceat theologiam sive dogmaticam sive moralem in seminario; et ad suam sententiam tuendam afferunt encyclicam Gregorii XVI « Inter praecipuas » *a. 1842*, et explicitas responsiones S. C. C. in hunc sensum *27 iul. 1844; 26 iun. 1847; 2 sept. 1876; 16 dec. 1828*. Antiquiores tamen canonistae et recentiores quidam contrariam tenent sententiam (cfr. Fagnanum *in c. 4. tit. 5. lib. V de magistris etc.;* Card. Petra *in comm. ad const. 2. Inn. VI. n. 46;* Card. De Luca *in adnot. ad Conc. Trid. disc. II. n. 5;* Bened. XIV *de Syn. lib. XIII. c. 9 n. 17 etc.;* Mon. eccl. *vol. XII. p. 155 seqq.*); et iure adnotant ex constitutione Gregorii XVI, ab adversariis allata, nihil deduci pro contraria sententia; responsiones autem recentiores S. Congr. Conc., quas adversarii citant, non esse decreta generalia, quae legem tridentinam auctoritative interpretentur in eum sensum, sed potius particularia decreta, quae a specialibus casuum circumstantiis requirebantur; imo addunt, praeter plurimas antiquiores responsiones, etiam responsionem recentem Sacrae Congr. Concilii *in Pampilonen. 16 dec. 1882* suam sententiam firmare. Quum enim canonicus theologus cathedralis Pampilonensis, iuxta illius ecclesiae consuetudinem, non explicaret s. scripturam in ecclesia, sed in seminario ab ineunte octobri ad maium exeuntem, quaesitum est, an posset choro abesse et distributionem lucrari pro tota die, quando in docendo detinebatur. Et S. Congregatio rescripsit: « In casu, de quo agitur, canonicum theologum choro abesse ac distributiones lucrari posse pro iis tantum diei horis, quibus legit in seminario ». (Nota hic, non semper, etiam quoad hoc ultimum, eamdem fuisse mentem S. Congr.; nam die 7 dec. 1861 ad quaesitum primum: « an can. theol. teneatur interesse choro vespere illorum dierum, quibus mane docet », respondit: « negative ». Cfr. etiam *in Caurien. 6 aug. 1848; in Barcinonen. 2 iun. 1860; in Arboren. 7 dec. 1861*). Ita Monitore Ecclesiast. (*vol. III. p. 2. pag. 57; vol. XII. pag. 115 sqq.*), qui tamen prius (*vol. I. pag. 188*) contrariae adhaeserat sententiae. Cfr. etiam Pallottini *Thes. resol. S. C. Conc.* (*v° « Canonicatus » § VIII. n. 309 sqq.*) Et afferri etiam posset responsio alia S. Congr. Concilii *7 dec. 1861* (apud Bucceroni *Enchiridion pag. 183*), in qua ad tertium quaesitum: « an exemptus a choro declarandus pariter sit ad praedictum effectum lucrandi distributiones et emolumenta incerta iis diebus, quibus, licet non doceat, attamen ratione officii sui clericorum examini assistit in casu », responsum est: « affirmative, ut in secundo », scilicet, iis emolumentis exceptis, quae ex voluntate testatorum aut dantium debentur tantum actu praesentibus. Cfr. etiam *S. C. C. in Pacen. 22 sept. 1765 apud Lucidi De vis. ss. lim. I. c. 3. n. 192.*

Et nota etiam, iuxta patronos secundae sententiae, non esse in pote-

state ipsius canonici theologi, vel interpretari s. scripturam in ecclesia vel docere theologiam, sed hoc positum esse in arbitrio episcopi, qui ad legendam theologiam in seminario posset etiam compellere canonicum theologum, si quando ipsi hoc videretur utilius. *S. C. C. 22 sept. 1765.* Certum autem est, canonicum theologum ad utrumque teneri, nempe et ad docendam theologiam et ad interpretandam publice s. scripturam, si hoc cautum fuerit lege ipsa fundationis, aut hoc idem episcopus statuerit in edicto pro concursu. *S. C. C. in Vigilien. 27 sept. 1681; in Ripana 12 ian. 1692; in Bisarchien. 26 septembris 1857.*

Benedictus XIV (*loc. cit.*) statuit sibi etiam quaestionem, an canonicus theologus satisfaceret muneri suo docendo ius canonicum, et videtur ad positivam responsionem inclinare. Attamen dicit nondum fuisse decisum, num hoc sit iuxta Concilii mentem.

Absque dubio autem est ex recentissimis responsionibus (*S. C. C. 11 apr. et 25 iul. 1891*), canonicum theologum, magisterii munus in seminario exercentem, percipere non valere distributiones chorales pro diebus, quibus docet, si pensionem a seminario accipiat.

764 Receptum vero est ex praxi S. C. C., ut canonicus theologus pro integra die, qua legit s. scripturam (non vero per totam hebdomadam ante diem concionis, aut per duas quoque dies, sine indulto apostolico, *S. C. C. in Vallisoletana 29 apr. 1899; in Oveten. 27 apr. 1901*), possit a choro abesse et facere fructus suos, imo percipere etiam distributiones quotidianas (Vid. declarationes S. C. C. apud Richter et Schulte, *Conc. Trid. p. 17.* Cfr. Acta S. Sedis *I. 488. 611; II. 81. 573; III. 237*), imo etiam emolumenta incerta, illis exceptis, quae ex voluntate testatorum aut dantium debentur tantum actu praesentibus (*S. C. C. 7 dec. 1861; 20 sept. 1879*), et hoc etiamsi ea die studio operam non dederit, sed tantummodo hora statuta lectionem s. scripturae habuerit. *S. C. C. in Perusina 30 iul. 1859.*

765 Circa locum, tempus et horam habendae lectionis scripturalis standum est prudenti arbitrio episcopi (*S. C. C. in Amerina 11 iun. 1710*), nec canonicus theologus posset contendere eam inter missarum solemnia diebus festis habere. *S. C. C. in Ripana 30 apr. 1796.*

766 Numerus autem lectionum habendarum a canonico theologo non statuitur a iure communi. Concilium Romanum anni 1725 statuit eas ad minus quadraginta esse debere; generaliter tamen relictus est harum numerus episcopo definiendus (Cfr. *folium in causa Casalen. 26 iun. 1847 apud Lucidi De vis. ss. lim. III. doc. 29*), pro prudenti suo arbitrio, quod tamen regulari potest a consuetudine suae ecclesiae (*S. C. C. in Patavina 15 iul. 1645*), nec excludit tres menses vacationis (*S. C. C. in Anagnina 16 dec. 1645*), imo ferias etiam longiores, si mos ita ferat. *S. C. C. in Melevitana 2 iul. 1707.*

767 Si canonicus theologus die, qua habere deberet lectionem s. scripturae, non bene valeat, aut alio rationabili impedimento detineatur, non tenetur

alium sibi substituere in lectione facienda; si vero agatur de insanabili morbo, tunc substitutum sibi debet adsciscere. Cfr. *folium cit. in causa Casalen. apud Lucidi loc. cit.*

768 Canonicus theologus iis diebus, quibus ratione sui muneris eximitur a choro, excusatur etiam ab officio diaconali vel subdiaconali peragendo. *S. C. C. 15 dec. 1725; 28 dec. 1726.*

769 Canonico theologo nulla per se competit praecedentia super alios canonicos (*S. C. C. in Surrentina 20 decembris 1823*), nisi ex statutis synodalibus aliud cautum sit. *S. C. C. in Mediolanen. 22 sept. 1855.*

770 Debet canonicus theologus posse suo muneri per se satisfacere, secus iuxta quosdam est nulla provisio.

771 Benedictus XIII pro Italia et insulis adiacentibus constitutione sua « Pastoralis » *XIV kal. iun. 1725* statuit, ut sit doctor in theologia vel infra annum lauream assequatur. Assequi autem debet canonicus theologus infra annum lauream in theologia, non autem in iure canonico vel etiam in utroque iure, quamvis doctori in iure facilius concedatur dispensatio ab onere assequendi lauream in theologia. *S. C. C. in Balneor. 11 apr. 1807.*

772 Canonicus theologus, qui suo muneri non satisfacit, debet ab episcopo ad hoc cogi etiam per fructuum subtractionem (Conc. Trid. *sess. V. c. 1. de ref.*); et in hunc finem tertia pars proventuum integrae (Cfr. *S. C. C. 10 iun. 1876*) praebendae theologalis ab episcopo distribui et proportionaliter applicari debet singulis lectionibus sacrae scripturae, quae ab eo debent haberi, quibus proportionaliter privetur canonicus theologus negligens in eis habendis, pro rata scilicet omissionis; et in hoc casu dictae partes cedere et erogari debent in beneficium sacristiae ecclesiae; quod si contumacia canonici theologi gravior sit et diuturnior, licet episcopo deputare alium theologum sacerdotem secularem vel regularem, qui, iugiter supplendo eiusdem canonici theologi vices, praefatis partibus seu distributionibus gaudeat. *Const. cit.* Ben. XIII « Pastoralis ».

Electio spectat exclusive ad epi- 773
scopum (*Conc. Trid. ed. Richter p. 17 sqq. n. 15 sqq. p. 344 sqq.*), sed in Italia et insulis adiacentibus ex eodem Benedicto XIII. (*Constit. cit.*) electio facienda est per concursum.

Canonis privilegium. — Canonis 774
privilegium in eo consistit, quod excommunicationem l. s. R. P. simpliciter reservatam incurrunt (*Constit.* « Apost. Sedis » *serie 2. n. 2*) illi (dummodo capaces fuerint gravis peccati [*cc. 6. 60 de sent. excomm. etc. X-V. 39*]), qui manus in clericos (nempe infra episcopos, quique non sint legati Sedis Apostolicae aut nuntii) iniuste inferunt (non autem tantummodo minas inferendi faciunt, *S. C. C. in Paderbornen. 9 sept. 1683; in Albintimilien. 18 iun. 1746*), idest qui in clerici personam, non verbis, sed re iniuriam faciunt. Fit autem iniuria in personam, sive corpus, sive libertas, sive dignitas laedatur. Haec excommunicatio olim etiam impuberes ligabat, hodie verius non item (D'Ann. *I. 367*); idem dicas de mandantibus percussionem eamque ratam habentibus.

Dicitur privilegium canonis, quia desumitur ex c. 29. C. XVII. q. 4, qui est concili Lateranensis II.

775 Comprehendit omnes clericos, etiam tonsuratos tantum (imo clericos etiam coniugatos, dummodo cum unica virgine, et deferant habitum ac tonsuram clericalem, *c. un. de cler. coniug.* [*III. 2*] *in 6°*; item etiam excommunicatos, suspensos, interdictos, depositos verbaliter tantum, *c. 2. de poenis* [*V. 9*], irregulares), religiosos (nec tantum regulares stricte dictos, sed religiosos etiam recentiorum congregationum, quae tamen aliquam habuerint approbationem ab ecclesia, Wernz *Ius decret. II. 165*), etiam novitios, moniales, tertiarios utriusque sexus, dummodo collegialiter vivant. *Const.* Leon. X « Dum intra ». Cfr. *S. C. C. 8 iul. 1690;* S. Alph. *VII. 127*; Schmalzgr. *in lib. V. Decr. tit. 39. n. 219.*

776 Excusatur vero a censura incurrenda, qui in clericum cum uxore, matre, sorore vel filia propria turpiter inventum manus iniecerit violentas; nec non mulier percutiens clericum qui eam sollicitat, si non possit illum verbis avertere, *c. 3 de sent. excomm. etc. X.* (*V. 39*); S. Alph. *VII. 275;* Schmalzgr. *l. c. 235-242.*

777 Eodem modo illi excusantur, qui clericum percusserint non ex animo infenso (saltem si animus iste infensus externe non apparuerit, D'Ann. *Comm. in Const. Ap. Sedis n. 110* [*20*]), sed ex ioco vel iusta de causa, puta defensionis (*c. 10 tit. cit. X.* [*V. 39*]) etc.; vel qui vim a clerico illatam vi incontinenti repellunt (*c. 3 tit. cit. X.* [*V. 39*]); vel qui clericum percutiunt, laicum putantes (*c. 4 tit. nuper cit.*); vel qui percutiunt ex subita ira, si non plene advertunt quod faciunt. S. Alph. *VII. 275.*

Praeterea ipso iure privilegium hoc 778
canonis amittunt clerici degradati reali degradatione (*cit. c. de poenis in 6°*); clerici, qui, habitu ecclesiastico deposito, militiae se addicunt, si tertio ab ordinario suo admoniti ab ea non recedant (*c. 25 de sent excomm. etc. X°* [*V. 39*]); vel, etsi militiae se non addixerint, si tertio admoniti habitum non resumpserint (*c. 45. tit. cit. X.* [*V. 39*]); clerici, qui enormibus se criminibus maculaverunt (*c. 14. tit. cit.*); clerici, qui se ioculatores aut macellarios aut tabernarios faciunt, et per annum has ignominiosas artes exercuerint; vel, si breviori tempore hoc fecerint, spreverint tamen trinam monitionem ordinarii, nec resipuerint (*c. un. de vita et hon. cler.* [*III. 1*] *in 6°; c. 1 eiusd. tit. in Clem.*); clerici minores ordinati sede vacante infra annum a die vacationis, nisi fuerint arctati. Conc. Trid. *sess. VII. c. 10 de ref.*

Clerici quoque minorum ordinum 779
(saltem Status pontificii) beneficio carentes, qui clericalem habitum et tonsuram non deferant, et alicui ecclesiae ex mandato episcopi non inserviant, vel in seminario clericorum aut in aliqua schola vel universitate de licentia episcopi, quasi in via ad maiores ordines suscipiendos, non versentur, ipso iure amittunt privilegium canonis, quemadmodum et alia omnia privilegia clericalia. *Decr. S. C. Imm. eccl. 20 nov. 1860.*

Episcopus, si percussio fuerit levis 780
(idest citra damnum grave, cfr. *S. C. C.*

in Paderbornen. 8 aug. 1682), percutientem, quisquis ille sit, absolvere potest (*cc. 3. 17. tit. cit. X.* [*V. 39*]); si gravis, sed occulta, omnes etiam (Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 6 de ref.*); si autem fuerit gravis et publica, nonnisi collegialiter viventes (*c. 50. tit cit. X.* [*V. 39*] *c. 9 de vita et honest. cler.* [*X. III. 1*]); si enormis, antiquo iure nonnisi impuberes (qui tunc hac censura ligabantur) etiam post pubertatem petentes (*c. 60. tit. cit. X.* [*V. 39*]); in dubio an percussio gravis fuerit vel levis, pro maiore standum est. S. Alph. *VII. 280.* Vi autem facultatum triennalium absolvunt episcopi ab huiusmodi casibus, « dummodo non fuerit secuta mors vel mutilatio seu letale vulnus aut ossium fractio, et dummodo casus ad forum externum deducti non fuerint ».

781 Religiosus, qui percusserit consodalem eiusdem ordinis, dummodo percussus episcopus non fuerit vel abbas; item, qui percusserit religiosum alterius ordinis, dummodo accedat absolutio abbatis clerici percussi et in utroque caso percussio non fuerit enormis, absolvi potest (etiamsi esset novitius) a suo praelato seu abbate. *cc. 32. 50. tit. cit. X.* (*V. 39*); *S. C. C. in Paderbornen. 8 aug. 1682.* Religiosus, qui leviter et probabiliter etiam graviter (non autem si enormiter) percusserit clericum secularem, absolvi potest ab ordinario clerici percussi; secus, semper recurrendum est ad S. Sedem; nisi privilegia habeantur. *in Mediolanen. 2 dec. 1719;* S. Alph. *VII. 207.*

782 Privilegium hoc est in bonum ordinis, non personae; hinc clericus illi renunciare nequit.

Si agatur de cardinalibus, legatis, 783
nuntiis apostolicis, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, eos interficiens vel mutilans vel percutiens (nempe offendens quacumque iniuria, quae manu fit) incurrit excommunicationem l. s. Rom. Pontifici specialiter reservatam. *Const.* « Ap. Sedis » *serie 1. n. 5.*

Decr. c. 29. C. XVII. q. 4; cc. 1-14. 16. 17. 19. 20. 23. 24. 26. 29. 32. 33. 36. 37. 47. 58 de sent. excomm. etc. X. (V. 39); cc. 21. 23. eiusd. tituli (V. 11) in 6°; Const. Apost. Sed. ser. 2. n. 2; ser. 1. n. 5; Comment. in tit. 39. lib. V. Decr.; *Antonelli I. C.* De iuribus et oneribus clericorum; *De Grassis C.* Tractatus de effectibus clericatus; *Thesaurus Car. Ant.* De poenis p. II. v. « Iniuria » c. 2; *Haussmann* Geschichte der päpstlichen Reservatfälle p. 65 sqq.; *Wernz* Ius Decr. II. 163 sqq.; *Scherer* KR. § 71; *Sägmüller* Lehrb. des k. KR. § 154; *Hergenröther-Hollweck* Lehrb. des k. KR. n. 317 seqq.; *Hollweck* Die kirchlichen Strafgesetze § 148. Reliquam bibliographiam vide sub *Clericus.*

Canonizatio — Canonizatio est ul- 784
tima et definitiva sententia Romani Pontificis, qua servus Dei in ecclesiam triumphantem receptus esse declaratur, et, ut ab omnibus fidelibus colatur, praecipitur. Ben. XIV. *De serv. Dei beat. et canon. lib. I. c. 39 n. 14.* Et in hoc proprie est discrimen inter canonizationem et beatificationem, quum haec sit iudicium quoddam non definitivum, quo cultus permittitur quidem, sed non praecipitur, omnibus saltem fidelibus. Si quae autem alia inter eas adsunt discrimina, haec secundaria sunt, utputa quod in universa ecclesia votivae dici

possint de sancto canonizato, non autem de beato, et alia huiusmodi. Canonizatio dicitur aequipollens, quum non fit per solemnem usitatum ritum et solemnem prolationem sententiae ex parte Romani Pontificis; sed ex aliqua approbatione minus solemni Pontificis, etiam tacita, habetur, ut quis in universa ecclesia veluti sanctus colatur.

785 Canonizatio spectat, et spectavit semper ad Romanum Pontificem, etiamsi fuerit tantum aequipollens, quia includit praeceptum universae ecclesiae impositum, quod unius Romani Pontificis semper fuit. Antiquitus poterant episcopi permittere in sua dioecesi cultum praestandum alicui servo Dei, sed haec permissio comparanda potius est beatificationi, quam canonizationi.

In praesenti disciplina ecclesiae ab Alexandro III introducta (*cfr. c. 1 de reliquiis etc. X*: [*III. 45*]), et ab Urbano VIII. explicite confirmata (*decr. 23 mart. 1625; Const.* « Caelestis Hierusalem » *5 iul. 1634*), non solum canonizatio, sed etiam beatificatio reservatur Romano Pontifici. Ben. XIV· *loc. cit. lib. I. c. 10. n. 3 seqq.*

786 An fide tenendum sit a fidelibus omnibus, sanctum canonizatum (nam de beato id certe dici nequit, ut patet ex ipsa notione beatificationis quam dedimus) esse in caelo et proinde colendum, non convenit inter doctores. Affirmat Arriaga (*De fide disp. IX. sect. 5. n. 27*); Suarez (*De fide disp. V. sect. 8. n. 8*) dicit, contrarium esse impium et temerarium; S. Thomas (*quodl. IX. q. 5. a. 16*) asserit pie credendum esse, eo quod ne in his quidem iudicium Ecclesiae errare possit, quod forte ex mente S. Doctoris significat non tantum credi hoc pie posse, sed potius, pietate suadente, ita a nobis esse credendum. Hunc autem sensum ipsa loci accurata analysis probare videtur.

Episcopi est initium dare causis beatificationis servorum Dei, ipsa vero beatificatio, ut diximus, Romano Pontifici est reservata. Aliis omnibus personis ecclesiasticis tam secularibus quam regularibus, etiam speciali mentione dignis, prohibitum est, ne ipsi per se aut per alios capiant informationes super sanctitate aut miraculis alicuius defuncti, neque ullo modo exquirant aut obtineant ad hunc effectum extraiudiciales testificationes aut subscriptiones sub poenis arbitrio S. Congregationis Rituum infligendis. Quod si superiori, sacristae seu alteri officiali illius ecclesiae, in qua requiescit corpus ipsiusmet defuncti, vel alterius etiam ecclesiae, fuerint revelata aliqua miracula seu prophetiae dona, possunt ea recipere sub sigillo secreti ab ipsis tantum relatoribus, in quorum gratiam contigisse narratur; tenentur tamen quamprimum commode poterunt, eadem deferre vel obsignata transmittere episcopo loci cum expressa declaratione, quod revelationes, sic ut supra receptae, non faciant aliquem probationis gradum, etiam cuiusvis longissimi temporis cursus. *S. R. C. litt. encycl. 12 mart. 1631 approb. ab Urb. VIII.* 787

Quamvis ad obtinendam introductionem causae apud S. Rituum Congregationem sufficiat, episcopum in- 788

quisivisse de fama sanctitatis, virtutis aut martyrii, nec non miraculorum et signorum, attamen valde opportunum est, ut ordinarius utatur auctoritate sua, inquisitionem instituens non solum de fama, sed etiam de specialibus probationibus virtutum aut martyrii nec non miraculorum et signorum: hi enim ordinarii processus, adiuncti postea processibus apostolicis, inserviunt generatim quam maxime ad subministrandas validissimas probationes pro beatificatione seu canonizatione. Cfr. *Instr. S. R. C. de causis beat. et canon. ann. 1878.*

Nota tamen, actum huiusmodi ab ordinario confectum non habere nisi vim informativam; quare prohibitum ipsi est approbare martyrium, virtutes, miracula, revelationes servorum Dei.

789 Absolutis processibus ordinariis (qui debent esse conscripti in lingua latina vel italica, aut in alterutram translati, quibus duabus linguis nuper lingua gallica aequiparata est, *S. R. C. 19 iun. 1891*) et legitime transmissis ad S. Rituum Congregationem (post quam transmissionem non licet ordinariis, inconsulta S. Congregatione, novas super iisdem articulis informationes excipere, sub poena nullitatis, quemadmodum Alexander VII. constituerat pro processibus apostolicis, *S. R. C. 11 febr. 1894*), non devenitur ad eorum aperitionem, antequam de hoc ipso habeatur apostolica venia (*Const. cit. Urb. VIII*), qua aperitione facta, si reges, principes et aliae personae authenticae et honestae instanter et diu supplicaverint Summo Pontifici, tunc Summus Pontifex per commissionem manu sua signatam committit causam Congregationi Sacrorum Rituum. Hanc autem commissionem non esse signandam, nisi post elapsum tempus decem annorum a die praesentationis processus auctoritate ordinaria instructi decrevit Innocentius XI. Cfr. *Instruct. S. R. C. de causis beatif. et canoniz. a. 1878.* Quam instructionem optimo claudit monitu S. Congregatio dicens traditionalem maturitatem et prudentiam, quae in hoc nobilissimo causarum genere Sedem Apostolicam et ecclesiae ordinarios regit, dignam esse, quae cognoscatur a veris et piis christifidelibus, eorumque (postulatorum causarum praesertim) fervorem temperet aliquando.

In causis beatificationis et canoni- 790
zationis servorum Dei postulator principalis unicus esse debet, et in Urbe fixam habere sedem. Vicepostulatores autem nonnisi a principali postulatore eligi possunt, sub poena nullitatis actorum omnium, quae per eosdem aliter deputatos fieri contigerit. *S. R. C. 22 aug. 1893.*

In quibuscumque processibus tam 791
apostolicis quam ordinariis pro causis servorum Dei conficiendis non possunt assumi in notarios clerici, nisi a suis ordinariis notariatus privilegio in scriptis antea fuerint insigniti; regulares autem viri nonnisi ex apostolico privilegio ac de venia suorum praesulum, firmo quoad eos remanente decreto Clementis XII. diei 18 aug. 1731, quo prohibetur ne sub quovis praetextu assumantur in notarios processuum religiosi viri eiusdem ordinis, quem servi Dei, dum vixerunt,

professi sunt, sub poena nullitatis. *S. R. C. 16 iul. 1894.*

792 Dignitates seu canonici, beneficiati aliique chorales omnes, qui sive conficiendis processibus in causis beatificationis aut canonizationis tum ordinariis tum apostolicis operam navant, sive uti testes vocati fuerint, haberi debent, intra vel extra Urbem, tamquam praesentes in choro, mutato officio; et ideo omnia emolumenta, etiam eventualia, percipiendi ius habent. *S. R. C. decr. gen. 13 iul. 1904.*

793 Pro recenter beatificatis seu canonizatis mos est Romae instituere solemnia sive triduana (pro novis beatis), sive octiduana (pro novis sanctis). Ut solemnia ista rite instituerentur Sacra Rit. Congregatio edidit sequens decretum:

« Haec triduana solemnia consistunt in cultu et honoribus altarium prima vice per tres dies continuos novo alicui beato tribuendis. Huiusmodi cultus ceremoniae praecipuae *stricte liturgicae* sint oportet, quae nimirum missam solemnem, et etiam, si commode fieri possit, vesperas solemnes complectantur. Permittuntur autem praeter illas et aliae functiones ecclesiasticae, uti preces quaedam cum interposita oratione dominica et angelica salutatione, litaniae lauretanae, necnon, praevio tamen consensu ordinarii, solemnis benedictio cum sanctissimo eucharistiae sacramento.

« Oratio panegyrica fiat inter *missarum solemnia* post cantatum evangelium, quae in casu habebitur velut homilia; vel etiam sive ante sive post vesperas recitari poterit. Tertia vero die non omittatur cantus solemnis *Te Deum* cum oratione solita *pro gratiarum actione.*

« Haec dispositio, quae pariter in octavariis solemnibus occasione alicuius canonizationis servanda est, a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII. in audientia diei 24 iulii 1899 approbata fuit.

« Datum ex secretaria S. Rit. Congr. die 24 iul. 1899 ».

Post hoc decretum, eadem Sacra Congregatio evulgavit privilegia, quae in triduo vel octiduo solemniter celebrando intra annum a beatificatione, vel canonizatione per rescriptum eiusdem S. Congregationis a Summo Pontifice concedi solent. – Sunt autem sequentia:

« 1° In solemniis, sive triduanis pro recenter beatificatis, sive octiduanis pro recenter canonizatis, quae celebrari permittuntur, missae omnes, sive solemnes sive privatae, inter votivas recensendae sunt. Ob peculiarem vero celebritatem Sanctitas Sua indulget, ut omnes ac singulae dicantur cum *Gloria* et *Credo;* semper autem habebunt evangelium S. Ioannis in fine, iuxta rubricas. Missa tamen solemnis dicatur cum unica oratione, reliquae vero privatae cum omnibus commemorationibus occurrentibus, sed collectis exclusis.

2° Missam solemnem impediunt tantum duplicia primae classis, eiusdemque classis dominicae, nec non feriae, vigiliae et octavae privilegiatae, quae praefata duplicia excludunt. Missas vero privatas impediunt etiam duplicia secundae classis, et eiusdem classis dominicae. In his autem casibus impedimenti, missae dicendae

sunt de occurrente festo, vel dominica, aliisve diebus ut supra privilegiatis, prouti ritus diei postulat. In duplicibus tamen primae classis addatur orationi diei unica commemoratio de beato vel sancto sub unica conclusione, in duplicibus autem secundae classis orationi de die, sub sua distincta conclusione, addantur in privatis missis, praeter orationem de beato vel sancto, omnes, quas ritus exigit, commemorationes occurrentes, collectis, ut supra, exclusis. Similiter in reliquis privilegiatis diebus missae sint iuxta ritum diei, commemoratione de beato vel sancto semper suo loco addita. Quod praefationem spectat, serventur rubricae.

3° In ecclesiis ubi adest onus celebrandi missam conventualem vel parochialem cum applicatione pro populo, eiusmodi missa de occurrente officio numquam omittenda erit.

4° Si pontificalia missarum ad thronum fiant, haud tertia canenda erit, episcopo paramenta sumente, sed hora nona: quae tamen hora minor de beato vel sancto semper erit; substitui nihilominus eidem horae de die pro satisfactione non poterit.

5° Quamvis missae omnes, vel privatae tantum, impediri possint, semper nihilominus secundas vesperas de beato vel sancto solemniores facere licebit absque ulla commemoratione: quae tamen, quum votivi rationem induant, pro satisfactione inservire non poterunt.

6° Aliae functiones ecclesiasticae, praeter recensitas, de ordinarii consensu, semper habere locum poterunt, uti homilia inter missarum solemnia vel vespere oratio panegyrica, analogae ad beatum vel sanctum fundendae preces, litaniae lauretanae, et maxime solemnis cum Venerabili benedictio; postremo vero tridui vel octidui die hymnus *Te Deum* cum *Tantum ergo* et orationibus de sanctissimo Sacramento ac pro gratiarum actione sub unica conclusione, solemniter decantandus, numquam omittetur.

7° Ad venerationem autem et pietatem in novensiles beatos vel sanctos impensius fovendam, Sanctitas Sua thesauros ecclesiae aperiens, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui vere poenitentes confessi ac sacra synaxi refecti, ecclesias vel oratoria publica, in quibus praedicta triduana vel octiduana solemnia peragentur, visitaverint, ibique iuxta mentem eiusdem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces fuderint, indulgentiam plenariam in forma ecclesiae consueta, semel lucrandam, applicabilem quoque animabus igne piaculari detentis, benigne concedit: iis vero, qui corde saltem contrito, durante tempore enunciato, ipsas ecclesias vel oratoria publica inviserint, atque in eis uti supra oraverint, indulgentiam partialem centum dierum semel unoquoque die acquirendam, applicabilem pari modo animabus in purgatorio exsistentibus, indulget ».

Urbani VIII decreta servanda in canonizatione sanctorum; *Malvezzi* Tract. de sanctorum canonizatione; *Rocca Angelus* De sanctorum canonizatione commentarius; *Castellini Lucas* De certitudine gloriae sanctorum canonizatorum; *Castellini L.* De in-

quisitione miraculorum in sanctorum martyrum canonizatione; *Castellini L.* De dilatione in longa annorum tempora magni arduique negotii canonizationis sanctorum elucidatorium theologicum; *Scacchi F.* De notis et signis sanctitatis beatificandorum et canonizandorum; *Lappius M. A.* De heroicitate virtutum in beatificandis et canonizandis sanctis requisita; *Riccioli Ioannes Bapt.* Immunitas ab errore tam speculativo quam practico definitionum Sanctae Sedis Apostolicae in canonizatione sanctorum; *Malvezzi* Tractatus de sanctorum canonizatione; *Castellani de Fara Ioann.* Tract. de sanctorum canonizatione; *Garcia de Caralpss* De canonizatione sanctorum; *De Pavinis Ioann. Franc.* Defensorium canonizationis sanctorum; *Contelori Felix* Praxis de canonizatione sanctorum; *Mari Io. Bapt.* De canonizatione sanctorum; *Mari I. B.* Diatriba de mystica rerum significatione, quae in sanctorum canonizatione ad missarum solemnia Summo Pontifici offerri solent; *De Matta* De canonizatione sanctorum; *Rosa Thomas* De exsecutoribus litterarum apostolicarum; *Id.* De exsecutoribus litterarum remissorialium; *Chiapponi I.* Acta canon. ss. Pii, Andreae Avellini etc. cum dissertatione super mysteriis oblationum in missa canonizationis; *Onorato A.* Dissertazioni eccl. (diss. 1. pel rito della canonizzazione dei santi); *Trombelli* De cultu sanctorum dissertationes decem; *Matteucci A.* Practica theologico-canonica ad causas beatificationum et canonizationum pertractandas; *Fontanini* Codex constitutionum, quas Summi Pontifices ediderunt in solemni canonizatione sanctorum; *Bordoni F.* De miraculis ratione habita beatificationis et canonizationis; *Memmi G. B.* Il sacro rito di canonizzare i santi; *Benedictus XIV* De servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione; *Bandeau N.* Analyse de l'ouvrage de Benoît XIV sur les béatifications et les canonisations; *D'Audierne I.* Lettres curieuses, utiles et théologiques sur la béatification des serviteurs de Dieu et la canonisation des béatifiés, ou Abregé du grand ouvrage de Benoit XIV sur la même matière; *Amici* Il sacro rito della canonizzazione brevemente descritto; (*Lauri Alois.*) Codex pro postulatoribus causarum beatif. et canoniz.; *Trama I.* Manuale theorico-practicum pro conficiendis processibus etc.; *De Azevedo Emm.* SS. DD. Ben. PP. XIV synopsis operum omnium vol. 1 et 2; Instructio pro conficiendo extra curiam processu apostolico super miraculo in specie; *B. C.* Catalogus sanctorum etc. e Soc. Iesu, introductio; An. Instructio pro conficiendo extra curiam processu apostolico super miraculo in specie.

Cantor. — « Cantor in pluribus cathedralibus dicitur dignitas. Ad eum per se pertinet dirigere chorum in iis, quae sunt dicenda et cantanda (cfr. *S. R. C. in Barcinonen. 3 mart. 1907*); distribuere lectiones, prophetias et similia; facere tabellam officiorum et functionum, nisi prima dignitas aut chori praefectus hanc tabellam designare soleat, aut nisi ceremoniarum magister in solemnitatibus catalogum pro chori functionibus disponat. » De Herdt *Praxis capitul. c. VIII. § 4. n. 6.* 794

Cantores. — Non possunt admitti haeretici ad cantandum in ecclesiis catholicis (*S. U. I. 7 iul. 1864*), ne illi quidem puelluli haeretici aut schismatici, qui catholicas scholas frequentent, etsi ex eo heterodoxi alliciantur ad catholicas functiones frequentandas, ex quo speretur eorum conversio; et si desint pueri catholici, qui canant, debent aliqui doceri accurate liturgicos cantus, curando ut quo citius et efficacius amoveatur abusus, quod pueri heterodoxi in ecclesiis nostris canant. *S. U. I. 1 maii 1889.* Atta- 795

men, si quando contraria consuetudo exsisteret et ageretur de loco, in quo pauci sunt catholici, nec scandalum ullum haberetur, imo e contra spes esset conversionis acatholicorum, et puellae haereticae aut schismaticae in eodem convictu instituerentur cum catholicis, quibus in ecclesia parochiali canentibus durum esset sororibus, quae convictum regunt, silentium schismaticis aut haereticis imponere, tolerari posset quod schismaticae quoque puellae aut haereticae in ecclesiis nostris canant. *S. U. I. ad vic. ap. Sophiae et Philippopolis in Bulgaria 24 ian. 1906.*

796 Enixe commendatum est episcopis, ut, quantum fieri potest, eradicent abusum admittendi mulieres ad canendum in functionibus ecclesiasticis. *S. C. P. F. 6 iul. 1874.* Imo mos, quod feminae aut puellae intra vel extra ambitum chori, ubi organum est, canant solae vel mixtae cum viris in missis solemnibus, praesertim diebus per annum solemnioribus, est damnandus et eliminandus, etsi consuetudo adsit. *S. R. C. in una de Truxillo 17 sept. 1897* (*3964*); *in Plocen. 19 febr. 1903.*

797 Cantores laici, qui ob defectum clericorum adhibentur in choro cum cotta, nequeunt uti pluvialibus, sive intra chorum sive extra ecclesiam, in publicis supplicationibus, sed toleratur tantum, ut cottam induant, si clerici deficiant. *S. R. C. in Urgellen. 22 apr. 1871 ad 4* (*3248*).

798 **Cantus** — Quoad cantus in missis solemnibus adhibendos, sacra Rituum Congregatio generali decreto statuit:

« Cantiones quascumque vernaculas esse omnino prohibitas in omnibus missis, quae vel solemniter vel solum in cantu celebrantur, ita ut modulationibus, quas liturgico idiomate rubricae praescribunt, nulli liceat alias ab illis addere vel immiscere; et consuetudinem ea de re contrariam, si alicubi invecta fuerit, esse prorsus eliminandam tamquam abusum et corruptelam.

« Ea, quae cantorum schola exsequi alternatim debet, nunquam esse omittenda; sed, vel per integrum cantanda, vel, si vocibus iungantur organa, partim concinenda, partim sub organis clara voce legenda, prout ceremoniale episcoporum praescribit; symbolo excepto, quod per integrum, si recurrat, semper canendum erit.

« Dum ss. Sacramentum, sive sub una, sive sub altera specie, elevatur, cantoribus esse omnino silendum, iuxta rubricas, iisdemque Sacramentum cum ceteris adorandum. Quod si, peracta ultima elevatione, quum iuxta rubricas statim *Benedictus* subisequi debet, ad orationem dominicam usque aliquid modulari libeat, sacra Rituum Congregatio id permittit, dummodo de iis, quae ex liturgia canenda sunt, nihil praetermittatur, celebrans a missa continuanda haud impediatur, et quod concinitur ad Sacramentum pertineat ». *S. R. C. 22 maii 1894* (*3827*).

Conformiter autem huic generali decreto rescripsit sacra congregatio, prohibitum esse canere intra missam cantatam preces vel hymnos lingua vernacula compositos in honorem sancti vel mysterii, cuius festum agitur, iuxta articulum septimum ordi-

nationis pro musica sacra editae ab eadem S. R. Congregatione *die 7 iulii 1894;* intra missam vero privatam hoc idem licere iuxta octavum articulum ordinationis praedictae et iuxta decretum *in una Praefecturae Ap. de Madagascar 21 iun. 1879 ad 1* (*3496*); *in Bisarchien. 31 ian. 1896* (*3880*); *in Plocen. 25 iun. 1898 ad 1* (*3994*). Imo prohibiti sunt eiusmodi cantus in lingua vernacula intra missam solemnem tempore etiam, quo administratur sacra communio, etiamsi longius sit. *S. R. C. in Parisien. 14 ian. 1898 ad 5* (*3975*). Hinc prohibitum pariter est, ne in missa solemni, praeter cantum ipsius missae cantetur in choro a musicis aliqua laus vulgo *aria* dicta, sermone vernaculo. *S. R. C. in Valentina 22 mart. 1862 ad 1* (*3113*). Et sicubi mos canendi cantiones vernaculas tempore missae cantatae invaluerit, debet episcopus prudenter se gerere, ut possit sensim sine sensu eum morem removere absque scandalo fidelium. *S. R. C. in una S. Hyacinthi 10 dec. 1870* (*3230*).

Nec solum in missa cantata, sed in omnibus officiis liturgicis solemnibus prohibiti sunt cantus in vernaculo idiomate. *S. R. C. decr. cit. 21 iun. 1879 ad 1* (*3496*).

799 Coram Sanctissimo exposito licet cantoribus hymnos vel strophas in lingua vernacula decantare, dummodo non agatur de hymnis *Te Deum* et aliis quibuscumque liturgicis precibus, quae nonnisi latina lingua decantari debent. *S. R. C. in Leavenworthien. 17 febr. 1888 ad 3* (*3537*). In processionibus vero cum ss. Sacramento non licet aliquid lingua vernacula canere alternatim cum hymnis liturgicis. *S. R. C. decr. cit. 14 ian. 1898 ad 5* (*3975*).

Et generatim loquendo cantus ec- 800
clesiasticus is debet esse, ut mentes et corda hominum vehementer inflammet, atque ad Deum elevet; quare Ecclesia semper abhorruit profanos cantus, et Sancti Patres illecebrosas modulationes mollesque concentus in ecclesiis severissime condemnarunt. Cfr. *Instr. S. C. P. F. ad Archiep. Baltimorensem 15 iun. 1884.* Quare liturgicus cantus in sacris functionibus adhiberi debet; et ipsi vicarii apostolici curare debent, ut ab ecclesiis omnino arceantur cantus et soni, ubi aliquid profanum aut impurum miscetur, quod divinae rei et loci sanctitati minime conveniat. *S. C. P. F. ad Vic. Ap. Indiarum 8 sept. 1869.*

In missis autem cantatis intonatio- 801
nes « Gloria » et « Credo », nec non singulae modulationes a celebrante exsequendae, videlicet orationum, praefationis, orationis dominicae etc. cum respectivis responsionibus ad chorum pertinentibus, fieri debent prout iacent in missali seu iuxta cantum gregorianum romanum, et non possunt variari secundum particularem consuetudinem alicuius ecclesiae, quae, si exstat, eliminanda omnino est. *S. R. C. in una de Guadalaxara 21 apr. 1873 ad 2* (*3292*); *in Romana 14 mart. 1896* (*3891*). Attamen in cantanda missa retineri potest (saltem a Capucinis) modus quasi psalmodicus seu semitonatus. *S. R. C. in una Ord. Min. Capuc. 7 dec. 1888 ad 5* (*3697*). In missis cantatis etiam sine mini-

stris organarii et chorus debent semper exsequi cantu vel voce intelligibili cum organo omnes partes ex Graduali Romano. *S. R. C. in Plocen. 25 iun. 1898* (*3994*). Quae consonant cum iis, quae s. congregatio iampridem responderat *in Clodien. 7 aug. 1875 ad 7* (*3365*), scilicet reprobandum esse morem, qui in ea dioecesi invaluerat, ut in missis solemnibus sive cum sive sine ministris, quae cum sonitu organi celebrantur, omitteretur cantus gradualis, tractus, sequentiae, offertorii, Benedictus et communionis; revocans simul ea, quae ab eadem s. congregatione decreta fuerant in Conimbricen. *14 apr. 1753 ad 2* (*2424*). Cfr. etiam *S. R. C. in una S. Marci 7 sept. 1861 ad 15* (*3108*).

802 Est praxis omnino eliminanda, ut in vesperis decantentur tantum aliqui versus ex omnibus vel aliquibus psalmis vesperarum, ceteris omissis. *S. R. C. in Montereyen. 11 mart. 1882 ad 3* (*3539*).

803 Coram sanctissimo Sacramento exposito orationes extra missam et horas canonicas cantandae sunt in recto tono cum unica vocis inflexione in fine cuiusque orationis. *S. R. C. in Marianopolitana 18 iul. 1885 ad 4* (*3638*).

Quoad cantum in benedictionibus cum sanct. Sacramento vid. *Benedictio*. Cfr. etiam *Musica sacra*.

804 Cantare in templis acatholicorum Romae specialiter prohibitum est decreto emi. Card. Urbis Vicarii iussu S. P. dato *die 12 iulii 1878*.

805 **Capite damnati** — Capite damnati roborandi sunt s. eucharistia ante exsecutionem sententiae, eisque danda est per modum viatici, ideoque sine obligatione ieiunii. *S. C. P. F. ad Vic. Ap. Tunkini occidentalis 21 iul. 1841*. Nota hic sequentem responsionem eiusdem S. Congregationis de Prop. Fide ad eumdem vicarium apostolicum Tunkini occidentalis in nuper citato decreto ad tertium dubium, quod est sequens: « An permitti potest in hoc persecutionis tempore, ut fidei confessores ad mortem propter fidem damnati, et quibus in commune defertur ss. eucharistiae sacramentum occulte, possint illud suis manibus accipere et sese occulte communicare, ne sacerdos illos more ordinario communicans a persecutoribus agnoscatur et prehendatur; vel satiusne est in illo casu ab illis confessoribus communicandis abstinere, maximo cum illorum animae detrimento? » Responsum autem fuit: « Ad 3. Affirmative quoad primam partem; dummodo nulli inreverentiae aut conculcationis periculo tantum sacramentum exponatur »,

Capitulum — Capitulum ecclesiae 806
cathedralis in ea ecclesia, in qua defixa est sedes episcopi, institutum est ad auxiliandum et supplendum episcopo in regimine dioecesis. Cfr. Barbosa *De canonicis cap. 1*; Bouix *De capitulo p. 1. s. 1. c. 2*. Collegiata dicuntur capitula, quae in ecclesiis non cathedralibus constituuntur, et nullam habent, nec vivo nec mortuo episcopo, partem in episcopali iurisdictione. Sunt etiam capitula exempta et non exempta, numerata et non numerata. In capitulis reperiuntur generatim dignitates, personatus et officia. Vid. *Dignitates*.

807 Ex iure capitulum sive cathedralis sive collegiatae vere et proprie constare dicitur ex solis canonicis. Cfr. *S. C. C. in Eugubina 7 sept. 1793.* An dignitates sint de corpore et gremio capituli, vide sub *Dignitates.*

Quaeri etiam potest, an episcopus veniat nomine capituli, seu an sit de corpore capituli. Et certe lato sensu vere dici potest de corpore capituli, quia est eius caput principale, et caput vere dicitur esse pars corporis, cuius est caput (*c. 19 de conc. praeb. etc. X.* [*III. 1*]; *c. 4. de his quae fiunt etc. X.* [*III. 16*]); attamen stricto sensu episcopus non est de corpore capituli, sed ab eo distinguitur, quum capitulum tamquam caput proprium collegii habeat primam dignitatem. *Arg. ex Conc. Trid. sess. XXV. c. 6 de ref.*

808 Erigere capitulum sive cathedrale sive collegiatum ius est unius Rom. Pontificis. Wernz *Ius Decr. II. 770.*

809 Capitula habent ius sese congregandi absque alterius (idest sive episcopi sive vicarii generalis aut capitularis) licentia ad agenda negotia capitularia (*S. C. C. in Melevitana 18 sept. 1723*), nisi adsit consuetudo contraria legitima. Cfr. *S. C. EE. in Neritonen. 20 aug. 1601.* Imo episcopus, et multo magis eius vicarius, non potest prohibere, ne convocetur capitulum, absque iusta causa (*S. C. EE. in Rhegien. 4 iun. 1602*); iusta autem causa exsistente, hoc potest (*S. C. EE. in Amerina 13 sept. 1641*), ut esset (confer mox dicenda), si capitulum convocari vellet tempore divinorum officiorum, nisi causa aliqua iusta et cogens non patiatur convocationem in aliud tempus differri. *S. R. C. in Oriolen. 27 martii 1632.*

Ius convocandi capitulum spectat 810
ad primam dignitatem, si prima dignitas sit canonicus, et deinde gradatim ad alias dignitates, quae pariter sint canonici (*S. C. C. 26 aug. 1713: 18 sept. 1723*), etsi non sint in sacris; secus decanus aut senior hoc ius habet. Quaeri potest, an, absente prima dignitate ex. gr., possit pro ea capitulum convocare eius coadiutor. Et hoc videtur desumendum ex litteris coadiutoriae (cfr. *S. C. C. in Melevitana 18 sept. 1723*), seu ex iuribus, quae coadiutori in particulari casu concessa sunt. Et sic eadem S. C. Concilii *in una S. Severini 9 apr. 1859*, respondit archidiacono coadiutori ius esse convocandi et praesidendi capitulum, et in eo suffragium ferendi, absente coadiuto. Cfr. Leuren. *Forum eccl. l. III. tit. XI. q. 126;* Bouix *loc. cit. p. 1. s. 4. c. 3.* Episcopus potest semper convocare capitulum ecclesiae cathedralis, quando agitur de iis rebus, in quibus ipse iudex esse potest, non autem, si agatur de iis, quae iudicare ipse non posset, ut esset aliquid, quod ipsi privato nomine pertineret (Abbas *in cap. 52. de sent. excomm. etc. in fine*). Quare episcopus non potest convocare capitulum in eum finem, ut aliquid proponat canonicis ad deliberandum, quod ad suum vel ad suorum commodum spectat. Conc. Trid. *sess. XXV. c. 6. de ref.* Vicarius generalis episcopi non habet ius convocandi capitulum (Conc. Trid. *loc. cit.*), nempe si agatur de capitulo exempto, de quo agit Tridentinum loco cit.; nam, si

agatur de capitulo non exempto, contrarium dicendum est. Episcopus ius habet, ut detur ipsi notitia de capitulo congregando (cfr. *S. C. C. in Rossanen. 30 ian. 1858*), nisi agatur de capitulis statuto tempore congregandis *S. R. C. 21. aug. 1694*); non potest tamen canonicos cogere ad declarandum quae negotia in capitulo proponere velint (*S. C. EE. RR. 25 febr. 1603*), licet eos possit poenis et censuris cogere ad tradendam sibi copiam actorum capitularium. *S. C. EE. RR. 1 mart. 22 apr. 1591;* Barbosa *De canonicis cap. 35. n. 1;* Lucidi *De visit. ss. limin. I. c. 8. n. 112;* Petra *Comm. in Const. ap. c. S. Leonis M. sect. 2. n. 55*). Dignitas autem seu canonicus capitulo praesidens non tenetur certiorem reddere vicarium capitularem absentem de resolutionibus capitularibus; nec ab eo petere veniam ad convocandum capitulum. *S. C. C. in Melevitana 18 sept. 1723.*

811 Ad capitulum vocandi sunt omnes, qui nomine capituli veniunt, idest regulariter soli canonici praebendati; nam canonici tantum veniunt nomine capituli, et capitulum constituunt (*S. C. C. in Eugubina 7 sept. 1793.*); hinc non dignitates, nam eae non dicuntur de capitulo, nisi vel fundatione vel consuetudine aliud obtineat. Card. De Luca *de benef. disc. 46. n. 1;* Barbosa *de canon. cap. 35. n. 14.* Vid. *Dignitates.*

Vocandi sunt autem canonici tantum praesentes, non vero absentes, exceptis negotiis maioris momenti, ut esset electio praelati (*cc. 18. 28. 42 de elect. etc. X.* [*I. 6.*]), receptio canonicorum aut praebendarum collatio (*c. 23. de praeb. etc.* [*III. 4*] *in 6°*), seu cessatio a divinis a capitulo indicenda (*cap. 8. de off. Ordin.* [*I. 16.*] *in 6°*), quia tunc etiam absentes vocandi sunt, nisi sint longe absentes. Cfr. Bouix *loc. cit. cap. 1.* Vid. *Electio.*

Vocandi autem sunt etiam ii canonici, qui nondum sunt in sacris, et hi, quamvis careant voce activa in capitulo, possunt tamen subscribere deliberationibus capitularibus iuxta ordinem gradus, quem inter canonicos occupant. *S. C. C. in Romana 1 et 22 iul. 1741; in Albiganen. 6 aug. 1856.* Canonici autem legitime absentes possunt in forma canonica constituere sibi procuratorem. Wernz *Ius. decr. II. 790.* Qui autem legitime non fuerit vocatus potest agere de contemptu, ut acta capituli (in se valida) rescindantur. *c. 28. cit. X.* (*I. 6.*); *c. 33. cit.* (*III. 4.*) *in 6°;* Wernz *loc. cit.*

Nota hic illud, quod dictum est, 812
canonicos non subdiaconos vocem in capitulo non habere, verum quidem esse, si agatur de veris cathedralibus aut veris collegiatis ex praecepto Concil. Trid. *XXII. c. 4 de ref.;* attamen locum non habere, si agatur de ecclesiis, quarum presbyteri vel ad instar collegiatarum se gerunt, vel impropriae collegialitatis nomen assumunt. *S. C. C. in Terracinen. 17 iul. 1779.* Vid. *Canonici.*

De modo convocandi capitulum ni- 813
hil in iure peculiariter statutum est; hinc servanda est consuetudo seu servandus modus, qui in unoquoque capitulo viget, idest sive per sonitum campanae, sive per litteras, sive per

schedam publice affixam ex. gr. in sacristia, sive viva voce. Cfr. *S. C. C. in Senogallien. 9 maii 1829.*

814 Convocari autem potest capitulum sive temporibus ordinariis sive extraordinariis, non autem pro tempore divinorum officiorum seu missarum, nisi urgeat aliqua iusta causa, ita ut ad aliud tempus differri non possit convocatio. *S. C. C. 5 iul. 1631; 11 maii 1641.* Et si eo tempore canonici in capitulum se congregarent, posset episcopus per seipsum contra canonicos procedere ad subtractionem fructuum et ad mulctas ab eo impositas, si quas imposuerit. Cfr. *S. C. C. 5 iul. 1631; 27 mart. 1632.*

815 Convocari debet capitulum quoad locum in ecclesiam seu in locum ad hoc determinatum (*c. 28. tit. cit. X.* [*I. 1.*]); et non posse episcopum illud cogere in domum suam, etiamsi episcopus ipse capitulum convocaret in casu quo hoc ius ei est, quando solitum esset ut fieret in sacristia vel in alio ecclesiae loco, responderat Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium *1 febr. 1583* (apud Barbosa *loc. cit. n. 11*; cfr. etiam Gallemart *Adn. in Conc. Trid. sess. XXV c. 1 de ref. n. 20*); attamen recentius S. Congregatio Concilii contrariam tenuit sententiam, dummodo semper agatur de negotiis, pro quibus expediendis episcopus ius habet convocandi capitulum. *S. R. C. 22 iun. 1891.*

816 Convocato capitulo, debet ante omnia aperiri capitulum; et hoc ius competit digniori inter praesentes (*S. R. C. in Imolen. 14 maii 1771*); illi autem, qui capitulum convocandi ius habet, ius est etiam proponendi materias seu res tractandas. Ferrari *Prompta bibl. v. « Capitulum » art. 1 n. 3.* Attamen et singuli canonici possunt aliquam materiam decidendam proponere, quo iure debent uti post praesidem capituli per ordinem aetatis praerogativae. *S. R. C. in Senogallen. 13 iun. 1789; in Firmana 26 nov. 1796.*

817 Rite convocatis canonicis, constituunt capitulum praesentes quotcumque sint, etiam unus, vel saltem, si ita nolimus loqui, nam Glossa in Clementinas tres saltem requirit ad constitutionem capituli, iste unus tunc devolutive obtinet omnia iura capituli. Cfr. Fagnanum *in cap. 1 De elect. X. I. 1.*); Leurenium *Forum Ecclesiast. l. III. tit. XI. q. 130.* Et sic, sede vacante, unus canonicus posset eligere vicarium capitularem, se excepto. *S. C. C. 12 mart. 1662.* Attamen saepe iure particulari, idest statutis vel consuetudinibus particularibus, determinatus est numerus canonicorum ad validitatem requisitus; qui numerus tunc vere requiritur. Wernz *loc. cit.*

818 Ut actus capitularis valeat, generatim sufficit votum maioris et sanioris partis praesentium (*S. C. R. in Senogallien. 13 iun. 1789; in Terracinen. 21 nov. 1853*; Bouix *loc. cit.* §. *3*); sed, si res, de qua agitur, singulos principaliter concernat, requiritur unanimitas suffragiorum. Cfr. *regul. 29 iuris in 6°; S. R. C. in Firmana 18 nov. 1797.*

819 Quare ad hoc, ut capitulum legitime negotia sua expleat, necesse est, ut sit legitime convocatum et congregatum ut vocentur omnes, qui ad hoc

ius habent, praesertim ii, qui vocem habent in capitulo; ut negotia expediantur capitulariter; denique ut maior pars in deliberationibus consentiat. Cfr. *S. R. C. in Tranen. 10 sept. 1881.*

820 Vota autem generatim loquendo debent esse secreta. Cfr. Lucidi *loc. cit. n. 164.* Et hic nota ea quae rescripsit S. Congr. Negot. eccl. extraord. ad sequens postulatum: « Sub numero 231 decretorum Concilii (Plenarii Americae latinae) in medio sic habetur: « Illi autem, quorum res agitur, a capitulo recedant, nec nisi re peracta revocentur; suffragia vero secreta ferantur, quae nisi ultra dimidium in rem propositam convenerint, nihil actum ea de re in capitulo censeatur. » In hoc decreto dubium exortum est circa modum ferendi suffragia: sciscitatur enim num suffragia debeant esse secreta in omni re, quae proponitur in capitulo, vel tantum in aliquibus negotiis, et in hoc casu, quibus in negotiis ». Responsum autem est: « Suffragia debere esse secreta, saltem in omnibus negotiis maioris momenti, ad normam Const. Alex. VII. " Pro commissa " diei 3 aprilis 1637; item quoties agitur de negotiis alicuius canonici: imo etiamsi res proposita minoris momenti iudicetur, quoties discordia vel controversia exoriatur inter capitulares ».

821 Quemadmodum erectio capituli sive cathedralis ecclesiae, sive collegiatae, ad unum spectat Romanum Pontificem in disciplina ecclesiastica nunc vigente, ita et innovatio capituli, seu eius transformatio, ex. gr. de capitulo collegiato in capitulum cathedrale, uni Romano Pontifici reservatur. Wernz *loc. cit. II. 778.* Imo ne hoc quidem potest episcopus, scilicet dignitatem sive usitatam sive insolitam in capitulo quodam instituere (*S. R. C. a. 1732;* Ben. XIV *De Syn. dioec. l. XII. c. 1. n. 8;* Fagnanus *in c. 25 de praeb. n. 7*), attamen non est ei denegandum ius restituendi seu redintegrandi in capitulo, de eius tamen consensu, antiquam aliquam dignitatem, nunc suppressam, quae tamen prius exsistebat. Wernz *loc. cit. II. 777.* Vid. *Canonicatus.* Idem ius adiungendi simplices canonicatus antiquis iam exsistentibus de consensu capituli, asserendum est episcopo etiam in capitulis numeratis (*arg. c. 9 de vita et hon. cleric. X.* [*III.* 1]; Ben. XIV *loc. cit.*); nisi tamen vel adsit contraria legitima consuetudo, vel contradicat mandatum Romani Pontificis ex. gr. in bulla erectionis capituli, vel obstet aliqua obligatio ab episcopo vel a canonicis libere assumpta, ex. gr. iuramentum a canonicis factum de non augendo numero canonicorum, vel prohibeatur a concordatis.

822 Patet etiam ex dictis, suppressionem capituli ad romanum tantum Pontificem pertinere. Vid. *Suppressio.* Suppressio facta ab auctoritate civili nullum iuridicum effectum in foro ecclesiastico habet; quare, capitulo collegiato ex. gr. civiliter suppresso, etiamsi omnes canonici praeter unum mortui sunt, canonicus superstes potest adhuc frui iuribus honorificis ex. gr., quae membris suppressi capituli competunt. *S. R. C. in Mantuana 16 iun. 1888.*

823 Sede plena, capitulum cathedrale, quum sit senatus episcopi, debet eum adiuvare in regenda et administranda dioecesi. Quare ipsum ius statuit, ut episcopus in pluribus negotiis ad dioecesim spectantibus vel consilium (vid. *Consilium*) capituli exquirat, vel eius consensum (vid. *Consensus*) obtineat.

824 Capitulum ecclesiae cathedralis, sede vacante, succedit in omnem ordinariam iurisdictionem episcopi, non vero in delegatam (*c. 11. et 14 de maior. et obed. X.* [*I. 33*]); praeterea ad capitulum devolvuntur etiam privilegia ipsius Sedis. Hinc ferre potest leges ad gubernandam dioecesim; quamvis pro brevi tempore, quo iurisdictionem collegialiter et non per vicarium exercet, ab hoc iure utendo abstineat, et ad summum statuta quaedam necessaria edat et iuxta leges iam exsistentes dioecesim gubernare pergat; nequit tamen dare dimissorias ad ordines intra annum, nisi arctatis, sub poena interdicti. Concil. Trident. *sess. VII. c. 10 de ref.* Sede vacante, potest etiam ferre censuras ante electionem vicarii capitularis, quam electionem facere tenetur intra octo dies, et tunc tota iurisdictio capituli residet in uno vicario capitulari. Vid. *Vicarius capitularis*, *Canonici*.

Decr. Grat. c. 1. D. 25; c. 8. D. 74; c. 3. D. 94; c. 1. D. 21; tit. de praebendis et dignitatibus X. (III. 5); tit. ne sede vacante aliquid innovetur X. (III. 9); tit. de his quae fiunt a praelat. X. (III. 10); tit. de his quae fiunt a maiore parte capituli X. (III. 11); tit. de praeb. et dignit. (III. 4) in 6°; idem tit. (III. 2) in Clem.; idem tit. (3) in Extrav. Ioann. XXII; Conc. Trid. sess. V. c. 1. de ref.; sess. XXIV. c. 12. de ref.; sess. XXV. c. 6. 18 de ref., et alibi; Commentatores in cit. tit. Decret.; *Ceccopieri Fr.* Lucubrationum canonicalium Bibliotessera; *Scarfantoni* Animadversiones in lucubrationes canonicales Ceccoperii; *Fermosini Rodriguez Nic.* Tractatus de potestate capituli sede vacante item et plena; *Doucheri Ioann. Henr.* Axiomata de officio et potestate capituli sede vacante; *Quarantae Steph.* De officio capituli sede vacante; *Pilaia Ios.* Institutionum decisiones pontificiae etc.; *Raguccii Ant.* Tractatus de voce canonicorum in capitulo, officio in choro, et missa in ecclesia; *Barbosa* De canonicis et dignitatibus; *Bouix* De capitulis; *Huller* Die iuristische Persönlichkeit der Domkapitel; *Hommel* De ecclesiarum cathedral. et collegiat. capitulis; *Ickstadt* De capitulorum metropolit. et cathedr. Germaniae origine, progressu et iuribus; *Ducasse* Traité des droits et des obligations des chapitres des églises cathédrales; *Fonteius* De antiquo iure presbyterorum in regimine ecclesiae; *Andreucci* De tuenda pace et concordia inter episcopum et capitulum theoria et praxis; *Zaloszowski N.* Ius capituli seu tractatus de potestate capituli sede episcopali vacante; *Neumann de Puchholtz* Disp. de iuribus capitulorum; *Rotermundt* De officio, potestate ac iure capituli sede vacante; *Miraeus* De collegiis canonicorum per Germaniam, Belgium, Galliam, Hispaniam; *Oberthür* Meine Ansichten von der Bestimmung der Domkapitel und vom Gottesdienste in den Kathedralkirchen; *Alcioli* Die iurist. Persönlichkeit der bayerisch. Domcapitel; *De Herdt* Praxis capitularis; *Ferraris* Theoria et praxis regiminis dioeces. praesertim sede vacante; *Sentis* Die praebenda theologalis et poenitentialis in den Kapiteln; *Below* Die Entstehung des ausschliesslichen Wahlrechtes der Domkapitel; *Hatch E.* Die Grundlegung d. Kirchenverfassung Westeuropas i. frühen M. A.; *Finazzi* Dei capitoli cattedrali; *Frizzati* I capitoli cattedrali e le leggi eversive dell'asse ecclesiastico; *Patrizi Accursi* Capitolo della patriarcale ba-

silica Vaticana in ordine della tassa di passaggio di usufrutto; *Schneider* Die bischöfl. Domkapitel, ihre Entwicklung und rechtliche Stellung im Organismus der Kirche; *Petz* Der Bischof und das Domkapitel; *Gerich* Die kathol. Domkapitel Deutschlands als jurist. Person; *Pelletier* Les chapitres cathédr. en France; *Brandileone F.* I canonici delle cattedrali e la vigente legislazione italiana; *Rau* Die Rechte der Dom. kapitel während der Erledigung oder Verhinderung des bischöflichen Stuhles; *Schöttl* Der Anteil der Domkapitel an der Diözesanregierung einst und jetzt; *Scherer* KR. I. 566 sqq.; *Hinschius* KR. II. 49 sqq.; *Wernz Ius decret.* II. 767; *Ferraris* Prompta bibl. v. « Capitulum »; *Hermes* De capitulo sede vacante vel impedita; *Lingen et Reuss* Causae selectae etc. part. IV. 318-441; reliquam bibliographiam quaere sub *Canonici*.

825 **Cappa.** — Canonicis, qui usum habent cappae, omnino interdictum est ea uti in sacramentis et sacramentalibus, sive conficiendis, sive administrandis (*S. R. C. decr. gen. 12 iul. 1892* [*3784*]); imo etiam assistentes episcopo sacram synaxim distribuenti, eique porrigentes seu deferentes patenam, nequeunt super cappam stolam induere. *S. R. C. in Lauden. 23 iun. 1892 ad 9* (*3779*) Vid. *Administratio sacramentorum.*

Nota autem, non omnes canonicos, eo ipso quod canonici sint, posse cappam deferre; imo ne episcopum quidem posse cappae usum eis indulgere; sed hoc privilegium canonicis concedere ius esse exclusivum Sanctae Sedis. *S. R. C. in Elven. 10 ian. 1604 ad 3* (*152*). Elevata autem aliqua ecclesia ad titulum basilicae minoris, canonicis illius ecclesiae eo ipso ius est deferendi cappam magnam. *S. R. C. in Lucerina 27 aug. 1836* (*2744*). Vid. *Canonici.*

Cappella. — Cappella est locus cultui dicatus. Attamen diversi generis sunt eiusmodi loca. Recensentur enim iure ecclesiastico ecclesiae, oratoria seu cappellae publicae, oratoria seu cappellae semipublicae, oratoria seu cappellae privatae. 826

Ecclesia ea est, quae in hunc potissimum finem exstruitur, ut publico fidelis populi usui inserviat. Vid. *Aedificatio, Ecclesia.*

Oratorium publicum, seu cappella publica, est ille locus divino cultui auctoritate ordinarii dicatus, qui etsi ad eum a publica via fidelibus universim pateat ingressus, videtur tamen potius destinatus commoditati alicuius familiae, collegii, communitatis seu classis personarum, quam totius populi fidelis. Hinc talia sunt ex. gr. Oratoria nocturna seu serotina pro viris.

Oratorium semipublicum seu cappella semipublica ea est, quae etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate ordinarii erecta est, commodo tamen non fidelium omnium, nec privatae tantum personae aut familiae, sed alicuius communitatis vel personarum coetus inservit. Hinc talia sunt, quae pertinent ad seminaria et collegia ecclesiastica, etc. Vide quoad hoc et quoad discrimen inter oratorium publicum et semipublicum, *Oratorium.*

Oratorium privatum seu cappella privata ea est, quae in privatis aedibus, in commodum alicuius personae

vel familiae ex indulto sanctae Sedis erecta est.

827 In cappella rurali, quae exstructa est in domo privatae personae, sed ad publicum usum inservit (quare est oratorium publicum) haberi potest campanile cum campana, quae pro missa celebranda pulsetur, attamen celebrari nequit missa ante missam parochialem, absque licentia ordinarii. *S. R. C. 13 iun. 1893 ad 4 et 5 (3801).*

Quoad celebrationem missae in cappellis vid. *Celebratio missae, Oratorium.*

828 Non licet in eadem ecclesia erigere plures cappellas (seu altaria) sub eadem invocatione. *S R. C. in una Montis Pelusii 17 iul. 1640 (712)*; cfr. etiam *litteras ab eadem S. R. C. datas ad emum. Cardinalem Monaco la Valletta 20 maii 1890 (3732).*

829 **Cappellani.** — Cappellani *ad nutum*, seu *amovibiles*, in aliqua cappellania laicali, seclusa contraria voluntate fundatoris, possunt pro arbitrio, et sine ulla causa amoveri ab eo, penes quem ius est eos designandi. Card. De Luca *de benef. discurs. 80. n. 17. sqq.* Cappellani autem etiam ad nutum in cappellania ecclesiastica removeri nequeunt sine iusta causa, ut patet ex pluribus responsionibus S. Congr. Concilii, quae taliter dimissos aliquando etiam redintegravit. Cfr. *S. C. C. in Farfen. 6 aug. 1791; in Firmana 29 aprilis 1837.*

830 Etiam cappellani *confraternitatum* non debent ab episcopo sine causa removeri. *S. C. EE. RR. 4 oct. 1692*; *S. C. C. in Sutrina 8 iul. 1854.* Et huiusmodi cappellani confraternitatum eliguntur ab ipsis confratribus, quin ulla necessaria sit approbatio episcopi, nisi consuetudine vel lege synodali aliud praescriptum fuerit. *S. C. C. in Troianen. 24 aug. 1709.* Non licet autem cappellano in ecclesia confraternitatis peragere functiones parochiales (*S. R. C. in Hortena 22 aug. 1682 [1696]*); possunt tamen cappellani intra ambitum ecclesiae confraternitatis, non autem extra, nisi adsit licentia episcopi, processiones peragere etiam cum stola, quam tamen extra propriam ecclesiam deferre non possunt. *S. R. C. decr. gen. 12 ian. 1704 ad 23 et 25 (2123); in una Guastallae 9 iul. 1718 ad 3 (2250).* Neque parochus potest compellere cappellanos confraternitatum ad assistendum invitos functionibus ecclesiae parochialis. *S. R. C. decr. gen. nuper cit.*

Cappellani *monialium* debent esse 831
maturae aetatis, non autem iuvenes; imo, etsi monialibus ius sit eligendi suum cappellanum, potest tamen episcopus eum reiicere ex iusta causa, qualis esset aetas iuvenilis ipsius cappellani electi. *S. C. EE. RR. in Bonon. 31 maii 1602; 29 nov. 1605.* Imo, etsi episcopus ipse vellet dare monialibus cappellanum nimis iuvenem, posset ipsum abbatissa reiicere. *S. C. EE. RR. in Messanen. 10 dec 1602.* Dummodo tamen commode inveniri possint cappellani maturioris aetatis, quia in horum deficientia arbitrio episcopi relinquitur statuere seu admittere cappellanos etiam iuniores, qui bonis moribus et gravitate praestent. Cfr. *S. C. EE. RR. in Messanen. 15 ian. 1742; 16 mart. 1645.*

Cappellani autem monialium semper sunt amovibiles, numquam perpetui. *S. C. EE. RR. in Brixien. 18 iul. 1691.* Nec possunt esse regulares (*S. C. EE. RR. 17 apr. 1604*), nisi in penuria sacerdotum secularium, et tunc regularis etiam debet esse maturae aetatis, qui simul de hoc veniam habeat a suis superioribus. *S. C. EE. RR. 13 iul. 1607.*

Quoad cappellanum parochi vid. *Coadiutor.*

832 **Cappellani communes Cappellae pontificiae.** — Post motum proprium « Inter multiplices » 21 febr. 1905 et subsequentem declarationem 14 mart. 1906, exorta sunt quaedam dubia circa privilegia, quibus ex motu proprio Alexandri VII. diei 10 iun. 1657, cappellani communes Cappellae pontificiae gaudebant. Haec dubia sibi proposita authentice diremit S. Congregatio Rituum sequenti responsione: « Praedicti cappellani communes, qua tales, gaudeant impetratis, nempe collare et veste talari cum zona serica coloris violacei. habitu, quem vocant pianum, et honorifico titulo *Monsignore*, prouti reapse fruuntur ». *S. R. C. 16 mart. 1907.*

833 **Cappellani (R. P.) infimi ad honorem.** — Iuvabit afferre hic instructionem circa hos cappellanos intimos ad honorem, quam Maior domus Palatii Apostolici pro suo munere dedit. Ea est:

1° Cappellanus intimus ad honorem pertinet ad nobilem familiam Sanctitatis suae et gaudet titulo: *Monsignore.*

2° Habitus solemnis (*di formalità*) constituitnr: *a*) veste talari violacea (*paonazza*) absque syrmate (*coda*) cum manicarum extremitatibus (*paramani*) altis 15 centimetris, cum foraminibus (*asole*), globulis (*bottoni*) et fimbria (*orlatura*) pariter ex violaceo serico; *b*) zona serica violacea 12 centimetrorum latitudinis, quae habet duas extremitates pendentes a sinistro latere ad quinquaginta centimetra, quaeque desinunt in duos floccos sericos eiusdem coloris; *c*) pallio talari (*mantellone*), quod vesti talari superimponitur, cuius pars intima prima (*mostre*) sit ex serico violaceo ad 20 centimetra; *d*) collari serico violaceo; *e*) caligis nigris et calceis cum fibulis; *f*) pileo cum flocco nigro.

Textus (*drappo*) vestis pallii hiemali tempore ex panno, aestivo ex serico est.

3° Habitus privatus seu civilis ille est, qui vulgo *pianus* dicitur. Constat: *a*) veste talari nigra absque syrmate cum foraminibus, globulis et fimbria ex serico violaceo; *b*) zona serica violacea 12 cm. latitudinis, quae habet extremitates e sinistro latere pendentes parva lacinia (*frangia*) serica eiusdem coloris ornatas; *c*) magno pallio (*ferraiolone*) nigro laneo vel serico; *d*) collari serico violaceo; *e*) caligis nigris et calceis cum fibulis; *f*) pileo cum flocco nigro.

4° Habitu solemni utuntur in sacris functionibus; habitu *piano,* quum solemniter excipiuntur (*ricevimenti*), quum accedunt ad coetus ecclesiasticos aut civiles (*adunanze ecc.*) sive solemniter sive private.

5° Quum sacris functionibus adest Sanctitas Sua pontificalibus induta,

aut fit adoratio per vices in expositione ss. Sacramenti in Palatio Apostolico, habitui solemni superimponitur crocea (*croccia*) seu ampla paenula lanea rubri coloris cum amplis manicis, quae ultra lacertum tantum ad brachium producuntur; huic autem vesti superinduitur cappa cum caputio ex lana rubra interius rubro serico, exterius vero pellibus mustellinis (*di armellino*) in hieme, et serico in aestate subsuta.

6° Cappellani intimi ad honorem, qui ad aliquod capitulum pertinent, possunt sibi induere, si ipsis placeat, in choro, in sacris processionibus et in quovis actu capitulari vestem talarem violaceam et zonam, eisdem superimponentes insignia, quae capitulo, cui adscripti sunt, fuerunt concessa; sedere tamen et incedere debent, prout ipsis convenit antiquitatis (*anzianità*) aut cuiusvis alterius canonicae rationis causa, neque ex titulo *cappellani intimi ad honorem* quodvis eis competit ius praecedentiae aut usus privilegiorum, quae propria sunt praelatis, uti ex. gr. palmatoriae, canonis, anuli etc.; semper autem manent subiecti iurisdictioni proprii ordinarii.

7° In functionibus sacris, quibus adest Summus Pontifex cappellani intimi ad honorem sedent in gradu, qui continuus est tertio throni pontificii, et ex quo ascenditur ad areolam (*ripiano*) ante gradus altaris.

8° Ut nomina cappellanorum intimorum ad honorem inserantur *Annuario Pontificio* necesse est, ut quotannis, mense novembri nondum exacto, idipsum requiratur expresse a redactoribus eiusdem annuarii (Roma, Palazzo Vaticano).

9° Cappellanus intimus ad honorem desinit adnumerari huic honoratissimo coetui, quum Summus Pontifex, qui ipsum elegit, e vivis excesserit, et proinde frui desinit etiam titulo, privilegiis et usu vestis violaceae. Haec tamen deponitur solummodo post tumulatas Pontificis exsuvias.

Cappellani ornamentarii (R. P.) extra Urbem. — Titulus cappellani ornamentarii extra Urbem (*Cappellano d'onore extra Urbem*) est quidam honoris titulus, qui ius dat nomini seu appellationi: *Monsignore;* simulque confert privilegium ferendi insignia familiaris Romani Pontificis, attamen extra Romam tantummodo, seu extra locum quemcumque, in quo residet Summus Pontifex. Ea, quae superius diximus de cappellanis intimis ad honorem sub numeris 2° 3° 4° 6° 8° 9°, de his quoque cappellanis ornamentariis dicenda sunt, ut patet ex alia Instructione Maioris domus Palatii Pontificii, quam hic per longum referre inutile esset. Haec ex parte confirmantur etiam ex quodam decreto S. Congregationis Rituum, quo responsum est, nihil obstare, quominus parochus, qui simul est cappellanus honorarius Sanctitatis Suae extra Urbem, in omnibus ecclesiasticis functionibus, tam intra quam extra propriam ecclesiam, habitu talari violaceo una cum zona serica eiusdem coloris utatur, exceptis tamen tibialibus, quae semper nigri coloris esse debent. *S. R. C. in Casertana 1 aug. 1876* (*3409*). 884

Cappellania. — Cappellania est ius percipiendi reditus ex bonis ad perpe-

tuam missarum celebrationem in certo quodam altari vel oratorio destinatis. *c. 11. de praebendis etc. X (III. 5)*; Schmalzgr. *in tit. cit. n. 1.* — Cappellaniarum quaedam interventu et auctoritate ordinarii, quaedam absque ea fundantur; illae ecclesiasticae, hae laicales sunt. Barbosa *Iur. eccl. un.* III. *5. 3*; Ferraris *Prompta bibl. verb. Cappellania.* — Omnia, quae ad cappellaniarum naturam et collationem spectant, desumenda sunt ex voluntate testatoris. Quare, si cappellania aliqua ecclesiastica a fundatore ea lege constituta fuerit, ut semper alicui clerico et in perpetuum conferatur, haec dicitur collativa, et est verum beneficium ecclesiasticum. Reiffenstuel *in tit. 5. lib. III. Decr. nn. 18. 71*; Cfr. *S. C. C. in Novarien. 16. aug. 1828; in una Montis Alti 7 aug. 1841.* Et tunc ad erigendam cappellaniam necessarium est decretum episcopi; ad eam autem conferendam dari debent litterae seu bullae episcopales, vel apostolicae, canonicae institutionis. Quae duo si inveniantur in aliqua cappellania, iam habentur essentiales conditiones veri beneficii, et proinde cappellania censenda est ecclesiastica. Cfr. *S. C. EE. RR. 9 sept. 1862; 17 mart. 1865, 19 ian. 1865 (apud Lucidi de vis. ss. lim. III. doc. 61).* – Quod autem sint iurispatronatus laicalis, non significat, eas esse laicales. Nam vera etiam beneficia iuripatronatus laicali subiecta esse possunt.

Aliud dicendum est, si cappellania vel ad nutum episcopi conferenda sit (et dicitur manualis); vel sit laicalis, etiamsi ex lege fundationis solis clericis danda esset (quo in casu dicitur laicalis simpliciter, nam si laicis quoque dari permittitur, mere laicalis appellatur, Schmalzgr. *l. c.*): tunc enim ad earum erectionem sufficit, ut accedat actus episcopi, quo in scriptis mera ac nuda cappellaniae acceptatio fiat: Cfr. *decr. Urbani VIII. et Inn. XII. de celebr. missar.*

Quare iudicium de laicitate vel ecclesiasticitate cappellaniae totum pendet a lege fundationis, excludentis auctoritatem ecclesiasticam in erectione cappellaniae; et quemadmodum decretum formalis erectionis in defectu tabularum fundationis dat rationem colligendi ecclesiaticitatem cappellaniae, ita, exsistentibus tabulis fundationis, quae ostendant absque dubio cappellaniam esse laicalem, decretum erectionis nihil facit in contrarium. Mühlbauer *Thes. res. Sacr. Congr. Conc.* « *v. Cappellania* » *n. 21.* Attamen alia sunt, praeter erectionem, quae innuere videntur ecclesiasticam cappellaniam, ut titulus, ecclesia designata et vocatio clericorum ad celebrandas missas per seipsos; sed hae sunt praesumptiones, non argumenta.

Cappellania, in qua cappellano im- 836
positum est, vel expresse, vel saltem virtualiter, onus celebrandi missas per seipsum, dicitur sacerdotalis; secus sacerdotalis non est, etsi dicatur instituendus cappellanus, qui tot missas celebret (*S. C. C. 15 iun. 1589*); quare conferri potest etiam puero 14 annorum. Cfr. *S. C. C. in una Nonantulae 25 febr. 1837.* Cappellania sacerdotalis nonnisi sacerdoti conferenda est; attamen, etsi dicatur eligendus sacerdos, qui tot missas celebret, potest eligi clericus, qui infra

annum ad sacerdotium possit promoveri (Fagnanus *in cap. 6. de clericis non residentibus*), nisi expresse in fundatione cautum sit, ut nonnisi ei, qui sacerdos actu sit, conferatur. Cappellania autem his verbis fundata: *ut eligatur idoneus cappellanus sacerdos, qui missam celebret*, est sacerdotalis, sed cappellanus non tenetur celebrare per se; sufficit, ut per alios celebret. *S. C. C. 17 nov. 1604; 13 apr. 1620.*

837 Manuales igitur et laicales cappellaniae beneficia ecclesiastica non sunt, sed consideranda tantum sunt tamquam legata pia (*S. C. C. in Sublacen. 3 iul. 1819; in Camerin. 5 sept. 1835*); quare non reguntur regulis, quae pro beneficiis ecclesiasticis stabilitae sunt in iure. Cfr. *S. C. C. in Guayaquilen. 23 maii 1857.* Hinc conferri possunt etiam pueris minoribus 14 annis (*S. C. C. in Urbinaten. 7 aug. 1847*) et, si mere laicales sint, etiam feminis (*S. C. C. in Auximana 15 dec. 1787;* Acta S. S. *I. 637*), nisi tamen obstet voluntas testatoris, statuentis ex. gr., ut aliqua cappellania nonnisi clerico vel etiam diacono aut sacerdoti conferatur (nam testator potest in fundatione has conditiones adiungere, quae proinde omnino servandae sunt, sed hae non immutant naturam cappellaniae; ac proinde in casu, quo cappellania laicalis conferenda esset tantummodo clerico, hoc penderet ex voluntate hominis; dum contra, si ageretur de cappellania ecclesiastica, idipsum ex iure penderet, cfr. *S. C. C. in una Nullius Farfen. 12 aug. 1741; in una Civ. Castelli 24 apr. 1751*); hi, quibus conferuntur, non indigent institutione (idest ad capiendam legitimam earum possessionem non est necessarius interventus auctoritatis ecclesiasticae, sed sufficit, ut possessio adeatur per acta notarii iuxta sanctiones legum civilium, Mühlbauer *Thes. resol. S. C. C.* v. « Cappellania » *n. 14*); nec, etiamsi sint clerici, tenentur ad horas canonicas (*S. C. C. in Perusina 29 aug. 1789*); neque cappellaniae manuales vel laicales, etsi perpetuae, constituere possunt titulum beneficii ad ordines recipiendos (*S. C. C. in Viterbien. 12 iul. 1823*), quamvis hae, si perpetuae sint, constituere valeant titulum patrimonii (Garcia *III. 2. 112*); neque constituere possunt episcopum proprium ratione beneficii relate ad ordinationem (*S. C. C. in Tiburtina 11 iun. 1710; in Lisbonen. 19 aug. 1724*); neque in nominatione cappellanorum necesse est servare tempus quadrimestre vel semestre a sacris canonibus in beneficiis conferendis praescriptum; neque, etiamsi sacerdotales sint, subsunt legi praestationis mediae annatae. *S. C. C. in Firmana 19 sept. 1767.*

Praeterea, quum cappellaniae ec- 838
clesiasticae sint bona a fundatore ecclesiae donata, quorum proprietas transit in ecclesiam, quae per episcopum ea constituit in cappellaniam, ea male alienantes incurrunt poenas a iure statutas contra male alienantes bona ecclesiastica. Cfr. *S. C. C. in Liparen. 22 febr. 1890.* E contra, quum bona cappellaniae laicalis maneant in proprietate heredum, et nulla ratione fiant ecclesiastica (*S. C. C. in Perusina 15 sept. 1827; in Anagnina 28*

ian. 1832; in Bononien. 2 mart. 1839; in Assisien. 3 apr. 1841), qui eaa lienat, peccat quidem, sed poenas supradictas non incurrit (Monit. eccles. *vol. I. pag. 109; vol. VI. p. 2. pag. 183*); et, si quid controversi circa eas forte oriatur, ad rem definiendam competens est iudex laicus. Insuper, si in aliqua cappellania laicali nominatio fieret cum pacto, ut postea cappellanus aliquid nominanti persolveret, quamvis pactum esset illicitum, non ideo tamen haberetur simonia, ac proinde poenae contra simoniacos statutae nullo modo incurrerentur. Contrarium dicendum esset in casu cappellaniae ecclesiasticae.

Si dubium est, utrum testator voluerit instituere cappellaniam ecclesiasticam, an laicalem, et tabulae fundationis perierint, res est aestimanda ex praecedenti, non tamen solummodo ex ultimo statu (*S. C. EE. RR. 19 ian. 1866*); si habeantur tabulae, sed mens fundatoris incerta sit, praesumendum est, eum voluisse instituere cappellaniam ecclesiasticam. Berardi *Comm. in ius. eccl. univ. vol. 1. App. de ben. impropr.* Si autem dubium habeatur in ipsis tabulis fundationum, tunc, si defunctus disponendo de cappellania aliquid demandavit, quod cappellaniae ecclesiasticae convenit, praesumendum est, eum voluisse instituere ecclesiasticam cappellaniam; contra vero, si quid voluit cappellaniae ecclesiasticae repugnans, quia tunc praesumitur, eum voluisse cappellaniam laicalem constituere. Hoc tamen intelligendum est de persona, quae intelligat, quid sit cappellania ecclesiastica, quid laicalis; non autem de persona rustica. Cfr. *S. C. C. in Firmana 29 aug. 1857. 24 apr. 1858;* Mühlbauer *loc. cit. n. 15.* Notandum est, quod, si cappellania instituta fuerit sub conditione resolutiva, ea purificata, per se perit cappellania cum omnibus adnexis oneribus. *S. C. C. 19 apr. 1863.; 27 ian. 1877.* Quoad onus cappellanis incumbens missas celebrandi, vid. *Stipendium.*

Cappellaniae, quibus incumbit onus 839
celebrandi missas et choro inserviendi non sunt compatibiles cum canonicatibus et parochialibus beneficiis, quamvis per earum constitutiones liceat servire per substitutum. *S. C. C. 9 nov. 1619.*

Summus Pontif. concedit aliquando, 840
ut ad tempus suspendatur nominatio cappellani, et adimpletis oneribus cappellaniam gravantibus, fructus reliqui in alios usus impendantur, ut ex. gr. consulatur inopiae propinquorum fundatoris (cfr. *S. C. C. in Ianuen. 21 aug. 1819; in Romana 18 apr. 6 iun. 1863*), vel ut altare seu ecclesia reparetur (*S. C. C. in Farfen. 14 iun. 1792*), seu ut sacrae suppellectiles comparentur (*S. C. C. Tiburtina 17 febr. 1816*), etc. Imo indultum semel datum quandoque etiam prorogatur, causa adhuc exsistente. Cfr. *S. C. C. in Perusina 24 apr. 1847; in Ianuen. 21 sept. 1819; 26 iun. 1841; in Mandelen. 18 dec. 1858.*

c. 11 de praebendis et dignitatibus X. (III. 5); Const. Inn. XII « Nuper » 23 nov. 1697; Const. Ben. XIV « Quanta cura » 30 iun. 1741; *Perez de Lara I.* Tractatus de anniversariis et cappellaniis; *De Leone A.* De officio cappellani; *Pilaia I.* Institutionum decisionis pontif. lib. III; *Ferraris* Prom-

pta bibl. v. « Cappellania »; *Mühlbauer* Th. res. S. C. C. V. « Cappellania »; *Berardi* Comm. in ius eccl. univ. vol. 1. Append. de ben. impr.; *Fagnanus* in cap. 6 de clericis non resident.; *Malbrenne N.* De beneficiis simplicibus ac praecipue de cappellaniis disquisitio canonica; *Gennari* Consult. vol. II. Cons. 2. 26; *Lingen et Reuss* Causae selectae nn. 192. 193. 196. et alibi passim; *Mocchegiani* Iurispr. eccl. I. 1097 sqq. Reliquam bibliographiam vide sub *Beneficium*, *Stipendium*.

841 **Caputium.** — Canonicis et parochis, quibus permissa sunt insignia caputii cappae vel mozettae, permittitur eorum usus, in concionibus et in publicis conventibus sacris, in solis tamen ecclesiis propriis, non vero in alienis, secluso privilegio, nisi in his capitulariter conveniant; numquam autem in aliena dioecesi; et pariter semper prohibitus ipsis est usus horum insignium in confectione vel administratione sacramentorum aut sacramentalium. *S. R. C. decr. gen. 12 iul. 1892. (3784).*

842 **Cardinales.** — Cardinales S. Romanae Ecclesiae iuxta hodiernam disciplinam ii clerici sunt, qui post Romanum Pontificem supremam obtinent dignitatem in ecclesia (*Const.* Eug. IV. «Non mediocri» *a. 1438*), et constituunt collegium quoddam clericorum, cuius munus est, ut Romanum Pontificem ex officio in regimine universae ecclesiae ad instar senatus prae aliis omnibus adiuvent; et, Sede vacante, ipsum Romanum Pontificem in nonnullis, quae a iure permittuntur (*cap. 3. de elect.* [*I. 6*] *in 6°*; *c. 2 de elect.* [*I. 8*], *inter Clem.*), suppleant, atque novum Romanum Pontificem eligant. Wernz *Ius decr. II. 622.*

843 Quoad numerum cardinalium, relicta mentione vicissitudinum, quas in hac parte passa est disciplina ecclesiastica, nota ex Const. Sixti V, quae hodierno etiam iure viget, cardinales plures esse non debere, quam septuaginta. *Const.* Sixti V «Postquam» *3 dec. 1586.* Horum sex sunt episcopi suburbicarii: Hostiensis et Veliternus, Portuensis et S. Rufinae, Albanensis, Praenestinus, Tusculanus, Sabinensis; quinquaginta presbyteri; quatuordecim diaconi. Attamen nota, titulos, tum presbyterales, tum diaconales, qui cardinalibus adsignari solent, esse hoc numero plures.

844 Cardinales efformant unum corpus, Sacrum Collegium Cardinalium. Hoc collegium habet caput Cardinalem Decanum, idest antiquiorem ex cardinalibus episcopis. seu Cardinalem Episcopum Hostiensem; habet praeterea Cardinalem Camerarium pro administratione bonorum collegii, nec non secretarium non cardinalem aliosque officiales minores. Bargilliat *Prael. Iur. can. I. 435. d.*

845 Ius creandi cardinales omnino liberum est penes unum Romanum Pontificem, et Principes civiles nullo gaudent iure vel praesentandi aliquem ad cardinalitiam dignitatem. Wernz *loc. cit. II. 626.*

846 Cardinales eligendi debent ex Tridentino pollere omnibus illis dotibus, quas concilium requirit in episcopis eligendis. Conc. Trid. *sess. XIV. c. I. de ref.* Hoc ius tridentinum emollivit quoad aetatem Sixtus V. *Const. cit.*; statuens ad eligendum cardinalem diaconum sufficere, ut is in vigesimo secundo aetatis anno sit con-

stitutus, voluitque ut intra annum ad sacrum diaconatus ordinem promoveri deberet, sub poena privationis vocis activae et passivae, tum in omnibus actibus consistorialibus et cardinalitiis, tum in electione Romani Pontificis. Statuit praeterea idem Pontifex, ut promoveri ad cardinalatum non possent illegitimi, etiam per subsequens matrimonium vel alias quomodolibet legitimati; nec ii, qui, in quatuor minoribus ordinibus constituti, per annum saltem habitum et tonsuram non gestaverint; nec ii, qui primo aut secundo consanguinitatis gradu alicui cardinali viventi sunt coniuncti. *Constit. cit.* Patet autem, has omnes leges non efficere, ut Romanus Pontifex pro sua potestate non possit contra eas agere.

847 Ad nominationem legitimam cardinalis sufficit voluntas Romani Pontificis sufficienter et clare expressa; omnes aliae ceremoniae, quae usitantur in creatione cardinalium, nihil faciunt pro valore nominationis. Quare etiam cardinales, quibus os nondum apertum fuit, vocem habent activam in electione Romani Pontificis (*Decr.* Pii V *26 ian. 1571; Const.* Greg. XV « Decet » *12 mart. 1622*), non obstante constitutione in contrarium Eugenii IV « In eminenti » *26 oct. 1431,* quae a Pontificibus successoribus abrogata est.

848 Aliquando Romanus Pontifex aliquem creat cardinalem, quem simul *in pectore reservat,* idest nomen eius non exprimit, expressurus quando ei placuerit, et opportunum iudicaverit. Effectus istius creationis is est, ut, quando electus fuerit nominatus, sedem et locum occupet ante alios cardinales postea creatos, etsi prius nominatos et publicatos. At si Romanus Pontifex praemoriatur publicationi in consistorio factae, qui est cardinalis creatus et in pectore reservatus nullum habet ius cardinalium, etiamsi eius nomen cognoscatur; quare non potest admitti ad electionem Romani Pontificis, nisi Romanus Pontifex expresse contrarium statueret; a quo tamen sanciendo prudenter Rom. Pontifices semper hucusque abstinuerunt. Imo Pontifex successor non tenetur eam creationem ratam habere. Bargilliat *loc. cit. n. 438;* Wernz *loc. cit. II. 628.*

Cardinalium ius maxime honorifi- 849
cum est votum dare in electione Romani Pontificis; attamen, non ex eo desumenda est praecedentia, quam habent supra omnes alias ecclesiasticas dignitates; sed potius ex eo quod in Romanis Congregationibus ex officio et potestate ordinaria Romanum Pontificem adiuvant, et consequentes partem universalis pontificiae iurisdictionis una cum Romano Pontifice et sub ipso universae Ecclesiae vere quodammodo praesunt.

Multis gaudent cardinales iuribus 850
et privilegiis, quae omnia hic referre nimium esset. Sufficit quaedam innuere, praeter ea, quae iam ex dictis patent.

Cardinales igitur in ecclesiis sui tituli ius habent ad exercenda pontificalia, exclusive ab aliis; quare ius consecrandi in iis altaria ipsis competit, non autem Cardinali Urbis Vicario. *Decr. Leonis XIII 25 ian. 1879.* Praeterea in suis titulis habere eos potestatem in iis, quae concernunt

servitium chori et ecclesiae circa disciplinam ecclesiasticam et morum correctionem, translata per constitutionem Innocentii XII « Rom. Pontifex » *17 sept. 1692* in Card. Urbis Vicarium antiqua iurisdictione quasi episcopali, quam in clerum et populum suae ecclesiae antiquitus habebant, non pauci sequioris aevi canonistae docuere. Hos tamen optime confutatos invenies in erudito opusculo emi. Card. Io. Cal. Vives y Tuto *De iurisdictione in spiritualibus et temporalibus, quam habent S. R. E. Cardinales in suis titulis et diaconiis etiam post Innocentianam constitutionem - Rom. Pontifex - editam XV kal. oct. anni 1692.* Eminentissimus enim auctor in hoc opere demonstrat, Innocentium XII constitutione illa sua nihil detraxisse iurisdictionis, quam S. R. E. Cardinales in suis titulis et diaconiis habebant ex antiquioribus constitutionibus RR. Pontificum, praesertim vero ex constitutione Sixti V « Religiosa sanctorum » *13 apr. 1587*, secundum quas veram obtinebant iurisdictionem quasi episcopalem; sed voluisse tantummodo abolere tribunalia illa particularia, quae plura tunc in urbe locum habebant, et ex quibus multi exoriebantur iurisdictionum conflictus et abusus intolerabiles (cfr. De Luca *de iudiciis disc. 45. 47*), exceptione tamen facta pro cardinalibus in suis titulis et diaconiis quoad ea, quae respiciebant disciplinam ecclesiasticam et correctionem morum, quarum cognitionem ipsis reliquit.

Cardinalibus S. Romanae Ecclesiae celebrantibus missam in pontificalibus extra Urbem, etsi extra locum suae iurisdictionis, licet praeter ministros altaris habere diaconos sacris paramentis indutos, sibi in throno assistentes, et tunc etiam clerus potest ipsis assistere, deferens paramenta iuxta ordinum gradus; pariter iisdem in throno sive celebrantibus sive assistentibus debetur ab omnibus genuflexio, sicut ordinario in propria dioecesi, non autem si in throno non adstent. *S. R. C. in Neapolitana 14 iul. 1887* (*3680*).

Cardinalibus, quando peregre abeunt, concessum est confessarium, in Urbe approbatum, secum ducere, a quo sine alterius licentia ubicumque absolvantur. Fagnanus *in c. 16. lib. V. Decr. n. 66.*

Cardinalibus praesentibus, dum ab inferiori sacerdote celebratur missa, debetur ubique terrarum reverentia; et missa celebranda est, quomodo celebraretur praesente ordinario loci. Cfr. De Herdt *Sacr. lit. praxis II. 37.* Vid. *Benedictio, Confiteor.*

Cardinales, pertinentes ad ordinem diaconorum vel presbyterorum et non aucti episcopali consecratione, crucem ante pectus deferre nequibant, nisi quando solemniter celebrabant (Cfr. *S. C. Cerem. 23 maii 1902*); nunc autem ex concessione Pii X (*Mot. propr. 24 maii 1905*) omnibus et singulis cardinalibus ius competit crucem pectoralem semper et ubique, etiam coram ipso Romano Pontifice, deferendi.

Iuverit autem hic referre, pro ea 851
parte, quae respicit Patres Cardinales, sequens decretum S. Congregationis Ceremonialis, quo haec S. Congrega-

tio plura statuit ad consulendum decori ordinis cardinalitii.

« I. Quoniam interest magni, ut Patrum Cardinalium sarta tectaque servetur dignitas, quotquot in Urbe sunt ecclesiarum rectores admonentur, ne tam crebro neque tam facile purpuratos Patres invitent, etiamsi de sacris solemnioribus agatur.

II. In missis et in vesperis pontificalibus, praeterquamquod standum erit menti et praescriptis libri ceremonialis, serventur omnino conditiones, quae sequuntur:

1° Ut aequa sit et probanda causa, cur emi. PP. Cardinales invitentur, idest, ob singularem et non communem alicuius festi celebritatem.

2° Ambitus templi, ad pontificalia peragenda, par sit, praesertim in presbyterio, ceremoniis rite et commode explendis; ipsumque templum e dignioribus sit atque insignioribus.

3° Sacri ministri aliique inferiores operam praestituri, numero adsint, qui liturgiae legibus praescribitur; singuli vero suum officium probe calleant. Ac maiores quidem ministri in pontificalibus purpurati Patris in aliqua sint ecclesiae dignitate constituti, minores vero saltem clerici. Praeterea celebranti Patri Cardinali iusta decensque adstet frequentia, sive secularis, sive regularis cleri.

4° Musices genus, in sacra actione utendum, sit ab ecclesia probatum. Praesertim vero dum emus. vir sacrum solemne peragit, praeter gregorianum, non alius recipitur cantus, quam qui, solis vocibus, moris est in Pontificis Maximi et PP. Cardinalium choris. Cantores vero, quum numero, tum arte nihil desiderandum relinquant.

III. Sacra Congregatio Ceremonialis declarat, singularem et non communem festi alicuius celebritatem, de qua superius facta mentio est, tunc haberi, quum rariora quaedam solemnia magno apparatu densaque populi frequentia celebrantur, quemadmodum in prima triduana supplicatione post beatificationem, aut dierum octo post canonizationem; itemque in seculari aliqua commemoratione, et similibus. Quod si solemnitas indicta fuerit in triduum, extremo tantum die haberi poterunt pontificalia emi. viri; si in dies octo, poterunt haberi ter.

Si quis autem purpuratus Pater, occasione peculiaris festi, velit pontificalia exercere in ecclesia sui tituli, aut si cupiat sacris ibidem solemniter assistere, quod quidem diaconis etiam cardinalibus in propria ecclesia competit, ecclesiarum rectores omnia et singula disponenda curent iuxta praescripta superius.

IV. Ad missam privatam in publicis Urbis ecclesiis ne invitetur PP. Cardinalium quisquam, sive ex ordine episcoporum aut presbyterorum, sive etiam, *posito privilegio,* ex ordine diaconorum, nisi ante mature fuerit perpensum, quae sit et quanta festi solemnitas, quae templi dignitas, ambitus, qualitas; sintne omnia rite parata, atque disposita, ita ut purpuratus Pater, eo quo decet honore et cultu excipi, tractari deducique possit, retentis ad unguem ss. rituum praescriptis et ceremoniarum regulis.

V. Eadem plane serventur, si quis Pater Cardinalis invitetur ad benedi-

cendum populo solemniter cum augustissimo Sacramento. In eiusmodi ritu, ad quem etiam rarius erunt invitandi purpurati Patres, illud curae esto, ut ministri sacri sint in aliqua ecclesiae dignitate constituti; inferiores autem clerici et numero et qualitate commendabiles. Ad novendiales vero vel triduanas supplicationes, etiamsi solemniores (exceptis casibus n. II relatis), non erunt invitandi quotidie PP. Cardinales; ac ne ultimo quidem die, nisi forte id sacrae commemorationis magnitudo splendidiorque apparatus postulet.

Ceterum ad quaevis solemnia ecclesiarum Urbis rectores ne invitent purpuratos Patres, nisi auditis prius apostolicarum ceremoniarum aut praefecto, aut magistris.

VI. Absolutionis ritus, post missam de requie ab episcopo aut presbytero celebratam, non est a Patre Cardinali ordinis episcoporum aut presbyterorum peragendus, nisi quum iusta funebria persolvantur aut Summo Pontifici aut purpurato Patri, aut catholico Principi; vel etiam sicubi solemnior fiat commemoratio omnium fidelium defunctorum; item pro insigni aliqua communitate, vel publicum ob aliquem et lacrimabilem casum, modo omnia accurate serventur, quae supra dicta sunt, de templi conditione, de ministrorum dignitate, peritia et numero, deque genere cantus ». *S. Congr. Cerem. 23 maii 1902.*

852 His adiungendum est illud, quod, praeter haec, eadem S. Congregatio statuit in alio decreto ad EE. PP. Cardinales directo, eadem die, scilicet: « Purpurati Patres solemnia celebraturi in publicis Urbis ecclesiis, praeter caudatarium et famulum aulica veste de more indutum, familiares nobiles duos secum ducant. In ritibus haud ita solemnibus ducant saltem ecclesiasticum familiarem nobilem unum, praeter caudatarium et famulum aulica veste de more indutum ». *S. Congr. Cerem. 23 maii 1902.*

Cardinalium laesio iniuriosa punitur excommunicatione latae sententiae Romano Pontifici specialiter reservata (*Constit.* « Apostolicae Sedis » *serie 1. n. 5*); et hac excommunicatione tenentur non solum mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, hostiliter insequentes, aut eiicientes a suis dioecesibus, territoriis, terris, seu dominiis, sed etiam mandantes aut illis auxilium vel favorem praestantes; et ii, qui ratum habent. Haec valent etiam pro patriarchis, archiepiscopis, episcopis, legatis et nunciis Sedis Apostolicae. Quoad hanc excommunicationem, quaedam obvia sunt, quaedam autem adnotare iuvat. Excommunicationem igitur hanc incurrunt insequentes quoque, etsi insecutum nec vulnerent, nec capiant, dummodo animo hostili idest manifesto animo laedendi graviter; quare insequentes animo perterrefaciendi tantum, vel contumelia afficiendi, hanc excommunicationem non incurrunt. D'Annibale *Comm. in Constit. Apost. Sedis. n. 50.* Nomine eiicientium non veniunt, ut patet, ii, qui nolunt admittere seu prohibent accedere; attamen eiicientes vere sunt, qui quoquo modo eiiciunt, sive vi, sive minis, sive mero praecepto, sive auctoritate publica sive privata 853

An requiritur eiectio efficax, seu quae habeat effectum? Et videtur quod non; nam eiectio consummatur ipso actu eiiciendi, quidquid sit, an iste actus postea evadat efficax, necne. Eiiciendi autem a territoriis etc. suis, *suis* nempe ratione sui muneris suaeque dignitatis, sive in his ius habeant proprietatis aut iurisdictionis aut domicilii. Bucceroni *Comm. in constit. Apostol. Sedis num. 18.* — Mandantes, auxilium vel favorem praestantes, nempe effectu secuto, idest mandato, auxilio, favore efficaci et quod graviter influxerit in ea, quae in excommunicatione recensentur, non autem in alias actiones etsi iniquas. — Ratum habentes, et ad hoc necesse est, ut id quod factum est, suo nomine factum fuerit (*c. 23 de sent. excomm. etc.* [*V. 11*] *in 6°*), et eo tempore, quo ipse illud facere ac proinde mandare potuisset. Attamen nota ex D'Ann. *l. c. 50* (*19*), incapacitatem vel capacitatem agendi in genere, non ex momento temporis aestimari; quare hanc excommunicationem non incurrit ille, qui eo tempore infans vel amens fuerat, quia tunc ratihabitio ne concipi quidem potest, sed incurrit ille, qui tunc dormiebat vel ebrius erat. — Adverte autem favorem praestari posse, etiam efficacem, negative tantum se habendo, quum quis nempe non impedit, quum impedire possit et debeat, quia ex officio aut ex iustitia (non item verius ex caritate) id facere tenetur, ut ecce rex, magistratus etc. B. P. *VII. 280.*

854 Cardinalium, nec non patriarcharum, archiepiscoporum etc. invasio inducit irregularitatem ex infamia inde superveniente. *c. 5. de poenis* (*V. 9.*) *in 6°.*

Const. Eug. IV « In eminenti » 26 oct. 1431; Const. Eug. IV « Non mediocri » a. 1438. Const. Eug. IV « Etsi » 25 ian. 1447; Const. Pii IV « Vendentis » 22 sept. 1561; decr. Pii V 26 ian. 1571; Const. Sixti V « Postquam » 3 dec. 1586; Const. Greg. XV « Decet » 12 mart. 1622; Const. Inn. X « Quum iuxta » 19 ian. 1646; Const. Pii VI « Vobis » 26 sept. 1791; Const. Pii VII « Bonus » 19 ian. 1808; Const. Pii IX « Universi » 12 ian. 1866; Const. Pii IX « Quamquam » 26 sept. 1867; Const. Pii IX « Apostolici » 14 ian. 1868; lib. septim. l. I. tit. 4 de cardinalibus: *Barbatia A.* De praestantia cardinalium; *Cortesi P.* De cardinalatu; *Albani I.* De cardinalatu liber; *Catena H.* Discorso sopra la berretta rossa per li cardinali religiosi; *Scappo A.* De birreto rubeo dando S. R. E. cardinalibus regularibus; *Botero G.* Dell'ufficio del cardinale; *Manfredi H.* Tr. de sacrosanto collegio cardinalium; *Manfredi H.* Tract. de cardinalibus; *Conradi L.* Templum omnium iudicum pontificiae... potestatis; *Ruffi R.* Defensio Pontificis, cardinalium etc.; *An.* De varietate et usu vestium Papae et cardinalium per totum annum; *Lonigo M.* Dell'uso delle vesti dei Signori Cardinali tanto nelle chiese di Roma quanto fuori; *Lunadoro H.* Relazione della corte di Roma (ubi in altero volumine ea habentur, quae ad Cardinales Curiaeque romanae universos magistratus pertinent); *An.* Traité de l'origine des cardinaux du St. Siège; *Brancaccio F.* Dissertationes (ubi plura de cardinalibus); *Piazza.* La gerarchia cardinalizia; *Bonanni Ph.* La gerarchia ecclesiastica ecc.; *Carrara B.* Dell'antica preminenza del cardinalato; *Andreucci A.* Hierarchia ecclesiastica; *Andreucci A.* De episcopis cardinalibus suburbicariis quaestiones selectae; *Gothofredus I.* De suburbicariis regionibus et ecclesiis; *D'Attichy L. D.* Flores historiae s. collegii S. R. E. Cardinalium; *Albergati F.* Del

cardinale; *A Corona M.* Tract. posth. de potestate et dignitate cardinalium etc.; *Platus H.* Tract. de cardinalium dignitate et officio; *Fragosius I. B.* Tract. de regimine reipublicae christianae; *Frinsghemii I.* De S. Rom. Imperii electorum et S. R. E. Cardinalium praecedentia; *Pilaia.* Inst. decis. pont. lib. 1; *Goderini F.* De romanis Pontificibus et cardinalibus Anglis; *Panvinius O.* De episcopatibus, titulis et diaconiis cardinalium; *Panvinius O.* De origine cardinalatus; *Contelorius F.* Elenchus cardinalium ab anno 1294 ad 1430; *Catharius C.* Notitia cardinalatus; *Cohellius I.* Notitia cardinalatus; *Aubery* De la dignité de cardinal; *Albitius* De iurisdictione, quam habent S. R. E. cardinales in ecclesiis suorum titulorum; *De Luca Card.* Op. omn. tr. de iurisdictione; *De Luca* Il cardinale pratico; *Thomassin* Vet. et nova eccl. disc. p. 1. lib. 2. cc. 113-116; *Buddaeus* De origine cardinalitiae dignitatis; *Ferraris* Prompta bibl. v. « Cardinalis »; *Piazza* La gerarchia cardinalizia; *Kleiner* Diss. de orig. et antiquitate S. R. E. Cardinalium; *Tamagna* Origine e prerogative dei cardinali; *Valieri* Della dignità del cardinalato; *Bouix* Tr. de curia romana 5-139; *Bangen* Die römische Curie 26-45. 74-83; *Russo F.* La curia romana neila sua organizzazione e nel suo completo funzionamento secondo il diritto canonico vigente; *Mühlbauer* Tr. res. S. C. C. v. « Cardinalis »; *Kreutzwald* art. « Kardinal » in Kirch-Lex.; *Souchon M.* Die Papstwahlen von Bonifaz VIII bis Urban VI u. d. Entstehung des Schismas; *Kirsch I. P.* Die Finanzenverwaltung des Kardinalkollegiums i. 13 u. 14 Ihdt.; *Sägmüller* Thätigkeit und Stellung d. Kard.; *Souchon M.* Die Papstwahlen in der Zeit des grossen Schismas. Entwicklungs-u. Verfassungskämpfe d. Kardinalats v. 1378-1417; *Baart* The roman Court; *Baumgarten P. M.* Untersuchungen und Urkunden über d. Camera Collegii cardinalium v. 1295-1437; *Vives y Tuto* De iurisdictione in spiritualibus et temporalibus, quam habent S. R. E. Cardinales in suis titulis et diaconiis etiam post Innocentianam constitutionem « Rom. Pontifex » editam XV kal. oct. ann. 1692 (pro manuscripto); *Werns* Ius Decr. II. 619 sqq.; *Scherer* KR. § 83; *Philipps* KR. t. VI. § 264 sqq.; *Sägmüller* KR. § 88; *Bouvier G. A.* Notes on cardinaly and the insignia.

Cardinalis protector. — Vid. *Protector.*

Caritas. — Caritas est virtus a Deo infusa, qua diligimus Deum, tamquam summum bonum propter seipsum, et proximum propter Deum. Eius obiectum formale est bonitas divina; materiale primarium, Deus; secundarium, proximum. Est amor benevolentiae et amicitiae. Cfr. S. Th. *2. 2. q. 23. sqq.* 855

Caritas erga Deum. Adest praeceptum caritatis, quod obligat ad amandum Deum super omnia appretiative, non intensive. Suarez *de carit. d. 6. s. 2. n. 2. sqq.* — Obligat tum per se pluries in vita, tum per accidens, urgente necessitate iustificationis, quae acquiri nequeat, nisi per actum caritatis. Cfr. *prop. 5 et 6. damnatas ab Inn. XI.* Sententia eorum, qui semel in mense requirunt actum caritatis, nullo solido fundamento innititur. Cfr. Ball. *in Gury I. 218 (3).* Qui peccata gravia vitandi voluntatem retinent, non sint anxii de hac obligatione. G. B. *I. 219;* Bucc. *I. 381.* — Pariter opinio aliquorum dicentium, praeceptum caritatis obligare in articulo mortis, quando quis sacr. poenit. cum attritione susceperit, non videtur habere validum fundamentum, quod bene demonstrat Ball.-Palmieri *II. 146. sqq.* 856

Caritas erga seipsum. Quisque de- 857

bet seipsum diligere, et si agatur de illis bonis, quae nobis debemus, absolute magis quam proximum; secus proximum nobis praeferre licet, et ad virtutem pertinet (Cfr. s. Th. *2. 2. q. 25. a. 4; q. 26. a. 4. et 5. ad 3*); imo ad hoc ipsum aliquando tenemur. Nam regula superius posita valet, ubi sint eiusdem ordinis bona, et in reliquis par sit conditio. Secus enim aliae valent regulae: *a*) si bonum proximo necessarium est altioris ordinis, possumus, et quandoque tenemur, nos privare bono inferioris ordinis ad bonum illud proximo procurandum; *b*) proximum in maiore necessitate constitutum possumus, et quandoque tenemur, iuvare cum nostro damno; *c*) idipsum dicendum est, si par quidem sit necessitas, sed non par causa utriusque. Hinc licet se privare bonis spiritualibus non necessariis ad bonum praesertim spirituale proximi; non tamen subire proximum periculum peccandi, ut alienum peccatum impediatur, nisi periculum istud fieri possit remotum. S. Alph. *Homo ap. tr. IV. n. 14;* B. P. *II. 157. sqq.*

858 **Caritas erga proximum.** Datur praeceptum diligendi proximum vero et interno affectu (cfr. *prop. 10 et 11 damn. ab. Inn. XI*), cui satisfit amore generali, qui neminem excludit, atque adeo sufficit recitatio orationis dominicae ex corde facta. G. B. *I. 220. (1).* In dilectione proximi ordo servandus est; et ratio est, quia, quum principium dilectionis sit Deus, et ipse diligens, necesse est, quod secundum propinquitatem maiorem ad alterum istorum principiorum, maior sit dilectionis affectus. Non omnes autem proximi sunt aeque Deo, vel nobis vicini. S. Th. *2. 2. q. 26. art. 7. sqq.*; Laymann *l. II. tr. 3. c. 3. n. 5. sqq.* Quare addit D'Annibale *II. 80:* « Caritas igitur, quoad actum voluntatis (appretiative) ex Deo; quoad opus externum, ex eo, qui diligitur, metiri debet. Proinde quisque diligere debet *maiori reverentia* eos, qui Deo sunt proximiores, religione, gratia, virtute etc.; atque ideo christicolas, iustos, parentes, prae ethnicis, peccatoribus, liberis. *Efficacius* autem, qui sunt propinquiores sibi, sanguine, amicitia, patria, vel quo alio iure. Quamobrem, hoc ordine oportet, in pari causa, singulis (quum quis non potest omnibus) opem ferre, nempe coniugi, liberis, parentibus, fratribus, necessariis, amicis, civibus ».

At hic videndum, utrum caritas 859
erga proximum nos obliget ad opus externum (et non quoad actum voluntatis tantum), etiam quando hoc externum opus sine gravi incommodo ponere non possumus. Porro in extrema necessitate spirituali proximi ei succurrere debemus etiam cum periculo vitae, ut absolutionem impertiri morituro, qui difficillime actum contritionis elicit; si tamen nemo alius sit, qui id faciat, et spes moraliter certa habeatur salvandi proximum, nec gravius damnum commune obsit. Cfr. Reginaldum *Praxis fori poenit. l. IV. c. 25. s. 6.* In extrema necessitate temporali proximo subveniendum est cum gravi, sed non maximo incommodo; hinc non teneris magnam pecuniae vim erogare, ut alium a morte eximas. S. Alph. *II. 31.* In gravi proximi necessitate, tum spirituali, tum tem-

porali, illi succurrendum est, sed non cum gravi incommodo, nisi ex alio titulo ad hoc quis obligetur. S. Alph. *loc. cit.* Licet autem pro salute proximi amittere temporalia bona; et vel ipsam vitam pro tuenda vita alterius in discrimen adducere, ut ministrare his, quos pestis infecit; imo etiam certae occumbere morti, ut tabulam alii naufrago cedere. D'Ann. *II. 96.*

860 Malum temporale proximo desiderare, vel de eo gaudere ob bonum finem licet, si tamen caritatis ordo non pervertitur. Hinc licet aliquod malum poenae alicui desiderare ob maius bonum spirituale ipsius, ex. gr. morbum, ut peccare desinat; eoquè magis ob bonum spirituale alterius, e. gr. eius, cui ipse gravi scandalo est; imo etiam ob bonum spirituale reipublicae, vel alterius, quem plus tenemur diligere, ex. gr. cupere mortem grassatori, qui vias obsidet, vel filio, qui suis dedecori est. S. Alph. *V. 21.* Malum vero hoc non debet esse gravius iusto, nec iniuste, ne materialiter quidem, inferendum. Hinc nequit mater optare mortem filiae, quam ob turpitudinem vel inopiam nuptui tradere nequit. Cfr. B. P. *II. 187;* D'Ann. *II. 86* (*6. 7. 8*). Caritati opponitur odium inimicitiae, non vero abominationis, quamvis et istud sit aliquoties periculosum. Vid. *Delectatio.*

861 **Caritas erga inimicos.** Inimicus intelligitur, qui te immerito laeserit vel odio prosequatur. — Potest autem aliquis laedi vel per meram offensam, vel per iniuriam, seu per ipsius iuris laesionem. Per meram offensam caritas, per iniuriam proprie iustitia violatur. — Tenemur praecepto diligendi inimicos (Matth. *V. 44*); quod ita intelligendum est, non ut eos diligamus in quantum sunt nobis inimici, hoc enim in eis odio habere debemus, sed ut diligentes proximum ab illa generalitate dilectionis eos non excludamus; specialiter autem eos diligamus secundum praeparationem animi, idest ita simus animo comparati, ut eis in articulo necessitatis subvenire velimus, si nempe in tali necessitate versabuntur. S. Th. *2. 2. q. 25. a. 1. et 9.* Et est illud, quod S. Thomas (*de ver. q. 2. a. 8*) belle complectitur his verbis: «Quum ad inimicum nulla alia unio nobis remaneat, nisi sola unio caritatis, ex necessitate praecepti tenemur eos diligere in communi et affectu et effectu».

Nota autem hic, quomodo intelligendum sit illud, quod diximus, de communi affectu, quo inimicos prosequi debemus. Nempe debemus inimicum diligere, etiam effectu, iuxta eum modum, quo diligere tenemur ceteros omnes homines, qui eas relationes nobiscum habent, quas habet inimicus. Quare, quamvis amicitia dissolvi possit, si tamen ille, qui de amico inimicus nobis factus est, aliis vinculis nobis coniunctus est, puta consanguinitatis, communis vitae, ut est de iis, qui in eodem collegio, vel in eadem communitate sunt, debemus illi specialiora caritatis signa, quam quae omnibus hominibus debentur, ea nempe signa, quae ex suapte natura exigit coniunctio. Ita pater non potest negare filio aut uxori, inimicis, alimenta etc. Lorca *2. 2. q. 25. n. 27;* B. P. *II. 170. sqq.*

Hinc debemus inimico signa caritatis communia, non vero specialia; haec etiam illi praestare, non ad praeceptum, sed ad perfectionem virtutis pertinet. Hinc non tenemur inimicum, etiam veniam petentem, ad familiaritatem pristinam admittere; non obligamur inimicum obvium salutare, nisi in casu necessitatis vel ad fratrem lucrandum, vel ad cavendum scandalum; verum tunc caritas non obligat cum incommodo gravi, modo scandalum amoveas (S. Alph. *II. 28*); non astringimur specialiter pro eis orare, vel eis opem ferre, sed solummodo prout ceteris. D'Ann. *II. 87.* — Salutatio praevia et allocutio non sunt de generalibus signis caritatis, quare nemini debentur, nisi superioribus; resalutatio et responsio omnibus debentur affabilitatis causa; quare generatim priorum omissio nullum, aliarum leve peccatum est. Diana, *tom. VII. tr. 5. res. 31;* Lorca *2. 2. disp. 25. n. 28;* B. P. *II. 177.*

Notandum etiam, caritatem per se non vetare ab inimico satisfactiones exigere, sive damni, sive iniuriae. B. P. *II. 87;* D'Ann. *II. 87.*

Ex quibus omnibus Ballerini Palmieri *II. 168.* haec pulchre deducit: « 1° si agatur de amicitia, quam servare vel non servare liberum sit, non dure agendum cum eo, qui nolit ullum habere commercium cum eo, quem amicitiae officio defuisse expertus est; — 2° id proportionate servandum inter eos, quibuscum abrumpi non potest commercium, si, servatis officiis necessariis alicuius coniunctionis propriis, totum abrumpatur, quod spectat ad ulteriorem familiaritatem; — 3° existimandum non est, eos, qui iniuriam fecerint, iniustam habere debere severitatem, qua ab aliis tractentur; conscii enim esse debent, sibi id rependi, quod promeruerunt; — 4° esto abesse debeat id, quod sapit ultionem offensae ex odio; at si praelato vel superiori generatim permittitur, ut ista severitate utantur in subditos, id supponit, laesores animadversione aliqua dignos esse: at numquid minus digni sunt animadversione, ideo quia offensus non est superior? et quum nec consuetudo, nec leges patiantur, ut ob quamlibet offensam querela ad iudices publicos deferatur, profecto rationes omnes, quae publicae potestatis interventum exigunt, scilicet insolentiae atque audaciae refraenatio, defensio omnium, ordinis conservatio etc. convenientissime postulant, ut etiam in his levioribus ea prorsus non desint, quae in aliis gravioribus iudices peragere solent; et si odium abesse a iudicibus potest, potest et a privatis, dum offensoribus rependunt id, quod promeruerunt ».

Quoad pauperes sublevandos, Vid. *Eleemosyna;* quoad delinquentes corrigendos, Vid. *Correctio fraterna.*

Vitia caritati opposita sunt odium, 862
inimicitiae, invidia, rixae, scandalum, et cooperatio peccatis alienis; praecipua haec vide.

Caritativum subsidium. — Caritativum subsidium est exactio extraordinaria et moderata, quam episcopus ex causa manifesta et rationabili (ut esset reparatio ecclesiae cathedralis) a subditis cum caritate expostulat. *c. 6. de cens exact. et proc. X.* (*III. 39*) 863

Quamvis expostuletur ex caritate, ad illud solvendum subditi obligantur. Imponi debet ab episcopo vel ab eo, qui habet iurisdictionem episcopalem, de consilio capituli. *S. C. C. 27 febr. 1663, 26 ian. 1760* (Cfr. Decl. S. C. C. in Conc. Trid. Ed. Richter *Sess. XXIV. cap. 2. de ref. n. 27. 28*). Praestari autem debet ab omnibus beneficiatis, non vero a monasteriis. In Italia ex Innocentio XI episcopi non possunt illud exigere, nisi moderate in primo suo ingressu; si postea gravis causa superveniat illud petendi, necesse habent exquirere veniam Sedis Apostolicae.

864 **Carmeli confraternitas.** — Sacra Congregatio indulgentiis sacrisque reliquiis praeposita, ex speciali facultate a SS. DD. Pio X sibi specialiter tributa, benigne sanavit omnes receptiones confratrum eousque factas, quae, ob omissam nominum inscriptionem aut ob aliam causam, erant invalidae. *S. C. Indulg. 28 iun. 1905.*

865 **Carnes.** — Carnes manducari nequeunt ex praecepto ecclesiastico diebus esurialibus, seu, praeter tempus ieiunii, exclusa dispensatione, diebus etiam veneris et sabbati de iure communi. Nomine autem carnis non veniunt fulicae (vulgo *folaghe*), ut videtur, ex responsione S. C. Reg. Discipl. ad religiosos ordinis Minorum S. Francisci a Paula *22 febr. 1804*. Lex haec obligat sub gravi septennio maiores, habentes usum rationis. Non adeptis usum rationis, etiam diebus prohibitis, carnes dari possunt.

866 Dispensatis ad carnes dominicis quadragesimae et diebus ieiunii (non autem simplicis abstinentiae, *S. Poenitentiar. 15 febr. 1834*), pisces in eadem refectione comedere est interdictum. Ben. XIV. *Encycl.* «Libentissime» *10 iun. 1745*; S. Alph. *III. 1013 sqq.* Testacea marina veniunt in hac prohibitione nomine piscium. Ii autem, qui abstinentia et ieiunio non tenentur, ut sunt infirmi, et proinde carnes manducant sine indulti necessitate, huic legi non subsunt.

Possunt caupones carnes dare pe- 867
tentibus die prohibito, nisi petant in contemptum religionis. Licet diebus vetitis carnes edere, ne appaream catholicus ad molestias haereticorum vitandas; non vero in odium fidei, vel ad erubescentiam fugiendam. Cfr. B. P. *II. 1110 sqq.*; G. B. *I. 485 sqq.*; D'Ann. *III. 140*; Buccer. *I. 1571*. Vid *Abstinentia, Ieiunium*.

Castae. — Apud varios barbaros 868
populos distinguuntur plures hominum castae seu classes, et hi, qui ad nobiliores pertinent, non solum reputant saepe immundos eos, qui vilioribus continentur; sed etiam aestimant eos immundos facere personas et res, quibuscum communicant, vel quas tangunt. Ecclesia catholica numquam discrevit inter divites et pauperes, nobiles et abiectos, imo pauperes et abiectos peculiari affectu semper complexa est ad exemplum Iesu Christi ad evangelizandum pauperibus missi. Attamen in huiusmodi locis, in quibus falsae hae doctrinae inveteratae sunt, et in moribus omnium transierunt, cum prudentia a missionariis procedendum; et quamvis non debeant missionarii hos abiectiorum classium homines negligere, vel de eorum salute non curare, pos-

sunt tamen ad tempus, quousque rectum de his iudicium nobilioribus insinuare non valent, missionarium quemdam particularem pro ipsis seligere, ne alii missionarii immundi habeantur et fugiantur a nobilioribus. Christiani autem edocendi sunt de falsitate horum praeiudiciorum, et quamvis admitti possint ad sacramenta, si nolint communicare cum aliis inferioris castae, ne fugiantur a parentibus aut amicis aut aliis suae castae, repellendi a sacramentis sunt, si hoc faciant, quia mente et corde haec praeiudicia, a catholica religione abhorrentia, retinent. *S. U. I. ad Vic. Ap. Gallas 20 iun. 1866.* Quare non vult ecclesia, ut iuniores castarum inferiorum, qui apti sint, a statu ecclesiastico arceantur; hinc vicario apostolico Malabarensi S. Congr. de Prop. Fide *2 iun. 1832.* instructionem dedit, qua edixit, filios piscatorum, quod genus ibi vilissimae conditionis seu castae est, non esse arcendos a ministerio ecclesiastico; interim tamen praescripsit quasdam practicas conditiones, ne eorum acceptatio eorumve ministerium nocumentum afferret propagationi christianismi. Et hoc idem respondit vicario apostolico Iafnensi, qui sacram Congregationem interrogaverat, num in seminarium cooptare deberet iuvenes tantum superiorum vel mediarum castarum, an etiam vilium. *S. C. P. F. 23 augusti 1852.* Hinc etiam eadem S. Congregatio rescripsit vicario apostolico Pondicheriensi, optare se, quod attinebat ad scholas, ut eae cunctis omnino Indorum classibus paterent (prout multa decreta et adhortationes S. Congregationis et Summorum Pontificum iamdiu mandaverant), atque ut nulla doctrina, tum sacra, tum etiam secularis seu profana eis denegaretur; item optare se, ut a missionariorum famulitio seu famulatu, quum fieri posset, nulla classis christianorum indorum arceretur. *S. C. P. F. 26 iul. 1845.* — Iisdem mota principiis toleravit aliquando sacra eadem Congregatio separationem quamdam loci et ingressus in ecclesiam inter castas viliores et nobiliores, et distinctionem sepulchrorum (*S. C. P. F. ad Sup. Miss. Malab. 7 ian. 1778*); sed statim et hoc inculcavit, ut missionarii semper prae oculis haberent debitum, quo districte tenebantur ad evellendas ex neophytorum animis nefarias istas opiniones vilitatis et infamiae miserae gentis *Parearum,* et ad eos inducendos, ut hanc improbandam consuetudinem separationis relinquerent. *S. C. P. F. ad Sup. Miss. Mal. 9 apr. 1783.*

Castitas. — Castitas est virtus, quae 869
moderatur concupiscentias delectabilium, quae sunt in venereis. S. Th. *2. 2. q. 151. a. 2. c.* Duplex est: perfecta, qua quis se abstinet ab *omnibus* carnis voluptatibus, et proprio nomine dicitur virginitas (S. Th. *2. 2. q. 152. a. 1. c.*); et imperfecta, qua quis tantum ab *illicitis* carnis voluptatibus abstinet.

Votum castitatis perfectae et per- 870
petuae R. P. reservatur quoad dispensationem, potest tamen episcopus dispensare coniugem ab hoc voto, tum ante, tum post matrimonium emisso, in ordine ad debitum. Idem possunt

confessarii mendicantes, tum intra, tum extra confessionem. S. Alph. *VI. 986 sqq.* — Ii, qui castitatem voverunt, quoties virtutem violant, violant et votum. Potest tamen quandoque violari votum, quin violetur virtus, ut si quis voto simplici religionis ligatus matrimonium contraheret et consummaret. — Communissima et vera doctrina est, violari votum peccatis etiam mere internis.

871 Hoc voto devinctus, matrimonium iniens, peccat, et nec petere nec reddere potest debitum, quoties compars iure suo exigere non potest; iure petenti potest reddere, imo etiam petere, si alter prior interpretative petierit; vel, in periculo incontinentiae versans, alterum rogare ut petat; ad alias nuptias nequit transire, si alter praemoriatur. — Ab hoc voto, urgente necessitate, dispensare potest episcopus in ordine ad matrimonium contrahendum. S. Alph. *III. 258.* — Votum simplex alumnorum Societatis Iesu, ex speciali privilegio, invalidat matrimonium contrahendum non autem contractum dirimit. Greg. XIII. *Const.* « Ascendente Domino » *III. kalend. iunii 1584.* — Votum solemne matrimonium reddit invalidum (*c. 10 de convers. coniug. X.* [*III. 32*]). Hoc solemni voto ligatus attentans matrimonium incurrit excommunicationem latae sententiae ordinario reservatam. *Const.* « Apostolicae Sedis » *serie 3. n. 1.* — Vid. *Votum.*

Quoad castitatis obligationem ordinibus sacris adnexam, vide *Coelibatus.*

872 **Castrensia bona.** — Castrensia bona ea dicuntur, quae iure romano (Cfr. Inst. Iust. *l. II tit. IX.*) filiusfamilias occasione militiae, quasi castrensia quae ex aliquo officio civili acquisivit; eorum filius habet perfectum dominium. Vid. *Bona.*

Casula. — Casula ab ordinario benedicta requiritur ad missam sub gravi. Vid. *Paramenta.*

Casus. — Casus in iure est eventus, qui praevideri non potuit, vel cui praeviso non potuit occurri. *l. 4. de periculu tut. et curat. C.* (*V. 38.* Quare illud, quod positum est in voluntate alterius, et quod tu impedire non potes, casus est. Qui autem casu deliquit, innoxius est, et quae casu accidunt a nullo praestantur. *l. 23 de div. reg. iur. ant. D.* (*L. 17*).

Casus Apostoli. — Vid. *Privilegium Paulinum.*

Casus reservati. — Vid. *Reservatio casuum.*

Catacumbae. — Vid. *Reliquiae.*

Catechismus. — Curare debent e- 873
piscopi, ut singulis dominicis et aliis festivis diebus (scilicet omnibus, non intermissis vacationibus, mense octobri ex gratia aut decembri etc. S. C. C. *in Hortana 8. 29 aug. 1744*) pueri in singulis parochiis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes diligenter ab iis, ad quos spectat (nempe a parochis), doceantur, et si opus sit, eos compellere ad hoc debent etiam per censuras ecclesiasticas, non obstantibus privilegiis et consuetudinibus. Concil. Tridentinum *sess. XXIV. c. 4 de ref.* Cfr. *S. C. P. F. 28 nov. 1785; 21 sept. 1840.* Si quando autem hoc episcopus per seipsum adimpleat in Ec-

clesia, in qua residet, ad idem onus subeundum non tenetur eiusdem ecclesiae parochus. *S. C. P. F. 28 nov. 1785.* — Omni etiam studio iis in locis, in quibus aliter pueri doctrinam christianam nequeunt addiscere (quod nunc etiam apud nos non raro evenit), adlaborare debent episcopi et parochi, ut a parentibus filii mittantur ad christianam doctrinam perdiscendam, et quoties illorum monita ac praecepta in re tanti momenti suo careant effectu, possunt episcopi ea quoque adhibere remedia, quae in eorum potestate sunt ad continendos in officio fideles inobedientes. *S. C. P. F. 13 apr. 1807.* — Parochi vero debent hoc munus explicandi pueris doctrinam christianam per seipsos, adimplere (*S. C. C. 30 iul. 1591; 8 maii 1706; 28 apr. 1736*), nisi sint legitime impediti, quo in casu, si fieri potest, per substitutum hoc facere debent.

874 Ad hoc ut parochi munus suum hac in re diligenter expleant, S. D. Pius X haec, quae sequuntur, in dioecesibus universis observanda et exsequenda constituit ac distincte mandavit:

1. Parochi universi, ac generatim quotquot animarum curam gerunt diebus dominicis ac festis per annum, nullo excepto, per integrum horae spatium pueros et puellas de iis, quae quisque credere agereque debet ad salutem adipiscendam, ex catechismi libello erudiant.

2. Iidem, statis anni temporibus, pueros ac puellas ad sacramenta poenitentiae et confirmationis rite suscipienda praeparent, continenti per dies plures institutione.

3. Item, ac peculiari omnino studio, feriis omnibus Quadragesimae atque aliis, si opus fuerit, diebus post festa paschalia, aptis praeceptionibus et hortationibus adolescentulos et adolescentulas sic instruant, ut sancte sancta primum de altari liceant.

4. In omnibus et singulis paroeciis consociatio canonice instituatur, cui vulgo nomen Congregatio Doctrinae christianae. Ea parochi, praesertim ubi sacerdotum numerus sit exiguus, adiutores in catechesi tradenda laicos habebunt, qui se huic dedent magisterio, tum studio gloriae Dei tum ad sacras lucrandas indulgentias, quas Romani Pontifices largissime tribuerunt.

5. Maioribus in urbibus, inque iis praecipue, ubi universitates studiorum, lycaea, gymnasia patent, scholae religionis fundentur ad erudiendam fidei veritatibus vitaeque christianae institutis iuventam, quae publicas scholas celebrat, ubi religiosae rei mentio nulla iniicitur.

6. Quoniam vero, hac praesertim tempestate, grandior aetas non secus ac puerilis religiosa eget institutione; parochi universi ceterique animarum curam gerentes, praeter consuetam homiliam de evangelio, quae festis diebus omnibus in parochiali sacro est habenda, ea hora, quam opportuniorem duxerint ad populi frequentiam, illa tantum excepta, qua pueri erudiuntur, catechesim ad fideles instituant, facili quidem sermone et ad captum accomodato. Qua in re catechismo tridentino utentur, eo utique ordine, ut quadriennii vel quinquennii spatio totam materiam pertractent,

quae de symbolo est, de decalogo, de oratione et de praeceptis ecclesiae.

875 Aliis quoque sacerdotibus, etiam regularibus, in suis ecclesiis licet explicare pueris doctrinam christianam, dominicis quoque diebus; idque pluries a Romanis Pontificibus inculcatum ipsis est, ut faciant (*Const.* Pii V « Ex debito » *6 oct. 1571; Const.* Ben. XIV « Etsi minime » *7 februar. 1742; S. C. C. in Ferrarien. 21 iul. 1742*); attamen non debent hoc facere ea hora, qua fit in parochia. *S. C. C. in Florentina 30 mart. 1726.*

876 An vero episcopus potest alios etiam sacerdotes, non parochos, compellere ad tradendam catechesim fidelibus? Benedictus XIV (*Const.* « Etsi minime » *7 febr. 1742*) haec sapienter habet: « Verum satis experientia compertum est, imparem esse solius parochi laborem, quum nequeat unus omnes instruere, ubi doctoris diligentiam numerus vincit. Quoties tamen episcopus toto animo ac studio in ecclesiam sibi commissam incumbat, numquam necessariis et opportunis destituetur auxiliis. Semper enim inveniet, qui tonsura initiati, qui per minorum, qui per sacrorum ordinum gradus ad sacerdotii fastigium promoveri, qui denique ad ecclesiastica beneficia viam sibi munire studeant. Gravissimis idcirco verbis (et verbis facta respondeant) affirmet episcopus, numquam se facturum, ut tonsura inauguret grandiores aetate, aut minores, praesertim vero maiores ordines iis conferat, qui in tradenda christiana doctrina operam suam parochis commodare neglexerint. Nunc porro clericorum numerum idem episcopus in singulas suae civitatis et dioecesis parochias apte distribuat et eorum aliquos determinatae ecclesiae adscribat. Denunciet praeterea ac fidem praestet, in conferendo parochiarum et aliorum beneficiorum iura, plurimum apud se ponderis et momenti habiturum studium et diligentiam in hoc opus a clericis collatam: atque in re ipsa constabit, non rectori tantum impositum esse docendi munus, sed plures illi praesto esse, ut omnes officii sui numeros cumulate implere possit ». Haec quidem Pontifex Ex quibus videtur dicendum, de regula generali non alios sacerdotes, praeter parochos, compellendos esse ab episcopis, sed alia adhibenda media. Hoc tamen non impedit, quominus episcopi in peculiaribus quibusdam casibus hoc quoque remedio uti possint, hic enim iure applicatur illud notissimum: populi salus suprema lex esto. Hinc quum quidam episcopus decretum in sua dioecesi tulisset, ut in omnibus ecclesiis et oratoriis publicis ipsa ecclesia cathedrali non exclusa, in prima et ultima missa, post evangelium, christiana doctrina traderetur, et canonici ecclesiae cathedralis nec non plures rectores confraternitatum ab hoc decreto appellationem ad S. Sedem interposuissent, Sacra Congregatio Concilii ad duo sequentia dubia proposita: « 1. An canonici ecclesiae cathedralis P., missam celebrantes, teneantur legere doctrinam christianam, sub poena suspensionis in casu? — 2. An sacerdotes missam celebrantes pro confratribus in dictis ecclesiis idem servare teneantur sub

poena suspensionis in casu? » respondit: « Ad primum et secundum, attentis peculiaribus circumstantiis, episcopus curet, ut in prima et ultima missa tradatur, doctrina christiana iuxta methodum Bellarmini, ita ut de verbo ad verbum repetatur a populo, dempta suspensione ». *S. C. C. 29 ian. 1881.* Cfr. etiam *S. C. C. in una civitatis Castellanae 25 sept. 1762; in Spalatin. 17 iul. 1680.*

877 Electio catechismi seu libelli usurpandi ad hoc, ut pueri christianam doctrinam addiscant, pertinet ad episcopum. Sacra Congregatio de Prop. Fide ad vicarium ap. Constantinopolitanum rescripsit, optare se, ut Parochi uterentur catechismo Bellarmini; si quo alio uterentur, transmitterent illum approbandum ad S. Congregationem. *S. C. P. F. 21 sept. 1840.*

878 Necessitas ista addiscendi ea, quae ad fidem spectant, maxime etiam viget pro regularibus laicis, qui imo ratione status meliorem in his instructionem habere debent, quam seculares. Hinc S. Congr. Disciplinae Regularis repetitis vicibus institit apud superiores regulares, ut ad explicandam doctrinam christianam singulis hebdomadibus religiosis laicis et domesticis seu familiaribus suis deputarent religiosum sacerdotem ad hoc munus aptum, sanxitque simul plures poenas a superioribus hoc munus negligentibus incurrendas. *Litt. circ. S.C. Disc. Regul. 9 nov. 1709; 20 februarii 1739; 15 mart. 1758; 30 septembris 1765.*

879 Ad hoc autem ut tam parochi quam christifideles accenderentur ad doctrinam christianam diligenter tradendam vel addiscendam Romani Pontifices multas etiam indulgentias tum docentibus tum addiscentibus largiti sunt. Et iam decreto S. Congr. Indulgentiarum *31 iul. 1756* concessa est indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum pro qualibet vice, et plenaria in festis Nativitatis D. N. I. C., Paschatis resurrectionis et SS. Petri et Pauli omnibus docentibus et addiscentibus doctrinam christianam.

Const. Pii V « Ex debito » 6 oct. 1571; Constit. Pauli V « Ex credito » 6 oct. 1607; litt. circ. S. C. C. 19 ian. 1619; Const. Clem. XII « Pastoralis officii » 17 maii 1736; Const. Bened. XIV « Etsi minime » 7 febr. 1742; Const. Ben. XIV « Quum religiosi » 26 iun. 1754; litt. encycl. Pii X « Ambo » 15 apr. 1905; Conc. Trid. sess. V. c. 2 de ref., sess. XXII. c. 8. sess. XXIV. cc. 4. 7 de ref.; *Eder* Methodus catechismi catholici; *Grotius* Baptizatorum puerorum institutio; *Reinboltus I.* Diss. de catechesi veterum; *Stark* De catechizatione veterum; *Walther* Dissertatio de catechizatione veterum; *Wilde A.* Exercitatio exegetico-historico-polemica de forma catechesos Paullinae; *Wilisch* Historia catechetica; *Schumann* Diss. histor. de seminariis catecheticis veterum et recentiorum; *Langemack* Historia catechetica; *Walch* De Apostolorum institutione catechetica; *Miller* De catechetico veteris ecclesiae docendi genere; *Zacharias* De methodo catechetica veterum christianorum; *Schmidt* Methodus catechizandi; *Grüber* Des hl. Augustin Theorie der Katechetik; *Gilbert* Christianae catecheseos historia; *Dithmar* Beiträge zur Geschichte des katech. Unterrichts in Deutschland; *Zerschwitz* System der christlichen Katechetik; *Weiss A.* Die altkirchliche Pädagogik dargestellt in Katechumenat und Katechese; *Probst* Lehre und Gebet in den drei ersten christlichen Jahrhunderten;

Brück H. Der relig. Unterr. f. Jugend u. Volk in Deutschland i. d. zweit. Hälfte der 15 Jhdtes; *Mayer* Geschichte des Katechumenats und der Katechese; *Göbl* Geschichte der Katechese im Abendlande vom Verfalle des Katechumenats bis zum Ende des Mittelalters; *Probst* Katechese und Predigt von Anfange des 4 bis Ende des 6 Jahrhunderts; *Schöberl* Der kathol. Schulkatechismus in seiner Geschichte; *Probst* Geschichte der katholischen Katechese; *Schöberl F. X.* Lehrbuch d. kath. Katechetik; *Braunsberger O.* Entstehung u. erste Entwicklung d. Katechismen d. selig. P. Canisius; *Wahlmann P.* Deutschlands katholische Katechismen bis zum Ende des 16 Jahrhunderts; *Sachsse* Evangelische Katechetik, die Lehre von der kirchlichen Erziehung; *Thalhofer F. H.* Entwicklung des katholischen Katechismus in Deutschland von Canisius bis Deharbe; *Hézard* Histoire du catéchisme depuis la naissance de l'église jusqu'à nos jours; *Seeberg A.* Der Katechismus der Urchristenheit.

880 **Catechistae.** — In missionibus, quum saepe missionarii non sufficiant ad docendum populum christianam doctrinam, debent necessario sibi adiungere cooperatores in hoc munere adeo necessario. Generatim vero inductus est mos, ut cooperatores huiusmodi, seu catechistae, stabili quadam ratione ad hoc munus deputarentur. Quamvis autem Sacra Congregatio de Prop. Fide regulas servandas in electione catechistarum remitteret plerumque arbitrio vicarii apostolici pro tempore (*S. C. P. F. pro Sin. 20 febr. 1802*), de hoc contenta, ut episcopi, vicarii apostolici et missionarii sedulo curarent, ut catechistae munus idoneis tantum viris et pietate conspicuis committeretur (*S. C. P. F. pro Sin. 27 aug. 1832; 23 nov. 1845*); aliquando tamen quaedam particularius statuit. Sic voluit a vicario gen. Nankinensi, ut in eius vicariatu non liceret sacerdotibus adsciscere sibi catechistam, qui vigesimum quintum aetatis annum nondum esset praetergressus. *S. C. P. F. 29 februar. 1836.* Declaravit etiam aliquando, hos catechistas teneri ad emittendam professionem fidei iuxta formulam Pii IV. (*S. C. P. F. pro Sin. Tunk. Occ. 16 ian. 1797*) faciendam coram vicario apostolico seu coram aliquo a vicario apostolico delegato (*S. C. P. F. pro Sin. 17 apr. 1828*); at postea ab hac sententia recessit. *S. C. P. F. decr. cit. 29 febr. 1836.* — Catechistae eligi possunt ab ipso missionario, et catechistae sic rite electi censendi sunt velut ab ipso ordinario approbati, ut fungantur muneribus catechistarum propriis. *S. C. P. F. decr. nuper cit.*

Quoniam autem bonos haberi catechistas in missionibus, res est maximi momenti pro incremento et diffusione religionis christianae, Emi. Patres S. Congr. de Prop. Fide instructionem sapientissimam quoad hoc ad vicarios apostolicos Sinenses dederunt his verbis: « Quoniam vero de catechistis sermo factus est, vicarios apostolicos non fugiet quantae utilitatis et quasi necessitatis eorum institutio et perfectio ad fidem propagandam conservandamque exsistat. Qua de causa Emi. Cardinales voluerunt, ut iisdem praesulibus ea commendarentur, quae ad huiusmodi institutum stabiliendum et perficiendum facere possunt. Itaque hunc finem facile assequentur per erectio-

nem collegii alicuius, aut saltem alicuius specialis scholae pro catechistis efformandis. Collegia vel scholae ita institutae subesse deberent alicuius missionarii directioni. Ad collegia vel scholas admitterentur iuvenes vel adulti christiani, prout melius in Domino expedire rmi. antistites censebunt. Episcopi quasdam leges seu normas ferre non omittent, quibus caveatur, ne indiscriminatim officium catechistae cuique commendetur. In primis enim, praesertim quum agitur de iuvenibus, nemo assumendus est ad gradum catechistae, nisi praeter scientiam sufficientem exercitium etiam prae se ferat christianarum virtutum. Scientia autem probari debet ex documentis, quae singulis annis in scholis, peracto examine, obtinebunt. Quin imo et qui ad catechistae munus evecti semel fuerint, a discreto missionario examinari rursus debent singulis annis, ne quae didicerint obliviscantur, aut, quod peius foret, sanae doctrinae aliquos errores immisceant. (Hoc et alias mandaverat eadem S. C. *ad vic. ap. Indiarum 8 sept. 1869*). Qui catechistae in proprio pago seu urbe munere funguntur, aliquam artem aut aliud honestum officium exercere commode queunt, quo sibi victum et vestitum comparent; sed si qui ad aliam regionem mittuntur, ut viam missionario praeparent, animosque infidelium disponant ad praedicationem suscipiendam, aequum est, eos expensis missionis esse alendos. Ceterum cavendum semper est, ne catechistae soli in aliquo loco, praesertim si agatur de longo temporis intervallo, relinquantur; hoc enim ipsis valde periculosum est; sed adnitendum, ut, quatenus fieri possit, semper sub vigilantia missionariorum sint, qui quotannis de ipsorum vita et moribus rationem suo vicario apostolico reddant, vel cum alio catechista habitent, et sacramenta saepe suscipiant. Optabile autem esset, ut ii quamdam associationem inter se constituant, ut unus aliis exemplo sit, et, communicato veluti fervore, omnes ad pietatem et zelum apostolicum excitentur ». *S. C. P. F. 18 oct. 1883.*

Pius VI concessit in perpetuum (pro 881
missionibus Sinensi, Tunkinensi, Cocincinensi et Siamensi) indulgentiam plenariam catechistis (qui vere poenitentes, confessi et sacra communione refecti, per aliquod temporis spatium Deum devote oraverint pro sanctae fidei propagatione) ipsa die receptionis seu admissionis ad officium catechistarum *S. C. P. F. Coll. n. 1895.*

Catechumeni. — Iam Congrega- 882
tio de Propaganda Fide enixe hortata est vicarios apostolicos Indiarum, ut allaborarent fundationi catechumenatuum, idest quarumdam domorum pro cathechumenis, praesertim pauperibus, excipiendis et alendis, saltem usque dum baptismum recipiunt; quod opus in aliis vicariatibus iam pridem ceptum erat cum fructu. Voluit tamen, ut in his domibus instruendis adhiberent vicarii apostolici debitas cautiones, non modo diversas pro utroque sexu domos designando, sed etiam curando, ut separatim reciperentur homines ad diversas castas pertinentes, ne, si contrarium fieret,

damnum potius diffusioni catholicae religionis proveniret. *S. C. P. F. 8 sept. 1869.* Vid. *Castae.*

Tempus autem ac curriculum catechumenatus determinare pro singulis casibus prudentiae ac pietati vicarii apostolici pro tempore commissum. est *S. C. P. F. pro Sin. 20 febr. 1801; ad vic. ap. Coreae 11 sept 1841.*

Visconti (*Vicecomes*) Observationes ecclesiast. de antiquis baptismi ritibus et caeremoniis; *Druffel* De catechumenis diss. historico-sacra; *Cellarius B.* De catechumenis; *Stranchius A.* Κατηκούμενος descriptus diss. historico-theologica; *Pfanner T.* De catechumenis antiquae ecclesiae liber; *Larroquanus M.* Adversaria sacra (ubi multa etiam de catechumenis); *Morinus I.* De disciplina a Patribus observata in expiatione catechumenorum etc.; *Zaccaria F. A.* Ordo ad catechumenum faciendum ex veteri codice bibliothecae Magliabecchianae adnotationibus illustratus; *Robinson* The history of baptism; *Höfling* Das Sakrament der Taufe; *Bordier* Le catéchuménat pendant les premiers siècles de l'Eglise; *Mayer* Geshichte des Katechumenats und der Katechese; *Weiss A.* Die altkirchliche Pädagogik dargestellt in Katechumenat Katechese; *Moe* Die Apostellehre und der Dekalog; *Funk* Die Katechumenatsklassen d. christl. Altertums; *Ermoni* L'histoire du baptême depuis l'édit de Milan (313) jusqu'au Concile in Trullo (692); *Funk* Zur Frage v. d. Katechumenatsklassen; *Wiegand* Die Stellung des apostolischen Symbols in kirchlichen Leben des Mittelalters — I. Symbol und Katechumenat; *Bourgeois L.* Le baptême romain au IVe siècle; *De Puniet* La liturgie baptismale eu Gaule avant Charlemagne. — Bibliograhiam quaere etiam sub *Baptismus*, *Catechismus.*

883 **Cathedraticum.** — Cathedraticum est species antiqui census, quod in signum subiectionis episcopo singulis annis solvitur. *cc. 9 et 20 de censibus etc. X. (III. 39).* Praescribi contra illud nequit, manente subiectione (cfr. *S. C. C. in Amalphitana 26 febr. 1707, in Aquilana 24 mart. 1906*), quamvis praescribi possit contra eius quantitatem, quae nimia esse non debet. Ben. XIV *de Syn. l. V. c. 6 et 7.* — Cathedraticum solvere tenentur omnia beneficia, cappellae et ecclesiae *c. 17 de off. iud. ord. X. (I. 31); S. C. C. in Cassanen. 21 maii 1735, 15 dec. 1735, 25 ian. 1738, in una S. Severini 22 nov. 1738; in Maceraten. 10 iun. 1741; in una Acerrarum. 12 iul. 20 dec. 1755; in Aquilana nuper cit.* Ecclesiae monasteriorum, quum non subiaceant iurisdictioni episcopi, ab hoc censu eximuntur *(c. 1. de statu mon. etc. X. [III. 35]);* imo exinde sequitur, ecclesias regulares etiam, quae clerico seculari in commendam conferuntur, non teneri ad solvendum cathedraticum, quia haec est natura commendae, ut conservet beneficia in eo statu, in quo ante reperiebantur. *S. C. C. 18 dec. 1734; 15 ian. 1735.* Pariter laicales cappellaniae, quippe quae vera beneficia non sunt, cathedraticum solvere non tenentur. *S. C. C. in Firmana 29 apr. 1731.; 24 iul. 1734.*

Quare notandum est, onus praestandi cathedratici non inhaerere personis beneficiatorum, sed ipsis beneficiis (quod responsum esse in terminis a Congregatione quadam particulari a SSmo. deputata super cathedraticis die 5 oct. 1731 refert Mühlbauer *Thes. res. S. C. C. v.* « *Cathedraticum* »

n. 2); et hinc est quod clerici non beneficiati, quamvis et ipsi profecto teneantur ad subiectionem erga episcopum, non sunt cogendi ad illud praestandum. *S. C. C. in Albinganen. 3 dec. 1645;* Cfr. Ben. XIV. *de Syn. lib. V. c. 7. n. 2.* Cathedratici solutionem non sustulisse Concilium Tridentinum (*sess. XXIV. c. 3*), sed tantummodo voluisse,ut illud non solveretur in visitatione episcopi, sed extra, et in synodi celebratione, declaravit S. Congr. Concilii anno 1587. Cfr. Conc. Trid. *Ed. Richter pag. 335. n. 18.* Attamen consuetudine vel conventione partium potest alio etiam tempore solvi, et solvi etiam debet illis annis, quibus synodus non celebratur. *S. C. C. in Perusina 19 nov. 1735.* Quantitas pecuniae solvendae pro cathedratico de iure communi est duorum solidorum, sed quaestio est de quibus dam solidis, seu de quanam solidorum specie in iure agatur (Ben. XIV. *de Syn. lib. V. c. 7. n. 1);* quare plures Doctores asserunt, non posse tradi regulam universalem quoad quantitatem cathedratici, sed eam desumendam esse a variis dioecesium consuetudinibus. Abbas *in cap.* « Olim » *de censibus;* Monacelli *part. 2. tit. 14. form. 1. n. 8;* cfr. etiam *S. C. C. in Albinganen. 3 dec. 1644.* Concilium vero Romanum anni 1725 his solidis valorem tribuit unius aurei monetae romanae. Et Sacra Congregatio Concilii non semel interrogata, qua summa cathedraticum solvendum esset, respondit solvendum esse iuxta taxam praescriptam in Concilio Romano (*S. C. C. in Cassanen. 21 maii 1735; in Tolentina 28 febr. 14 mart. 1739 etc.);* quamvis alias dixerit, illud persolvendum esse iuxta solitum. *S. C. C. in Ferentina 19 apr. 1760.*

Caudatarius. — Caudatarii emorum. S. R. E. Cardinalium deferre possunt vestes subtanas coloris violacei. *S. R. C. in una Urbis 2 aug. 1608* (*262*). Caudatarius alicuius archiepiscopi (idem dicendum est de crucifero), quando archiepiscopus est pontificaliter indutus, nempe mitra cum pluviali vel planeta, debet adhibere superpelliceum; si vero archiepiscopus cappam deferat, debet caudatarius induere vestem violaceam. *S. R. C. in Ravennaten. 24 ian. 1660* (*1145*).

Caudatarius episcopi potest inservire episcopo in choro in suo habitu caudatarii, idest in pallio nigro et absque almutia, etsi in aliqua particulari ecclesia vetitum esset, quemquam in choro absque almutia manere posse. *S. R. C. in una Arequipae 13 mart. 1700 ad 12* (*2049*). Caudatarius episcopi, episcopo assistens in missa pontificali et in aliis functionibus eique stanti vel genuflexo syrma sustinens, debet idem syrma seu caudam cappae aut vestis episcopalis dimittere, si quando assistens ceterique canonici transire debent, ut possint ante ipsum transire. *S. R. C. in Casalen. 15 sept. 1753 ad 13* (*2425*). Episcopus administrator, dum in sacris functionibus habere debet solutam longiorem fimbriam vestis talaris, uti potest opera caudatarii. *S. R. C. in Liburnen. 23 sept. 1848 ad 10* (*2976*).

Caupo. — Caupo non potest sine gravi causa dare vinum inebriandis; potest tamen carnes dare comesturis

die vetito. Non debet, in quantum fieri potest, admittere choreas; numquam admittere potest folia publica religioni vel bonis moribus ex professo adversa. Vid. *Cooperatio*. Cfr. B. P. *II. 292. sqq.*; G. B. *I. 255 sqq.*

886 **Causa.** — Causa in iure aliquando significat negotium contractum seu obligationem (cfr. *l. 18 de acceptilatione D.* [*XLVI. 4*]; Inst. Iust. *lib. I. tit. 21 de auctoritate tutorum*); aliquando litem significat (Inst. Iust. *lib. IV. tit. 7. de actionibus § 33*), et est quasi genus sub quo criminalia et civilia continentur, his autem ultimis nomen litis specifice datur; aliquando significat titulum debiti, actionis, dominii, possessionis (*l. 3 §. 4 de acquirenda vel amitt. poss. D.* [*XLI. 2*]); aliquando etiam conditionem significat (*l. 18. § 2 de pignoraticia actione etc. D.* [*XIII. 7*]).

Distinguuntur plura genera causarum. Potior est in iure canonico distinctio inter causam motivam et impulsivam, de qua vide *Obreptio*.

887 Causa quaedam semper requiritur ad liceitatem dispensationis a lege (vid. *Dispensatio*), et irritationis votorum (Vid. *Irritatio*); non item ad validitatem ex parte concedentis vel irritantis; in dubio an sufficiat, licet dispensationem tum petere tum concedere. — Ad dispensationem votorum iusta causa requiritur etiam ad validitatem, idest bonum ecclesiae, societatis, familiae, vel eius, qui voto obstrictus est. In opus evidenter melius, probabilius etiam in aequale commutare votum quisque potest sine causa; excipe vota Papae reservata, nisi mutatio fiat in statum religiosum. Delegatus autem ad commutandum in opus aequale vel paulo minus, commutans sine causa certo illicite, probabiliter etiam invalide, agit. Vid. *Dispensatio*.

Causa vero tunc dicitur apponi contractui, quando denotatur causa seu motivum, ob quod quis contrahit. Explicari autem solet per particulam *quia*; v. gr. « contraho tecum, quia nobilis es, dives, pulchra etc. ». B. P. *VI. 267*. Vid. *Conditio*. 888

Quaevis causa mediocriter gravis excusat ab auditione missae. Vid. *Missa*. Causa caritatis, pietatis vel necessitatis excusat ab operibus prohibitis die festo. Vid. *Labor*. — Ad solvenda sponsalia iustae dantur aliquando causae, item ad dispensandum in denuntiationibus bannorum et impedimentis matrimonii. Vid. *Banna, Sponsalia*, etc. — Causa necessitatis vel occultae compensationis aliquando excusat a furto. Vid. *Compensatio*. 889

Quaenam ad tempus, quaenam in perpetuum a restitutione excusent; quaenam a recitatione horarum; quaenam excusent ab integritate confessionis; vide singula suis locis.

Causae clericorum. — Vid. *Fori privilegium*.

Causae criminales clericorum. — Causae criminales clericorum protemporum iniquitate nunc valde difficiliter tractari possunt servato ordine iuris, qui in iure criminali ecclesiastico traditur. Hinc Sancta Sedes putavit in his planiorem et faciliorem methodum usurpandum, quam sequenti decreto pro aliquibus ecclesiis, 890

ut ad decreti calcem dicemus, praescripsit.

« Sacra haec EE. et RR. Congregatio, praesentis temporis conditione, in qua ecclesia versatur, accurate perpensa, qua vix non ubique in res et personas ecclesiasticas externam suam actionem exercere impeditur, simulque et illud prae oculis habens maxima ex parte ecclesiasticas curias opportunis mediis carere, quibus recte ordinentur, constituit facultatem expresse impertiri locorum ordinariis, ut, adhibitis formis magis oeconomicis, iurisdictionem suam in clericos, ad disciplinam quod attinet, exerceant. Utque hinc, iustitia incolumis servetur, inde vero processus ad canonum praescriptum ab omnibus fiant, sequentes praestituit normas ab omnibus curiis servandas.

I. Ordinarii, pro eorum munere pastorali, tenentur disciplinae ac correctioni consulere clericorum, qui iisdem subduntur, eorum mores inspicere, atque ea opportuna remedia adhibere, quae a sacris canonibus sive ad praecavenda sive ad corrigenda mala praescribuntur.

II. Haec inter, alia ad precavendum malum ordinantur, alia in eius coercitione ac medela vim suam exercent. Hinc priora ea amovere student, quae aut scandalum aut occasionem voluntariam aut causam delinquendi proximam exhibent. Posteriora vero tum delinquentes ad meliorem frugem revocare, tum damna ex crimine reficere satagunt.

III. Porro ordinariis munus incumbit recensita hactenus remedia pro sua prudentia ac conscientia adhibendi prout rerum et adiunctorum natura et canones ecclesiastici exigunt.

IV. Mediis, quibus malum praecavetur, potissimum accensentur spiritualia exercitia, monitiones et praecepta.

V. His tamen praemittenda est summaria saltem facti notitia, cuius ab ordinario habenda est ratio, ut, si opus sit, ad ulteriora procedat, vel etiam possit superiori auctoritati satisfacere, si legitime ab aliquo ad illam recursus habeatur.

VI. Monitiones vero canonicae fiant vel in forma paterna et secreta, adhibita etiam epistola, vel interposita aliqua persona, vel in forma iuridica, ita tamen ut aliquo modo semper constet de facta monitione.

VII. Monitionibus frustra adhibitis, ordinarius curiae mandet, ut praeceptum opportunum intimetur delinquenti, quo eidem quid facere vel omittere debeat indicatur, addita, si illud transgrediatur, respondentis ecclesiasticae poenae comminatione.

VIII. Praeceptum reo praevento intimatur a cancellario coram vicario generali; vel coram duobus testibus probatae integritatis, sive ecclesiasticis sive laicis.

§ 1. Actus subscribitur a partibus praesentibus, quin et a praevento, si velit.

§ 2. Vicarius generalis, iurisiurandi vinculo obstringere potest testes, ut secretum servent, si rei natura de qua agitur, id ad prudentiae normam exigat.

IX. Ad infligendas poenas quod spectat, sedulo reverendissimi ordi-

narii animadvertant, hanc instructionem haud efficere, ut solemnitates in iudiciis servandae iuxta sacros canones, apostolicas constitutiones aliasque ecclesiasticas sanctiones abrogatae censeantur, quotiescumque libere et efficaciter usurpari possint; verum oeconomicus huiusmodi processus iis curiis consulit, in quibus solemnitates iudiciorum aut adhiberi nequeunt aut minus expedire videntur.

Insuper viam suam plene retinet remedium extraiudiciale quod *ex informata conscientia* appellatur, et pro criminibus occultis adhibendum decrevit Concilium Tridentinum (*session. XIV. cap. 1 de reform.*), iis tamen regulis ac cautionibus servatis, quas in eiusdem capitis intellectu constanter adhibuit Sacra Congregatio Concilii in pluribus resolutionibus, ac nominatim in Bosnien. et Sirmien. *20 decembr. 1873.*

X. Quum criminaliter procedi opus sit sive ob praeceptorum infractionem sive ob communia crimina aut ecclesiasticarum legum violationem, processus ea ratione confici potest, ut summaria forma absque strepitu iudicii fiat, servatis tamen semper iis regulis, quae ad iustitiam essentialiter tuendam pertinent.

XI. Processus vero *ex officio* instruitur aut post supplicem libellum exhibitum aut occasione querelae aut cuiuscumque notitiae a curia habitae, atque ad finem eo consilio perducitur, ut, maiori qua fieri potest cautione ac prudentia, veritas detegatur, et tum criminis notitia haberi, tum qui accusatus fuerat innocens aut reus cognosci possit.

XII. Processus confici potest ab aliquo ecclesiastico viro probo ac idoneo, cui opem suam conferet actuarius.

XIII. In quacumque curia adesse debet procurator fiscalis ad iustitiae legisque tutelam.

XIV. Si curia cursores non habeat, eorum munus pro intimationibus aliisque significationibus suppleri poterit ab aliqua qualificata persona, quae de facto fidem faciat, vel documenta per tabellarios publicos specialiter commendata transmitti poterunt ita tamen ut scripto constet de eorum exhibitione, receptione aut reiectione.

XV. Criminis iuridica exsistentia tum ex processus confectione authenticis communita informationibus, aut confessionibus extraiudicialibus, vel testium depositionibus constare poterit. Transgressio vero alicuius praecepti constat per novam exhibitionem decreti et actus indictionis, iis servatis, de quibus supra articulis VII et VIII.

XVI. At vero ut accusatus tamquam reus haberi possit, ea iuridica probatione opus est, qua vel facti veritas omnino evidens sit, vel ea habeatur moralis certitudo, quae prudens dubium omnino excludat.

XVII. Qui examini subiici debent, ii semper seorsim audiantur.

XVIII. Testes sive ad probandum sive ad defensionem, nisi lex aliqua obstet, iurati esse debent, quin, et si opus sit, iuramento ad secretum servandum adigantur.

XIX. Si qui forte ex iis absint, eorum examen fiet ab ecclesiastica auctoritate loci, quo morantur, ad quam facti expositio transmitti debet: haec

vero id praestat, servatis tamen iis, quae in hac instructione praescribuntur.

XX. Si vero quidam testes vel quoad factum vel quoad eius circumstantias veluti ad causam dirimendam omnino necessarii iudicentur, neque tamen audiri possint, vel quia non expedit vel quia nolunt; eorum in actis mentio fiat; horum vero defectus per alios testes *de relato* aut alio quovis modo fide dignos supplendus erit

XXI. Dum omnia sufficienter ha beantur, quibus factum eiusque impu tabilitas eruatur, ad examen accusatu s erit vocandus.

XXII. In citatione, nisi obstet prudentia, proponi ei debent per extensum accusationes adversus eum intentatae, ut se praeparet ad eas disiiciendas.

XXIII. Si vero vel ex accusationum qualitate, vel alia de causadi prudenter fieri nequeat, generali modo ei iniungendum erit, ut ad examen veniat et accusationem obiectam diluat.

XXIV. Si renuat, iteratur intimatio eique praefigitur peremptorius terminus, simulque monetur, eo termino elapso tamquam in contumacem animadversum iri: et reapse ceu talis habebitur, nisi legitimam absentiae causam probet.

XXV. Si in iudicio adest, examini subiicitur, et si alicuius momenti inductiones exhibeat, eae, quantum fieri potest, exhauriendae erunt.

XXVI. Deinde ad contestationem facti criminosi deveniendum est, simulque probationes exhibitae proferendae, quibus evincitur eum, qui accusatur, reum esse, poenisque canonicis puniendum.

XXVII. Quum hoc pacto reus conventus omnia cognoscet, quae contra ipsum proferuntur, hic tum ea diluere, tum se tueri iure poterit.

XXVIII. Poterit tamen terminum aliquem etiam petere ad semet defendendum scripto, quod potissimum fieri debet, cum ex dictis in art. XXIII haud potuerit se paratum ad respondendum exhibere.

XXIX. Processu absoluto, actorum instructor eiusdem essentialium conclusionum restrictum conficere debet.

XXX. In causae tractatione inquisitus potest, si velit, repraesentari et defendi sive ab alio sacerdote sive a laico, qui tamen prius ab ordinario approbandi erunt.

XXXI. Si reus praeventus defensorem sibi constituere nolit, ordinarius unum ex officio eidem deputabit.

XXXII. Defensor caute ex actis notitiam haurit causae, ut eam possit tueri, eiusque defensio etiam ante causae propositionem scripto poterit exhiberi. At si ordinarius iudicet ex causae natura secretum iuramenti vinculo servandum esse, defensor quoque eodem obstringitur.

XXXIII. Processus et restrictus dein ad procuratorem fiscalem transmittitur, ut ea, quae ad ipsum pertinent, exsequatur; itemque ad ordinarium postea utrumque transmittitur, qui causae statu apprime perspecto, diem statuit, qua discuti ac dirimi debeat, simulque de hoc eum, qui accusatur, certiorem efficit.

XXXIV. Statuta die causa propo nitur coram vicario generali, adstan-

tibus procuratore fiscali, rei patrono et cancellario.

XXXV. Auditis tum conclusionibus fiscalibus tum deductionibus pro defensione, sententia profertur, cancellario dispositivam partem scribente ex dictato, in eaque mentio expressa fieri debet, si reus damnatur, canonicae sanctionis, quae contra ipsum adhibetur.

XXXVI. Sententia praevento indicitur, qui appellationem ad superiorem ecclesiasticam potestatem interponere potest.

XXXVII. In iudicio appellationis servantur, quae Benedictus XIV, in sua constitutione « Ad militantes » *30 martii 1742* praecepit, itemque huius S. Congregationis decretum *18 decembris 1865*, et litterae encyclicae *1 augusti 1851*.

XXXVIII. Appellatio fieri debet intra decem dies a sententiae notificatione, quo termino inutiliter elapso, sententia exsecutioni debet demandari.

XXXIX. Facta intra decem dies appellatione, curia absque mora transmittere debet ad superiorem ecclesiasticam potestatem, ad quam appellatum est, omnes actus causae originales, scilicet processum, restrictum, defensionem et sententiam.

XL. Potestas ecclesiastica superior appellationis habita notitia, appellantem monet, ut intra viginti dies defensorem sibi constituat, ab eadem superiore potestate approbandum.

XLI. Si peremptorius hic terminus frustra elabatur, censetur appellans renunciasse appellationis beneficio, et a potestate superiore appellatio consequenter edicitur perempta.

XLII. Cum a sententia curiae episcopalis fit appellatio ad metropolitanum, hic in cognoscenda ac dirimenda causa instructionem hanc ceu normam in processu servare debet.

XLIII. Si contingat clericum contra fori privilegium a laica potestate ob communia crimina processui et iudicio subiici, ordinarius eo in casu facti criminosi summariam notitiam capit, simulque perpendit, utrum ad sacrorum canonum praescriptum infamia aut irregularitas aut alia ecclesiastica sanctio locum habeat.

§ 1. Iudicio nondum expleto, vel quousque accusatus vinculis detinetur consultius est, ut ordinarius sese contineat in remediis provisoriis adhibendis.

§ 2. Iudicio vero absoluto, reoque convento libertate reddito, curia iuxta informationes prius habitas earumque indolem procedit, si opus sit, et iuxta modum in hac instructione praescriptum.

XLIV. Si forte occurrant dubia aut difficultates practicae, ordinarii ad vitandas contentiones et nullitates recurrant ad hanc Sacram Congregationem.

Ex Aud. SSmi die 11 iun. 1880.

Nota, instructionem hanc italico idiomate conscriptam ad Italiae ordinarios a S. Congregatione Episcoporum et Regularium transmissam fuisse; eamque Sacram Congregationem indulsisse, ut Galliarum ordinarii hac instructione in causis iudicialibus clericorum uterentur: tandem S. Congregationem de Prop. Fide ad ordinarios Americae Septentrionalis, anno 1883 eamdem transmisisse, abro-

gatis instructione ab eadem S. Congregatione ad eosdem ordinarios data die 20 iul. 1878 et subsequenti declaratione circa eamdem instructionem. — Insuper nota, versionem latinam huius instructionis nos desumpsisse ex Sanguineti, *Iuris Ecclesiastici Institutiones*, Romae, Typ. Polyglotta S. C. de Prop. Fide, 1890. — Cfr. C. A. a. 990.

Circa praescriptionem delicti eiusque vi in causis criminalibus clericorum, vid. *Fraescriptio.*

München Das can. Gerichtsverfahren und Strafrecht; *Bouix* Tr. de iudiciis; *Molitor* Ueber can. Gerichtsverf. gegen Cleriker; *Droste* Kirchliches Disciplinar- und Criminalverf. gegen Geistl.; *Lega* de iudiciis vol. 3, 4; *Péries* La procédure canonique moderne.

891 **Causae matrimoniales.** — Causae matrimoniales inter fideles pertinent ad iudicem ecclesiasticum, et est de fide ex Trid. *sess. XXIV. c. 12.* Cfr. *Instr. S. C. P. F. a. 1883; Instr. S. U. I. ad Praef. Miss. Martinicae, Guadalupae, etc. 6 iul. 1817, etc.* Quare, praeter casum tolerantiae ex parte S. Sedis, iudex laicus sese immiscens in aliqua causa matrimoniali (dummodo principaliter non agatur de effectibus mere civilibus matrimonii, ut de dote etc.; vel non sit quaestio de mero facto, ut esset ex. gr., si quaestio esset, utrum duo testes matrimonio adstiterint necne, Schmalzgr. *in tit. 2 lib. II. Decret. num. 122*), etiamsi sententiam ferat canonibus ecclesiasticis non contrariam, vel coniux, qui causam deducit ad tribunal laicum, vel etiam advocatus, qui coniugem istum in tribunali laico defendit, graviter peccant. Cfr. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 12 de ref. matrim.;* epist. Pii VI in forma Brevis ad Episcopum Motulensem *17 sept 1788;* et propos. 74 damnatam *in Syllabo.* Non peccat autem reus eiusque advocatus, quia hi se defendunt.

892 Iudex ecclesiasticus competens in causis matrimonialibus, si agatur de obtinenda dispensatione a matrimonio rato et non consummato, est unus R. Pontifex exclusive. Hinc non licet episcopis, sine speciali pro unaquaque vice permissione Sacrae Congregationis Concilii, recipere instantiam et instituere processum in ordine ad efflagitandam dispensationem Sanctissimi. *S. C. C. in Varsavien. 16 iun. 1894.* Quare, si quis episcopus processum tunc institueret ad probandam matrimonii inconsummationem sine delegatione Sacrae Congregationis, omnia acta processus essent nulla et irrita ex defectu competentiae.

893 In aliis casibus matrimonialibus iudex competens in prima instantia est episcopus aut archiepiscopus (cui exclusive reservata est cognitio harum causarum, etiam prae abbatibus vere. Nullius, licet cardinalitia dignitate fulgentibus, iuxta plures S. C. C. resolutiones, et quibusvis iudicibus inferioribus, non obstante quovis privilegio aut praescriptione sublata, cfr. Conc. Trid. *l. c.* et *Const.* Ben. XIV *mox citandam*), pro sua dioecesi (Concil. Trid. *sess. XXIV. c. 20 de ref.*); nisi ageretur de viris principibus, qui nempe rempublicam quamdam regunt, quia tunc, ratione personae, ex iure consuetudinario, omnes hae causae Romano Pontifici reservantur. In

abbatia Nullius iudex est episcopus vicinior, attenta distantia ecclesiae abbatialis et cathedralis; sede vacante, est capitulum et vicarius capitularis.

894 Vicarius generalis (contra alios, qui contrarium sentiunt, cfr. Feije *de imp. et disp. matr. n. 586;* Mansella *de imp. dirim. etc. p. 1. c. 6. a. 1.* § *3;* Sanchez *de matr. lib. III. d. 29. n. 18*), sine speciali mandato causas matrimoniales cognoscere nequit. Cfr. *Instruct. S. C. C. pro confectione processus in causis matrimonialibus 22 aug. 1840,* in qua dicitur, acta processus per episcopum, vel per ecclesiasticam personam *specialiter* ab eo delegandam, tutius confici.

895 In secunda instantia iudex competens est archiepiscopus, et, si is fuerit iudex primae instantiae, metropolita vicinior (*Instruct. S. C. P. F. a. 1883. n. 26*); apud Orientales vero patriarcha (et si patriarcha fuerit iudex primae instantiae, statim Romanus Pontifex, *Instr. S. U. I. 20 iun. 1883. n. 24*); tandem in tertia Rom. Pontifex. Cfr. *Const.* «Dei miseratione» Ben. XIV. *3 nov. 1741.*

896 Si agatur de matrimonio impediendo, episcopus competens est episcopus dioecesis, in qua matrimonium contrahendum est. Cfr. Gasparri *de matrim. n. 1168.* Vid. *Vetitum Ecclesiae.* In aliis causis episcopus competens est episcopus domicilii, et probabilius etiam quasi domicilii. Cfr. *c. 20 de foro comp. X (II. 2).* Scilicet iudex competens in causis matrimonialibus non est, nisi episcopus dioecesis, in qua vir domicilium habet (cfr. *Instr. Austr.* § *96. et Instr. S. C. P. F. a. 1883.* § *2*), vel quasi domicilium; aut ad summum episcopus quoque dioecesis, in qua matrimonium contractum est. Cfr. Gasparri *l. c. II. 1169.* Ratio autem est ex generali principio iuris: «actor sequitur forum rei». Porro in causis matrimonialibus sive reus sit vir, sive rea sit uxor, forum rei semper est forum viri. Quod patet in primo casu, quum reus est vir; patet et in secundo, quum est rea mulier, ex alio iuris principio: «uxor sequitur domicilium mariti». Exceptionem ponit tum instructio Austriaca, tum instructio S. C. de Prop. Fide, quum coniugale vitae consortium sublatum fuerit sive per separationem a toro et mensa, sive per malitiosam desertionem a marito patratam. Tunc in primo casu, quum nempe coniuges separati sunt a toro et mensa, quaelibet pars debet exercere ius accusandi matrimonium coram episcopo loci, in quo altera pars domicilium habet. In altero casu uxor potest instituere actionem etiam apud episcopum, intra cuius dioecesim suum habet domicilium.

897 Haec quidem, quando ambo coniuges sunt catholici; secus dicendum est, quando altera pars est haeretica. Nam coniuges in causis mixtarum nuptiarum subsunt episcopo, in cuius dioecesi pars catholica domicilium habet; et quando ambo sint catholici, quia pars haeretica in ecclesiam reversa sit, subsunt episcopo, in cuius dioecesi domicilium habet maritus. *S. U. I. 30 iun. 1892; 23 iun. 1903.* Quando vero agitur de matrimonio mixto contrahendo cum haeretico separato per divortii sententiam tribu-

nalis civilis ab haeretica, est episcopus domicilii partis catholicae, ad quem spectat iudicare, an contrahentes gaudeant status libertate. *S. U. I. 23 iunii 1903.*

898 Quando agitur de iudicando valore matrimonii, in curiis episcopalibus tribunal matrimoniale sic constitui debet ex constit. cit. Bened. XIV (quae in omnibus observanda est, secus acta sunt nulla, nisi a Pontifice sanentur, non obstante quacumque consuetudine etiam immemoriali, *S. C. C. 15 dec. 1877*): ex iudice nempe seu moderatore actorum, ex cancellario et ex defensore matrimonii. — Munus iudicis retinet episcopus sibi, vel demandat vicario generali, aut alii viro probo; eius est tribunal convocare, partes et testes citare, ut in iudicium compareant, terminos dilationis concedere, edere decreta et ordinationes pro regulari et recta actorum compilatione; et haec omnia scripto sunt exaranda et in actis ipsis recensenda. Cfr. *Instr. S. U. I. 20 iunii 1883 ad patriarchas etc. rituum orient. in causis matrim. adhibend. nn. 4. 7.* — Cancellarii officium est, in actis referre quidquid ad causam pertinet, et nominatim interrogationes partibus et testibus faciendas, eorumque responsiones, non per compendium sed de verbo ad verbum. Cancellarius potest etiam ex laicis assumi, sed magis decet esse clericum. Cfr. *cit. Instr. S. U. I. n. 4.* — Quoad officium defensoris vinculi vid. *Defensor vinculi.* Defensor vinculi ad omnia omnino interrogatoria etc. citari, vel saltem his assistere debet, secus acta sunt nulla. Cfr. *Const. cit.* Bened. XIV. § 7. — In causis matrimonialibus omnes, qui non sunt suspecti, et rei notitiam habent, admittuntur ut testes. Feije *l. c. n. 585.* Requiritur etiam aliquando a iure testimonium septimae manus. Vid. *Septima manus.*

Proceditur autem in his causis hoc modo (cfr. *cit. Instr. S. C. C. 22 aug. 1840*): postquam actor praesentaverit iudici competenti et legitimo suum libellum, et tribunal matrimoniale fuerit constitutum, primus interrogatur actor, posterior alter coniux reus, vel ambo coniuges, si actor est tertia persona, deinde testes ab actore et coniugibus indicati. Hi omnes prius edocti de iuramenti sanctitate iurare debebunt, se veritatem dicturos, et etiam, si res ita postulet, secretum servaturos. Insuper omnes examinandi seorsim semper audiendi sunt. Nomina testium sunt alteri parti patefacienda ut, si velit, exceptiones opponat; quae potest etiam tribunali praesentare capita seu articulos, quos vocant, super quibus desiderat alteram partem vel aliquem testem interrogari. Cfr. *cit. Instr. S. U. I. n. 10-22* Interrogandi autem erunt hi omnes super interrogatoriis, quae defensor matrimonii tradet clausa et obsignata cancellario, seu notario, quaeque aperiri debent, postulante defensore, ex iudicis decreto in actu examinis. Iis interrogatoriis in actu examinis sive defensor matrimonii sive iudex ex officio ea addere debet, quae ex responsionibus magis apta conspicit ad veritatem eruendam, sive in declarationem responsionum datarum, sive super novis circumstantiis resultantibus. Iudex debet singulatim interrogatoria

proponere, audire responsiones, easque dictare cancellario, qui, si quod interrogatorium addatur ex officio a iudice vel a defensore matrimonii, interrumpere debet ordinem progressivum et adnotare *interrogata ex officio;* hac autem interrogatione et responsione scripta, reassumit ordinem progressivum interrogationum exhibitarum a defensore matrimonii.

900 Absoluto examine sive unius aut alterius coniugis, sive alicuius testis, cancellarius debet legere clara et intelligibili voce responsiones datas, facta examinato facultate variandi et declarandi datas responsiones, prout ei libuerit. Tandem iudex defert iuramentum eidem coniugi, se vera dixisse (quare iuramentum ab examinatis praestandum ex instruct. S. Congr. Concilii *22 aug. 1840* debet esse duplex, et ante interrogatorium de veritate dicenda, et post interrogatorium de testata veritate), atque numquam ante publicationem processus se evulgaturum sive interrogationes propositas sive responsiones datas.

901 Expletis examinibus duorum coniugum, deveniendum est ad examen *septimae manus.* Quod ut facilius exsequi iudex valeat, defensore matrimonii instante, citari debet pars actrix et postea alter coniux, qui indicare debent, suo quisque loco, septem sibi sanguine vel affinitate coniunctos, si fieri possit, sin minus septem vicinos bonae famae, qui omnes subiiciendi erunt examini, delato singulis prius iuramento super interrogatoriis a defensore matrimonii clausis exhibitis cancellario, aperiendis in actu examinis.

Si defensor matrimonii ex actis iam confectis deprehendit alios de re esse instructos, hos etiam citabit, ut examini subiiciantur. Coniugibus etiam integrum est praeter priores testes inductos, alios quoque bonae famae ac de re instructos inducere. Si qui testes absentes noscantur, qui commode ad civitatem accedere nequeunt, etiam ob distantiae sumptus, vel ad partis instantiam, vel, ea silente, ad instantiam defensoris matrimonii, erunt examinandi ab episcopo illius dioecesis, in qua morantur, iuxta interrogatoria ab eodem defensore conficienda, ac clausa et obsignata trasmittenda, deputato ab eodem episcopo altero idoneo viro, qui praestet requisitis in Bulla Ben. XIV «Dei miseratione» praescriptis, quique expleat munus defensoris validitatis matrimonii, et examini adsit.

902 Omnes vero testes, congrua congruis referendo, rogandi sunt praesertim, quando initum fuerit matrimonium; utrum inter coniuges mutui amoris et benevolentiae signa intercesserint; quamdiu in eadem domo, vel civitate cohabitaverint; utrum innotuerit, eos consummationi operam dedisse; an inde matrimonium consummatum censeretur; de causis consummationem impeditivis; de conquestionibus, quando et cum quibus factis; et cur nolint amplius in matrimonio permanere.

Quoad modum specialem procedendi in causis de impotentia, vid. *Impotentia.*

903 Quae vero in actis continentur, nemini, nec ipsis quidem coniugibus eorumque defensoribus, communicanda

sunt ante publicationem processus, uno excepto defensore matrimonii, cui libera semper et quandocumque debet esse actorum ispectio et examen.

904 Omnibus persolutis, publicantur acta processus, quae, exceptis excipiendis (nimirum articulis, interrogatoriis, responsionibus ad ea, et peritorum relationibus), latino, non vernaculo sermone (cfr. *cit. Instr. S. C. C. 22 aug. 1840*) conscribenda sunt, edito super hoc decreto a iudice, factisque subscriptionibus ab eo, a defensore matrimonii et a cancellario; attamen in his causis, etiam post publicationem processus, debet iudex nova documenta vel novos testes admittere. Locus deinde erit defensionibus. Quum vero defensor matrimonii (cui liberum est etiam post publicationem processus exquirere novas probationes) existimaverit, nihil amplius deducendum esse, iudex profert sententiam (quae in dioecesibus orientalibus proferri non debet, antequam integra causa duobus aut tribus peritis viris, si haberi possint, examinanda subiiciatur, et eorum votum audiatur, *Instr. S. U. I. 20 iun. 1883 ad 22*), post quam locus datur appellationi. *Instr. cit. S. U. I. n. 22.* Si sententia lata fuerit pro nullitate matrimonii, vel etiam in S. C. C. pro dispensatione petenda a matrimonio rato et non consummato, si partes sententiae acquieverint, defensor matrimonii vel appellare debet ad superius tribunal (et tunc acta processus transmittenda sunt ab episcopo ad iudicem, ad quem provocatum fuit, in copia authentica, soluta per partem diligentiorem competenti mercede cancellario), vel si sententia lata fuerit a S. C. C., novum examen causae petere. *Constit. cit. Ben. XIV § 8; Instr. cit. S. U. I. n. 23.*

Nunquam enim fit facultas partibus 905
ad novas nuptias convolandi, nec matrimonium aliquod pro nullo habetur, nisi duae datae fuerint sententiae conformes pro nullitate. *Const. cit.* Ben. XIV. § *11. 14.* Cfr. *S. C. C. in Soronen. 26 aug. 1848 apud Mühlbauer Thes. S. C. C. v. « Appellatio » n. 12.* Tunc solummodo non est necessaria secunda sententia ad declarationem nullitatis matrimonii, quando agitur de impedimento disparitatis cultus, vel ligaminis (cfr. *resp. S. U. I. ad Wayne Castren. 20 mart. 1899*), vel consanguinitatis seu affinitatis ex copula licita, vel cognationis spiritualis, vel clandestinitatis (cfr. *S. U. I. 6 apr. 1895*), et *evidenter omnino* constat (et hoc decretum Sancti Officii intelligendum esse tantum de causis, in quibus certo et evidenter constet de impedimentis, de quibus agitur; quae certitudo si desit, a defensore vinculi matrimonialis ad secundam instantiam procedendum esse, iterum rescripsit Sacra Congregatio Concilii *27 mart. 1901*) impedimentum exsistere. *S. U. I. 3 iun. 1889.* Absoluta autem instructione ex titulo impotentiae physicae, quum inspectio corporum demonstravit virginitatem uxoris, non tamen evicit impotentiam mariti, potest curia diocesana transmittere acta causae ad Sacram Congregationem Concilii pro impetranda dispensatione Sanctissimi a matrimonio rato et non consummato. *S. C. C.*

in cit. Varsavien. 16 iun. 1894. Idem potest curia dioecesana in casu, quo mulier virginem se esse contendit, et virginitatem suam per inspectionem evincere sustinet, maritum autem impotentiae insimulat; is vero vel est contumax, vel comparendo negat impotentiam suam, et inspectionem sub ire renuit. Tunc enim curia dioecesana potest unilateraliter, ad solam uxoris instantiam processum ulterius tractare, et deinceps acta ad S. Congregationem transmittere, petendae a SSmo. dispensationis causa. *S. C. C. in Varsavien. nuper cit.* Acta autem causae in his casibus ad S. Congregationem transmittenda non comprehendunt opiniones theologi et canonistae. *S. C. C. in causa cit.*

906 Causae matrimoniales per quodcumque temporis spatium numquam transeunt in rem iudicatam. *Const. cit.* Ben. XIV. *§ 11.* Vid. *Accusatio matrimonii.* Cfr. *C. A. a. 951-953.*

C. XXXII. 9. 6; C. XXXIII. 9. 2; C. XXXV. 9. 6; tit. qui matrim. accusare possunt vel c ontra illud test. X (IV. 18); Conc. Trid. sess. XXIV. c. 20 de ref.; Const. Ben. XIV « Dei miseratione » 3 nov. 1741; Instr. S. C. C. 22 aug. 1840; Instr. Austriaca seu Card. Rauscher 4 mai 1855 § 95, 129; Instr. S. C. Inq. pro conficiendo processu super viri impotentia etc. a. 1858; Instr. S. C. Inq. ad probandam mortem coniugis a. 1868; Instr. S. C. Inq. ad episc. orient. 20 iun. 1883; Instr. S. C. de Prop. Fide ad episc. Am. Sept. 1883; Instr. S. C. Inq. ad episc. Missouriensem circa causas de impotentia sept. 1890; Commentatores in tit. cit. Decret.; *Durandus* Spec. iud. lib. IV. p. 3. tit. qui matr.; *Ben. XIV.* De syn. dioec. lib. IX. c. 9; *Schulte* Eheprozess; *Schulte* Darstellung d. Prozesses vor d. kath. Geistl. Ehegerichten Oesterr.; *Loberschiner* Prakt. Anleitung z. gesetzmässigen Verfahren in Eheangelegenheiten; *Oberkamp* Das Prozessverfahren bei d. kath. Ehegerichten zweiter und dritter Instanz in Bayern (in Arch. f. k. KR. XVIII. 294 sqq.); *Oberkamp* Entwurf e. Instruction d. pfarramtl. Thätigkeit in eherechtlich. Angelegenheiten betreffend (in Arch. f. k. KR. XXVIII. 128); *Bouix* de iudic. eccl. tom. II. p. 420; *Feije* De imped. et disp. matr. n. 584 sqq.; *Vering* Darstellung einer Ehescheidungsklage in ihren einzelnen Prozesstadien durch drei Instanzen (in Arch. f. k. KR. XIII. 33 sqq. 177 sqq.), *Schnitzer* Kath. Eherecht p. 555 sqq.; *Mansella* De imp. matr. dirim. ac de processu iud. in causis matr. p. 170 sqq.; *Van de Burgt* Tract. de matrimonio n. 525 sqq.; *Aichner* Comp. iur. eccl. § 198; *Esmein* Le mariage en droit canonique; *Péries* Code de la procédure canonique dans les causes matrimoniales; *Freisen* Geschichte des can. Eherechts etc. p. 840 sqq.; *Rosset* De sacr. matr. vol. II. et VI.; *Wernz* Ius Decr. IV. 725 sqq.; *Lega* De iudic. t. IV. p. 459 sqq.; *Sägmüller* KR. § 151; *Bassibey*, Procédure matrim.; *Boudinhon* Le mariage religieux et les procès en nullité; *Leitner* Lehrb. des kath. Eherechts pag. 568; *Gasparri* Tr. can. de matrim. II. 1452 sqq.

Causae nullitatis professionis religiosae. Vid. *Nullitatis declaratio.*

Celebratio missae. — ***De obligatione celebrandi in sacerdote.*** — 907 Obligatio celebrandi missam ratione *sacerdotii* urget sacerdotem quemlibet ex iure divino aliquando (S. Th. *3. p. q. 82. a. 10*), ex iure ecclesiastico probabilius ter vel quater in anno sub gravi (S. Alph. *VI, 313*), secus sacerdotes possunt puniri ab episcopo per suspensionem vel alias poenas ferendae sententiae (*arg. c. 9. de celebr. miss. etc. X. [III. 41]*; *S. C. C. dec. 1669*); ratione *officii* omnes animarum pa-

stores singulis diebus dominicis et festis (etiam suppressis) ad applicandam personaliter missam pro grege (vid. *Applicatio missae*); ratione *stipendii* eos, qui stipendium acceperunt, ex iustitia ad applicandum pro dantibus unam vel plures missas iuxta pactum (S. Alph. *III 312*), sine gravi dilatione. Vid. *Stipendium*, ubi etiam sermo est de obbligatione quam nonnulli beneficiati habent missam celebrandi.

908 **An episcopo fas sit cogere sacerdotem ad missam celebrandam.** — Episcopus curare debet, ut sacerdotes simplices saltem dominicis et festis diebus celebrent (Conc. Trid. *sess. XXIII c. 14 de ref.*); quae cura, quamvis exhortationibus potius quam legibus aut poenis latis exercenda ab ipso sit (*S. C. C. 25 febr. 1617*), potest tamen dari casus, in quo episcopus iure cogere iis diebus sacerdotes potest ad celebrandum. Casus autem est ille, in quo necessitas pro populo esset, ita ut, si sacerdos non celebraret, non parvus numerus fidelium praecepto audiendi sacrum satisfacere non posset. Wernz *Ius Decr. III 535*. Ratio est, quia sacerdotes in bonum fidelium ordinantur. Haec, quae diximus quoad celebrationem faciendam diebus dominicis aut festis, non sunt extendenda ad quatuor vel tres illas vices, quibus in anno, ut diximus, sacerdotes celebrare tenentur; eos enim, qui ne hoc quidem faciunt, nisi aliqua causa excusentur, posse episcopum censuris quoque ad celebrandum compellere, patet. Item haec ne extendenda quidem ad eos sacerdotes, qui curam gerant animarum; episcopus enim potest hos compellere ad celebrandum etiam poenis et censuris quoties hoc necessarium est, ut ipsi suum munus exsequantur.

De loco celebrationis. — **De loco** 909 **ordinario.** — Missa celebranda est communiter in ecclesia consecrata vel benedicta, non polluta, nec exsecrata aut interdicta (Conc. Trid. *sess. XXII decr. de obs. et evit. in cel. missae*); celebrari etiam potest in oratoriis publicis (S. Alph. *III 359*), imo auctoritate episcopi etiam in semipublicis, non item ordinarie loquendo in privatis (vide infra et *Oratorium*), multo autem minus in domibus privatis; attamen si necessitas urgeret dandi viaticum, quod secus deferri ad infirmum non posset, etiam in ipsis domibus, episcopi seu vic. apostolici licentia minime expetita, missam celebrare liceret (*S. C. P. F. 14 dec. 1668*); quod multo magis valet pro oratorio privato, in quo tunc, etiam indultario absente, celebrare licet. *S.R. C. in Veronen. 27. aug. 1836 ad 7* (*2745*).

De oratoriis privatis et semipubli- 910 **cis.** — Quod nec in *privatiis oratoriis* nec in *domibus privatis,* iuxta ordinarie contingentia, celebrare liceat, constat ex verbis ipsis Tridentini superius citatis, ubi expresse edicitur: nec episcopi « patiantur in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ab iisdem ordinariis designanda et visitanda, sanctum [hoc] sacrificium a secularibus et regularibus quibuscumque peragi..., non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus ac consuetudinibus quibuscumque ». Ex his verbis patet, Concilium Tridentinum voluisse prohibere non tan-

tum celebrationem extra locum divino cultui dicatum, sed etiam in ipsis privatis oratoriis, ita ut episcopi non possent hanc potestatem sacerdotibus facere (quod tamen prius poterant, nempe a tempore Concilii Trullani; cfr. *cc. 34. 35. d. 1. de cons.; c. 30 de privil. etc.* [*V. 33*]; quamvis ante Conc. Trullanum hoc idem esset eis prohibitum, quemadmodum vetitum fuit post Tridentinum; cfr. *can. 58. Conc. Laodiceni;* Nov. Iust. 58. *ne in privatis domibus sacra mysteria celebrentur;* Const. 58. eiusd. Iust. *ut in privatis domibus sacra mysteria non fiant*). Cfr. Fagnanum *in c. 30. tit. 33. lib. V. decr. n. 17.* Et hoc ex eo certum est, quod S. Congregatio Concilii scribens ad episcopos ipsis significavit, mentem concilii in hoc decreto eam fuisse, ut omnibus adimeretur facultas concedendi, ut in privatis oratoriis missa celebraretur, eaque unice et exclusive reservaretur Romano Pontifici. *S. C. C. 25 oct. 1615. litt. datis ad omnes episc. iussu Pauli V*; Cfr. etiam Const. Ben. XIV « Magno » *2 iun. 1751.*

911 In *oratoriis* autem *semipublicis,* ut diximus, celebrari potest missa ex auctoritate episcopi, ut multis defenderat Gasparri (*de Euch. I. 211 sqq.*), et postea auctoritative declaravit S. Congregatio Rituum *decr. gen. super oratoriis semipublicis 23 ianuarii 1899* (*4007*). Ut autem in huiusmodi oratoriis sacrum fieri possit, debet prius ex Tridentino oratorium ipsum designari et visitari ab episcopo; idest non solum ab episcopo visitanda sunt et observanda haec oratoria pro missae celebratione, sed etiam ab ipso episcopo designandus vel approbandus est locus pro erigendo oratorio, quum oratoria huiusmodi, nonnisi de ordinarii licentia erigenda sint.

Haec autem, quae pro oratoriis se- 912
mipublicis diximus requiri, non sunt extendenda ad oratoria semipublica, in quibus missae et alia divina officia, licentia episcopi minime requisita, celebrari possunt, et ea sunt, quae Provinciales in Soc. Iesu, seu superiores, qui ipsis aequivalent, in aliis ordinibus, approbaverint, et ad divinum dumtaxat cultum deputaverint. Brev. Greg. XIII « Decet Romanum » *3 maii 1575*, quod Societati Iesu datum est, sed communicatione privilegiorum ad alios quoque regulares extenditur. In his autem oratoriis, sine episcopi licentia, celebrare licet non tantum ipsis illius domus regularibus, sed et aliis tum secularibus tum regularibus, quos ipsi admiserint, ut eruitur ex verbis amplissimis privilegii. Cfr. Gasparri *loc. cit. I. 215. 221.* Attamen in hoc privilegio non comprehenduntur domus rurales in praediis monasteriorum sitae, ubi unus residet religiosus rei oeconomicae seu agrariae vigilandi causa. *S. C. C. 1 mart. 1687.* Ratio est, quia privilegium Gregorii XIII expresse loquitur de oratoriis et cappellis sitis in collegiis et aliis domibus « ubi aliqui Societatis residebunt ».

Diximus autem, in oratoriis priva- 913
tis ne episcopum quidem posse veniam praebere, ut sacrificium missae celebretur, nisi ex iusta causa. Et quoad regulam generalem hoc prohibentem superius satis diximus; quoad exceptionem aliquid hic est adden-

dum, ne ea verba male intelligantur. Scilicet episcopus, si magnae et urgentes adsint causae, et tunc tantummodo, concedere potest facultatem celebrandi in oratoriis privatis, sed tantum per modum actus (*S. C. C. in Calatayeronen. 2 iun. 1855, 20 dec. 1856*), quod significat episcopum id posse pro una aut altera vice, non vero pro toto eo tempore quo gravis ex. gr. infirmitas perdurat. Magnam autem et urgentem causam accipe sive necessitatem dandi viatici, quod secus non sine difficultate posset ad infirmum deferri (*S. C. P. F. 14 dec. 1868*), vel etiam solatium infirmi, qui hoc vehementer desideraret (Gasparri *loc. cit. I. 225*), praesertim si sacerdos sit, vel magni meriti erga ecclesiam. Quod si quaedam responsiones S. C. C. in contrarium afferuntur (ut ex. gr. responsio ad Cardinalem Legatum Portugalliae *22 sept. 1575*), eae videntur referre praxim antiquiorem Sacrae Congregationis, in praesenti aliquantulum remissam, ut patet ex responsione superius citata in Calatayeronensi.

Quoad privilegium vero apostolicum celebrandi in oratoriis privatis, vid. *Oratorium*; quoad privilegium vero celebrandi super altare portatile vid. *Altare portatile*.

914 **De celebratione extra ecclesiam vel oratorium.** — In casu autem necessitatis, quando vel ecclesia aut oratorium, ubi celebretur, non adsit, vel adiri aut omnino non possit, aut nonnisi cum gravi incommodo, et praeterea multi (quot autem debeant esse *hi multi*, iudicio ordinarii relinquintur) fideles secus sine missa relinquendi essent, potest celebrari etiam extra ecclesiam, aut oratorium in quocumque loco decenti. Ben. XIV. *De sacros. missae sacr. lib. III. c. 6. n. 7.* Attamen nota, duas conditiones superius memoratas, et quod non adsit ecclesia (vel ea non sit capax illius multitudinis fidelium, qui missam debet audire, aut non sit tuta); et quod multi fideles secus missam non possint audire, cumulative verificari debere. Nam neque in gratiam solius sacerdotis, neque in gratiam alicuius particularis familiae, aut paucorum fidelium hoc permittitur. Gasparri *loc. cit. I. 274*. Praeterea notandum etiam, in casu necessitatis exquirendam esse licentiam episcopi; quam licentiam praesumere posset sacerdos in casu urgentis necessitatis, quando tempus ad recurrendum non suppeteret, ut is ex. gr. noctu ante festum de praecepto in aliquo pago a civitate episcopi dissito ex terraemotu corrueret unica ecclesia, quae ibi adest.

Gasparri (*loc. cit. I. 276*) enumerat 915
casus, in quibus episcopus potest licentiam concedere celebrandi extra ecclesiam et extra oratorium super portatiles aras apte compositas. Sunt autem:

1° Si tanta hominum multitudo ad aliquam ecclesiam confluat, ut illi capiendae angustia sacri aedificii impar sit (attamen in hoc casu posset aliquando melius provideri per concessionem licentiae binandi).

2° Si tempore pestis fidelium multitudo, in communibus curationis vel experimenti domibus detenta, ad ecclesiam et publica oratoria accedere nequeat.

3° Si *omnes* oppidi vel civitatis ecclesiae et publica oratoria ab hostibus occupata sint, aut terrae motu eversa, aut quacumque de causa talia effecta, ut impossibile aut non tutum sit in eisdem sacra peragere.

4° In militum castris, ab ecclesiis et oratoriis publicis longe distantibus.

5° Tandem si fidelium multitudo in itinere (non vero in mari, vid. *Navigantes*) reperiatur, nulla exstante ecclesia aut oratorio publico.

Patet tamen (Gasparri *loc. cit. I. 278*), hanc facultatem episcopum concedere non posse etiam in casibus supra citatis, nisi pro diebus festis (et tunc etiam solum pro multitudine fidelium), vel diebus ferialibus tunc tantum, quum in itinere aut in castris fideles iamdiu missa caruerunt, aut per plures dies postea carere debebunt, vel pridie magnae pugnae habendae, sive etiam eodem die summo mane, vel post insignem victoriam supra hostem relatam in gratiarum actionem. Refert praeterea idem auctor sententiam Gattici putantis (*de usu alt. portatilis c. X. n. 11*), in tentorio supremi ducis exercitus etiam quotidianae missae celebrationem permitti posse.

916 **De dotibus ecclesiae ad celebrandum requisitis.** — Diximus superius, missam celebrandam esse in ecclesia consecrata vel benedicta.

Hinc sequitur sacerdotes catholicos celebrare non posse in ecclesiis schismaticorum vel haereticorum, quippe quae ordinarie ex defectu characteris ordinis in consecrante vel benedicente, aut ex defectu ritus adhibiti, vel ex utroque, nec consecratae nec benedictae sunt. *Const.* Bened. XIV « Iam inde » *12 maii 1756.* — Neque haec est unica ratio, cur in ecclesiis schismaticorum et haereticorum prohibita sit catholicis sacerdotibus celebratio missae. Ratio alia est, quia celebrantes in ecclesiis schismaticorum vel haereticorum aliquam videntur habere communicationem in divinis cum ipsis; quod prohibitum est. Hinc Sacra Congregatio Propagandae Fidei pluries respondit: non debere catholicos divina celebrare in ecclesiis, in quibus simul haeretici vel schismatici sua profana et sacrilega exercitia habent; sed potius a catholicis sacrum peragendum esse super altaria portatilia in privatis domibus (*S. C. P. F. 27 maii, 13 aug. 1627*); et hoc etiamsi ageretur de ecclesia olim catholica et catholico ritu a catholico episcopo consecrata, quae nunc per iniuriam ab haereticis vel schismaticis detinetur. Attamen, si removeri potest periculum, ne catholici ex hoc videantur communicare in divinis cum haereticis, hoc ipsum permissum est.

Hinc Sacra Congregatio S. Officii ad quaesitum ipsi propositum ab archiepiscopo Antibarensi: « An toleranda sit praxis, quam habent parochi catholici Castri Lastruae s. missae sacrificium celebrandi in ecclesiis catholicis, a graecis schismaticis usurpatis, atque ab iisdem officiatis, seu etiam in illis, quae pure ad ipsos schismaticos pertinent », respondit: « Haberi pro regula universe accepta et servata, non licere catholicis communicare in divinis cum haereticis et

schismaticis; verum in quibusdam casibus particularibus regula haec aliquas patitur exceptiones, nempe si in eadem ecclesia habeantur cappellae et altaria separata, quorum aliqua tantum catholicis, alia schismaticis inserviant, si eiusdem ecclesiae partes sint separatae, et in una celebrent solum catholici, in altera tantum schismatici; tum promiscuus ecclesiae usus tolerari potest. Quatenus vero haec deficiant, R. P. D. Archiepiscopus mandare poterit suae dioecesis parochis, ut altaribus portatilibus utantur iuxta facultates illis in formula impertitas, quasque Sanctitas Sua rursus dare et renovare intendit ». *S. U. I. ad arch. Antibaren. 1 decemb. 1757.* — Gasparri (*l. cit. I. 279*) putat hic agi de ecclesia valide a catholicis dedicata; attamen hoc non videtur verum. Nam Sacra Congregatio Inquisitionis respondet ad dubium virtualiter duplex: num liceat catholicis celebrare in ecclesiis catholicis a schismaticis usurpatis; num eisdem catholicis liceat celebrare in ecclesiis, quae pure ad ipsos schismaticos pertinent, seu, ut ea oppositione patet, in iis, quae numquam ad catholicos pertinuerunt, quaeque proinde vel certo vel saltem probabiliter rite dedicatae non fuerunt; saltem ex defectu catholici ritus in dedicatione adhibendi. Et ad hoc duplex dubium respondet unica responsione, quam retulimus.

Alia responsio eiusdem sacrae Congregationis hac anterior agit tantum de ecclesiis catholicorum Rhetiae ab haereticis occupatis, et statuit in his posse missionarios catholicos sua exercitia peragere. *S. U. I. 13 iun. 1634.* — Alia etiam est responsio sacrae Congregationis S. Officii, quae respicit templa certo invalide consecrata, quum et de haereticorum templis loquatur, et tamen permittit in iis missae celebrationem. Est autem sequens: « SSmus. Dominus... ad facilius promovendam schismaticorum et infidelium conversionem illosque alliciendos ad fidem catholicam amplectendam sacrarum ceremoniarum intuitu, benigne indulsit p. praefecto seu vice-praefecto missionariorum pro tempore in Aethiopia exsistentibus, ut pro eorum arbitrio et conscientia dispensare possint cum eisdem missionariis, eisque facultatem concedere celebrandi sacrosanctum missae sacrificium catholico romano ritu super altaribus in templis haereticorum seu schismaticorum in Aethiopia, ita ut eadem altaria non inserviant, nisi pro nudis tabulis et more catholicorum disponantur cum sacrato lapide, mappis, sanctissimi crucifixi imagine, candelabris et aliis necessariis suppellectilibus ad usum ssmi. missae sacrificii ritu praedicto; numquam tamen generaliter, sed in casibus particularibus, in quibus alia loca commodiora non suppetant, et urgens sit necessitas ad facilius dictam conversionem promovendam, et insuper ad catholicorum consolationem, aliisque iustis et urgentissimis de causis, iudicandis ab iisdem p. praefecto seu vice-praefecto missionariorum, super quibus eorum conscientiam oneravit ». *S. U. I. 12 aprilis 1704.*

Praeterea refert Gasparri (*loc. cit.*

I. 279) vicarium apostolicum Malacensem recenter exposuisse S. Congr. S. Officii gubernium britannicum aedificasse pro omnibus indiscriminatim militibus unicam cappellam, ubi die dominico, diversis horis, sacrae functiones celebrantur pro catholicis et pro protestantibus. In qualibet cappellae extrema parte est altare, alterutri cultui exclusive reservatum; dum functiones peraguntur in altari catholicis reservato, altare reservatum protestantibus velo absconditur, et vicissim. Quaerebat vicarius apostolicus, num haec tolerari possent, attenta difficultate obtinendi a gubernio britannico cappellam quamdam exclusive catholicis militibus reservatam. Respondit s. Congregatio: « Attentis expositis, usum, de quo quaeritur, tolerari posse, dummodo scandalum absit, et nulla alia habeatur ecclesia, in qua catholici milites religionis officiis satisfacere valeant, et ad mentem. Mens est, ut vicarius apostolicus sollicite curet, ut a gubernio britannico erectionem cappellae obtineat, quae soli catholicorum usui sit destinata; et si quidem gubernium recuset, studeat cappellam huiusmodi, quo citius fieri potest, aedificari, corrogatis undecumque eleemosynis ». *S. U. I.5 iun. 1889*.

Scilicet ex his omnibus erui posse videtur, tolerari posse celebrationem missae etiam in ceclesiis schismaticorum aut haereticorum, quando scandalum absit et iustae causae concurrant, nec non ecclesiae catholicae, in quibus celebrari possit, eo loci non adsint.

Quoad missam celebrandam in navi, Vid. *Navigantes*.

De tempore celebrationis. - De die. — Quoad tempus, quo missa celebrari potest, notandum est diebus liturgicis (et in ritu romano omnes dies anni liturgici sunt, exceptis feria VI in Parasceve et sabbato sancto [haec vide suis locis]: feria V in Coena Domini est dies liturgicus, quamvis in eo prohibeantur missae privatae [vid. *Coena Domini*]: in ritu ambrosiano, aliturgicae sunt omnes feriae VI a prima dominica quadragesimae ad Pascha; in ecclesia orientali tota quaedragesima est aliturgica, exceptis sabbatis et dominicis) semper posse missam celebrari, attamen non pluries, quam semel, excepta die Nativitatis Domini (vid. *Nativitas D. N. I. Ch.*), vel casu necessitatis (vid. *Binare*). 917 918

De hora. — De legitima hora celebrationis. — Ab aurora usque ad meridiem (Rubr. gen. miss. *tit. XV. n. 1*), idest neque ante auroram (vid. *Aurora*), neque post meridiem missam celebrare licet. Hoc apud nos; nam in ecclesia orientali aliquando multis etiam horis post meridiem celebratur ex consuetudine approbata. De hoc confer Gasparri *l. cit. I. 120*.

Attamen, quemadmodum, ut alibi diximus, prohibitio celebrandi ante auroram importat tantum, quod missa ante auroram perficiatur; ita etiam prohibitio celebrandi post meridiem importat tantum, missam non debere incipi post meridiem. Et quamvis nonnulli pressius determinent, missam inchoari debere solum tertia parte horae ante auroram et absolvi tertia parte horae post meridiem (cfr. Bened. XIV. *Inst. eccl. LXVIII. n. 12;*

Gasparri *de euch. I. 101*), consuetudo tamen ubique recepta permittit missam inchoari ipsa meridie, sive prolongetur ultra tertiam partem horae, sive ad tertiam horae partem tantum perveniat; quod respondet sententiae S. Alphonsi quoad inchoationem missae ante auroram. Cfr. S. Alphons. *VI. 341.*

919 Missae autem intra hoc tempus *sub gravi* celebrandae sunt; patet tamen illum, qui hoc tempus non diu praeveniret aut differret, a gravi excusari. Imo generatim dicunt, grave esse tantummodo incipere missam una hora ante vel post tempus determinatum, idest una hora saltem ante viginti momenta auroram praecedentia, vel una hora post meridiem. B. P. *IV. 1054;* Lehmkuhl. *II. 217.* Et hoc intelligendum est, quando nulla est causa, idest non solum non habetur privilegium, sed ne causa quidem excusans, quae, etsi levis sit, sufficit ad arcendum reatum gravis peccati. Lugo *disp. XX. n. 31 sqq.* Causas autem dari excusantes, quae permittunt aliquantulo magis tempus praescriptum praevenire aut differre, communiter a theologis admittitur, et recensent ad praeveniendum rationem praebendi hoc solatium opificibus hiemali tempore iis in locis, in quibus serius sol exoritur, et proinde multis horis ante ortum solis opifices debent aggredi opus suum; quare illis in locis et hisce in casibus, et anticipari missam posse doctores tradunt, et pro maiore determinatione sequendas locorum consuetudines. Laymann *Th. mor. lib. V. tr. 5. c. 4. n. 4.* Sed etiam ad missam differendam causae sunt excusantes; imo facilius excusatur quis a missa serius, quam citius inchoanda.

Causae autem dilationis hae recensentur a Ballerini-Palmieri *IV. 1051,* post alios theologos et doctores: *a*) in magna festivitate post missam solemnem, quae protrahatur ad horam et ultra post meridiem, et etiam ad duas horas, ne populus careat missa; *b*) ex causa itineris; *c*) in funere magni magnatis, vel occasione concionis vel publicae supplicationis, vel collationis ordinum, aut ex alia causa simili.

Praeterea nota, episcopum iustis 920
de causis *dispensare* posse tam secum, quam cum aliis ad celebrandum post meridiem, imo etiam ante auroram, saltem ex consuetudine, ut communiter doctores admittunt. S. Alph. *I. App. II. n. 61. VI. 344;* B. P. *IV. 1051;* Gasparri *loc. cit. I. 114.* — Potestatem hanc episcoporum quoad regulares suos subditos habere superiores regulares ordinum vere religiosorum, quippe qui eorum sunt ordinarii, extra controversiam est. Croix *Th. Mor. lib. VI. p. II. n. 225;* S. Alph. *VI. 344.* Imo regulares (vi communicationis privilegiorum), ex privilegio ordini Benedictino a Clemente VIII concesso, quovis anni tempore possunt ex iusta causa in suis ecclesiis celebrare hora secunda post mediam noctem; et ex privilegio a Pio VI Congregationi Puritatis concesso semper et ubique sacrum facere possunt duabus horis ante auroram et post meridiem. Gasparri *loc. cit. I. 113.* — Romanum vero Pontificem quoad hoc dispensare posse quomodocumque ei placuerit, patet omnino. Et non solum

dispensat pluries pro missis celebrandis in nocte Nativitatis Domini, sed etiam alias.

Hinc generatim cum omnibus missionariis dispensat, ut celebrare valeant una hora ante auroram et una hora post meridiem, legitima concurrente causa, quemadmodum videre est in pluribus formulis facultatum, quae missionariis concedi solent.

Imo Gasparri (*loc. cit. I. 112*) refert, inter facultates extraordinarias, quae vicariis apostolicis Sinarum et regnorum adiacentium conceduntur ad quindennium, inveniri etiam hanc celebrandi et celebrationem missionariis permittendi ex rationabili causa una hora post mediam noctem. Huc etiam revocanda est facultas a Benedicto XIV facta sacerdotibus omnibus secularibus et regularibus exsistentibus in omnibus dominiis regum Hispaniarum et Portugalliae (nempe in locis, quae tunc sub illorum dominio erant) celebrandi missas in die onnium fidelium defunctorum (nam ea die tres missas ex eodem privilegio ab unoquoque sacerdote celebrare licet) etiam duabus horis post meridiem. Ben. XIV *de sacr. miss. sacrif. App. IV ad lib. III.*

921 **De cessatione legis horae servandae.** — Patet autem, legem hanc ecclesiasticam non urgere in gravibus quibusdam circumstantiis; quare tunc etiam sine ulla dispensatione potest sacerdos tum citius tum serius (quod tamen ordinarie vix erit casus deducendi in praxim) celebrare. Et forte unicus est casus, in quo haec lex ordinariis in circumstantiis non urgeat, nempe necessitas dandi viaticum moribundo, quod sine celebratione missae fieri non possit; tunc enim praeceptum sumendi viaticum praevalet legi ecclesiasticae de tempore celebrandae missae. *S. C. P. F. ad vic. gen. Nankin. 29 februar. 1836.* Dixi hunc casum fere unice eximere ab hac lege in ordinariis circumstantiis, nam in circumstantiis quibusdam extraordinariis, ut in locis, in quibus catholici prohibentur catholicam religionem publice exercere, si necessitas urgeat catholicos sacramenta noctu sumendi, ut suae incolumitati consulant, licere missae celebrationem et sacramentorum administrationem noctu, palam est. *S. C. P. F. pro Sinen 23 nov. 1665.*

De ritu et calendario. — Quoad ritum celebrationis missae vid. *Rubricae.* Attamen, si quaestio est de calendario sequendo in missae celebratione, nota sequentia. 922

Ex decreto generali S. R. Congr. *9 iul. et 9 dec. 1895* (*3862*) omnes et singuli sacerdotes, tam seculares quam regulares, ad ecclesiam confluentes, vel ad oratorium publicum, missas cum sanctorum, tum beatorum, etsi regularium proprias, debent omnino celebrare officio eiusdem ecclesiae seu oratorii conformes, sive contineantur in missali romano, sive in missali regularium, exclusis tamen peculiaribus ritibus ordinum propriis. Si vero in dicta ecclesia vel oratorio officium ritus duplici inferioris agitur, unicuique ex celebrantibus liberum est missam de requie peragere, vel votivam, vel de feria occurrente, exceptis iis diebus, quibus per rubricas, vel per decreta S. C. R. huiusmodi

missae prohibentur. Hoc decreto tenentur etiam regulares, qui habebant privilegium celebrandi missam iuxta calendarium proprii ordinis, quando color concordabat cum colore officii ecclesiae, in qua celebrabant. *S. R. C. 8 febr. 1896* (*3883*). — Attamen nota quod, si quis missam suo calendario conformem celebrat in aliena ecclesia, in qua ritus permittit missas votivas seu de requie, debet eam celebrare non ut votivam, sed ut festivam; quare debet apponere *Gloria* et *Credo*, prout in suo calendario statutum est. *S. R. C. in Basil. 14 mart. 1896. ad 5* (*3892*). Quod intelligendum est etiam de casu, quo quis in aliena ecclesia, in casu supra recensito, celebrat missam de die infra octavam vel de sancto simplici, de quo in officio commemorationem tantum fecit. *S. R. C. 24 apr. 1889* (*4020*). — Pariter, tamquam festiva et non more votivo celebranda esset a sacerdote, qui officium recitat de festo aliquo, in quo occurrit dies infra octavam aut festum simplex, missa de die infra octavam vel de sancto simplici, si sacerdos eam celebraret in aliena ecclesia, in qua festum ritus duplici inferioris agitur. *S. R. C. 24 aprilis 1899* (*4020*). — Quando vero officium alienae ecclesiae, in qua quis celebrat, duplex est, decretum superius citatum (3862) nullam patitur exceptionem; ac proinde sacerdos celebrans, etiamsi color alienae ecclesiae, in qua quis celebrat, concordet cum suo officio, non potest missae addere *Credo* ex. gr., quod ex proprio calendario sacerdos dicere deberet, idque etiamsi missam dicat illius eiusdem sancti, sed debet in omnibus sequi calendarium ecclesiae, in qua celebrat. *S. R. C. in Strigon. 3 iul. 1896 ad 3* (*3924*). — Quare, ut iam decreto generali satis statutum fuerat, sacerdotes exteri celebrantes in ecclesiis, alicui religiosae familiae concreditis (non autem si in ecclesiis celebrent concreditis non alicui religiosae familiae, sed tantum alicui personae privatae, quae ad aliquam religiosam familiam pertineat), debent sequi calendarium eiusdem familiae proprium si habeatur. *S. R. C. 15 dec. 1899* (*4051*); *in una ord. S. Bened. 4 febr. 1965.* Et hoc valet etiam pro ecclesiis, quae, licet in possessionem regularium haudquaquam transierint et a iurisdictione ordinarii minime ademptae sint, ab episcopo tamen sacerdotibus regularibus ad tempus sunt concreditae, ut hi in iisdem sacras peragant functiones et divinum cultum exerceant. *S. R. C. in Ratisbonen. 27 ian. 1905.* Missa autem debet conformari calendario loci etiam quando celebratur in cappellis episcoporum, seminariorum, collegiorum, piarum communitatum, hospitalium et carcerum, dummodo agatur de cappella principali. *S. R. C. in Ruthenen. 22 maii 1896* (*3910*).

Si autem celebrari debeat missa, a sa- 923
cerdote etiam regulari, qui proprium calendarium habeat, in interno oratorio privato, quod scilicet fidelibus minime pateat, sororum cuiuspiam modernae congregationis, quae calendarium proprium ex privilegio non habent, sacerdos celebrans debet se conformare calendario dioecesis et non potest sequi calendarium suum. *S. R. C. in una Ord. FF. Min. prov. Angl.*

29 iul. 1904 ad 6. Imo iam prius s. Congregatio de hac facultate expetita ut ex identitate missae cum officio maior in celebrante pietas foveretur, gratiam petitam denegavit. *S. R. C. in Parisien. seu Congr. Fr. S. Vinc. a Paulo 17 iul. 1896 ad 1 (3927).*

924 Ut eruitur ex gener. decreto s. Congregationis Rituum n. 3862 superius citato hae regulae non omni ex parte urgent, quando agitur de sacerdote celebrante missam in ecclesia alterius ritus; quod confirmatur sequenti recentiori responsione eiusdem Sacrae Congregationis Rituum. Nam ad quaesitum: « Sacerdotes ritus romani celebrantes in ecclesiis ritus ambrosiani quodnam calendarium sequi debent? » respondit S. Congregatio: « Servent calendarium ritus romani dioeceseos, dummodo diebus solemnioribus localibus ex. gr. titulus vel dedicatio ecclesiae, patronus praecipuus loci, etc. se conforment quoad colorem et missam calendario ecclesiae, in qua sacrum faciunt ». *S. R. C. in una Ord. Capucc. 10 iun. 1902.* In quo decreto etiam edicitur, quod sacerdotes ritus romani, qui in ecclesiis ritus ambrosiani missam parochialem forte celebrant, etsi sint regulares, qui vi constitutionum teneantur ad ritum romanum, sequi debent calendarium et ritum ambrosianum.

925 ***De requisitis ad licitam celebrationem.*** — **De requisitis quoad altare.** — Praeter ea, quae dicta sunt, necesse est, ut missa celebretur super altare lapideum et consecratum ab episcopo (vid. *Altare*), tribus mappis benedictis coopertum (vid. *Mappa*), et iuxta usum ecclesiae instructum, idest cum candelabris (vid. *Candelabrum*) et imagine D. N. I. Ch. crucifixi (vid. *Crucifixus*).

De obbligatione utendi sacris paramentis, et de aliis utensilibus. — 926 Debet praeterea sacerdos uti sacris paramentis congruis (vid. *Color, Paramenta*), videlicet amictu (vid. *Amictus*), alba (vid. *Alba*), cingulo (vid. *Cingulum*), manipulo, stola, casula. Quaenam obligatio sit hisce paramentis utendi in celebratione missae, dictum est vel dicetur suis locis, si quaestio est de amictu, alba et cingulo. — Quoad manipulum, stolam et casulam aliquid hic est dicendum. Nempe grave est peccatum, iuxta plures, si celebretur sine casula, vel si, adhibita casula, omittuntur tamen manipulum et stola simul; si autem alteruter ex his, idest sive manipulum sive stola relinquatur, S. Alphonsus *VI. 377* (cfr. etiam Gasparri *loc. cit. II. 702*) putat verius dici esse peccatum grave; attamen bene adnotat Ballerini-Palm. (*IV. 1083*), hoc nullo modo esse certum; et proinde neminem damnaveris de mortali, qui secluso contemptu, sine manipulo celebret vel sine stola. Neque enim sunt asserenda mortalia, ubi ea adesse, certum omnino non est. In necessitate satius esset uti, quo melius fieri posset, pro stola manipulo, scilicet si duo haberentur manipula, et nulla stola praesto esset: vel si contra duae stolae adessent, nullum autem manipulum, pro manipulo stola uti, ita aptata ut manipulum simularet, quod non adeo difficile fieri posset. — Omnes simul has vestes sacras, nempe mani-

pulum, stolam et casulam relinquere, multo magis praeter has relinquere etiam amictum, albam et cingulum, omnes dicunt esse mortale extra casum necessitatis. Imo nonnulli non excusant a gravi sacerdotem ita celebrantem etiam ad effugiendum periculum mortis (cfr. Suarez *de euch. dist. 82. s. 3. v. « Secundo »;* Tamburini *Meth. de miss. celebr. lib. I. c. 3. § 1. n. 6;* S. Alph. *VI. 377*); alii contra putant, eum a gravi tunc excusari (Cfr. Laymann *Th. mor. l. V. tr. 5. c. 6. n. 17;* Diana *Coord. p. III. tr. 5. res. 76. n. 5* etc.), quia ad celebrandum cum vestibus sacris, ecclesiastico tantum praecepto urgemur. Ratio brevis et cogens.

Qui in hoc vident peccatum grave, arguunt ex irreverentia, quae infertur sacrificio. Sed ratio haec non videtur cogere. Nam utique non posset quis celebrare sine vestibus sacris, si hoc ipsum ab eo peteretur in contemptum religionis; sed, hac suppositione exclusa, non video quomodo in tali celebratione habeatur intrinsece adnexa gravis irreverentia. Num primis etiam ecclesiae annis vestibus sacris induti eucharistiam confecerunt? Fere certe, nisi in his fantasticari velimus, etiam apostoli et primi discipuli sine vestibus sacris celebrarunt. Ex quo concludi potest, intrinsecam quamdam irreverentiam in hoc non necessario includi. Quod ex eo quoque firmatur, quod Sancta Sedes in casu gravis necessitatis indulsit, ut missa sine vestibus sacris celebraretur. Et re quidem vera in Collectanea S. C. de Propaganda Fide sub n. 853 prostant sequentia: « Quum in Sacra Congregatione particulari super rebus Sinicis habita die 2 octobris decretum fuisset, supplicandum esse Sanctissimo, ut facultates necessarias et opportunas vicariis ap. Sinensibus ad decennium duraturas impertiatur ad hoc, ut tempore persecutionis licentiam concedere possint missionariis, non quidem omnibus indiscriminatim, ac per modum regulae, sed prudenti habito delectu tum circumstantiarum in casibus concurrentium, tum etiam personarum, quas ea rite sobrie ac sancte usuras praevideant, celebrandi missam absque solitis utensilibus et sine sacris vestibus, vel cum aliqua tantum ex magis necessariis, ubi urgeat necessitas eucharistiam populo aut infirmis dispensandi, hanc s. Congregationis sententiam SSmus. in omnibus benigne approbavit, ac facultates de quibus agitur, peramanter concessit ». *S. C. P. F. 30 nov. 1828.* Quare non existimo admittendam sententiam Gasparri (*loc. cit. II. 702*) dicentis: « Certum videtur, si praetermissa fuit sola alba aut sola casula, et a fortiori si utraque, esse mortale, a quo nec gravis necessitas excusat, ex. gr. ne populus careat missa, *aut infirmus viatico* ».

Id, quod diximus de necessitate et 927
obligatione adhibendi paramenta sacra, dicendum quoque est de obligatione adhibendi paramenta sacra *benedicta,* nam fere perinde est celebrare sine paramentis, ac celebrare cum paramentis non benedictis. B. P. *IV. 1803.* Tantummodo ad praecavendam admirationem fidelium satius esset celebrare cum paramentis non benedictis quam sine paramentis omnino.

Requiritur praeterea ad celebrationem missae calix (vid *Calix*) cum patena et corporali, palla, purificatorium, bursa pro corporali, missale, candelae accensae. Haec omnia vide suis locis.

Quoad praescripta ad celebrationem missae strictim, in quantum missa est confectio eucharistiae, vid. *Eucharistia*.

928 **De modo celebrandi quoad ipsam personam sacerdotis. — De modo exteriore.** — Missa celebrari etiam debet *capite aperto* (cfr. *decr. Urb. VIII in miss. app.*); attamen Sancta Sedes indulsit, ut alicubi missa operto capite celebraretur, nempe iis in locis, in quibus aperire caput non est signum existimationis, sed potius contemptus. Cfr. breve Pauli V ad patres Soc. Iesu pro Sinis a. 1615, ubi et patribus in regno Sinarum missionariis et aliis catholicis sacerdotibus ibi exsistentibus permittit in s. missae sacrificii celebratione caput habere contectum pileo, non communi tamen et vulgari, quo utuntur passim seu ordinarie, sed alio. Cfr. etiam *S. C. P. F. pro Sin. 31 iul. 1673; ad vic. ap. Coreae 11 sept. 1841; ad vic. ap. Sin. 8 oct. 1883.* Attamen mens est Sanctae Sedis, ut iste usus tollatur, si circumstantiae locorum ac temporum id permittant, caute tamen et habita ratione consuetudinum et praeiudiciorum, dummodo fidei et bonis moribus non opponantur. *S. U. I. 25 aug. 1880; S. C. P. F. ad vic. ap. Sin. 8 oct. 1883.* Vid. *Pileolus*.

929 Principaliter autem requiritur ut sacerdos celebret *stans* et non sedens; attamen S. Sedes etiam hanc facultatem aliquando concessit, ut quis sedens celebraret; quod quidem difficilius conceditur pro tempore canonis, sed tamen conceditur. Cfr. *S. R. C. in una ord. Min. S. Franc. 27 apr. 1896.* Hoc decretum non exstat in collectione authentica decretorum S. C. R., sed refertur a Mon. Eccl. *vol. IX. p. 2. pag. 243.*

De immunitate a peccato et a canonicis 930
impedimentis requisita. — Sed, quod caput est, ad licitam celebrationem missae requiritur, sacerdotem esse in statu gratiae. Imo ne hoc quidem sufficit, sed, si sacerdos lapsus fuerit in aliquod mortale, eoque admisso, numquam ad poenitentiae sacramentum accesserit, debet absolutionem impetrare, seu peccatum illud clavibus rite subiicere, ut ei remittatur, et tantummodo (stante copia confessarii) sic confessus et absolutus missam celebrare potest. Conc. Trident. *sess. XIII. c. 7.* Attamen ipsum Concilium Tridentinum (*l. cit.*) excipit casum necessitatis, qua tamen urgente, sacerdos potest quidem tantummodo contritus, sed non absolutus, celebrare, at, si celebravit, absque praevia confessione, debet postea confiteri quamprimum, idest intra triduum (arg. ex communi interpretatione DD. circa cap. 22 *de sent. excomm. etc.* [*V. 11*] *in 6°*), nisi tamen iterum absque necessitate celebrare velit, quo in casu ad confessionem etiam prius peragendam teneretur. B. P. *IV. 918.*

Quare ad hoc, ut sacerdos peccati reus, quod nondum confessus est, etiamsi in statu gratiae probabiliter iudicet se esse ex concepta caritate

aut contritione perfecta, celebrare licite valeat, necesse est duo concurrere, nempe et necessitatem celebrandi et defectum confessarii. Necessitas celebrandi tunc adest plerumque, quum sine celebratione missae sacerdos incurreret notam infamiae, vel quum necessaria esset celebratio ad viaticum subministrandum moribundo; quae etiam ratio ordinarie in primam reincidit. Hinc necessitatem hanc patitur sacerdos, qui solus est in loco aliquo, et nisi ipse celebret, populus audire missam non potest, quam audire aut tenetur, aut solet. B. P. *IV. 913.*

Defectum autem confessarii tunc adesse existimo, quum nullus sit confessarius, cui sacerdos confiteri possit sine infamia; ut puta, si nullus sit praesens, aut qui praesens est vel nolit vel nequeat confessionem audire, et sacerdos non possit sine magna (relate ad suas vires, aetatem, negotia, circumstantias loci, temporis etc.) difficultate absentem adire. Non tamen quis excusatur ex eo, quod non adest sacerdos, cui ordinarie confitetur, sed iunior forte adest, cui confiteri ipse erubescit. Confessionem vero celebrationi praemittere non tenetur, etiamsi adsit confessarius, si sacerdos illi non sine nota infamiae confiteretur, ut esset, si iam est ad altare, et missam interrumpere deberet ad peragendam confessionem, aut iam paratus est coram aliis, aut coram alio tantum, et vel confessarium deberet quaerere aut exspectare, aut praesentes rogare, ut confessarium arcesserent, et in aliis casibus huiusmodi. B. P. *IV. 913 sqq.* Attamen, si necessitas celebrandi non adesset, non debuisset se ponere in ea circumstantia infamiae incurrendae, quare tunc graviter peccavit, quando se paravit, aut ad altare perrexit; elicita tamen contritione, posset et tunc licite in missae celebratione prosequi. Cfr. *Rubr. gen. miss. de defectibus etc. tit. VIII. n. 4.* Vid. *Copia confessarii.*

Nota autem, praeceptum hoc confitendi quamprimum sacerdoti, qui ex necessitate et defectu confessarii celebravit tantum contritus, non incumbere sacerdoti, qui sacrilege celebravit, quando vel praesto erat confessarius, vel non urgebat necessitas. B. P. *IV. 919.*

Praeterea sacerdotes, ut licite missam celebrent, debent esse immunes ab irregularitatibus, censuris, aliisque poenis et impedimentis canonicis in exercitio ordinis. *Rubr. gen. miss. de defect. tit. VIII. n. 1.* 931

Praeterea debent esse ieiuni eodem modo, ac ieiunium laicis praescriptum est ad eucharistiam recipiendam. Vid. *Ieiuninm.*

De abruptione, interruptione, demptione, additione, et mutatione in ritu missae. — An et quando abrumpi vel interrumpi possit missa, vide sub *Interruptio.* 932

Sed et praeterea notandum est, in missa celebranda nihil posse demi; scilicet in celebratione missae omnes illae orationes et preces dicendae sunt, quae vel in quacumque missa dici consueverunt, vel in missa particulari, quae celebratur, a ritu et a rubricis postulantur. Attamen aliquid ex his detrahere aliquando ex gravi causa licet, ut passio diebus, quibus dicitur

(vid. *Passio*), aliquando omitti non potest, sed, si omittatur, leve est; aliquando vero omissio est mortalis. Et certe mortale est plura omittere ex iis, quae constituunt ordinarium missae ritum, quia sic valde immutaretur in re gravi disciplina ecclesiastica, et maxime laederetur ius liturgicum ecclesiae. Attamen determinare in particulari, quaenam omissiones graves sint, quaenam leves, non solum difficile est, sed omnino impossibile. Nec videntur theologi bonum aliquod ecclesiae aut fidelibus attulisse, quum haec in atomo voluerunt stabilire; multo magis, quod eos interdum rigidiores fuisse asserit D'Annibale (*III. 404*), et forte generatim valde rigidos fuisse dici posset. Distinguunt igitur theologi partes missae ordinarias (quae nempe in quavis missa aguntur aut dicuntur), et partes missae extraordinarias (quae non semper aguntur aut dicuntur). S. Alph. *VI. 404.* Ordinarias omittere dicunt esse grave, nisi parvitas materiae excuset. Croix *Th. mor. lib. VI. part. II. nn. 416. 417;* S. Alph. *loc. cit.* Hinc grave esset omittere *Epistolam,* vel *Evangelium,* etc. (Suar. *de Euch. disp. 83. sect. 3*), quia sunt membra principalia huius corporis heterogenei, quod missa dicitur; imo et psalmum *Iudica* (D'Annib. *III. 404*), quem tamen ne adnumerandum quidem diceres partibus ordinariis, quia in missis de tempore in hebdomada passionis et maiore, et in omnibus missis de requie omittitur ex rubrica. Grave item esset omittere *Domine non sum dignus* (quod tamen patres Praedicatores in suo ritu numquam dicunt): et octo vel decem (cur non septem? aut cur non leve erit omittere undecim?) nomina sanctorum, quae in canone legenda sunt. Grave item esset omittere fractionem hostiae, vel mixtionem hostiae in sanguine aut multa signa super oblata (Croix *Theol. mor. lib. VI. part. II. n. 419;* S. Alph. *loc. cit.*), et alia huiusmodi. De his maiori cum sobrietate loquitur Gasparri *loc. cit. II. 844.* — Extraordinarias autem omittere grave non est, ut ecce *Credo, Gloria, Sequentia, Collectas, Evangelium S. Ioannis in fine;* nisi quis plura omittat, quae simul sumpta notabilem materiam faciant; quaenam autem sit haec notabilis materia, theologi non determinarunt.

Nec solum demere aliquid in missa 933
non licet, sed et ne *addere* quidem. Imo rigidius hoc, quam illud prohibetur (D'Ann. *III. 404*), propter novitatis periculum (Suarez *de Euchar. disp. 83. sect. 3*), quia lex supplicandi legem statuit credendi. Hinc, si quid aliquam novitatis suspicionem adducat, illud addere, etsi in se leve aut parum quid, grave est. Lugo *de Euchar. disp. XX. n. 104;* S. Alph. *VI. 411.*

Addere aliquid, quod in missali continetur, sed ritui missae non convenit, concedunt generatim esse tantum veniale (S. Alph. *loc. cit.*); nisi haec additio magnam afferret deformitatem, ut addere *Gloria* et *Credo* in missa de requie. S. Alph. *loc. cit.* D'Annibale *III. 404* (*47*). Quaenam autem sit deformitas in canendis laudibus Deo, ut fit in *Gloria,* et multo magis in publica fidei professione, etiam quando quis supplicat Deo pro

requie defunctorum, omnino non video. Concedunt tamen generatim aliquid addere ex devotione (quae incongrua quidem esset et importuna, S. Alph. *loc. cit.*), desumptum ex missali, ut ecce commemorationem alicuius sancti, vel collectam ad petendam pluviam, serenitatem, aut aliud huiusmodi, non esse peccatum, ne leve quidem. S. Alphons *l. c.*; D'Ann. *loc. cit.*

931 Prohibetur etiam aliquid variare in missa; et, si variatio sit gravis, grave esse; si levis, leve dicunt. D'Annib. *loc. cit.*

Ad licitam celebrationem debet quis sequi calendarium ecclesiae, in qua celebrat, ut superius diximus. An et quanta sit culpa in immutanda missa, desume ex iis, quae dicuntur de immutatione officii (Vid. *Horae canonicae*). Ceterum ratione scandali aliquid prohiberi potest hic, quod non prohibetur in recitatione breviarii. Cfr. B. P. *IV. 1108.*

Rubricae etiam in celebratione missae sunt servandae. Vid. *Rubricae missalis.*

935 ***De sacerdotibus peregrinis quoad celebrationem.*** — Sacerdotes peregrini (etiam regulares), qui non habent litteras commendatitias sui episcopi, non debent in ecclesiis admitti ad missam celebrandam, nisi noti omnino sint (Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 16. de ref., et sess. XXII. decr. de obs. et evit. in cel. missae; S. U. I. 11 aug. 1649 ; S. C. EE. RR. 14 mart. 1879*); quod episcopus, ne faciant, imponere potest regularibus, etiam interminatis censuris. Conc. Trid. *sess. XXII. cit.* Potest praeterea episcopus (etiam tamquam delegatus Sedis Apostolicae) statuere, ut litteras commendatitias suorum ordinariorum sacerdotes peregrini exhibeant sibi ipsi, vel vicario generali, et omnibus imponere, ne sacerdotes peregrini, qui hoc neglexerint, ad celebrandum admittantur, etiamsi exhibeant litteras commendatitias suorum ordinariorum. Attamen ex aequitate fit, ut concedatur sacerdotibus peregrinis, qui habent litteras commendatitias suorum ordinariorum, tempus aliquod ad hoc, ut has ipsas commendatitias ordinario loci exhibeant, quo tempore ipsis interim permittatur missae celebratio; qui aequissimus usus iuris etiam Romae in praxim deducitur. Wernz *Ius. Decr. III. 532.* Episcopus autem sacerdotibus istis, commendatitias suorum ordinariorum exhibentibus, denegare non potest facultatem celebrandi; sacerdos enim ex ipsa ordinatione ius habet ad sacrificium offerendum, quo iure privari nequit nisi in poenam delicti. Gasparri *loc. cit. I. 373.* Posset autem episcopus tunc tantummodo hoc prohibere, quum ex peculiaribus circumstantiis celebratio missae, ab eo sacerdote facta aliquod praeiudicium, ex. gr. scandalum, fidelibus suis inferret.

Sacerdos, qui has litteras amisit potest tamen admitti ad celebrandum si per testes idoneos (non sufficeret iuramentum) probat, se esse sacerdotem commendabilem (*c. 2. de clericis peregrinis X.* [*I. 22*]); imo, etsi hoc praestare non possit, potest, se cluso scandalo, secreto celebrare, si ad celebrandum nihil aliud obsit. *c. 3. tit. cit. X.* (*I. 22*).

Ea vero potestas quam episcopis esse diximus, inhibendi, ne sacerdotes peregrini admittantur ad celebrandum sine litteris commendatitiis suorum ordinariorum ipsis antea exhibitis, non est extendenda ad regulares sacerdotes peregrinos, qui celebrare volunt in ecclesiis propriis; nam haec cura reservatur superioribus. Wernz *loc. cit. III. 532 (50).*

933 ***De quibusdam aliis iuribus episcopi quoad celebrationem missarum.*** — Non potest episcopus impedire, ne regulares ante missam parochialem sacras functiones et missam celebrent in suis ecclesiis, praevio etiam campanarum sonitu. *S. C. C. 11 mart. 1892.* Hoc autem, iustis de causis, interdicere potest episcopus quoad oratoria publica et cappellas laicorum vel clericorum secularium, dummodo missa parochialis hora convenienti celebretur, et laudabilis consuetudo aut privilegium non obstet. *Constit.* Bened. XIV « Etsi minime » *7 febr. 1742; S.C. EE. RR. 15 febr. et 14 mart. 1879.* At si episcopus quoad hoc iure suo non fuerit usus, non posset hoc parochus facere; quare prohibitio facta a parocho aliis sacerdotibus, ut intra fines suae parochiae missas non celebrent ante missam parochialem, eos nullo modo obligaret. Gasparri *loc. cit. I. 119.*

Regularibus ius est diebus festis missam celebrare tempore etiam missae parochialis, in qua locum habet homilia. *S. C. EE. RR. in Tergestina 18 ian. 1907.*

Episcopus prohibere nequit, ne sacerdotes, nulla alia beneficii aut cappellaniae obligatione detenti, absint etiam die festo a dioecesi, ut alibi missam celebrent; quare multo magis excederet episcopus limites suae iurisdictionis, si huiusmodi sacerdotes extra dioecesim diebus festis celebrantes censuris plecteret. *S. C. EE. RR. 4 mart. 1842.* Attamen in casu necessitatis, quando nempe secus in dioecesi missae non sufficerent necessitati fidelium, posse episcopum hoc prohibere, non immerito putat Monit. eccl. *vol. XI. pag. 37.*

Quoad missam celebrandam coram cardinali, episcopo loci etc. vide *Benedictio, Confiteor, Evangelium.* Vide praeterea *Applicatio Missae, Binare, Rubricae*, etc.

c. 1 sqq. d. 1 de cons.; c. 13 sq. d. 5 de cons.; tit. 41 de celebratione missarum etc. X. (III. 41); idem tit. (III. 14) in Clem.; idem tit. (III. 11) in Xvag. comm.; Conc. Trid. sess. XIII. decr. de ss. eucharist. sacr., sess. XXII doctr. de sacrif. missae cum decr. de observ. in celebr. missarum; decr. Pauli V apud Sentis Decr. Clem. VIII pag. 114; decr. Clem. XI « Nonnullis » 15 dec. 1703; Const. Inn. XIII « Apost. minist. » 13 maii 1723 conf. a Ben. XIII const. sua « In supremo » 23 sept, 1724 et in syn. Rom. 1726; Const. Ben. XIV « Magno cum animi » 1 iun. 1751; Const. Clem. VIII « Etsi alias » 1 dec. 1601; Const. Urb. VIII « Apostolatus » 23 mart. 1627; Const. Ben. XIV « Quam grave » 2 aug. 1757; Const. Ben. XIV « Divinarum » 4 aug. 1757; Const. Ben. XIV « Sacerdos in aeternum » 20 apr. 1744; Const. Clem. XIII « Gravissimum » 6 mart. 1759; Const. Pii V « Sanctissimus » 20 mart. 1566; Const. Pii V « Providentia » 20 aug. 1566; Const. Ben. XIV « Etsi pastoralis » 25 maii 1742; *Lingen et Reuss* Caus. sel. n. 512-515; *Bona* Rerum lit. libr. duo; *Margallo* De horis can. ... et de celebratione missar.; *Cassander G.* Liturgia de ritu et ordine domin. coenae celebr.; *Du*

Tilliet I. Traité de l'antiquité et de la solemnité de la messe; *Visconti I.* De antiquis missae ritibus et apparatu; *Bretonneau G.* Le sacrifice de la messe en la primitive église; *Casalius* De veteribus sacris christianorum ritibus; *Ceccoperius* Lucubration. canon. lib. 3; *Passerinus* Tractat. de stat. homin.; *Bébel B.* Exercitatio de aris et mensis euchar. veterum; *Hildebrand I.* Primitivae ecclesiae offertorium pro defunctis; *Antonelli* De loco legali lib. 1 c. 5; *De Larroque M.* Histoire de l'eucharistie; *Quenstedt A.* Diss. de s. euch. ritibus antiquis; *Pinelli* Tract. de sacr. missae; *Frascinelli P.* Tract. de oblig. sac. ad missam pro aliis ex iust. cel.; *Thomassin* V. et N. eccl. disc. t. III. l. 3 c. 5; *Grancolas J.* Les anciennes liturgies; *Grancolas J.* Traité de la messe etc.; *Renaudot* Coll. liturg. orient.; *Brett T.* Collection of the principal liturgies etc.; *Ianus G.* De liturgiis orient.; *Giorgi D.* De liturgia R. P. in sol. cel. miss.; *Martène* De antiquis eccl. ritibus; *Lenglet du Fresnoy* Le messe des fidèles; *Mayer L.* Explic. comp. litt. hist. cer. eccl.; *Muratori* Liturg. rom. vetus; *Assemani I.* Codex liturg. eccl. univ.; *Ben. XIV* De sacros. missae sacr.; *Hueber* Hist. missae romano-cath. tract.; *Gavanti* Thes. sacr. rituum; *Gerbert* Vetus liturgia alemann.; *Zaccaria* Biblioth. ritualis; *Gerbert M.* Mon. vet. rit. alemann.; *Zech* De iure rerum eccl. sect. 2 tit. 4 et 5; *Devoti* Inst. can. lib. II. t. 2 sect. 3; *Hirscher* Missae genuin. not. eiusque celebrandi rectam meth. monstr. tent.; *Appel* De iure liturgico; *Rothermundt I.* Das Opfer d. n. Bundes n. Schrift u. Tradition; *Grau* Hist.-dogm. Untersuchung üb. d. Natur d. Messopfers; *Schmid F. X.* Messopfer, Messapplication u. Messstipendien; *Tossani-Romsée* Opuscula liturgica; *Hnogek* Christkatholische Liturgik: *Verhoeven M.* Diss. can. de sacrif. missae; *Kössing J.* Liturgische Erklärung d. heil. Messe; *Kreuser* Das heilig. Messopfer geschichtlich erklärt; *Schmid F. X.* Liturgik der christkathol. Religion; *Lüft* Liturgik; *Daniel* Codex liturgicus ecclesiae universae in epit. red.; *Fluck* Kath. Liturgik; *Falise* Sacrorum rituum... elucidatio; *Probst F.* Verwaltung d. Euchar. als Opfer; *Probst F.* Liturgie der ersten christlichen Jahrhunderte; *Van de Burgt* De celebratione missarum; *Bouix* Tractatus de iure liturgico; *Honoré* Les ordres eucharistiques; *Schill* Art. Missa in Kraus' RE. II. 397; *Bikell. Schill* Art. Liturgie in Kraus' RE. II. 309-338; *De Waal* Art. Totenbestattung in Kraus' RE. II. 882; *Krieg* Art. Oblatio in Kraus' RE. II. 509 ff.; *Bridgett I. F.* History of the holy eucharist in Great Britain; *Mark* Ursprung und Bedeutung des Wortes Missa; *Rohault de Fleury C.* La messe, études archéolog. sur ses monum.; *Swainson* The greek liturgies; *Bernard* Cours de liturgie romaine; *Funk* Die Anfänge von missa= Messe in Th. Qschr. LXXXVI 50 ff.; *Corblet J.* Histoire dogm. lit. et archéolog. du sacr. de l'Euch.; *Adone* Syn. can.-lit.; *Thalhofer* Handbuch der kath. Liturgik; *Rottmanner O.* Ueber neuere u. ältere Deutungen d. Wortes missa in Th. Qschr. LXXI 531 ff.; *Piller* Man. lit. roman.; *Prynne* The truth and reality of the euchar. sacrif.; *Sauter* Das heil. Messopfer; *Vacant* Histoire de la conception du sacrifice da la messe dans l'église latine; *Wapelhorst* Comp. s. lit.; *O' Brien ed Evan* Storia della messa; *Hammond and Brightman* Liturgies eastern and western; *Drews* Art. Liturg. Formeln in Hauck's RE.[3] XI. 545 ff.; *Hering H.* Art. Liturgie in Hauck's RE.[3] XI. 588 ff.; *Kattenbusch-Drews* Art. Messe in Hauck's RE.[3] XII. 664-697; *Gasparri* Tract. can. de ss. euchar.; *Magani* L'antica liturgia romana; *Dom Cabrol* Les origines de la messe et le canon romain (in Revue du clergé français tom. XXIII-XXIV); *Dom Cabrol* Livre de la prière antique; *Kellner K. A.* Wo u. seit wann wurde missa stehende Bezeichnung f. d. Messopfer? (in Th. Qsch. LXXXIII. 127 ff.); *Renz F.* Die Geschichte d. Messop-

ferbegriffs; *Franz* Die Messe im deutschen Mittelalter; *Gihr* Das heilige Messopfer; *Götzmann W.* Das euchar. Opfer nach d. Lehre d. ält. Scholastik; *Duchesne* Origines du culte chrétien; *Many* Praelectiones de missa; *Semeria G.* La messa nella sua storia e nei suoi simboli; *Dom Cabrol* Les origines liturgiques conf. 6.

937 **Censura.** – ***Natura censurae.*** – Censura est poena spiritualis et medicinalis (*c. 1. de sent. excomm.* [*V. 11*] *in 6°*), qua homo baptizatus delinquens et contumax, per potestatem ecclesiasticam quorumdam bonorum spiritualium usu privatur. Suarez *de censuris d. 1. s. 1. n. 5.* Alia est *a iure* quae fertur ad modum verae legis, sive universalis, sive particularis; alia *ab homine,* quae infligitur ab eo, qui ecclesiastica potestate ad hoc gaudet, per modum praecepti, sive generalis sive particularis, vel per modum sententiae iudicialis; – alia *latae,* quae commisso delicto statim incurritur absque ulla sententia condemnatoria; alia *ferendae sententiae,* quae licet in lege vel praecepto ad modum comminationis statuta sit, actu tamen nonnisi post sententiam iudicis eam infligentis incurritur; – alia *reservata* alia *non* respectu nempe habito ad absolutionem ab ea obtinendam.

Species autem, in quas censura ecclesiastica dispescitur sunt tres, nempe: excommunicatio, suspensio et interdictum. *c. 20. de verb. signific. X.* (*V. 40*).

Ex data vero censurae definitione facile deducitur, eam non incurri, nisi ob delictum *certo grave, neque mere praeteritum* (Schmalzgr. *in tit. 39. lib. V. Decr. n. 67*), *externum, consummatum, coniunctum cum contumacia,* seu cum contemptu *censurae in aliquod delictum per legem vel praeceptum specifice comminatae. c. 23. tit. cit. X.* (*V. 40*); *c. 26 de appellation. X.* (*II. 28*). – Ad quorum intelligentiam haec nota. Cum tantum ex delicto certo gravi incurrat delinquens censuram, necesse est ut sciens volens deliquerit, non casu nec culpa civili, quae in casum recidit. D'Ann. *Comm. in Const. « Apost. Sedis » n. 6* (*4*). – Delictum mere praeteritum est, quod nullum habet tractum successivum in tempus futurum. Peccatum consummatum esse debet, nisi contrarium lex caverit expresse, ut in c. 1. de homic. [V. 4] in 6°. Contumacia est contemptus censurae, et virtualis sufficit: in hoc consistit, quod quis aliquid facere praesumat, quod sub censura cognoscit esse prohibitum (Reiffenstuel *in tit. 39. l. V. Decr. numer. 14*); unde non sufficit contemptus legis seu auctoritatis praecipientis, nam (ut bene notat Palmieri ad B. P. *VII. 17. not.*) ex ipsa dispositione ecclesiae ferentis censuras, ignorans censuram, eam non incurrit. – Vid. *Monitio canonica.*

Et istae omnes qualitates actus ad hoc, ut censura incurratur, cumulative requiruntur. Quare nec solus externus actus malus, nec solus internus sufficit, imo nec uterque quidem, si non fuerit consummatus. Quod ultimum ita intelligendum est, ut ad incurrendam censuram debeat esse in suo genere completum peccatum illud, cui censura adnexa est. B. P. *VII. 92.* Hinc nec censuram incurrit

haereticus, qui haeresim animo quidem fovet, sed externe non prodit (De Lugo *de fide 93. 11*), nec ille, qui fidem ore tenus quidem negat, sed servat interne (Salmantic. *Th. mor. tract. X. de censuris c. 1. n. 137*), nec ille censuram incurreret latam ex. gr. in homicidas, qui homicidium attentaret, sed quacunque ex causa, etsi maxime involuntaria aut miraculosa quoque, ad exitum perducere non posset, ut ille, qui in adversarium glandem quidem exploderet, sed ex inscitia eum non attingeret. Ex eodem principio sequitur, eum non incurrere excommunicationem, qui solemni voto castitatis ligatus aut in ordine sacro constitutus externam matrimonii formam ponat, sed sine interno consensu (Sanchez *de matr. lib. VII. disp. 48. n. 9*); is enim non ponit actum completum sub excommunicatione prohibitum, qui actus in casu est attentatio matrimonii, quod aliunde esset validum, nisi obstaret votum solemne aut sacer ordo. D'Ann. *l. cit. n. 6.* (*10*).

938 Hinc deduces, admitti non posse illud, quod iam edidit Noldin (*Summa theol. mor. II. 793*), ubi dicit, fieri posse, ut censura incurratur in foro externo, quin adsit in foro interno. Nam certum est apud omnes, ad incurrendam censuram tum pro foro interno tum pro foro externo necessariam esse contumaciam; contumaciam vero tunc haberi, ut diximus, quum quis aliquid facere praesumit, quod scit sub censura prohibitum. Nec multum probat ratio, quam adducit, desumpta ex quadam responsione S. U. I. 11 maii 1892 (ipse eam citat sub die 18 maii, sed perperam, ut colligitur ex Coll. P. F. n. 2202. et ex Synodo Albanensi, quae ab emo. Card. Monaco La Valletta celebrata est, qui tunc temporis erat Secretarius S. Officii), dicens: « Sic catholici, qui *censurae inscii* coram ministro haeretico matrimonium inierant, pro foro externo absolutione indigent, quia etc. ». Porro aliud habetur in citato decreto. Propositum enim fuerat: « Quid faciendum sit de iis catholicis, qui secundum veterem dioecesium nostrarum (i. e. in Borussia exsistentium) usum, licet coram ministro acatholico matrimonium contraxerint, a confessariis, sine speciali facultate absolvendi, ad ss. Sacr. admissi sunt ». Responsum autem est: « Qui matrimonium coram ministro haeretico ineunt, censuram contrahere; ordinarios autem vi facultatum quinquennalium, etc. ». Porro undenam ex his desumitur, quod agatur de iis, qui censurae inscii erant? Hoc utique gratis additur a Noldin, et quidem iniuria, quia supponendum profecto est, S. Congregationem, etsi hoc non dixerit, voluisse comprehendere omnes conditiones, quas doctores requirunt ad incurrendam censuram; quemadmodum hic non dicit, vim (semper) vel metum gravem (ut plurimum) a censura excusare, nemo autem ex hoc concludere potest eos qui sic agunt, incurrere censuram in foro externo.

Attamen forte verba Noldin benigniorem quamdam admittere possunt explicationem, ita ut scilicet nil aliud dicere voluerit, nisi illud, quod omnes dixerunt: in casu notorietatis admissi delicti aliquem, qui censuram ignorabat, praesumi incurrisse censuram

et haberi in foro externo tamquam censuratum, quousque ignorantiam non probaverit. Verum tunc non esset postea necessaria absolutio, sed sufficeret profecto sententia iudicis declaratoria de habita ignorantia censurae. — Quare saltem modum loquendi Noldin admittendus non videtur.

939 Ex superius dictis manifestum etiam fit, quandonam excommunicationem incurrant consulentes, mandantes, auxilium ferentes, faventes, receptantes, etc. Ceterum haec vide suis locis.

940 Ex eadem censurae definitione patet, censuram non posse in perpetuum infligi aut ad determinatum tempus; est enim medicina, quae ad frangendam contumaciam, ut diximus, adhibetur. Quare illi, qui non amplius est contumax, absolutio a censura ex iustitia dari debet. B. P. *VII. 18.*

941 Nota, aliquando nomine censurae non venire poenam medicinalem, sed tantum poenam vindicativam. Quod non ideo dicitur, quia aliqua sit poena in hac vita, quae ratione medicinae careat; sed solummodo reflectendo ad intentionem imponentis poenam, quia poena medicinalis infligitur principaliter ad emendationem delinquentis, poena vindicativa ad punitionem delicti. Quare, reo emendato, illa ne intelligitur quidem, haec adhuc infligi potest. — Quando autem nomine censurae venit poena vindicativa, ea vere censura non est; essentiale enim est censurae ecclesiasticae esse poenam medicinalem. Tantummodo retinet nomen censurae, quia materialiter ratio censurae salvatur, seu in poenam vindicativam infligitur ea poena, quae iure ecclesiastico sub speciebus censurae enumeratur. B. P. *l. c.*

Hoc autem advertas, non omnes has poenas consuevisse imponi in meram vindictam criminis, sed tantum suspensionem et interdictum, non vero excommunicationem. *c. 1. tit. cit.* (*V. 11*) *in 6°*. Ratio autem, cur excommunicatio numquam feratur per modum poenae vindicativae, videtur esse gravitas eiusdem poenae. Suspensio autem non raro ut poena vindicativa infligitur, et tunc potest esse perpetua, vel imponi ad certum et determinatum tempus; quibus in casibus potius est inhabilitatio ad celebrationem sacrificii missae, vel etiam ad reliqua ministeria ecclesiastica (cfr. *decr. S. U. I. sub Bened. XIV 5 aug. 1745*), et qui eam violat, iuxta plures irregularitatem non incurrit. Attamen quoad hoc ultimum notandum est, eam plurium sententiam veram non videri. Nam caput 1um *de sent. et re iudicata* (*II. 14*) *in 6°* et caput 1um *de sent. excomm. etc.* (*V. 11.*) *in 6°* loquuntur de suspensione lata ad definitum tempus, quae proinde non est censura, sed poena, et tamen ex violatione illius suspensionis dicunt incurri irregularitatem. Cfr. Suarez *de censuris disput. XXVI. sect. 2. n. 4.* Eodem modo non videtur dubitari posse, quod incurrat irregularitatem violans suspensionem latam ex informata conscientia; et tamen talis suspensio ad tempus ferenda est. Cfr. *S. C. C. in Sagon. 21 iun. 1625;* Bened. XIV. *de Syn. lib. XII. c. 8. n. 5.* Verum in praxi, saltem ob extrinsecam auctoritatem Doctorum, alia sententia non

videtur posse dici omni probabilitate destituta.

942 ***Auctor.*** — Censuras ferunt de iure ordinario omnes et soli superiores ecclesiastici, etiamsi haeretici et excommunicati, at non vitandi, habentes iurisdictionem in foro externo. Suarez *de censuris disp. II. sect. 2.* Hinc hoc ius habent Rom. Pontifex et concilium generale seu oecumenicum pro universa ecclesia (quibus etiam unice ius est novum quoddam censurarum genus instituere et introducere, quum aliis quibuscumque non competat, nisi institutas iam et approbatas pro culpae gravitate criminosis imponere, Suarez (*loc. cit. sect. 1. n. 1. sqq.*); - legati a latere pro sua provincia (*c. 2. de off. leg.* [*I. 15*] *in 6°*); - episcopi confirmati, etsi non consecrati (*cap. 15 de elect. etc.* X. [*I. 6*]; *c. 16. de off. iud. ord. X.* [*I. 31*]), dummodo litteras suae promotionis capitulo praesentaverint (*Constit.* Bonifacii VIII «Iniunctae nobis» *inter Extr. comm. c. 1. de elect.* [*I. 3.*]) eorumque vicarii generales (*c. 7. de sent. excomm.* [*V. 11*] *in 6°*), pro sua dioecesi; - sede episcopali vacante, capitulum ecclesiae cathedralis, antequam deputaverit vicarium capitularem, et postea ipse vicarius capitularis (*c. un. de maior. etc.* (*I. 17*) *in 6°*); - praelati Nullius (*arg. c. 1. tit. cit.* [*V. 11*] *in 6°*); - superiores regularium iuxta varias ordinum constitutiones. *c. 10. de maior. et obed. X.* (*I. 33*); Schmalzgrueb. *in tit. 39. lib. V. Decr. n. 13.* Archiepiscopi possunt ferre censuras in subditos alicuius suffraganei tantummodo in actu visitandi illius dioecesim, vel in casu alicuius causae ipsis per appellationem devolutae. *c. 7. tit. cit.* (*V. 11*) *in 6°*. Eos tamen in ipsos suos suffraganeos hanc potestatem, praesertim si recens disciplina spectetur, non habere verius dicitur, quum nunc iudices non sint causarum criminalium maiorum suorum suffraganeorum, quippe quae Sanctae Sedi sunt reservatae, imo ne minorum quidem, quia hae reservantur concilio provinciali. Concil. Trident. *sess. XXIV. c. 5. de ref.; arg. c. 7. nuper cit.* (*V. 11*) *in 6°*.

Nota autem, episcopis ius quidem 943
esse ex ipsa ordinaria sua potestate aliquem removere a communione ecclesiae suae, non tamen a communione quoque aliarum ecclesiarum, praesertim Romanae. Lehmkuhl *Th. mor. II. 870;* B. P. *VII. 26* (*a*). Attamen in praxi excommunicatio episcoporum est remotio a communione universae ecclesiae; quod explicari debet per consensum S. Sedis, qui validis excommunicationis sententiis ab episcopis latis tacite accedit. — Superiores autem regularium hanc potestatem obtinent ex privilegio Pontificis adnexo ipsorum muneri seu officio. B. P. *VII. 28.*

Ex potestate autem delegata hac 944
facultate fruitur quisque clericus, cui haec facultas ab illis, qui potestate ordinaria sunt praediti, data est; sed de iure communi non laicus, nec mulier, etsi abbatissa (*S.C.C. 28 iul. 1730;* Suarez *de censuris d. 2. s. 3. n. 6. 7*), — de iure communi, inquam, nam de plenitudine potestatis posset Papa hanc facultatem delegare etiam mulieri. cfr. *c. 12. tit. cit. X.* (*I. 34*); B. P. *VII. 31.*

945 Nota hic, clericos minores coniugatos ex Bonifacio VIII (*c. un. de cler. coniug.* [*III. 2*] *in 6°*) non gaudere privilegiis et iuribus clericalibus, excepto privilegio canonis et privilegio fori, si habitum et tonsuram deferant, quare eos incapaces esse iurisdictionis ecclesiasticae recipiendae, et proinde qui delegentur ad censuras ferendas.

946 Patet autem ad validitatem censurae requiri, ut ille, qui eas fert, hanc potestatem sive ordinariam sive delegatam actu habeat tunc, quum censuram infligit. Quare invalide censuras ferret ille, qui iurisdictionem habet hic et nunc impeditam vel suspensam; multo magis ille, qui iurisdictionem hucusque habuit, nunc autem ea fuit ipsi sublata. Suarez *loc. cit. disp. II. s. 4. n. 2. sq.* Imo aliquando, ut in casu vicarii generalis, necesse etiam est, ut ea actu sit in eius superiore. *c. 1. de off. vic.* (*I. 13*) *in 6°*. Ex eodem principio sequitur, invalidam esse censuram, quae a iudice, feratur, postquam reus rite appellaverit (*c. 40 de appellat. etc. X.* [*II. 28*]*: c. 14. tit. cit.* [*V. 11*] *in 6°*); aut a iudice, qui legitime a reo tamquam iudex fuit recusatus (*c. 41. tit. cit. X.* [*II. 28*]); hi enim habent pro his casibus iurisdictionem impeditam.

947 ***Requisita ad legitimitatem censurae ferendae.*** — **Quoad validitatem.** — Ad validitatem non solum necesse est, ut patet, censuras ab eo ferri, qui eas ferendi potestate actu polleat ac proinde etiam qui rationis usu non sit destitutus (quod requiritur etiam in ipso actu inflictionis censurae; quare nulla esset censura lata ab ebrio), sed etiam necessarium est, ut iudex, qui eam fert, intentionem habeat ligandi censura eum, in quem censuram dicit. Ex quo principio recte deducit Ballerini-Palmieri (*VII. 34*), otiosam esse quaestionem, quam doctores pertractarunt, an valeat censura ex gravi metu lata. Neque enim metus influit in ipsam intentionem, sed ad summum efficit, ut ille, qui eum patitur, ad externam, ut ita dicam, censurae impositionem deveniat. Quare vel a iudice ipso cognosci potest, eum tunc hanc intentionem ligandi non habuisse, vel, si iudex adiri nequit, aut nequit talis declaratio ab eo haberi, probabiliter praesumi potest, ipsum sine intentione eam tulisse. B. P. *loc. cit.* Et nota, agi hic de casu, in quo subsit causa per se iusta censuram ferendi; secus alio ex capite nulla esset. Attamen in theoria, si vere, quamvis ex metu, ad censuram infligendam induceretur, validam esse censuram dicendum videtur, quia quae fiunt ex metu sunt voluntaria simpliciter, involuntaria secundum quid, ac proinde actus metu gravi factus de se est validus, nisi speciali positivo iure irritetur; quae ratio non merito displicet Ballerini. B. P. *VII. 34.* Nam id, quod dicit, loquens de contractibus (B. P. *III. 615*), ad quem locum remittit in priore loco citato, non videtur infirmare hoc principium, aut impedire, ne eo quis iure utatur in hac re. Exemplum enim, quod contra affert, non videtur aliquid contra hoc probare. Certe qui usuras usurario solvit, hoc tantum intendit, ut ipse Ballerini fatetur, redimere vexam, et nullo modo intendit transferre dominium, nec per se actus traditionis pe-

cuniae eo in casu hoc significat; potest enim quis pecunias tradere alicui multiplici ex capite. Qui autem censuras fert, actum ponit, qui nihil aliud significare potest, quam censurae inflictionem; quare ponendo actum vult illud, quod actus naturaliter fert et naturaliter significat, nisi contradicat expresse.

948 Praeterea, ad validitatem censurae necesse est, ut iudex ecclesiasticus, qui censuram fert, intra proprium territorium exsistat; nam si exsistat extra territorium proprium, ordinarie loquendo, ligare censura nequit illum quoque, qui est eius subditus. Ratio autem est, quia iudex ecclesiasticus non potest exercere iurisdictionem contentiosam extra proprium territorium; sed inflictio censurae, ordinarie loquendo, est actus iurisdictionis contentiosae, quia debet fieri cum cognitione causae et strepitu iudiciali, *c. 7. de off. leg. X.* (*I. 30*); *cap. un. de foro compet.* (*II. 2*) *inter Clement.*; Schmalzgrueber *in tit. 39. lib. V. Decr. n. 24.* Dixi, ordinarie loquendo; nam si quando censura ferri potest sine strepitu iudiciali, tunc iudex ecclesiasticus potest eam infligere etiam extra proprium territorium exsistens; hoc enim in casu non habetur exercitium iurisdictionis contentiosae, sed voluntariae. Cfr. D'Ann. *I. 72.* (8). Hinc episcopus, vel quicumque iudex ecclesiasticus, potest etiam a suo territorio absens censuras ferre per modum praecepti, ut ob notorietatem delicti, in cuius proinde cognitione non est servandus ordo iudicialis; vel in casu, quo cognitionem causae iam antea in proprio territorio exsistens iudex expleverat. — Unico in casu ipsum ius episcopis permittit censuras ferre etiam cum strepitu iudiciali versantibus extra dioecesim. Is autem casus habetur, quum episcopi a suis sedibus protervia impiorum expulsi non audent, propter metum persequentium, in suis civitatibus vel dioecesibus, aut earum parte aliqua residere, nec iuris, dictionem ad se spectantem, per se vel per alium inibi exercere; tunc enim concessum ipsis est, ut in dioecesibus alienis, in civitatibus videlicet vel locis insignibus suis ecclesiis vicinioribus, in quibus poterunt secure morari et iurisdictionem suam libere exercere, possint contra suos expulsores et eorum in hac parte consilia rios et fautores (dummodo civitates vel loca huiusmodi iisdem expulsoribus, consiliariis et fautoribus sint secura, et ipsi personaliter vel ad domum, si hoc tute fieri valeat, alioquin publice in ecclesia cathedrali loci vel domicilii eorumdem citati fuerint) libere procedere, prout iustitia suade bit. Attamen in hoc casu debent ex quirere licentiam ordinarii loci, quam si obtinere nequiverint, possunt tamen nihilominus procedere. *c. un. tit. cit.* (*II 2*) *inter Clem.* — Hae sunt conditiones requisitae ad valide ferendas censuras.

Quoad liceitatem. — Sed et condi- 949
tiones quaedam sunt ad hoc, ut censura licite feratur. Et patet ante omnia requiri, ut iudex ecclesiasticus, qui sic iurisdictionem suam exercet, non solum iurisdictione polleat, ita ut ipsius usum validum habeat, sed etiam necesse esse, ut eiusdem usus non sit ei quacumque ratione legitime impedi-

tus. Quare si quis ecclesiasticus iudex praecepto superioris vel lege aliqua impeditus sit, quominus censuras licite ferat, si tamen de facto censuram infligit, valet quidem censura, sed ipse illicite agit. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 24.*

Simili modo illicite fert censuras ille, qui aliqua censura et ipse innodatus est, quum tunc, quamvis iurisdictionem non amittat (et nunc post const. Martini V « Ad evitanda » etiam excommunicati non vitandi et haeretici seu schismatici publici valide ponunt actus iurisdictionis), amittit tamen facultatem licite utendi potestate, quam habet. B. P. *VII. 36.*

950 Ad liceitatem ferendae censurae requiritur praeterea, ut iudex ecclesiasticus non ducatur odio aut vindicta, et hoc planum est. Schmalzgr. *loc. nuper cit.* Et hinc est, ait Schmalzgrueber ibidem, quod nemo potest censuram per modum iudicii ferre in causa propria, quia iudicans in causa propria praesumitur sinistro affectu duci. Excipitur tamen casus, quo causa ita sit manifesta, ut nec negari possit, nec opus sit examinari, quia tunc praesumptio illa cessat. Quando autem censura non per modum iudicii fertur, quisque iudex potest hoc facere etiam in causa propria, reducitur enim tunc ad modum iustae defensionis.

951 Insuper necesse est, ut censura feratur *in scriptis* (*c. 1. de sent. excom.* [*V. 11*] *in 6°*, in quo etiam statuitur, ut excommunicans, si fuerit requisitus, teneatur infra mensem excommunicato exemplum huiusmodi scripturae tradere), et hoc sub gravi, quamvis oretenus lata valet. *S. C. C. 14 sept. 1782.* Sententia autem, qua dicitur censura, debet in primis reum manistare, quamvis (excepto casu, quo iudex ecclesiasticus velit aliquem vitandum declarare, Salmanticenses *Theol. mor. tr. X. c. 3. n. 9. sqq.*) non sit necesse ipsum nomen, vel aliquid quod loco nominis sit et personam apprime designet (ex. gr. Galliarum rex, si ibi rex esset) exprimere, sed satis sit eum censura ferire, qui tale crimen admisit. D'Ann. *I. 329.* Nec solum reum, sed et delictum a reo perpetratum manifestare debet sententia; quod ab ipsa natura censurae necessario requiritur, quum sit poena medicinalis, et nemo possit se corrigere de aliquo peccato ignoto. *c. 1. tit. cit.* (*V. 11*) *in 6°*; Suarez *loc. cit. 3. 13. 5.*

Praeterea ferri potest ex die, vel 952
sub conditione, verius etiam resolutiva. *c. 40. de appellat. X.* (*II. 28*); S. Alph. *VII. 63.*

Circa quod notandum ex D'Annibale (*I. 329* [*33*]), quod, si feratur sub conditione suspensiva vel ex die, non incurritur, quod planum est, nisi vel conditio fuerit purificata vel dies advenerit; sed et praeterea, quod si dies vel conditio apposita fuerit in favorem tertii, in potestate huius est, pendente adhuc conditione vel die, eam prorogare, verius etiam absque auctoritate eius, qui censuram tulit.

Ultimo loco hic non est praeter- 953
eundum, a iudicibus ecclesiasticis ex mente ecclesiae censuras, quae]sunt ecclesiasticae disciplinae nervus, nonnisi ex gravibus admodum causis, canonicis et probatis, adhibendas esse. *S. C. P. F. ad Vic. Ap. Malacen. 30 sept. 1848.*

954 ***Subiectum.*** — Censurae subiectum nequit esse S. Pontifex; alii omnes baptizati possunt in eam incidere. Excipiuntur impuberes quoad censuras latae sententiae (qui proinde nec pontificias nec dioecesanas incurrunt), quos ratione aetatis ex indulgentia ius excusat. *cc. 1. 60. de sent. excomm. etc. X.* (*V. 39*). Attamen et impuberes possunt censuram l. s. incurrere uno in casu, si nempe in monasterium monialium, earum clausuram violantes, ingressi fuerint. Conc. Trid. *sess. XXV. c. 5. de ref.* Censuras autem, quae non a iure, sed ab homine feruntur, si in eos latae fuerint, et ipsi incurrunt. Suarez *de cens. disp. V. sect. 1. n. 19.* In praxi vero iudex ecclesiasticus sententiam censurae in impuberem convenienter, ordinarie loquendo, non ferret. Ratio est, quia ius expresse edicit delicta puerorum mitius esse punienda (*cc. 1. 2. de delictis puer. X.* [*V. 23*]), et quia censuris impuberes ferire alienum est a communi et approbata praxi.

955 Ut cardinales et episcopi censuras papales, excommunicatione excepta, incurrant, debent expresse nominari. *c. 4. de sent. excomm.* (*V. 11*) *in 6°.*

956 Reges et reginae, vel supremi principes ipsis aequiparati, quocumque nomine veniant, ab uno Romano Pontifice censuris plectuntur ex consuetudine. S. Alph. *VII. 16.*

957 Regulares exempti ab episcopis coerceri censuris non possunt, nisi in casu admissi delicti, ob quod episcopi procedere possunt contra regulares, ex iuris dispositione, tamquam delegati Apostolicae Sedis. *S. C. C. 17 febr. 1632.* apud Ben. XIV. *de Syn. lib. IX. c. 15 n. 5.* Praecipuos casus in quibus sic contra regulares exemptos procedere possunt episcopi vide sub *Exemptio.* Sunt tamen regulares, qui speciale privilegium habent, ut episcopus etiam in his casibus non possit eos censuris punire, sed tantummodo aliis poenis (*c. 1. de privilegiis* [*V. 7*] *in 6°*), ut sunt mendicantes et religiosi Societatis Iesu. *Const.* Pauli III. «Licet debitum» *18 oct. 1549;* S. Alph. *VII. 26;* B. P. *VII. 57. sqq.*

Verum in tribus casibus a Gregorio XV, Urbano VIII et Innocentio X huic speciali privilegio derogatum est (quorum casuum duo posteriores clarissimo D'Annibale *I. 325.* [*8*] effugerunt); idest, si in alienis ecclesiis, aut quae suorum ordinum non sunt, absque episcopi licentia, et in ecclesiis suis aut suorum ordinum, non petita illius benedictione, aut, ipso contradicente, praedicare praesumpserint (Greg. XV. *Constit.* «Inscrutabili» *non. febr. 1622*) si inobedientes fuerint episcopo in confessionibus audiendis (Innoc. X. *Brev.* «Cum sicut» *14 maii 1653*); si ausi fuerint imagines ab episcopo non probatas publico cultui exponere. Urb. VIII. *Const.* «Sacrosancta» *15 mart. 1642.*

Quoad fideles rituum orientalium 958
notandum est eos subiici omnibus censuris ab Apostolica Sede latis in materia dogmatum, et in constitutionibus quibus implicite de iis disponitur, nempe ubi materia ipsa demonstrat eos comprehendi, quatenus non de lege mere ecclesiastica agitur, sed ius naturale et divinum declaratur; per constitutionem autem «Apost. Se-

dis» nihil esse innovatum circa censuras earumque reservationes pro ipsis; eos autem subiici nominatim nedum censuris, sed et reservationibus latis in const. Ben. XIV. «Sacramentum Poenitentiae» et in constitutionibus contra sectae massonicae aliisque similibus addictos. *S. C. P. F. ad delegat. apostol. apud Orientales 6 aug. 1885.*

959 Peregrini tunc tantum possunt censuris ligari a iudice ecclesiastico particulari, ex. gr. ab episcopo, quum illius loci legibus ligantur. Vid. *Peregrinus.* Quare episcopus non potest coercere censura peregrinum violantem legem aliquam particularem illius dioecesis, imo nec violantem quidem legem iuris divini, etiamsi ea lex ibidem aliqua poena censurae fuerit munita, et ex. gr. si quis in ea dioecesi aliquid grave furatus sit, et furtum ibidem excommunicatione mulctetur; sed puniri posset censura peregrinus delinquens contra aliquam legem iuris communis ecclesiastici, ob cuius violationem fuerit ab ipso iure communi comminata poena excommunicationis. Aliis verbis, potest episcopus peregrinum ferire censuris, quae tamquam censurae ferendae sententiae in ipso iure communi contra delinquentes statutae sunt. Lugo *Respons. mor. lib. VI. dub. 22.* Et ratio est, quia tunc iste peregrinus sortitur forum episcopi ratione delicti, eiusque subditus fit, et praeterea est contumax, quia contempsit censuram illi delicto specialiter comminatam. — Alio in casu posset peregrinus censura puniri, nempe tunc, quum, postquam ipse deliquerit contra aliquam legem iuris divini seu communis ecclesiastici, et ratione delicti iudicatus fuerit ab episcopo loci, qui ei aliquam imposuit obligationem ad delictum admissum resarciendum, ex. gr. ut restituat ea quae furatus est, ut dotet vel uxorem ducat virginem quam stupro inhonoravit, ipse obligationi impositae non satisfaciat. Tunc enim, si episcopus excommunicationem ex. gr. minitetur, et delinquens hoc non obstante, non pareat, habentur duo elementa requisita, praeter alia, ad hoc ut episcopus censuram ferre possit; quum delinquens et sit subditus illius episcopi ratione delicti, et censuram contempserit. B. P. *VII. 45.*

Attamen, si peregrinus reus exiret e territorio, antequam eius causa cognosceretur ab episcopo loci, in quo deliquit, non posset amplius ab eo episcopo censuris feriri (neque enim tunc episcopus loci retinet amplius iurisdictionem in ipsum), nisi antequam exiret, citatione fuisset praeventus, quia tunc ratione iudicii inchoati quemadmodum episcopus loci iurisdictionem in ipsum retinet, ita et eum censuris coercere potest. *Cfr. c. 2. de sent. et re iud.* (*II. 11*) *inter Clem.* Notandum vero hic est, in casu proposito posse episcopum loci, in quo peregrinus reus, qui postea discessit, deliquit, rogare episcopum habitationis rei, ut ipsum ad se remittat, et tunc contra ipsum procedere. — Praeterea, si peregrinus delinquens esset superior, ex. gr. metropolita (nempe metropolita episcopi loci, seu ille metropolita, cui is subest, non alius quicumque archiepiscopus) non posset censuris affici ab illius loci episcopo,

nisi superior ille peccasset intra dioecesim alterius contra legem ab alio quopiam utriusque superiore sanctam, et in illius inferioris iurisdictione promulgatam, v. g. si leges circa administrationem alicuius orphanotrophii vel nosocomii, aut universitatis ita a Pontifice sancirentur, ut ad episcopum spectaret coercere perturbatores etiam per censuras. Ita B. P. *VII. 46.*

960 Etiam subditi proprii aliquando a iudice ecclesiastico censuris puniri nequeunt. Ad hoc enim ut iudex possit animadvertere in sibi subditum, necesse est, generaliter loquendo (vide superius dicta), ut is sit intra eius territorium; extra territorium enim ius dicenti non paretur impune. *c. 2. de constit.* (*I. 2*) *in 6°*. Hinc subditus, qui delinquit extra territorium proprii sui superioris ecclesiastici contra legem seu statutum generale suae dioecesis, etsi ea lex seu illud statutum fuerit censura munitum, censuram non incurrit, ut in specie declaratum est in cit. cap. 2°. *de constitutionibus in 6°*, quoad subditos alicuius episcopi, qui furati sint extra eius territorium, quamvis episcopus contra suos subditos furantes sententiam excommunicationis promulgasset. Ratio autem est, quia subditus extra territorium sui superioris exsistens non ligatur legibus territorialibus a superiore suo latis, et proinde contra eas leges non delinquit, et consequenter censuram non spernit, et contumax non est. B. P. *VII. 68.* Quod non solum valet, quum delinquens incipit et consummat delictum extra territorium sui superioris, sed etiam quum crimen in territorio superioris inceptum extra territorium consummat; nam censura non incurritur nisi ob delictum consummatum. Laymann *Th. mor. lib. 1. tr. 5. p. 1. c. 4. n. 6.* Attamen nota quod si delictum moraliter consummetur intra dioecesim, ut si parochus aut alius beneficiatus illegitime a parochia aut a residentiali beneficio absit, etsi reus extra territorium episcopi sit, puniri ab eo, censuris quoque, potest. Schmalzgr. *in tit. 39. lib. V. Decr. n. 50.* — Si autem subditus crimen committat in propria dioecesi, quam, admisso statim crimine, deserit et extra eius territorium abit, tunc certum omnino est, eum incurrere censuras latae sententiae; et patet, quia eas incurrit statim consummato delicto, et proinde antequam e dioecesi exeat; sed si quaestio est de censuris ferendae sententiae, nonnullis visum est, eum non posse amplius a suo episcopo puniri (Santi *in tit. 39. lib. V. Decr. n. 17*); at verius cum S. Alphonso (*VII. 22*) dicendum, et tunc puniri posse a suo episcopo, secus a nemine posset puniri. Eodem modo dicendum est, episcopum, in suo territorio exsistentem, censuris plectere posse suum subditum extra territorium delinquentem contra speciale praeceptum sub censura ei impositum ad aliquod delictum praecavendum (S. Alph. *VII. 23*); quamvis nonnulli (quos vide apud S. Alph. *loc. cit.*) contrarium senserint, quorum sententia nulli solido fundamento nititur. Laymann *loc. cit. l. 1. tr. 5. p. 1. c. 4. n. 7.* Ratio autem est, quia praeceptum superioris ossibus haeret, et personam afficit. Et ex hoc principio sequitur, praelatos regulares posse suos sub-

ditos ubicumque commorantes punire, etiam per generale statutum, nisi habeant iurisdictionem loco circumscriptam, ut sunt plerumque superiores non generales. Ratio autem est, quia iurisdictio horum praelatorum personas, magis quam territorium, afficit.

961 In personas morales (quippe quae, quum exsistant fictione iuris, iuribus quidem, quibus gaudent, interdici possunt, poenis spiritualibus, ut resipiscant, non possunt coerceri) censuras ferri non posse ait D'Annibale *I. 325.* Alii e contra distinguunt, et quamvis concedant excommunicatione puniri non posse aliquam communitatem (quod certum est ex capite 5°. tit. cit. [V. 11] in 6°), negant tamen communitati infligi non posse supensionem aut interdictum. In hoc tamen distinguendum est: suspensionem in communitatem latam afficere quidem etiam innocentes quoad iura, quae communitati, ut communitas est, spectant, non vero quoad iura, quae singulis communitatis membris competunt, ut singuli sunt. Hinc posset per suspensionem adimi capitulo canonicorum, penes quod esset cura habitualis animarum, ius agendi ea, quae parochialia sunt, non posset vero capitulo seu membris capituli adimi ius exercendi ministeria spiritualia, quod singula membra ut singuli habent. Quoad interdictum autem simpliciter concedunt, eo omnes obstringi, qui aliquam communitatem efformant, etiam innocentes. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 45. seqq.;* B. P. *VII. 77.* Verum discrimen, ni fallor, est potius in modo loquendi, quum hi latius, D'Annibale strictius nomen censurae sumat.

Posse autem aliquem ligari multi- 962
plici censura, quae censurae non eiusdem sint rationis, ut excommunicatione, suspensione et interdicto, evidens est. At quaerunt Doctores, utrum possit quis ob diversum delictum etiam ligari pluribus censuris eiusdem rationis, ex. gr. pluribus excommunicationibus. Et certa est responsio affirmativa ad quaestionem. *cc. 27. 42. tit. cit. X.* (*V. 39*). Ratio autem est, quia multiplicari possunt tituli, quibus aliquis aliquam privationem incurrit, quemadmodum possunt multiplicari tituli, quibus quis ad aliquid tenetur, ut ex. gr. religiosus sacerdos tenetur ad castitatem duplici titulo, ordinis scilicet seu voti ordini adnexi, et professionis religiosae. Cfr. Schmalzgr. *loc. cit. n. 51. sqq.* Et hoc fieri potest non solum ab homine et a iure, sed etiam pluries sive ab homine sive a iure, nec solum per diversas sententias, sed et per eamdem. B. P. *VII. 78.*

Bene autem adnotat D'Annibale (*I. 327*), aliquem propter idem peccatum ab eodem iudice pluribus eiusdem speciei censuris obnoxium fieri, alienum videri a regulis iuris. *arg. c. 4. de iudiciis X.* (*II. 1*). Quam sententiam confirmare videtur responsio S. Congr. Un. Inquis. ad archiep. Firmanum *8 iul. 1874,* qua ad quaestionem: an peccans in materia, quam et const. «Apostolicae Sedis» et concilium tridentinum attingunt, in duplicem excommunicationem incidat, alteram Rom. Pontifici specialiter reservatam vi supradictae constitutionis, alteram simpliciter reservatam vi concilii tridentini, et proinde, an usur-

patores bonorum ecclesiasticorum duplici innodentur excommunicatione; responsum est: negative, sed subiici censurae speciali modo reservatae Romano Pontifici in constit. « Ap. Sedis » *art. 11.*

963 Tandem advertendum est, censurarum subiectum, quum in odiosis versemur, stricte esse interpretandum; quare latae in populum non tenent clerum, nec e converso (*16. tit. cit.* [*V. 11*] *in 6°*), imo nec religiosos (D'Ann. *I. 325.* [*12*]); latae in clericos non tenent regulares, qui clerici non sint; latae in regulares tenent eos tantum, qui vota habent solemnia. D'Ann. *I. 325.*

964 Ut tandem absolvamus ea, quae ad subiectum censurarum spectant, obiter animadvertimus, nec creaturas irrationales, nec homines non baptizatos, catechumenis non exclusis, nec furiosos aut amentes, nec mortuos, nec infantes subiectum esse censurarum. Neque huic assertioni obstat caput quintum *de haereticis X.* (*V. 7*), ubi statuitur, saltem post mortem dicendum esse anathema episcopo, qui heredem instituerit haereticum extraneum aut consanguineum. Illud enim anathema, post mortem in huiusmodi episcopum latum, non fuit, nisi externa manifestatio seu declaratio illius anathematis, quod ipse incurrerat vivus, dum ita testatus est, haereticis quodammodo favens. Quae externa declaratio in bonum fidelium fieri iussa est.

965 ***Causae excusantes.*** — Loco generalis cuiusdam principii quoad hanc rem habendum est: quidquid excusat a culpa gravi, excusare etiam a gravi censura, imo excusare etiam quidquid excusat a delicto, seu etiam tantum a contumacia, licet hoc a gravi peccato aliquando non excuset. Imo notandum, quod, quamvis a censuris, qua sunt tantum poenae, non excuset quidquid excusat a contumacia, ut est ignorantia voluntaria et culpabilis, quemadmodum statim dicemus (nam in his contumacia plerumque locum ne habere quidem potest), excusat tamen quidquid a delicto excusat. Cfr. D'Ann. *Comm. in const. « Ap. Sedis » n. 8.*

Magis autem in particulari haec 966
sunt notanda. A censura incurrenda excusat ignorantia (nempe ignorantia non tantum peccati, quod admittitur, sed etiam prohibitionis sub censura ab ecclesia factae; secus contemptus censurae, ac proinde contumacia, haberi non potest), tum facti tum iuris (*cap. 2 de const.* [*I. 2*] *in 6°*), dummodo crassa non fuerit aut supina (*c. 2. de constitut.* [*I. 2*] *in 6°.; S. U. I. ian. 1892*), imo etiamsi crassa, si lata fuerit in *temere* facientes (cfr. resp. *S. U. I. 1 febr. 1871.*; B. P. *VII. 98. sqq.*); et metus gravis (Laymann *l. 1. t. 5. p. 1. c. 5. n. 9*), nisi legis observantia necessaria sit pro conservatione boni publici, aut eius violatio cedat in contemptum fidei vel legis vel potestatis ecclesiasticae. Reiffenstuel *in lib. V. Decr. tit. 39. n. 47.* Quare in hoc casu metus cuiusdam gravis (praeter exceptionem positam), etiamsi quis ponat actionem peccaminosam, quia ex. gr. est contra ius divinum, non incurrit tamen censuram, ob gravem enim metum excusatur a praecepto ecclesiastico, cuius violationi censura adnexa est. Hinc dicit Suarez (*de leg. lib. III. c. 30.*

n. 14) ex Navarro (*Summ. cap. XXVII. n. 41*), eum non incurrere excommunicationem latam in Clementina unica de consanguinitate et affinitate, tunc temporis vigentem, qui ex metu gravi matrimonium contrahit cum consanguinea. Pro censuris ab homine requiritur monitio (secus in casu ne concipi quidem posset contemptus censurae) eaque triplex, vel una tribus aequivalens, non item pro censuris a iure. Vid. *Monitio canonica.*

967 ***Cessatio.*** — Nisi irrogata fuerit conditione resolutiva, quae postea fuerit impleta (cfr. Salmanticenses *X. II. 15*), censura ipso iure non cessat, sed ad hoc exigit absolutionem.

Et certe censuram ex se neque emendatione delinquentis (*prop. 44. damn. ab. Alex. VII*), neque morte iudicis ecclesiastici, qui censuram dixit (*c. 11. de off. iud. ord. X* [*1. 31*]) neque morte ipsius censurati (*cc. 28. tit. cit. X.* [*V. 39*]; *c. 20 tit. cit.* [*V. 11*] *in 6°.*; quia tunc perdurat effectu, quum fideles prohibeantur aliquando eum in loco sacro sepelire etc.) cessare in iure statuitur aperte. Cfr. etiam *c. 58. tit. cit. X.* (*V. 39*); Suarez. *de cens. disp. VII. sect. 1. n. 1. sqq.* Absolutio autem a censuris dari potest vel tantum in foro interno, vel in utroque foro, idest tum interno, tum externo. Porro qui in foro tantum interno a censura absolutus fuerit, is debet, quoadusque et in foro externo fuerit absolutus, se habere et gerere, quemadmodum si a censura nullo modo esset absolutus, proinde si fuisset excommunicatus, non potest missae interesse, sacramenta recipere, etc., si nempe eum censuram incurrisse in foro externo constiterit, veluti per publicam sententiam aut declarationem censurae incursae ab episcopo factam, aut alio modo iudicialiter. Cfr. *Instr. S. C. P. F. ad Miss. Congr. 14 ian. 1726.*

968 A censuris ab homine latis sive per modum sententiae particularis, sive per modum praecepti, absolvere is tantum potest, qui eas tulit (*c. 1. de reg. iur. X.* [*V. 41*]; dummodo interim iurisdictionem non amiserit, aut ipse censuram non inflixerit ex commissione ipsi facta nudi ministerii, aut eius censura non evaserit censura papalis ex illius confirmatione a Papa facta, aut is non fuerit delegatus Papae et iam annus fuerit praeterlapsus ex quo sententiam dixit [*c. 26. de off. et pot. iud. del. X. - I. 29* -], aut non tulerit sententiam in incendiarium, quia tunc ipso iure Papae reservatur, Schmalzgr. *loc. cit. n. 88*), vel eius superior (idest pleno iure superior; quare archiepiscopus relate ad subditos suffraganei sui, vel patriarcha aut primas relate ad subditos archiepiscoporum et episcoporum sui patriarchatus aut primatus non possunt absolvere a censuris, nisi in casu, quo legitime visitant dioeceses episcoporum subditorum, aut in casu appellationis ad ipsos factae [*cc. 5. 7. tit. cit. - V. 11. - in 6°*], Schmalzgr. *l. c. n. 90, sqq.*; cfr. *S. C. P. F., pro patr. Marontt. 17. febr. 1772. ad 3*), aut successor (*c. 40. C. XI. q. 3.*; *c. un. de maior. et obed.* [*I. 17*] *in 6°*; Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 16. de ref.*), aut delegatus (*c. 68. de reg. iur.* [*V. 12*] *in 6°*; *c. 26. de off. et pot. iud. del. X.* [*I. 29*]). Nota autem, exceptionem dari circa as-

sertionem factam: superiorem scilicet absolvere posse in censura inferioris. Et ea est, quum agitur de regulari censurato ex illis, qui episcopo subiecti sunt. Nam si praelatus regularis ex causa ad religiosam disciplinam spectante censuram tulit in suum subditum, is nequit ab episcopo absolvi, nisi intercesserit appellatio. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 90.*

969 A censuris vero latis a iure (et verius etiam ab homine per modum sententiae generalis, B. P. *VII. 137*) non reservatis absolvere potest quilibet confessarius (et haec absolutio valet etiam pro foro externo, Schmalz. *l. c. n. 95. sqq.; S. C. C. 14 iun. 1591*); a reservatis ab ordinariis locorum nonnisi ordinarii ipsi (aut Romanus Pontifex, ut patet), vel illi tantum, quibus ab ipsis nominatim datum fuerit, etiamsi censuratus domicilium alio transtulerit, vel factus sit regularis etc. (S. Alph. *VI. 590. sqq., VII. 95. sqq.*); a reservatis a R. P. absolvere aliquando poterant episcopi ipso iure (cfr. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 6. de ref.*); alii, nonnisi nominatim ipsis fuerit concessa facultas, quae potestas, si data sit a R. P., non comprehendit reservata ab ordinariis locorum (*c. 2. de poenit.* [*V. 10*] *in 6°*; *S. C. C. a. 1602*), nec reservata ipsi R. P. speciali modo (cfr. *clausulam 1 seriei excomm. in const.* «Ap. Sedis»), et si data sit etiam quoad haec, non comprehendit casus absolutionis complicis in peccato turpi et denunciationis calumniosae sollicitationis. *S. U. I. 17. iun. 1866. de mand. SSmi. 14 apr. 1871.*

970 Diximus a reservatis a Romano Pontifice absolvere potuisse aliquando episcopos ipso iure. Porro haec facultas ita intelligenda erat. Scilicet, ait D'Annibale (*I. 346*), episcopi ex veteri iure absolvunt mulieres, senes (*cc. 6. 13. 58. tit. cit. X.* [*V. 39.*], idest sexagenarios, S. Alph. *VII. 88*), regulares (*cc. 1. 32. 33. 50. tit. cit. X.* [*V. 39*]), eos, qui sui iuris non sunt (*c. 6. tit. cit. X.* [*V. 39.*]), ut servi (*c. 37. tit. nuper cit.*) et filii familias, quamdiu sub patria potestate continentur, et generaliter quotquot adeundi superiorem impedimento laborant (*c. 59. tit. nuper cit.*), sive occultus sit casus, sive publicus, quum lex non distinguat. Et ex concilio tridentino absolvunt omnes casus occultos Romano Pontifici simpliciter reservatos, omnesque suspensiones ex delicto occulto provenientes. Verum notandum, potestatem, quam episcopis facit vetus ius, a potestate, quae ipsis a tridentino est, discrepare non solum in eo, quod haec tantummodo illis competit, qui dioecesim habent, dum illa omnibus spectaret, qui potestatem haberent etiam quasi episcopalem, ut vicariis capitularibus, sed etiam quod ista exerceri ab eis potest in foro conscientiae (Vid. *Forum*) et in subditos suos ac in propria dioecesi (disputant auctores, utrum istud in propria dioecesi referatur ad episcopum absolventem, vel ad subditum absolvendum; D'Annibale vero *l. c.* putat, quum res dubia sit, sufficere, ut vel episcopus vel absolvendus in dioecesi versetur); illa autem limitibus non coercebatur, et exerceri poterat per delegatum universaliter quoque, dum facultas tridentina exercenda ab ipsis est vel per se ip-

sos vel per vicarium ad id specialiter deputandum. Ex recenti decreto S. Congr. Univ. Inquis. *23 iun. 1886* antiqua potestas episcoporum absolvendi eos, qui Romam venire non poterant, sublata est; attamen ipsis manet potestas a tridentino facta.

Si quis igitur censuram incurrerit, a qua episcopus absolvere nequeat, et nullus alius praesto sit, qui hanc habeat facultatem, debet per litteras recurrere ad S. Poenitentiariam, ad hoc ut possit absolvi; in casibus autem vere urgentioribus, in quibus absolutio absque periculo gravis scandali et infamiae differri nequit (imo quotiescumque durum valde sit pro poenitente in gravi peccato permanere per tempus necessarium ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi a reservatis, etiamsi nec infamia nec scandalum sit in dilatione absolutionis, *S. U. I. 16 iun. 1897*), absolvi directe potest (*S. U. I. 19 aug. 1891, 30 martii 1892*) a quolibet confessario, sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per ipsum confessarium absolutus recurrat ad S. Sedem. Haec ex decreto S. U. I. *23 iun 1886.*; si vero confessarius sit illinc obiter transiens, qui proinde poenitentem iterum non sit visurus, sufficit, ut poenitens eidem promittat, se scripturum, tacito quoque nomine, ad S. Poenitentiariam intra mensem, et obtemperaturum eius mandatis. *S. Poen. 7 nov. 1888.*

Imo, si quando neque confessarius, neque poenitens epistolam ad S. Poenitentiariam mittere possent (quod locum haberet in casu nuper memorato, si poenitens scribere vel nescit vel nequit; et de facto declaratum est, necessarium non esse, ut impedimentum adstringat simul confessarium et poenitentem, sed sufficere, quod poenitens scribendi impar eidem confessario se iterum praesentare nequeat, et ipsi durum sit alium confessarium adire, *S. U. I. 5 septemb. 1900.*), et durum sit poenitenti adire alium confessarium; tunc licet confessario poenitentem absolvere, absque onere mittendi epistolam, etiam a casibus S. Sedi reservatis (*S. U. decr. 9 nov. 1898. approb. et confirm. a Leone XIII. die 12 eiusdem mensis et anni*), omnibus omnino (non solum sub censura, sed etiam sine censura reservatis, ut esset falsa denunciatio sollicitationis, cfr. Monit. Eccl. *vol. XII. pag. 373*), nullo excepto: neque enim aliud habetur, quam liberatio, in casu necessitatis, oneris scribendi, quod prius impositum fuerat. Cui assertioni non videtur contraire decretum eiusdem S. Congr. Un. Inquis. *7 iun. 1899*, quo declaratum est, casum de illicita absolutione complicis in decreto *9 nov. 1898* non comprehendi. Ratio autem est, quia in poenitente *sacerdote et confessario,* qui in regionem extraneam se contulerat ad recipiendam absolutionem (et de hoc agebatur in casu proposito), non poterat admitti neque inscitia neque impossibilitas scribendi. — Attamen, si ageretur de sacerdote, qui complicem absolvit, et qui ad scribendum impotens evaserit, puta ex apoplexia, in decreto *9 nov. 1898* etiam hunc casum comprehendi non immerito dici videretur.

Si quis autem, postquam ita est absolutus a reservatis S. Sedi, malit recurrere ad episcopum, qui facultatem habeat delegatam absolvendi a praedictis reservatis (quae facultas episcopis concedi solebat per quinquennale folium a S. Congr. de Propag. Fide), vel ad eius vicarium generalem (vel ad alium confessarium habentem facultatem absolvendi a S. Sede, a quo tamen debet petere novam absolutionem, *S. U. I. 19 aug. 1891*), potius quam litteras dare ad S. Poenitentiariam, potest hoc medio uti; attamen recursus ad quemlibet sacerdotem habitualiter subdelegatum ab ordinario ad absolvendum ab his papalibus reservatis non sufficeret. *S. U. I. 19 dec. 1900.* Quare in similibus casibus concessum est episcopis, ea salutaria monita tradere, et mandata imponere, quae prius a S. Sede tantum audire vel recipere absolvendi debebant.

Decretum 23 iun. 1886 semper sic accipiendum est, si fieri possit citra omne prorsus non improbabile evulgationis periculum; et non pertinet ad casus ordinariis reservatos. D'Ann. *I. 348, (40).* In his vero casibus et in periculo evulgationis standum est antiquo iuri; idest, qui perpetuo impedimento laborant, simpliciter; qui diuturno tantum, cum onere adeundi superiorem, impedimento cessato, absolvi possunt a suo episcopo vel proprio sacerdote (*vel,* quod a nonnullis existimatur disiunctive sumendum esse, praesertim quando ne episcopus quidem adiri possit. D'Ann. *I. 348. (34)*; Bucc. *Comm. de censuris 64;* Lehmkuhl *II. 880. 2.*

In articulo (vel periculo, cfr. *S. U. I. ad arch. Cincinnaten. 15 septemb. 1859*) mortis quilibet confessarius a quibuslibet censuris poenitentem absolvere potest (Conc. Trid. *sess. XIV. c. 7.;* Rit. Rom. *tit. III. c. 1. n. 23*) sine obligatione se sistendi superiori et standi eius mandatis, recuperata valetudine, nisi agatur de censuris speciali modo tantum Romano Pontifici reservatis. *S. U. I. 17 iun. 1891, 16 ian. 1892.* In quo casu necesse est, ut, si convaluerit, stet mandatis ecclesiae, quae obligatio hoc importat, ut quis sive per se, sive per confessarium recurrat ad Summum Pontificem, eiusque mandatis obediat, vel novam absolutionem petat ab habente facultatem absolvendi a censuris S. Pontifici speciali modo reservatis. *S. U. I. 19 aug. 1891.* Sermo hic est de censuris omnibus a iure latis imo et ab homine, si agatur de excommunicatione (quia secus non posset dari licite absolutio a peccatis), vel etiam de interdicto personali (quia secus sepultura ecclesiastica dari nequiret), non autem si agatur de suspensione, quia tridentinum hic cavet his tantum, quae animarum intersunt. D'Ann. *I. 348. (44).* — Si quis ante mortem manifesta poenitentiae signa dederit, nec per eum steterit, quominus beneficium absolutionis obtinuerit, post mortem ritu ab ecclesia praescripto ab eo absolvendus est, a quo dum viveret fuerat absolvendus, et absolutus habere debet ecclesiasticam sepulturam. Cfr. Rit. Rom. *tit. III. c. 4.*

Regularium praepositi praesenti 972
iure nullum habent generale privilegium absolvendi, etiam suos subditos, a casibus et censuris per constitut.

« Apost. Sedis » Romano Pontifici reservatis; nam privilegia, quae ipsis antiquo iure circa hoc competebant, sublata sunt per eamdem constitutionem. Hoc constat etiam responsionibus S. Poen. *5. dec. 1873.* et S. U. I. *22 mart. 1881.* Quare praelati regulares subditos suos absolvere possunt tantummodo quoad casus episcopis in const. « Apost. Sedis » reservatos, et quoad casus spectantes ad internum suorum ordinum regimen reservatos, quamvis Romano Pontifici sint reservati, dummodo tamen in praedicta constitutione non fuerint recensiti. *S. U. I. 22 mart. 1881.*

973 Tum absens etiam ab episcopo absenti a dioecesi (Schmalzgr. *loc. cit. n. 102*), tum inscius (B. P. *VII. 321. sqq.*), tum invitus (S. Alph. *VII. 117*), tum ab aliqua censura tantum, quamvis non ab omnibus, absolvi potest. G. B. *l. c.* Et absolvi potest etiam per litteras aut per internuncium; attamen si agatur de facultate a tridentino (*sess. XXIV. c 6*) episcopis concessa, videtur dicendum, absolvendum debere esse in dioecesi, quamvis episcopus sit absens, ea enim concessum ipsis est, ut quoscumque sibi subditos in dioecesi sua absolvant (cfr. Lugo *de fide disp. 23. n. 73. 76;* G. B. *II. 766.* [*39*]): attamen nota, clarissimo D'Annibale (*I. 346*) satis esse, ut alteruter, scilicet sive episcopus sive absolvendus, in episcopi dioecesi sit.

974 Advertendum vero, quod, si alicui delegata esset facultas absolvendi a censura sub his clausulis: *in forma ecclesiae consueta,* vel *in confessione sacramentali,* is non posset absentem, aut per litteras absolvere. Ratio est pro prima clausula, quia forma ecclesiae consueta pro foro interno ea est, qua utimur in foro sacramentali, pro externo est forma solemnis, quam praescribit Rituale Romanum *de sacram. poenit. cap. 3.* Attamen addit D'Annibale (*I. 353.* [*12*]) ex Suarez (*de censuris disp. VII. sect. 5. n. 43*), absolutionem, etsi non datam in forma consueta, valere, quum ea clausula potius ut monitio, quam ut conditio, intelligenda est apposita.

Quaerunt hic doctores, quid dicen- 975
dum sit de eo, qui confessus est sua peccata superiori suo, nempe sive ordinario, sive delegato, et in confessione oblitus fuerit alicuius peccati reservati aut reservatae censurae; an nempe iterum superiorem adire debeat illius obliti peccati seu censurae absolutionem petiturus. Et controvertitur inter ipsos. Et placet sententia, quae affirmat reservationem ademptam fuisse si nempe superior dixerit: ego te absolvo ab omni vinculo. Quae sententia S. Alphonso (*VI. 597. VII. 131*) probabilis, D'Annibale (*I. 353*) verior videtur. Ratio autem huius brevis et cogens: nam voluntas ea praesumitur, quam verba demonstrant; maximè si absolverit in foro sacramentali, et de his censuris agatur, quibus prius non absolutis, nefas est a peccatis absolvere.

Imo notanda hic est responsio sa- 976
crae Congr. Un. Inquis. sub Paulo IV (*10 sept. 1556*), qui per eam declaravit et concessit, quod, si de cetero contingeret aliquem ad sacramentum confessionis accedere, quacumque ec-

clesiastica censura innodatum, quam et ipse et confessarius penitus ignorarent, beneficium absolutionis ab eodem confessario consequi posset, perinde, ac si nullo ecclesiae vinculo esset innodatus; et casu, quo postea de huiusmodi censura ipsum sic absolutum notitiam habere contingeret, non teneretur peccata tempore ignorantiae huiusmodi iam confessa, de novo confiteri, neque novam absolutionem de eisdem peccatis quaerere et consequi, sed, absolutione peccatorum iam obtenta, quietus absolutionem ab excommunicatione, cuius notitia sibi supervenit, quaerere teneretur.

977 Absolutio praeterea danda est scienter et libere, nec valet data per errorem circa causam motivam (*c. 42 tit. cit. X.* [*V. 39*]; S. Alph. (*VII. 132*), vel extorta metu gravi aut iniusto ad obtinendam absolutionem incusso. *c. un. de iis, quae vi etc.* (*I. 20*) *in 6°*. Debet etiam dari aliquo signo externo seu sensibili (*arg. c. 4. de excomm. etc.* [*V. 10*] *inter Clem.*), quamvis non sit necessarium, eam in scriptis dare, aut causam censurae incursae exprimere. Praeterea ut absolutio licita sit, tum si a iudice ordinario, tum si a iudice delegato detur, necesse est, ut censuratus ante absolutionem contumaciam deposuerit, et parti laesae, si quae est, satisfecerit (*c. 8. de off. iud. ord. X.* [*I. 31*]; Schmalzgrueber *loc. cit. n. 100 sqq.*); aut saltem praestiterit cautionem (*c. 2. tit. cit.* [*V. 11*] *in 6°*), ad minus iuratoriam (*c. 8. nuper cit. X.* [*I. 31*]) satisfaciendi. Quod autem de cautione dicitur, intellige pro foro externo, nam pro foro interno sufficit sincera promissio.

Iuxta plures, irretitus censura tenetur petere absolutionem, cum primum poterit absque incommodo gravi, secus peccat. D'Annibale *I. 356*. At non immerito advertit Palmieri (B. P. *VII. 131*), teneri quidem censuratum deponere contumaciam, in qua si permanendi novam habeat voluntatem, novum admittit peccatum; attamen non perspici rationem, cur, vel deposita contumacia, vel ea non renovata per novum voluntatis actum, novum debeat dici admitti peccatum ab eo, qui, quum primum poterit, absolutionem a censura non petit. Ratio autem eius brevis et efficax: neque enim dicimus, qui letale admisit teneri ad absolutionem petendam, quam primum poterit; ergo et hic a pari. Nisi tamen, ut patet, necesse sit accipere absolutionem a censuris, ut quis alteri cuipiam praecepto satisfaciat, ex. gr. praecepto communionis paschalis. 978

Quoad absolutionem a censuris, Vid. etiam *Reincidentia*.

Effectus. — Censura adimit non 979
solum in foro externo, sed etiam coram Deo *usum* tantum quorumdam bonorum spiritualium (una excepta excommunicatione, quae a nonnullis quoque aliis bonis prohibet), non res ipsas, ideoque nec iura sive realia sive personalia, nec personalem capacitatem ad illa, nisi id in iure sit expressum (excepta etiam quoad hoc excommunicatione). Vid. *Excommunicatio*. Qui censura innodatur, bona haec spiritualia, a quibus prohibetur, nec petere sibi, nec praebere aliis potest, etiamsi sit excommunicatus non vitandus. *Constit.* « Ad evitanda »

Mart. V. Ab aliis fidelibus vero toleratus haberi potest tamquam non censuratus. S. Alph. *VII. 139.* Qui censuram violat, letali non caret (Thesaurus *de poenis I. 26*), sed poena non mulctatur, nisi fuerit clericus et censuram violaverit ordinem exercendo; is enim ex hoc fit irregularis. *c. 1. de sent. excom. in 6°.* Ob insordescentiam in censuris clericus potest etiam suo beneficio privari. Conc. Trid. *sess. XXV. c. 3. de ref.*

980 Censura evidenter iniusta, sive tantum formaliter, sive tantum materialiter (*c. 1. de sent. et re iud. X.* [*II. 27*]), est etiam nulla (S. Alph. *IV. 215*), neque in externo, neque in interno foro ligat per se; quare qui eam violaret, non incurreret poenas statutas contra violantes censuras. Attamen eam contemnere, si absque scandalo fieri nequeat, ex caritate non possumus.

981 A censura semel lata non datur appellatio in suspensivo, sed tantum in devolutivo (*cc. 37. 53. de appellationibus X.* [*II. 28*]); quare iudex, qui prior sententiam dixit, etiam post appellationem, potest excommunicatum declarare vitandum. *c. 53. tit. cit. X.* (*II. 28*).

Appellatio tamen a censuris ab homine latis sub conditione admittitur non solum quoad effectum devolutivum, sed etiam quoad suspensivum ante eventum conditionis, etsi non servetur conditio. *c. 40. tit. cit. X.* (*II. 28*). Ratio autem facilis, quia ideo censura absolute lata non admittit appellationem in suspensivo, quia ipsa iam arctat ante appellationem, quum excommunicatio, a qua hoc ad alias quoque censuras translatum est, secum trahat exsecutionem (*c. 53 tit. cit. X.* [*II. 28*]); censura autem sub conditione lata non arctat censuratum ante purificationem conditionis. Hinc, si quis ante conditionis eventum appellet, quum ex una parte nondum censuratus sit, et ex alia per appellationem suspensa maneat iudicis iurisdictio (*c. 10. de appellationibus* [*II. 15*] *in 6°*), sua appellatione facit ut censura ipsa in suspenso maneat; quare haec appellatio effectum quoque suspensivum habet.

Pariter et ex eadem ratione effectum admittit devolutivum simul et suspensivum appellatio a comminatis censuris. Hinc addit Mühlbauer (*Th. res. S. C. C. v. Appellatio 15*), deducitur, quod, si quis citetur ad adducendam rationem, quare non debeat censura plecti, hic, si sententiam habeat contrariam, appellare possit; si contra citetur ad adducendam rationem quare non debeat declarari incidisse in excommunicationem, appellare non possit.

Quum autem recusatio iudicis, quae legitime interponatur, suspendat iurisdictionem iudicis recusati eodem modo ac legitima appellatio, si quis in causa censurae iudicem legitime recusaverit, non potest iudex, hac recusatione non obstante, contra eum ad censuras devenire; et si devenerit, sententia est ipso iure nulla. Cfr. Pierantonelli *Praxis fori ecclesiastici tit. 6. n. 19.*

Sententia censuram infligens num- 982
quam transit in rem iudicatam, quum quis ab ea semper habeat recursum ad Apostolicam Sedem (*c. 36. de off. et pot. iud. deleg. X.* [*I. 29*]), quam-

vis post decem dies ab ea appellari stricto sensu amplius non possit.

Quoad censuram dubiam, Vid. *Dubium.*

Decr. Grat. c. 2. d. V.; C. IX. q. 1.; C. XI. q. 23; C. XXIV. q. 1. 2. 3; d. 2. de Cons.; tit. de sententia excomm. etc. X. (V. 39); idem tit. (V. 11) in 6°; idem tit. (V. 10) in Clem.; idem tit. (13) in Xvag. Ioann. XXII; idem tit. (V. 10) in Xvag. comm.; Conc. Trid. sess. XXII. cap. 11. de ref.; sess. XXIV. c. 9. de ref.; sess. XXV. cap. 12. 18. de reg. et cap. 3. 19 de ref.; *Margallo P.* De censuris ecclesiasticis etc.; *Borgasius P.* Tract. de irreg.... et de censuris; *Cattanei S.* Tr. de censuris eccl.; *Zecchius L.* Casuum episc. reservatorum et censurarum eccles. explicatio; *De Avila S.* De censuris ecclesiasticis; *Ugolini B.* De censuris eccl.; *De Tapic P.* De censuris et poenis eccl.; *Vibaldi M. A.* De censuris etc.; *Suarez F.* De censuris; *De Avila S.* De censuris eccl.; *Comitolus P.* Resp. moralia lib. 6; *Sayrus G.* Thes. cas. consc. de censuris eccl. etc.; *De Coninck Aeg.* De censuris eccl. etc.; *Alterii M.* De censuris; *Hurtado G.* Tract. de censuris et matrim.; *Merceri G.* De censuris; *De Moia M.* Quaestiones selectae de censuris; *De Vega F.* De censuris; *Leander de SS. Sacr.* De censuris eccl.; *De Avezan I.* De censuris eccl.; *Gibalinus I.* Disq. can. et th. de sacr. iurisd. in ferendis poenis et censuris eccl.; *De Dicastillo L.* Tr. de iuram.... de censuris et poenis eccl.; *Feliciani F.* Tr. de censuris eccl. etc.; *Castropalao* Op. mor. p. VI. tr. 29; *Van Espen* Tr. de censuris eccl. Op. p. VI.; *Wasserschleben* Die Bussordnungen der abendländischen Kirche; *Stremler* Traité des peines eccl.; *Frank* Die Bussdisciplin der Kirche bis zum 7 Jahrhundert; *Hinschius* KR. IV. 695 ff., V. 85 ff., 633 ff.; *Hausmann* Gesch d. päpstl. Reservatfälle; *Probst* Sacramente und Sacramentalien in den ersten drei Jahrhunderten s. 296 ff.; *München* Das kan. Gerichtsverfahren u. s. w. II. 1.ff.: *Bucceroni I.* Comm. de censuris: *Katz E.* Grundriss des kan. Strafrechts; *Schmitz* Die Bussbücher und Bussdisciplin der Kirche; *Gonelea E.* De censuris l. s. iuxta hodiernam disciplinam: *Joder I. C.* Index cas. et censurar. in un. eccl. iure novissimo vigentium (in Arch. f. k. KR. LXXIV 18 ff.); *Bonacina A.* Censurae l. s. nunc vigentes; *Hilarius a Sesten* Tr. de censuris eccl.; *Hollweck J.* Die kirchlick. Strafgesetze p. II. §§ 23 ff.; *Sägmüller* KR. §§ 173; *Köck J.* Die kirch. Zensuren latae sententiae; *Fannucchi* De absolutione a censuris.

Censura librorum. — ***De ipsa librorum censura, de libris eidem subiiciendis et de personis, quae his legibus subsunt.*** — Ex catholicis principiis de potestate ecclesiae constat evidenter, ecclesiae potestatem esse non solum prohibendi fideles a lectione librorum, sive qui pravi sint, sive qui ipsis aliquod offerant periculum; sed etiam cogendi auctores, ut sua opera, antequam ea in vulgus spargantur, praeviae censurae auctoritatis ecclesiasticae submittant. 983

Si autem quaeramus an et quomodo ecclesia hac sua auctoritate usa sit, haec sunt animadvertenda ex constitutione Leonis XIII. « Officiorum ac munerum ». *Omnes fideles* tenentur praeviae censurae ecclesiasticae eos saltem subiicere libros, qui divinas scripturas, sacram theologiam, historiam ecclesiasticam, ius canonicum, theologiam naturalem, ethicen aliasve huiusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit. (a. 41).

985 Ex quo articulo patet tres distingui operum species, ea scilicet, quae argumenta tractant, quae religionis et morum honestatis specialiter intersunt; ea, quae tractant sacram theologiam et alia argumenta in eo articulo recensita; ea demum, quae ab his diversa argumenta pertractant.

a) Quoad ea quae ad primam classem pertinent, non solum libri, sed omnia omnino scripta, cuiuscumque formae et molis, libelli proinde etiam minoris formae, libelli quoque periodici, imo etiam singulare folium (Vermeersch *Comm. in const.* « *Officiorum ac munerum* » *n. 118*[a]) indigent praevia censura. Quaenam autem sint ea scripta, quae specialiter religionis et morum honestatis intersint, non adeo facile est definire; res pendet e variis circumstantiis temporum et etiam locorum: quare id quod eodem tempore vigore istius clausulae Romae subiiciendum censurae non est, poterit esse subiiciendum Parisiis et viceversa. Religioni autem ex. gr. nunc specialiter interesse dicerem ea, quae modernismum spectant, etiamsi non agant de iis rebus, quae ad primam partem memorati articuli pertinent. Pariter morum honestatis specialiter interesse posset alicubi et certis in circumstantiis quaestio ex. gr. de requisitis ad impotentiam constituendam; quo in casu proinde non solum libri, sed quodcumque scriptum de iis tractans subiiciendum esset praeviae censurae. Ex dictis patet, in his casibus necessitatem praeviae approbationis non effugere ipsas ephemerides. Et quamvis quoad hoc facile concordemus cum Vermeersch (*l. c. 3.*) aiente: « Verum quo facilior ac magis humana fiat legis exsecutio, solent catholicae ephemerides rem amice componere cum episcopo, ut is v. gr. tamquam censorem approbet unum ex redactoribus etc. », nullo modo convenire possumus cum Génicot (*Th. mor. I. 458. 7*) docente: « Iamvero in plerisque regionibus putamus hunc usum vigere, ut in foliis et periodicis, quae non unice argumentum plane religiosum tractant, edantur, sine praevia censura, etiam articuli, qui ex argumenti natura revisioni subiacerent, dum censurae subiiciuntur libelli periodici, qui toti in argumento prorsus religioso versantur, qualis est theologia dogmatica vel moralis, ius canonicum, ascetica. Alii (ut Hollweck) censent nulla periodica subiacere censurae, quia non nominantur et personae redactoris fidit ecclesia. » Nam, ut optime animadvertit Lega (*de iudiciis III. 408 in nota*) mirum est quod quis contra praescriptionem Leonianae constitutionis vix promulgatae consuetudinem invocare possit.

b) Quoad ea scripta, quae divinas scripturas, sacram theologiam, historiam ecclesiasticam, ius canonicum, theologiam naturalem, ethicen aliasve huiusmodi religiosas aut morales disciplinas pertractant, ut essent tractatus de rebus liturgicis et iuris naturalis (Vermeersch *l. c. 117. 2*), subiacent praeviae censurae ea tantummodo scripta, quae libri nomen merentur, scilicet ut videtur, ea omnia et sola typis impressa, quae volumen constituunt certae molis, in quo unitas quaedam inveniatur conceptus et materiae. Gennari *Della nuova disciplina*

sulla proibizione e sulla censura dei libri, tit. 1. pag. 25; Vermeersch *l. c. 33.*

c) Quoad ea tandem, quae diversa ab his argumenta pertractant, nec ea sint, quae religionis morumve honestatis specialiter in casu particulari intersint, distinguendum est. Nam quaedam sunt, circa quae peculiare aliquid est statutum, ut scripta, quae novas narrant apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula, aut quae novas inducunt devotiones, quae, si sine episcopi approbatione edantur, proscribuntur (a. 13); imagines novae sive preces habeant adiectas, sive absque illis edantur, quae sine ecclesiasticae potestatis licentia publicari non possunt (a. 15); indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia etc., in quibus earum concessiones continentur, quae publicari nequeunt absque competentis auctoritatis licentia (a. 17); litaniae omnes praeter antiquissimas et communes, quae in breviariis, missalibus, pontificalibus ac ritualibus continentur, et praeter litanias de B. Virgine, quae in sacra aede Lauretana decantari solent (addita invocatione *Regina Sacratissimi Rosarii* post aliam *Regina sine labe* etc. [*S. R. C. 10 dec. 1883*], et *Mater boni consilii* post aliam *Mater admirabilis* [*S. R. C. 22 apr. 1903*]) et litanias Ss. nominis Iesu (quibus nuper facta est additio: *Per ss. eucharistiae institutionem tuam libera nos, Iesu,* post aliam: *Per ascensionem tuam* etc., *S. R. C. 8 febr. 1905*) iam a S. Sede approbatas (quibus adde nunc etiam litanias Ss. Cordis Iesu ab eadem S. Sede pro universa ecclesia approbatas decreto 2 aprilis 1899 et alias S. Ioseph Sponsi B. Mariae Virginis eodem modo approbatas decreto 18 martii 1909), quae edi nequeunt sine revisione et approbatione ordinarii (a. 19); libri aut libelli precum, devotionis vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae et alii huiusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, quos nemo praeter legitimae auctoritatis licentiam publicare potest (a. 20); libri ab Apostolica Sede proscripti (etsi proscripti fuerint cum clausula «donec corrigatur», et de facto fuerint correcti), quos nemo iterum in lucem edere potest, nisi obtenta prius sacrae Indicis Congregationis licentia, servatisque conditionibus ab ea praescriptis (a. 31); ea, quae ad causas beatificationum et canonizationum servorum Dei utcumque pertinent, quae absque beneplacito Congregationis sacris ritibus tuendis praepositae publicari nequeunt (a. 32); collectiones decretorum singularum romanarum Congregationum, quae edi nequeunt, nisi obtenta prius licentia et servatis conditionibus a moderatoribus uniuscuiusque Congregationis praescriptis (a. 33). Alia autem sunt, circa quae nihil peculiare cautum est, quae ut imprimantur non omnis fidelis tenetur censurae praeviae ea subiicere, sed regula imo generali statui potest fideles, etsi laudabiliter ea scripta prius auctoritati ecclesiasticae subiicerent, ad id tamen nullo modo teneri.

Sunt tamen exceptiones, ut innuimus, et sunt sequentes: 986

1° Viri e clero seculari ne libros quidem, qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis ordinariis, publicare possunt, ut obsequentis animi erga illos exemplum praebeant. (a. 42).

Quibus verbis clericis imponitur non quidem obligatio subiiciendi librum quem evulgare volunt, censurae ordinarii, sed praeceptum (contra Desjardins *Etudes LXXI. 369*, Génicot *I. 460*) consulendi ordinarium circa publicationem faciendam. Ex quo praecepto tenetur clericus in hypothesi, quod episcopus consultus prohibeat clericum a publicando libro, nisi prius eumdem librum censurae subiecerit, eumdem librum, si eum publici iuris facere velit, ipsius ordinarii censurae submittere. Si autem episcopus consultus, etiam per litteras, nec contradicat, nec speciale aliquid imponat, praesumi omnino potest eum nihil habere, quod publicationi opponat, eamque proinde permittere.

Attamen non dicerem ex mente constitutionis Leonianae satis esse ut clericus de voluntate operis publicandi ordinarium suum certiorem faciat (Gennari *l. c. comm. in h. art.*); quum, ut dicebam, videatur mihi ex hoc articulo clericum de ea re ordinarium consulere debere, scilicet ab eo veniam petere, quam tamen ex mente iuris praesumere ipse potest, nisi ex circumstantiis aliud appareat. Quod videtur mihi magis concordare cum explicatione, quam ipsa S. Sedes indirecte de hoc articulo dedit. Nam in motu proprio Pii X de ordinanda populari christiana actione *18 decembris 1903* haec sub numero 17° habentur: «Clerici autem iuxta eamdem constitutionem (a. 42) etiam scripta publicantes argumenti mere technici, debent praevie obtinere consensum ordinarii». Cfr. etiam Instructionem de populari christiana actione seu de christiana democratia *27 iun. 1902*. Et in hoc quoad substantiam concordant Wernz (*Ius Decr. III. 121* [*110*]); Lega (*l. c. III. 410*), Vermeersch, (*l. c. 119*), qui tamen in nota ambigue, potius loquitur.

2° Regulares, praeter episcopi licentiam, tenentur, innovata praescriptione tridentina (*sess. IV de editione et usu sacr. librorum*), operis in lucem edendi facultatem a praelato, cui subiacent, obtinere; et haec utraque concessio in principio aut in fine operis imprimenda est (a. 36). Patet autem hac obligatione ex citato articulo teneri tantummodo regulares, scilicet stricte tales, et proinde ante omnes solemniter professos, probabilius mihi ex tenore articuli omnes omnino, qui ad regularem ordinem pertinent, etsi solemniter professi non sint. Religiosi recentiorum congregationum hoc articulo non attinguntur: sed hi ex mente constitutionis Leonianae videntur attingi articulo 42, de quo superius diximus; neque enim putandum est, constitutionem Leonianam voluisse eos ad minora obligari iis, ad quae ipsos seculares clericos obligavit. - Si quaeramus autem quodnam sit obiectum, quod citatus articulus respicit, parva quaedam est controversia inter auctores. Vermeersch (*l. c. 113 b*) putat obligationem ab articulo 36 impositam regularibus restringi ad libros sacrarum scriptura-

rum et ad adnotationes et commentaria earumdem scripturarum sacrarum, ex eo, quod articulus iste innititur sanctioni tridentinae, quam citat, quaeque eos tantum respiciebat libros. Alii contradicunt, ut Génicot (*l. c. 406*), Pennacchi (*in const. Apostolicam « Officiorum ac munerum » brevis commentation. 73*), Boudinhon (*La nouvelle législation de l'Index art. 36*), Gennari (*l. c. a. 36*), qui putat Clementem VIII instructione, quam tridentinis regulis Indicis adiici iussit in tit. de impressione librorum § 2, qua edicit: « Regulares, praeter episcopi et inquisitoris licentiam (de qua regula decima dictum est) memine rint teneri se sacri concilii tridentini decreto operis in lucem edendi a praelato, cui subiacent, obtinere », obligationem a Tridentino impositam quoad libros S. Scripturae extendisse ad quoscumque libros publicandos. Quod quidem non immerito a Vermeersch negari videtur. Quamvis autem hoc verius putem, et argumentum a Gennari adductum cogens mihi non videatur, quoad rem tamen Gennari potius quam Vermeersch subscribendum puto. Neque enim mihi videtur asseri i ure posse, regulares nunc ad alia opera censurae praelati sui subiicienda nonnisi constitutionibus suis forte teneri. Rationem assumo ex ipsa praxi, quae legem explicavit, et consuetudinem praeter legem induxit; quod innuitur etiam a Wernz (*l. c. n. 121* [*103*]) et a Palmieri (*in B. P. II. 1205*). Cfr. *encycl.* « Pascendi » § Nec tamen.

His dictis, quae respiciunt libros, qui ex praescripto legis ecclesiasticae praeviae censurae subiicendi sunt, duo observanda sunt: *a*) Alterum est, censuram praescribi, ut aliquis liber publici iuris fiat, idest ut in vulgus spargere liceat exemplaria; non autem ut liber typis mandetur seu imprimatur; *b*) alterum proinde, ad parendum legi censuram praecipienti non esse necessarium ut quis codicem manuscriptum censori tradat et censurae subiiciat, sed sufficere ut tradantur folia iam impressa, dummodo quis paratus sit librum in vulgus non spargere nisi iis immutatis, quae forte immutanda erunt, secundum praescriptas correctiones. Vermeersch *l. c. n. 100*; Génicot *l. c. 458*; Hollweck *l. c. p. 58*.

De iis, ad quos censura pertinet. - 987
Patet ante omnia, generaliter loquendo, ad superiores ecclesiasticos spectare ius censurae subiiciendi libros, quos lex ecclesiastica prohibet, ne sine censura publici iuris fiant. - Magis in particulari quorumdam librorum censura reservatur S. Sedi vel Congregationibus romanis, aliorum ordinariis locorum, aliorum ordinariis locorum et praelatis regularium.

Libri, quorum censura reservatur 988
S. Sedi aut romanis Congregationibus, sunt:

a) Versiones omnes sacrae scripturae in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectae (quae omnino probibentur nisi fuerint ab Ap. Sede approbatae, aut editae sub vigilantia episcoporum cum adnotationibus desumptis ex sanctis ecclesiae patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus). a. 7.

b) Catalogus indulgentiarum, quas Rom. Pontifices adnectere solent crucibus, numismatibus etc., quae ditan-

tur apostolica benedictione seu indulgentiis papalibus, ut dicitur. Talis catalogus verti potest in quodcumque idioma ab originali latino; attamen pro quolibet elencho, qui ubicumque et quovis idiomate edatur, adesse debet approbatio S. Congregationis Indulgentiarum, seu nunc, post novam constitutionem « Sapienti consilio » de ordinatione curiae romanae, s. Officii. Cfr. *decr. S. C. Indulg. 23 febr. 1878 sub Leone XIII; decr. eiusd. S. Congr. 28 aug. 1903 sub Pio X.*

c) Summaria indulgentiarum ex variis Bullis etc. concessionis confecta, quae numquam approbata fuerunt, vel quae nunc primum colliguntur. Haec summaria sine expressa licentia Sacr. Congr. Indulgentiarum, nunc autem s. Officii, edi non possunt. *S. C. Indulg. in una Galliarum 22 ian. 1858.* Exceptio est pro summariis seu elenchis, quos societati aggregatae ordo, institutum seu archiconfraternitas aggregans traderet, esti indulgentiarum concessiones sint depromptae ex pluribus Brevibus etc. Ad haec summaria imprimenda sufficit recognitio ordinarii loci. *S. C. Indulg. decr. gen. 8 ian. 1861.*

Nec mirum debet esse, nos hic ad vetera decreta appellare, quum nunc in iis, quae pertinent ad prohibitionem et censuram librorum, regamur unice constitutione Leoniana « Officiorum ac munerum » et constitutione Ben. XIV « Sollicita »; nam circa hoc punctum, ut tradit Gennari (*l. c. a. 17*), S. Congregatio Indicis expresse declaravit antiquam disciplinam vigere adhuc, et huiusmodi libros, folia etc. subiiciendos esse censurae aut S. Congr. Indulgentiarum aut ordinarii loci secundum normas vigentes ante constitutionem Leonianam. Decretum refert Gennari sine data.

d) Libri iam proscripti ab Apostolica Sede, ut supra diximus. (a. 31).

e) Ea, quae ad causas beatificationum et canonizationum servorum Dei, ut etiam diximus supra. (a. 32).

f) Collectiones decretorum singularum Congregationum, ut supra retulimus. (a. 33).

g) Libri imo scripta quaecumque, quae vicarii et missionarii apostolici, sine praevio examine et approbatione S. Congr. de Prop. Fide in scriptis obtinenda et in initio operis imprimenda, publicare non possunt.

Quoad libros, quorum censura per- 989
tinet ad ordinarios locorum, haec sunt notanda:

a) Ordinarius, cuius censurae liber subiiciendus est, est ordinarius loci, in quo liber publici iuris fit (a. 35), seu ubi est sedes negotii editoris (Wernz *l. c. 121* [*102*]) non autem loci, in quo imprimitur. - Quaerunt autem Doctores, quid si in pluribus locis liber fiat publici iuris; et omnes respondent sufficere si unius ordinarii approbationem habeat. Ita Gennari (*l. c. a. 35*), Vermeersch (*l. c. n. 110*), Palmieri (*l. c. 1204*), etc.

b) Si auctor Romae degens librum non in Urbe, sed alibi imprimere velit, praeter approbationem Cardinalis Urbis Vicarii et Magistri S. Palatii Apostolici, alia non requiritur. (a. 37). Circa hunc articulum constitutionis Leonianae notandum est putare plures auctorem Romae degen-

tem, qui alibi vult librum imprimere, egere approbatione Card. Urbis Vicarii et Magistri S. Palatii Apostolici, quas si habeat, etiam sine approbatione ordinarii loci, in quo liber publici iuris fit, libere procedere posse. Huius tamen sententiae non sunt Palmieri (*l. c. n. 1206*) et Lega (*l. c. n. 402*), ut videtur, qui loquuntur de privilegio auctoribus Romae degentibus concesso. Huic sententiae subscribendum puto; in hoc enim articulo ne verbum quidem habetur, quod obligationem inducat his auctoribus romanorum revisorum licentiam habere. Extra dubium enim est, omnia alia, quae circa hanc materiam statuta fuerant ante hanc constitutionem, vim suam amisisse. Expresse enim in ea dicitur: « Ea (quae in hac constitutione sancita sunt) vim legis habere sola volumus, abrogatis regulis Ss. Tridentinae Synodi iussu editis, observationibus, instructione, decretis, monitis et quovis alio decessorum nostrorum hac de re statuto iussuque, una excepta Constitutione Ben. XIV « Sollicita et provida », quam, sicut adhuc viguit, ita in posterum vigere integram volumus ». Quare tota ratio obligationis ex praesenti constitutione deducenda esset. Porro in hac constitutione, postquam dictum fuerit approbationem librorum, quae non sit reservata, pertinere ad ordinarium loci, in quo publici iuris fiunt, et regulares, praeter episcopi licentiam, teneri obtinere licentiam a suo praelato regulari, statuitur pro auctore Romae degente, qui alibi imprimere velit, « praeter approbationem Cardinalis Urbis Vicarii et Magistri S. Palatii » aliam non requiri. Certissime sensus obvius istius articuli hic est: Auctor Romae degens, qui alibi imprimere vult, obtenta approbatione Romae, non indiget approbatione ordinarii loci, in quo librum edit, sicut indigent alii, quamvis approbationem sui ordinarii habuerint.

Hoc autem non dicit approbationem 990
romanorum revisorum esse necessariam Romae degenti et alibi imprimenti. Quare, nisi velimus extensivam legis interpretationem facere, quod privatorum ius excedit, dicendum est, quousque S. Sedes authenticum de hoc iudicium proferat, obligationem hanc non exsistere. Neque multum in contrarium valere videtur argumentum, quod deducitur ex superiore iure, scilicet ex dispositione Alexandri VII (Vermeersch *l. c. n. 114;* Wernz *l. c. 121* [*104*]), qui requisivit approbationem Cardinalis Urbis Vicarii et magistri s. palatii, non quidem pro omnibus, qui in statu pontificio, sed pro iis tantum, qui Romae degebant, requisita pro aliis, qui extra Urbem degebant, solummodo approbatione ipsorum ordinarii (*observationes in reg. 10am tridentinam iussu Alex. VII editae*). Nam « voluntas legislatoris ex verbis legis in primis petenda est; quum nulla in verbis est ambiguitas, non debet admitti voluntatis quaestio (*l. 25 de leg. III.* Ab hac regula plus aequo recedunt plures ex Nostris, abutentes ea regula iuris canonici, quod non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deservire *c. 15 de verb. sign. X.* — Et negotium est aleae plenissi-

mum, quia – certum, quod sequantur, nihil habituri erunt, qui semel a scripto recedere consueverint. Tullius *de invent. lib. II n. 28*); sed tenendum est, non *aliud* legislatorem voluisse, neque *minus*, neque *plus*, quam verba demonstrant. Nihilominus, quia – scire leges non est verba earum tenere, sed vim et potestatem (*ex l. 17 de leg.*) – si verba sicuti sonant accipere absonum videatur; et in primis si iniquum forte vel absurdum vel alienum a re, de qua agitur, iustae interpretationi erit locus » (*D'Ann. I. 184*[1]); sed tunc tantum, non hic, ubi verba sunt clara. Et secundum haec intelligo etiam verba Wernz dicentis, eos, qui ita rem explicant, minus recte sentire; scilicet forte mens fuit antiquum ius confirmandi, quod tamen ego nec affirmare, nec denegare ausim; sed, si legem ex ipsis eius verbis interpretari velimus, non sententiam Vermeersch aliorumque, qui cum illo opinantur, sed contrariam deducemus.

991 ***De censorum officio in praevio librorum examine.*** — Episcopi, quorum est facultatem libros imprimendi concedere, curare debent ut ad eos examinandos deputent viros omni exceptione maiores, doctos scilicet simul et integros, qui non studio partium sed Dei solum gloriae et fidelium boni desiderio ferantur. a. 38. Censores praeterea, qua tales, non debent iuxta privatas aut istius vel illius scholae sententias librum diiudicare, sed ad normam sacrorum ecclesiae dogmatum et communis catholicae doctrinae. a. 39. Haec, quae Leo XIII constitutione sua « Officiorum ac munerum » sancivit, Pius X litteris encyclicis « Pascendi » de modernistarum doctrinis 8 sept. 1907 confirmavit et ampliavit sequentibus iniunctionibus: « In universis (igitur) curiis episcopalibus censores ex officio adsint, qui edenda cognoscant: hi autem e gemino clero eligantur, aetate, eruditione, prudentia commendati, quique in doctrinis probandis improbandisque medio tutoque itinere eant. Ad illos scriptorum cognitio deferatur, quae ex articulis 41 et 42 memoratae constitutionis (Leonianae) venia, ut edantur, indigent. Censor sententiam scripto dabit. Ea si faverit, episcopus potestatem edendi faciet per verbum *imprimatur*, cui tamen praeponatur formula: *nihil obstat*, adscripto censoris nomine. In curia romana non secus ac in ceteris omnibus censores ex officio instituantur. Eos, audito prius cardinali in Urbe Pontificis vicario, tum vero annuente ac probante ipso Pontifice maximo, magister s. palatii apostolici designabit. Huius erit ad scripta singula cognoscenda censorem destinare. Editionis facultas ab eodem magistro dabitur, nec non a cardinali vicario Pontificis vel antistite eius vices gerente, praemissa a censore, prout supra diximus, approbationis formula, adiunctoque ipsius censoris nomine. Extraordinariis tantum in adiunctis ac per quam raro, prudenti episcopi arbitrio, censoris mentio intermitti poterit. — Auctoribus censoris nomen patebit numquam, antequam hic faventem sententiam ediderit; ne quid molestiae censori exhibeatur, vel dum scripta cognoscit, vel si editionem non pro-

barit. — Censores e religiosorum familiis numquam eligantur, nisi prius moderatoris provinciae, vel, si de Urbe agatur, moderatoris generalis secreto sententia audiatur; is autem de eligendi moribus, scientia et doctrinae integritate pro officii conscientia testabitur. — Religiosorum moderatores de gravissimo officio monemus numquam sinendi aliquid a suis subditis typis edi, nisi prius ipsorum et ordinarii facultas intercesserit. — Postremo edicimus et declaramus, censoris titulum, quo quis ornatur, nihil valere prorsus nec umquam posse afferri ad privatas eiusdem opiniones firmandas ».

902 ***De licentia librum edendi concedenda vel non.*** — Ordinarius autem ex Leoniana constitutione (a. 40) debet concedere licentiam librum publicandi, si nihil huic publicationi obstare videatur. Quare, quemadmodum ex una parte ordinarius non potest sine causa denegare licentiam publicationis, ita etiam ex altera parte potest ex quacumque iusta et rationabili causa licentiam denegare; huiusmodi autem causae sunt ex. gr. causa tuendae pacis, concordiae, expectandae opportunitatis (Vermeersch *l. c. 116. 1*). Hic tamen revocanda est in memoriam dispositio Sacrae Congr. Indicis *3 sept. 1898*, qua ordinarii, qui, peracto examine alicuius libri, praeviae eorum censurae submissi, licentiam denegant eumdem publicandi, tenentur auctori rationes denegatae licentiae indicare, si liber videatur correctionis seu expurgationis esse capax. Licentia autem gratis concedenda est et in scriptis. Circa quod haec valde rationabilia habet Wernz (*l. c. 121* [*107*]): « Quoad formam concedendae licentiae legislator evidenter magis insistit gratuitati, quam scripturae; et quum clausula irritans in lege desit, licentia viva voce vel non omnino gratis data sane iuri non est conformis, sed irrita dici nequit. Profecto episcopus non prohibetur, quominus aliunde censori pro labore revisionis procuret aliquam mercedem, at vix verbis et menti legislatoris congruit, si ipse ab auctore taxam censori solvendam exigat ».

Const. Ben. XIV « Sollicita ac provida » 9 iul. 1753; Const. Leonis XIII « Officiorum ac munerum » 25 ian. 1897; Comm. Decretal. generatim in tit. 7 lib. V et aliquando in tit. 31 lib. I; *Putherbeus* Theotimus sive de tollendis et expurgandis libris; *Gretser I.* De iure et more prohibendi, expurgandi et abolendi libros haereticos et noxios; *Gretzer I.* Supplementum duplex pro duobus libris de iure et more etc.; *Suarez* De fide d. 20 s. 2; *Sanchez* In decalogum l. II. c. 10; *Lugo* De fide d. 21. s. 2; *Zaccaria* Storia polemica della proibizione dei libri; *Heymans* De eccl. libr. aliorumque script. in Belgio prohibitione; *Fessler I.* Das kirchl. Bücherverbot; *Petit* L'Index, son histoire, ses lois, sa force obligatoire; *Arndt* De libris prohibitis commentarius; *Dilgskron* De revisione et approbatione librorum typis describendorum (in Anal. eccl. 1896-97); *Pennacchi I.* In constit. apost. « Off. ac mun. »... brevis commentatio; *Péries* L'Index; *Schneider* Die neuen Büchergesetze der katholisch. Kirche; *Palmieri D.* in B. P. II. 1169-1225; *Boudinhon* La nouvelle législation de l'Index; *Sägmüller* KR. § 109; *Hollweck* Das kirchl. Bücherverbot; *Wernz* Ius Dec. III. 96-131; *Van Coillie* Comm. in const. « Off. ac munerum »;

Hilgenreiner Die kirchl. Vorzensur u. d. Partikularrecht; *Sleutjes* De prohibit. et censura librorum; *Hilgers* Der Index der verbotenen Bücher etc.; *Gennari C.* La costituzione Officiorum brevemente commentata; *Vermeersch A.* De prohibit. et censura libr.; *Ciolli* Comm. breve alla cost. Leonina riguardo ai libri proibiti. Ceteram bibliographiam quaere sub *Libri prohibiti.*

993 **Census.** — Census generatim est ius percipiendae annuae pensionis ex re vel persona alterius. B. P. *III. 825.* Magis in speciali, attendendo nimirum ad divisionem census in reservativum et consignativum, census est contractus, quo quis ius percipiendi reditus ex re alterius utili vel fructifera, ut ex praedio aliquo, sibi aut alii in perpetuum reservat (et dicitur *reservativus*), vel acquirit (ut cum quis emit ius percipiendi reditus ex re alterius, et *consignativus* nuncupatur). D'Ann. *II. 511.* Nempe reservativus fundamentum sui habet in aliqua donatione, aut legato, aut venditione, aut permutatione, etc., qua quis reservat aut sibi aut alii annuam quamdam pensionem. Consignativus est vera emptio istius iuris ad annuam pensionem. Census consignativus dividitur in realem, personalem et mixtum. Realis ille est, qui constituitur in re aliqua, cui adhaeret, et, qua pereunte, census perit. Personalis ille est, quo sola persona obligatur ad pensionem solvendam. Mixtus vero est, quando immediate et directe sola persona obligatur; ad securitatem tamen obligantur res aliquae debitoris seu censuarii, quibus pereuntibus, adhuc persona obligata manet, et appellatur etiam census personalis cum hypotheca. Lugo *De iust. et iure, disp. XXVII. n. 4.*

Dividitur etiam census in redimibilem et irredimibilem seu perpetuum. Hic habetur, quum ex pacto censuarius non potest se liberare a solutione census, restituto pretio, et censualista nequit repetere pretium, abdicato censu. Si autem haec faciendi censuario et censualistae respective facultas est, habetur census redimibilis; et quidem tunc census est redimibilis ex utraque parte. Si autem ex pacto hoc ius redemptionis sit vel censualistae tantum vel censuario, tunc census ex alterutra tantum parte redimibilis est. — Patet autem constitui posse censum sive ab utroque sive ab alterutro semper seu indefinite redimibilem, quum nempe hoc ius redemptionis in eo, in quo est, nunquam cessat; sive ad certum tantum tempus redimibilem, quum nempe redimibilis census statuitur vel tantum intra certum tempus, vel non ante certum tempus. — Imo potest etiam constitui census duraturus ad certum tantum tempus, quo tempore elapso, perit census, sive tempus sit numerice, ut ita dicam, definitum, ut ex. gr. ad 50 annos, sive sit definitum quidem, sed non numerice, ut ex. gr. ad vitam censualistae, et tunc dicitur *vitalitius.* In utroque casu, statuto tempore elapso, censuarius non restituit pretium. B. P. *III. 828.*

In hoc autem contractu ille, qui pensionem sibi reservat, vel ius percipiendi reditus emit, dicitur censualista; ille, qui hanc pensionem seu hos reditus solvere debet, censuarius.

Quaesitum est a doctoribus, utrum 994

census sit inter bona mobilia aut immobilia. Et iure canonico certum est, censum perpetuum inter immobilia censeri (*c. 1. de verb. signif.* [*V. 11*] *inter Clement.*); quod eodem iure de censibus etiam temporalibus verius dici videtur, quum verba Clementinae citatae universalia sint. Iure autem italico inter mobilia censentur reditus vitalitii aut perpetui, qui a statu debeantur vel a privatis. *C. C. a. 418.* Cfr. B. P. *loc. cit.*

995 Ad liceitatem huius contractus quod attinet, distinguendum est inter diversas species census. Patet autem censum reservativum licitum esse et iustum, dummodo pretium, quod censualistae debetur, non excedat, imo non exhauriat fructus rei. Si enim fructus rei excedat pretium, non aliquid ex suis quis sibi reservat, sed velut ex alienis: si autem exhauriat tantum, habetur contractus alterius nominis, non autem census.

Quoad censum consignativum generaliter dicendum est, eum iustum esse ac licitum, si pretium non excedat pecuniae usuras ordinarie permissas, scilicet tunc, quum census initur; nam ea, quae postea forte accidunt, in considerationem venire non debent. Quod confirmatur ex instructione S. Congr. de Prop. Fide *20 aug. 1826,* ubi haec habentur: « Ad iustitiae titulum quod pertinet, voluit ea in quaestione definienda duo potissimum vice-procurator consideret; primum est tempus creationis censuum; ac si cognoscat, eorum pensiones, quo tempore iidem vocati fuerunt, iustos non excessisse limites, statuat nullum locum esse ex iustitiae titulo earundem pensionum redemptioni sive imminutioni, etiamsi, habita ratione subsequentis vel praesentis temporis, pensiones illae graves et iustum excedentes videri possint, sicut ex eodem iustitiae titulo locus non esset earundem pensionum ampliationi sive incremento, si, habita ratione ad tempus subsequens creationem censuum, nimis exiguae et iusto minores viderentur; quia sicuti in omnibus contractibus, ita et in censibus, eorum iustitia relate ad illud tempus dimetienda est, quo creati fuere ». Quoad varias autem species census consignativi, quomodo ex iure naturali licitae sint dicendae, non exclusis censibus realibus sive irredimibilibus ex parte censualistae tantum aut utriusque, sive etiam personalibus, vide apud Ballerini Palmieri (*III. 831. sqq.*) ubi haec omnia accurate invenies examinata et proposita; imo invenies ibi etiam ea, quae de contractu census lege positiva ecclesiastica sancita sunt praesertim constitutione Pii V « Quum onus » *XIV kal. febr. 1568.* Ea hic praetermittimus, quum hic contractus, quamvis ab usu non omnino recesserit, minoris tamen in praesentiarum frequentiae est, quum nunc utilitates, quae ex contractu census proveniebant, ex aliis contractibus usui facilioribus proveniant, ut ex. gr. ex mutuo, cui facile patuit iter ex concessione liceitatis a doctoribus facta contractus census realis vel personalis a censualista redimibilis.

Quare putamus, melius esse et utilius ea hic tradere praecipua, quae in nostris legibus de contractu hoc cauta sunt. — Iure nostro (*C. C. a. 1782*)

census hypotheca in tuto ponendus est, secus potest quis rem ipsam repetere, quum contractus sit nullus. Pariter iure nostro census semper redimi potest ad nutum debitoris, non obstante quacumque contraria conventione. *C. C. a. 1783; C. G. aa. 530. 1911.* Possunt tamen partes mutuo consensu statuere, ne redemptio census fiat, censualista vivente, aut ante certum terminum; qui si agitur de censu constituto super aliquo praedio (*rendita fondiaria*), triginta annos, secus decem annos, praetergredi non debet. Convenire etiam possunt partes, censuarium census non redempturum, nisi praemonito censualista et transacto certo temporis spatio, quod annum excedere non debet. *C. C. art. cit.* Praedium aut aliud immobile, quod censualista censuario cedit, transit in plenum dominium censuarii. *C. C. a. 1781.* Census extinguitur non solum redemptione, sed etiam aliquando officio iudicis, vel etiam ipso iure. Redemptio semper licet tum in censibus consignativis tum in reservativis, in iis quoque, qui iuxta antiquiores leges sub pacto etiam irredimibilitatis constituti fuerant; et fit reddendo censualistae sortem, nempe pecuniae summam receptam in censibus consignativis, vel capitale correspondens fructui legali, idest quinque pro centum in censibus reservativis, nisi aliquid aliud in constitutione ipsa census cautum fuerit, (*C. C. a. 1784*); redemptio census fieri etiam potest, quum censuarius foro cesserit (*dichiarò fallimento*) aut solvendo esse desierit. *C. C. a. 1786; C. G. a. 1913.*

Quum censuarius legitime interpellatus pensionem seu canonem toto continuo biennio non solverit; aut cautiones, quas in contrahendo promiserat, non praestet (Cfr. *C. G. a. 1912*); aut si, quum cautiones datae defecerint, alias ipse non suppleat pariter tutas; si ob alienationem vel divisionem fundi, super quo reditus seu census constituebatur aut assecurabatur, ut dicunt, fundus inter plures quam tres possessores dividitur; in his omnibus casibus debitor seu censuarius cogi potest ad redimendum censum. *C. C. a. 1785.* Vid. *Compositio.*

In iure canonico census aliud omnino est, et definiri potest; pensio aliqua annua, quae ex proventibus ecclesiasticis ab ecclesiis, monasteriis et aliis locis piis solvitur superioribus, patrono, vel alteri, praesertim in recognitionem subiectionis, aut etiam ex alio iusto titulo, episcopi auctoritate recognito. Schmalzgr. *in tit. 39. lib. III. Decr. n. 1 seqq.* — Diducitur in *antiquum*, qui nempe in ipsa fundatione, vel in consecratione ecclesiae beneficio aut ecclesiae ipsi imponitur; et in *novum*, qui ecclesiae imponitur post consecrationem, beneficio post legitimam erectionem. Uterque est vel perpetuus vel temporaneus. 997

Possunt imponere census Rom. Pontifex, et ipse quemcumque (*c. 12 de censibus etc. X.* [*III. 39*]; *c. 2. de praebend.* [*III. 5*] *in 6*); episcopus, si agatur de censu antiquo (*c. 2 tit. cit. de censibus*), vel tunc quum concedit de consensu capituli alicui, ex gr. ordini religioso, aliquam ecclesiam a se dependentem, faciens eam 998

a sua iurisdictione liberam (*c. 6 de relig. dom. X.* [*III. 36*]; nonnulli tamen putant haec, quae episcopis iure antiquo competebant, non indiscriminatim convenire cum recenti disciplina); patronus in limine fundationis beneficii de consensu episcopi. *c. 25 de iur. patr. X.* (*III. 36*). — Censum impositum episcopus et patronus augere non possunt (*c. 7. tit. cit. de censibus*), et censum novum imponere episcopus nequit. *cc. 3. 7. 9. tit. cit. de censibus; Clem. un. de suppl. negl. Prael.* (*I. 5*). Potest tamen episcopus, conferens alicui clerico beneficium, ob iustas causas censum ad vitam eius duraturum imponere in favorem alterius clerici vel alicuius ecclesiae (vid. *Pensio*); et censum etiam temporaneum in aliquibus casibus in iure definitis, scilicet in favorem vicarii temporanei ab eo constituti in locum parochi, qui vel imperitus sit, vel scandalosus et in scandalo perseverans (Vid. *Vicarius*), vel ad reparandas ecclesias, cathedralem praesertim (vid. *Reparatio*), vel ad erigendum seminarium (vid. *Seminarium*). Quoad censum synodaticum, Vid. *Cathedraticum*.

Decr. Grat. C. X. q. 1. 2. 3; can. 37 sqq. C. XI. q. 1; c. 20 sqq. C. XXIII q. 8; tit. de censibus, exactionib. et procurat. X. (III. 39); idem tit. (III. 20) in 6°; idem tit. (III. 13) in Clem.; idem tit. (III. 10) in Xvag. comm.; Const. Nicolai V pro duobus regnis Siciliae a. 1452; Const. Pii V « Quum onus » XIV kal. febr. 1568; *De Piro H.* De censibus et reditibus; *De Boccatiis V.* Tract. de censibus; *Pizarro D.* De censibus; *Follerius P.* De censibus; *Bonius B.* Tr. de censibus etc.; *Coli R.* Tr. de cambiis, usura et censibus; *Medina I.* Tr. de rerum dominio... et censibus; *Velasquez de Avendano L.* De censibus; *De Solis Feliciani* Tr. de censibus; *De Salas I.* Comm. in 2. 2. d. Thomae de contractibus (ubi tr. de censibus); *Duardi L.* Comm. in extr. Pii V de formandis et creandis censibus etc.; *De Monte Maior I.* De censu constituto cum onere non redimendi nisi in argentea moneta utrum aliquando aerea possit redimi; *Langens B.* De censibus; *Pinheiro F.* Tr. de censu etc.; *Cenci L.* Tr. de censibus etc.; *Manzi G.* De censibus etc.; *Molina* Tr. de iust. et iure; *Castropalao* Op. morale part. 7. disp. 6; *Giraldi* Expos. iuris pont. tom. 1. p. 395 sqq.; *Devoti* Inst. can. II. lit. 15.

Centenarium. — Nullo modo licet 999
celebrare liturgico ritu, aut alio sacrae solemnitatis modo, temporalem nativitatem alicuius sancti vel beati, excepta nativitate B. M. V. et S. Ioannis Baptistae, etiamsi haec celebratio fieret die obitus vel alio quocumque die memoriae eiusdem sancti vel beati assignata. *S. R. C. decr. gen. 19 dec. 1893* (*3816*). Imo hoc, quod de die temporalis nativitatis dicitur, intelligendum est etiam de die baptismatis, quem pariter liturgico ritu aut sacra quacumque solemnitate celebrare non licet. *S. R. C. 17 iul. 1894 ad 1* (*3832*).

Nullo pariter modo expedit centenarias agere commemorationes de praecipuis sacratissimis B. Virginis vitae actis et mysteris (*litt. S. Congreg. Rituum ad Em. Card. Haynald 1 iun. 1884*) aut de praecipuis religionis nostrae mysteriis, uti ex. gr. de humana redemptione. *Litt. S. R. C. ad Com. Ioannem Acquaderni 14 maii 1895* (*3858*).

Cera. — Cera, quae adhibenda est 1000

in celebratione sacrificii missae et in aliis ecclesiasticis functionibus, per se est cera labore apum confecta. Attamen aliquando, praesertim iis in locis, in quibus huiusmodi cera non sine magna difficultate comparari potest, permissum est, ut alia cera sacerdotes uterentur. Sic vicario apostolico Coreae concessum est uti, etiam in celebratione missae, cera ex quadam arbore fluente, quae satis est similis cerae communi, et vilis est pretii (*S. C. P. F. 31 aug. 1834*); quae facultas extensa est etiam ad vicarium apostolicum Iaponensem, durantibus nempe circumstantiis sive defectus cerae animalis, sive difficultatis eam comparandi. *S. C. P. F. 21 februar. 1847.* Pariter pro Oceania concessum est, ut, etiam in celebratione missae, adhiberentur candelae confectae ex oleo seu adipe balenae, quaeque vulgo vocantur *spermaceti,* dummodo urgeret magna difficultas comparandi candelas ex cera apum. *S. R. C. in una miss. Oceaniae 7 sept. 1850* (*2985*).

Et haec facultas postea extensa est ad vicarium apostolicum Coimbatorensem pro iis locis, in quibus candelas ex apum labore confectas, vel loco earum oleum olivae comparare impossibile esset. *S. C. P. F. 13 dec. 1874.*

Exstat et novum decretum circa hanc materiam, quod ratione sui momenti quoad praxim iuverit hic integre referre. Et decretum est sequens: « Nonnulli sacrorum antistites a S. Rituum Congregatione semel atque iterum reverenter postulaverunt: An attenta etiam magna difficultate vel veram ceram apum habendi vel indebitas cum alia cera commixtiones eliminandi, candelae super altaribus ponendae omnino et integre ex cera apum esse debeant; an esse possint cum alia materia seu vegetali seu animali commixtae. — Et S. Rituum Congregatio in ordinario coetu die 29 nov. hoc vertente anno ad Vaticanum coadunato, omnibus perpensis, una cum suffragio commissionis liturgicae, rescribere rata est: *Attenta asserta difficultate negative ad primam partem, affirmative ad secundam, et ad mentem.* — Mens est, ut episcopi pro viribus curent ut cereus paschalis, cereus in aqua baptismali immergendus et duae candelae in missis accendendae, sint ex cera apum saltem in maxima parte; aliarum vero candelarum, quae super altaribus ponendae sunt, materia in maiori vel notabili quantitate ex eadem cera sint oportet. Qua in re parochi aliique rectores ecclesiarum et oratoriorum tuto stare poterunt normis a respectivis ordinariis traditis, nec privati sacerdotes missam celebraturi de qualitate candelarum anxie inquirere tenentur. Atque ita rescripsit die 14 dec. 1904 ». Vid. *Candela*, *Celebratio Missae.*

Ceremoniae acatholicae. — *Servitio,* 1001
quod vocant, protestantico assistentes eo consilio, ut ministro protestantico se dedant, si forte ab eo persuadeantur, incurrunt excommunicationem l. s. R. Pont. specialiter reservatam, primam nempe primae seriei in *Constitutione* « Apost. Sedis » (Cfr. instruct. emi. card. Urbis vicarii pro parochis et confessariis datam *12 iul. 1878*); iis

assistentes ex mera curiositate, et etiam materialiter tantum, Romae semper graviter peccant ex prohibitione emi. card. Urbis vicarii eadem die facta; alibi saepius graviter peccare possunt ex periculo et scandalo, praesertim haereticorum collationes auscultantes. Hinc S. Congr. Inquisitionis ad vic. ap. Smyrnensem respondit: Catholicis regulariter non licere haereticorum aut schismaticorum concionibus, baptismis et matrimoniis interesse. *S. U. I. 10 maii 1770.*

Magis in particulari haec sunt notanda. Prohibitum est catholicis schismaticorum missis et orationibus interesse, etiam in iis locis, in quibus non reperiuntur sacerdotes catholici, et etsi agatur de orationibus, in quibus nihil contra fidem et ritum catholicum habeatur. *S. U. I. 5 dec. 1668; 7 aug. 1704.* Pariter illicitum est in templis haereticorum, quum ibi falsum cultum haeretici exercent, organum pulsare. *S. U. I. ad arch. Marianopolitanum 8 iul. 1889.* — Adire autem templa schismaticorum seu haereticorum, praesertim quando ibidem haereticae seu schismaticae functiones non exercentur, si fiat merae curiositatis causa, absque ulla communicatione in sacris, licet; quandoquidem sicuti profana aedificia, ita et templa haereticorum adire est actus per se indifferens, qui nonnisi a pravo fine vel ex circumstantiis efficitur malus. Malus nimirum efficitur, si quis eo adeat animo assistendi sacris haereticorum functionibus; vel etiam absque tali animo, si ingressus ipse in haereticorum ecclesias aliquam inferat vel inferre videatur cum eisdem haereticis in divinis communicationem, hinc et scandali occasionem praebeat; aut si talis aditus indictus sit ab haeretico gubernio tamquam protestatio eiusdem fidei ac religionis catholicos inter et acatholicos; vel utrumque communiter habeatur veluti tessera unius eiusdemque communionis catholicorum et acatholicorum. *S. U. I. in una Kentury 1 ian. 1818;* cfr. etiam *litt. S. C. P. F. ad ep. Chien. 15 dec. 1764.*

Toleratur, ut catholici funera haereticorum aut schismaticorum usque ad ianuam coemeterii comitentur, dummodo meram praesentiam materialem exhibeant civilis honoris causa erga defunctos, nec se immisceant ritibus haereticorum, nec luminaria deferant (*S. U. I. 9 dec. 1745; ad arch. Antibaren. 2 aug. 1803*), nec pro defuncti anima suffragia persolvant. *S. U. I. 21 ian. 1751; 7 iul. 1864.* Hoc autem tantummodo faciendum est, quando necessitas adest, idest quando a praestatione istius civilis officii catholici eximere se nequeant sine gravi damno vel periculo. *S. U. I. 13 ian. 1818; ad arch. Corcyren. ann. 1871.* Eodem modo tolerari potest, ut catholici nuptiis sive mixtis, sive inter haereticum et haereticam, civilis officii causa tantum, adsint, dummodo removeatur scandalum et quodvis perversionis periculum, nec non contemptus ecclesiasticae auctoritatis. *S. U. I. ad vic. ap. Columben. 14 ian. 1874.* Confer instr. datam a S. Congr. Inquisitionis circa functiones, quae in aula regia schismatica celebrabantur, ad episcopum Sanctoriensem 12 maii 1841

apud *Monitore eccl. vol. IX. p. 2. pag. 273.*

1002 **Ceremoniarius.**—Ceremoniarius seu ceremoniarum praefectus vel magister in ecclesia cathedrali vel collegiata potest esse canonicus (*S. R. C. in Adiacen. 13 iul. 1658 ad 2* [*1072*]; *in Licien. 10 ian. 1693* [*1889*]); et decet in cathedrali duos esse magistros ceremoniarum, quorum alter inserviat soli episcopo, alter dignitatibus et canonicis ad sacras ceremonias opportune peragendas. *S. R. C. in Meliten. 13 mart. 1694* (*1904*). Magister vero ceremoniarum pro functionibus canonicalibus eligitur a capitulo, et confirmatur ab episcopo, qui potest etiam confirmationem denegare, denegationis quoque causis non declaratis (*S. R. C. in Monopolitana 17 iul. 1734 ad 1 et 2* [*2307*]; *in Aquilana 22 ian. 1735 ad 1 et 2* [*2310*]); episcopus vero pro se suisque functionibus tam intra quam extra cathedralem peragendis potest alium eligere. *S. R. C. in Vaden. 11 iul. 1693 ad 6* (*1900*); *decr. cit. 17 iul. 1734 ad 3 et 4.* Magistro autem ceremoniarum ab episcopo electo capitulares omnes obedire tenentur in iis, quae divinum cultum respiciunt, quum is in sui muneris exercitio sit capitularium director, non famulus. *S. R. C. 31 maii 1817 ad 10* (*2578*). Magistris ceremoniarum alicuius ecclesiae cathedralis iuxta dispositionem ceremonialis episcoporum (*lib. I. c. 5*) competit usus vestis violacei coloris, non tamen sericae materiae, neque cum globulis aliisque ornamentis rubei coloris (*S. R. C. in Forosempronien. 3 sept. 1661* [*1213*]); qua tamen veste uti possunt tantummodo in functionibus episcopalibus. *S. R. C. decr. cit. 22 ian. 1735 ad 3; 17 sep. 1822 ad 12* (*2621*); *31 maii 1817 ad dub. add. 3* (*2578*). Magistri ceremoniarum sic induti et sine habitu chorali, si capitulares sint, gaudent distributionibus quotidianis suorum beneficiorum. *S. C. C. in Pisana 27 iul. 1839; S. R. C. in Capuana 10 apr. 1876 ad 2* (*3398*). Et, etiamsi sint canonici, nequeunt, ut videtur, uti in exercendo suo officio, habitu canonicali, sed induere debent vestem violaceam et super eam cottam mundam, ut praescribit ceremoniale episcoporum. Sic semper rescripsit Sacra Rituum Congregatio interrogata, an magistri ceremoniarum possint uti consueto habitu chorali; respondit enim semper: Servetur dispositio ceremonialis episcoporum. Cfr. *S. R. C. decr. cit. 10 apr. 1876 ad 1; in Granaten. 14 dec. 1894 ad 1* (*3840*). Quare non accurate videtur dici in indice novae collectionis decretorum S. Congr. Rituum (v. *Magister ceremoniarum*), magistros ceremoniarum, si sint canonici, posse exercere suum munus insignibus canonicalibus, idest cum veste violacea et superpelliceo super rochetto. Usus autem vestis violaceae, quem spectare diximus ad magistros ceremoniarum ecclesiarum cathedralium, nullo modo spectat ad magistros ceremoniarum aliarum ecclesiarum, etiam collegiatarum (*S. R. C. in Bergomen. 21 mart. 1744 ad 5* [*2375*]); quare huiusmodi ceremoniarum magistri vi sui muneris numquam gestare possunt vestem violaceam, ne in proces-

sionibus quidem, quibus canonici cathedralis non intersunt. *S. R. C. in Casalen. 15 iul. 1752 ad 9* (*2420*). — Nequit magister ceremoniarum, dum assistit missis solemnibus aliisque divinis officiis, pileolo uti. *S. R. C. in una Null. Putignani 17 iul. 1734* (*2308*).

Quod diximus, magistros ceremoniarum suum munus exercentes lucrari distributiones quotidianas, si capitulares sint, intelligendum est de magistris ceremoniarum munus exercentibus in sua ecclesia, non autem in alia. *S. C. C. in Ravennaten. 1 aug. 1739; in Lucana 20 mart. 1844; in Spoletana 18 iul. 1857.*

Magistro ceremoniarum cathedralis ius est et obligatio curandi, ut regulae liturgicae observentur etiam extra chorum, veluti in exsequiis, in administratione baptismi, in celebratione matrimonii et in omnibus parochialibus functionibus. *S. R. C. in Baionen. 13 sept. 1879 ad 5* (*3505*). Nec tenetur magister ceremoniarum exquirere consensum et approbationem capituli ad exsecutioni tradendum in ecclesia cathedrali aliquod decretum S. Congr. Rituum ad divinum cultum spectans; quatenus tamen opus sit, debet antea episcopo et capitulo notum facere sacrae Congregationis decretum. Et si quando contra aliquod novum decretum sacrae Congregationis existimarent canonici militare in sua ecclesia consuetudinem immemorialem aut praesumptum privilegium, deberent consulere s. Congregationem. *S. R. C. in Caurien. 9 iun. 1884 ad 7* (*3611*).

1003 Magistris ceremoniarum apostolicis etiam supranumerariis debentur a postulatoribus in occasione canonizationis alicuius beati pictae tabulae eumdem novum sanctum referentes. *S. R. C. in Romana 11 apr. 1840* (*2840*).

Cereus. — Vid. *Candela.*

Cereus paschalis. — Cereus paschalis regulariter accenditur ad missas et vesperas solemnes in tribus diebus Paschae, sabbato in albis et in diebus dominicis usque ad festum Ascensionis D. N. I. Ch., quo die, cantato evangelio, exstinguitur ad missam; et in aliis diebus et solemnitatibus, etiam solemniter celebratis, non accenditur, nisi adsit consuetudo, quod durante tempore paschali accendatur, quae servanda esset. *S. R. C. in Placentina 19 maii 1607 ad 11* (*235*). Praeter hos casus accendendus est tantummodo in sabbato Pentecostes ad benedictionem fontis (*Rub. miss. in festo Ascensionis Dni*); et in die Ascensionis ad exstinguendum cereum non potest exspectari, quod cantata fuerit nona, etsi cantetur solemniter, sed statim post cantum evangelii exstinguendus est. *S. R. C. in Lusitana 20 dec. 1783 ad 3* (*2524*). Ex dictis patet non licere cereum paschalem accendere, quoties tempore paschali datur benedictio SSmi. Sacramenti, etiam cum ostensorio (*S. R. C. in una Soc. SSmi. Sacr. 8 febr. 1879 ad 3* [*3479*]), vel diebus non festivis, etiam tempore missae conventualis, nisi in hoc casu alia adsit consuetudo (*S. R. C. in una ord. Capucc. 7 dec. 1888 ad 11* [*3697*]), vel in missa vigiliae Pentecostes. 1004

S. R. C. in Minoricen. 24 nov. 1899 ad 10 (*4048*).

Cereus autem paschalis collocandus est super distincto candelabro, posito in plano, a cornu evangelii. *S. R. C. in Maceraten. 14 iun. 1845 ad 2* (*2890*). Non est quotannis ex toto renovandus, sed tunc tantum potest et debet renovari, quum pars accendenda non sufficit pro toto tempore paschali. *S. R. C. in Nemausen. 27 mart. 1896 ad 1* (*3895*).

1005 Loco cerei paschalis potest in sabbato sancto et vigilia Pentecostes pro benedictione fontis adhiberi alter cereus, dummodo et iste fuerit alias benedictus, in eoque infixa sint quinque grana thuris. *S. R. C. in una de Venezuela 23 apr. 1875 ad 1* (*3352*); *in Mexicana 19 iun. 1875* (*3358*). Similiter loco cerei paschalis possunt canonici in sacello laterali, in quo forte diebus ferialibus officia divina ab ipsis peraguntur, retinere alium cereum, dummodo pariter hic alius cereus fuerit alias benedictus, et in eo infixa sint quinque grana thuris. *S. R. C. decr. cit. 27 mart. 1896 ad 2.*

1006 **Certitudo.** — Certitudo tunc habetur, quum quis firmiter et absque errandi formidine iudicat, rem aliquam ita se habere, vel non habere. Si agatur de re morali, hoc firmum iudicium versatur circa bonitatem vel malitiam alicuius actionis.

Triplex est: metaphysica, quae in ipsa rei natura et idearum nexu; physica, quae in experientia et constantia legum naturalium; moralis, quae in hominum testimonio atque legibus, quibus reguntur humani mores, fundatur. Hanc dispescunt in perfectam et imperfectam, quae ultima ad maximam probabilitatem reducitur.

Certitudo fidei est omnium maxima ratione infinitae auctoritatis, cui innititur. Nempe tum si consideratur ex parte actus credendi, secundum quod consistit in firmitate conformitatis ad verum (et tunc dicitur certitudo *infallibilitatis*); tum si consideretur ex parte hominis credentis, secundum quod consistit in firmitate adhaesionis, quae dubium ac formidinem excludat (et tunc dicitur certitudo *indubitabilitatis*), certitudo fidei excedit omnes alios assensus naturales. Quod evidens est, si attendatur, quod certitudini fidei, prout consideratur ex parte actus credendi, non potest subesse falsum (Conc. Trid. *sess. VI. c. 9.*), quum innitatur veritati divinae seu auctoritati Dei revelantis, quae ne de potentia quidem absoluta potest esse circa aliquid falsum; prout vero consideratur ex parte hominis credentis, nullum aliud motivum firmius praeferri potest, quum certiora hoc sensu ea esse dicantur, quae plenius consequitur intellectus hominis, et unumquodque iudicetur *simpliciter* secundum causam suam (quamvis *secundum quid* iudicetur secundum dispositionem, quae ex parte subiecti est), quae hic est auctoritas Dei revelantis. Cfr. *S. Th. 2. 2. q. 4. a. 8. de Verit. q. X. a. 12. ad 6;* Billot *de Virt. infusis Th. XVIII.*

Conscientia moraliter certa, etiam 1007
imperfecta, est recta regula morum. Scilicet moralitas actuum humanorum diversa, idest sive eorum moralis bo-

nitas sive eorum moralis malitia, pendet ab eorum convenientia aut disconvenientia cum norma rectitudinis, seu, obiective loquendo, cum lege divina, subiective, cum perceptione seu cognitione aut apprehensione istius legis. Quod autem sufficiat ad recte agendum certitudo moralis, quam quis actu habeat, de liceitate actionis, ex eo patet, quod in re morali certitudo morali maior vix umquam datur; quod vero necessaria sit, patet ex eo, quod nisi quis certo iudicat iudicio nempe practico, se hic et nunc licite facturum illud, quod facit, illud idem faciens actionem ponit dispositus ad eam aeque ponendam, etsi peccatum sit, quod per se illicitum esse nulli potest esse dubium. Cfr. Laymann *Th. mor. lib. I. tr. I. c. 5. n. 4;* D'Ann. *I. 130.*

1008 Certitudo moralis requitur et sufficit ad iurandum; moralis *lata*, seu prudens probabilitas, non moralis *stricta,* nec absoluta de dispositione poenitentis, requiritur ad dandam absolutionem. Vid. *Absolutio.*

Cessatio. — Cessatio legis habetur per abrogationem, cessationem causae motivae adaequatae, desuetudinem, dispensationem. Quum de abrogatione alibi iam locuti simus (vid. *Abrogatio*), de dispensatione vero et de desuetudine in posterum loqui debeamus (vid. *Desuetudo, Dispensatio*), reliquum tantum est, ut hic de cessatione proprie dicta, seu de cessatione legis ob cessationem eius causae motivae aliquid dicamus.

1009 Finis legis seu causa motiva cessare potest vel *contrarie,* si lex fiat noxia; vel *privative,* si fiat tantum inutilis. Suarez *de leg. lib. VI. c. 9. n. 2.* In primo casu lex semper cessat: in altero cessat lex, si finis eius cessaverit adaequate, idest quoad omnes articulos seu partes legis (secus, illius tantum partis obligatio cessat, cuius finis cessat), et quoad totam communitatem (secus, quamvis cesset etiam totaliter pro aliquo subdito singulari, ne iste quidem a legis observatione eximitur; ut esset, si cui nullum iam est periculum ex lectione librorum prohibitorum). Si autem semel lex cessaverit per cessationem causae finalis, non reviviscit, redeunte postea causa (*l. 83. § 5 de verb. oblig. D.* [*XLV. 1*]); sed requiritur novus actus legislatoris ecclesiastici.

Cessatio praescriptionis vel fit na- 1010
turaliter, et tunc denuo inchoanda est praescriptio; vel civiliter, et tunc, victore usucapiente, quasi non interrupta procedit. Vid. *Praescriptio.*

Quoad cessationem dispensationis, Vid. *Dispensatio.* Quoad cessationem, promissionis, Vid. *Promissio.*

Cessatio a divinis. — Cessatio a 1011
divinis est prohibitio ecclesiastica clericis facta sacra obeundi et sacramenta ministrandi in aliquo loco sacro. *c. 11. de spons. et matr. X.* (*IV. 1*). Non est proprie censura, quum non sit poena medicinalis, neque per se habet in foro ecclesiastico rationem poenae vindicativae, sed imponitur ad modum praecepti, et rationem potius habet reparationis iniuriae, quae illata fuit ecclesiae vel ecclesiasticae auctoritati, et est significatio luctus ac moeroris (B. P. *VII. 12*); quare ex eius violatione non incurritur irregularitas. Suarez *de cen-*

suris d. XXXIX. s. 2. n. 7. sqq. Potest autem esse vel generalis, quae nempe afficiat totum aliquod regnum vel totam civitatem, aut partialis, quae unam ex. gr. afficiat ecclesiam. Et potest esse vel partialis, vel totalis. Suarez *loc. cit. n. 16.*

Cessatio a divinis iure ipso statuta ea est, quae habetur quoad ecclesiam pollutam, in qua ex ipsius iuris dispositione a divinis cessandum est B. P. *loc. cit.*

Haec prohibitio, quae immediate clericos, mediate laicos etiam respicit (Suarez *l. c. n. 2*), non fertur directe in personas, sed in loca. Suarez *l. c. n. 4. 8;* Schmalzgr. in *tit. 39. lib. V Decr. n. 403.*

Cessationem a divinis praescribere possunt, qui possunt censuras ferre (cfr. *c. 1. de sent. excomm.* [*V. 10*] *in Clem.*); sed legitime eam non ferunt, nisi propter delictum gravissimum, et publicum, et contrarium bono communi ecclesiae (*c. 13 de off. iud. ord. X* [*I. 31*]; *c. 8 de off. ord.* [*I. 16*] *in 6°;* Schmalzgr. *l. c. n. 417*), et ad liceitatem, non autem ad validitatem, in scriptis ferenda est. *c. 1. de sent. excomm.* (*V. 11*) *in 6°.*

Nomine divinorum, quae per cessationem a divinis prohibentur, veniunt divina officia; sive missae celebratio, publica recitatio horarum canonicarum, omnes solemnes ceremoniae ecclesiasticae, sacramenta quae in interdicto administrari prohibentur, ritus sepulturae ecclesiasticae (non ipsa tumulatio in loco sacro). Suarez *l. c. n. 18 sqq.;* Schmalzgr. *l. c. n. 412 sqq.*

Sententia lata cessationis a divinis servari debet etiam a regularibus exemptis. *c. 1. de sent. excomm. etc.* (*V. 10*) *in Clem.*

Cessatio a divinis prope accedit interdicto locali, quamvis ab eo distinguitur, quia censura non est, ut diximus, et quia ex iure videtur poena interdicto maior, quum ei superaddatur. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 408.* « Quumque, ait D'Annibale (*I. 378*), accedat interdicto locali, non immerito quidam putant, privilegiis, quae in his obtinent, sive ex veteri iure, sive ex Const. *Alma Mater*, in cessatione quoque a divinis locum esse. At alii contradicunt. »

Violantes cessationem a divinis arbitrio iudicis ecclesiastici puniendi relinquuntur.

Cessatio a divinis cessat vel revocatione eius, qui eam indixit, aut eiusdem superioris, vel impleta conditione aut die, sub qua forte indicta fuit. B. P. *VII. 12;* D'Ann. *loc. cit.*

Cessio. — Cessio bonorum, sive iudiciaria, sive voluntaria, non excusat debitorem a totali restitutione in perpetuum, nisi creditores id expresse admittant. Bona cedens potest subducere omnino necessaria ad vivendum, imo probabiliter illud omne, quod necessarium sit ad *congruam* sustentationem, seu quantum satis est, ut parce vivat secundum statum suum iuste acquisitum. B. P. *III. 542. sqq.* 1012

Bruni M. Tract. de cessione bonorum; *De Apicella L. M.* Tutamen pauperum sive... de cessione bonorum; *Szelleczkij I.* De bonorum cessione; *Ruta S.* La « cessio bonorum » non è ammissibile come forma di concordato giudiziale.

1013 **Character.** — Character sacramentalis est signaculum quoddam spirituale et indelebile, impediens, quin sacramentum iterari possit. Conc. Trid. *sess. VII. can. 9.* Si autem velimus rem intimius considerare, dici potest, characterem sacramentalem, secundum suam intrinsecam naturam consideratum, esse quamdam potentiam ministerialem, qua homo sub Christo summo sacerdote potest in actiones hierarchicas; consideratum autem in sua habitudine ad sacramentum exterius, a quo imprimitur, rationem habere signi sive notae distinctivae ordinum et officiorum in ecclesia Christi. Hierarchia autem hic dicit multitudinem ordinatam sub principis gubernatione.

Imprimitur in tribus sacramentis, baptismo, confirmatione et ordine, secundum quod aliorum in ecclesia est sacra recipere, aliorum ex officio et speciali deputatione per fidei confessionem divina defendere contra exterius impugnantes, aliorum ex officio tradere divina; quae sunt functiones cultus exterioris ex officio pertinentes ad diversos ordines, in quos distribuitur multitudo populi christiani, prout est directa ad sacrum finem sub sacro Christi principatu. Billot *de sacr. in communi th. XI.*

1014 **Chiromantia.** — Chiromantia est divinatio ex lineis manus, et ab ea abstinendum omnino est. G. B. *I. 266 sqq.*

1015 **Chirurgia.** — Chirurgia clericis est interdicta, excepto casu necessitatis. *c. 10. ne clerici vel mon. etc. X.* (*III. 50*). Si eam clerici exerceant citra incisionem et adustionem, non fiunt irregulares, imo neque his adhibitis, si fuerit necessitas, vel sine necessitate, si non fuerint in sacris, modo mors aut mutilatio non sequatur. Cfr. *c. 19. de homicidio X.* (*V. 12*); *S. C. C. ad Vic. Ap. Tunkini 9 feb. 1669; S. C. P. F. 27 iun. 1701;* Gasparri *de sacr. ordinat. I. 445.* Aliquando concessum est a Sacra Congregatione Propagandae fidei missionariis, ut medicinam et chirurgiam exercerent etiam extra casum necessitatis ex peculiaribus quibusdam causis; attamen concessio facta est sub his conditionibus, nimirum, ut sacerdos missionarius esset peritus in arte medicinae, ut eam gratis exerceret, ut eo loci non adessent medici laici, ut absque incisione et adustione operaretur. *S. C. P. F. ad min. Aethiopiae 28 nov. 1641.* Quam ultimam conditionem in rescripto positam non comprehendere nisi adustionem aut incisionem in casibus, in quibus adsit periculum vitae aut mutilationis membrorum, respondit Sacra eadem Congregatio Prop. Fidei *decr. cit. 27 iun. 1701.*

Chirurgus. — Chirurgus teneretur habere scientiam sufficientem, et proportionatam diligentiam in infirmi cura adhibere. Non evadit irregularis, licet membra abscindat, aut mortembona fide et nulla gravi negligentia intercedente, acceleret. Cfr. *c. 23. de homic. X.* (*V. 12*). 1016

Chocolatum. — Chocolatum frangit ieiunium si sit pingue, secus si modicum. G. B. *I. 492. 4°.* 1017

Choreae. — Choreae, ut ordinarie fiunt, periculi et scandali plenae sunt; per se tamen non sunt illicitae, si fiant honeste, secus si inhoneste, ra- 1018

tione nuditatum, modi saltandi, etc. S. Alph. *III. 429*. Si alicui grave peccandi periculum afferant, tum si et ipse honeste saltet, tum si ipsis tantum intersit, ab iis abstinere debet; cum larvis nonnulli dicunt generatim loquendo esse illicitas, quippe quae libidinem fovent; attamen attendendae sunt circumstantiae et mores singularum gentium. — Eas caupo, in quantum fieri potest, admittere non debet. Vid. *Cooperatio*. — Non expedit in publica praedicatione eas directe damnare, sed sufficit indirecte, invehendo contra peccata, quae in eis committi solent. G. B. *I. 245*. — Patet autem dedecere quam maxime clericos, ut vel choreas ipsi agitent, vel publicis choreis assistant (vid. *Clerici*), quare episcopus posset hoc prohibere etiam sub poena aliqua (cfr. *S. C. C. in Anagnina 7 febr. 1718*), censurae quoque. Hinc Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium approbavit legem latam ab episcopo Calliensi, qua prohibuerat clericis choreas agere vel choreis interesse, illud sub poena suspensionis ferendae sententiae, istud sub poena carceris ad tres dies. *S. C. EE. RR. in Callien. 20 ian. 1719*.

1019 **Chorus.** — ***De obligatione chori.*** — Ad chorum tenentur in primis canonici aliique beneficiati choro addicti. Alios autem sacerdotes seu clericos non canonicos seu non capitulares posse choro intervenire, cum permissione superioris chori, non videtur dubitandum; tunc induere debent superpelliceum et sedere in ultimis stallis, et quidem non canonicalibus. Mon. eccl. *vol. XI pag. 277*.

Ad chorum tenentur et regulares utriusque sexus ex consuetudine; regulares, inquam, proprie dicti seu ordinum vere regularium, qui praeterea suis constitutionibus hac obligatione non solvantur. *c. 1 de celebratione missae* (*III. 14*) *in Clem.* Si hi choro interesse non potuerint, debent privatim horas recitare (Suarez *de relig. vol. II. l. c. 17*); dummodo non fuerint tantum professi votorum simplicium, quia hi debent quidem choro interesse ut alii, sed ad privatam recitationem non tenentur. *S. C. EE. et RR. 6 aug. 1858*. Moniales quaedam antiquorum ordinum nunc tantummodo simplicia vota emittunt; hae ad horas non tenentur. Cfr. *S. C. EE. et RR. 19 apr. 1844*.

Tenentur autem hi omnes per se ad integrum officium quotidie in choro canendum et ad assistendum missae conventuali. Vid. *Canonici*.

Aliquando canonicis, iustis de causis, praecipue ob tenuitatem redituum, conceditur indultum alternativae, ut nempe inservire possint per mediariam aut tertiariam etc. (vid. *Mediaria*), aut alia reductio suae obligationis quoad servitium; tunc standum adamussim est terminis indulti.

De causis canonicos a choro excu- 1020
santibus. — **Quaenam sint.** — Sunt tamen causae a choro excusantes; et quaedam ita quidem excusant, ut absens lucretur et fructus praebendae et distributiones quotidianas.

Sunt autem:

a) infirmitas (*c. un. de cler. non residentibus in eccl. etc.* [*III. 3*] *in 6°*; Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 12. de ref.*; *S. C. C. in Lauretana 16 nov. 1709*),

idest iusta et rationabilis corporis necessitas; qua significatur non solum ipsa corporis valetudo (*S. C. C. 17 febr. 1838*), sed etiam externum aliud impedimentum, quo canonicus sine culpa prohibetur, quominus resideat in loco beneficii, et sit praesens in choro; quare non solum infirmi, et illi, qui prudenter se infirmaturos existimant, si ad chorum accesserint (*S. C. C. 16 dec. 1797*), nec non caeci, ex quo die caeci evaserint (*S. C. C. 29 ian. 1692*), sed et illi, qui carceribus iniuste detinentur (*S. C. C. 23 sept. 1685; in Maioricen. 14 apr. 1736; S. C. EE. RR. in Abellinen. 5 dec. 1600*), et illi, qui metu principis secularis (*S. C. C. in Caputaquen. 18 aug. 1731; 3 iul. 1734*), et illi, qui aliquid sibi iure timent ex inimicitiis adversus eos ibi sine eorum culpa exortis (*S. C. C. in Maioricen. 14 apr. 1736; 20 iul. 1878*) vel aliis huiusmodi causis absentes sunt (cfr. *S. C. C. in Tranen. 12 sept. 1750*), impediuntur vera corporis necessitate cogente in sensu iuris;

b) et evidens ecclesiae utilitas (*c. un. de cler. non residentibus etc.* [*III. 3*] *in 6°*), ecclesiae inquam choralis, non autem, saltem generaliter, universalis vel dioecesis (Reiffenstuel *in tit. 4. lib. III. Decr. n. 199;* Ben. XIV. *Inst. 107. n. 54;* Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 12. de ref.*); nam in hoc casu ordinarie ad lucrandas etiam distributiones quotidianas requireretur indultum pontificium, quum decreto tridentino citato abrogatum evaserit caput 30 *de elect. etc. in 6°.*

1021 *c*) His addunt generatim canonistae aliam causam, scilicet christianam caritatem (Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 1. de inf.*), quae haberetur, si quando beneficiatus abesse deberet ad componendam pacem inter reges aut principes dissidentes, vel ad praecavendum ne alicubi haeresis disseminaretur, vel in aliis huiusmodi. Sed haec extraordinaria sunt.

d) His causis addenda alia est ex re- 1022
centi decreto S. Congr. Rituum, quo SS. D. Pius PP. X declarare dignatus est ac statuere, ut dignitates seu canonici, beneficiati, aliique chorales omnes, qui sive conficiendis processibus tum ordinariis tum apostolicis in causis beatificationis et canonizationis operam navant, sive uti testes vocati fuerint, habeantur intra vel extra urbem tamquam praesentes in choro, mutato officio; et ideo omnia percipiant emolumenta etiam eventualia. *S. R. C. 13 iul. 1904.*

Notanda quaedam circa causas 1023
excusantes. — Et quoad primam animadverte, capitularem infirmum ipso iure exemptum esse a servitio chorali, quin ius amittat percipiendi distributiones quotidianas et reliqua emolumenta, quae percipere solent actu praesentes, iis tamen distributionibus exceptis, quibus recipiendis resisteret fundatoris vel dantis voluntas, vel altera peculiaris legitima causa, ut ex. gr. legitima consuetudo; constare tamen debere de infirmitate, quae praesentiam in choro sive directe impediat, sive indirecte, ob necessariam aegritudinis curam ex medicorum praescripto faciendam. In dubio de legitima aegritudinis causa iudex debet esse episcopus. *S. C. C. in Praten. 23 iun. 1764; in Aquilana*

16 iun. 1745; in Cremonen. 2 aug. 1760; in Regien. 14 dec. 1850; in Massen. 28 aug. 1852; in Amerina 28 apr. 1860; in Romana 9 iun. 1855; in Ariminen. 7 mart. 1885; in Anagnina 25 iun. 1904. Mühlbauer *Thes. res. S. C. Conc. v. « Chorus » 3. l.*

Quaerunt hic doctores, an septuagenarii ratione aetatis, quum senectus ipsa sit morbus, pro infirmis habeantur ita, ut a choro excusentur. Et S. Alphonsus (*IV. 130*) asserit affirmare Leandrum et alios, veriorem tamen esse sententiam Concinae, qui hoc negat, nisi revera debiles sint et imbecilli nimis. Quando autem septuagenarii aliive senio confecti censeantur legitimam habere absentiae causam ob senectutem iudicandum relinquitur iudicis arbitrio. Ita Bonacina *de horis can. disp. II. q. 5. p. 2. n. 6.*

Nota autem illud, quod diximus, infirmitatem huiusmodi esse debere, quae impediat praesentiam in choro; nam si adesse potest, etsi non possit ex. gr. canere aut elata voce loqui etc., non excusaretur ab interessendo, quia ex eo quod praesens sit, saltem auctoritatem praebet. S. Alph. *IV. 130.*

1024 Quoad alteram excusationis causam sequentia animadverte. Ex hoc capite considerantur tamquam praesentes canonicus, qui abesset ad tractanda negotia capituli; vicarius capitularis sede vacante; canonici absentes, ut assistant episcopo solemniter celebranti.

Ad hanc alteram causam excusantem revocanda est etiam necessitas seu utilitas, non quidem canonici, sed ecclesiae choralis, ut tempore officii divini missa celebretur. Quare canonicus, qui tunc temporis de mandato vel de licentia praepositi capituli, seu legitimi superioris, missam in eadem ecclesia celebrat, lucratur etiam distributiones quotidianas. *S. C. C. in Comen. 23 nov. 1771; in Perusina 21 iul. 1827.* Quod tamen non est extendendum ad casum, quo canonicus vellet tunc celebrare ob privatam devotionem aut privatum commodum, aut etiam celebraret ad populi commodum, non petita tamen venia a praefecto chori. *S. C. C. in Spoletana 28 febr. 1795; in Pisana 8 iul. 1823; in Perusina cit. 21. iul. 1827; in una S. Miniati 8 februar. 1817; in Tranen. 20 dec. 1862; 1 apr. 1876; S. R. C. in Romana 12 iul. 1892 ad 13* (*3780*).

Ad hoc caput est etiam revocanda alia causa excusans, nempe necessitas audiendi confessiones tempore divinorum officiorum. Quare non solum poenitentiarius (vid. *Canonicus Poenitentiarius*), sed etiam alii, qui sive ex lege fundationis, sive de mandato episcopi, in casu confluentiae populi (secus nonnisi ex indulto, *S. C. C. in Arianen. 24 ian. 1885*) confessiones audiunt, habentur tamquam praesentes in choro, ad hoc ut lucrentur etiam distributiones quotidianas (*S. R. C. in una S. Miniati 25 ian. 1817; in Maceraten. 14 febr. 1767*); at alii canonici, qui confessiones ex proprio marte tunc temporis audirent, distributiones non lucrarentur. *S. C. C. in una S. Miniati 8 febr. 1817; in Spoletana 28 febr. 1795; 1 apr. 1876; S. R. C. in Fulginaten. 14 iun. 1608.* (*260*).

Pariter huc revocandum est, quod canonicus parochus, ille nempe, cuius praebendae inhaeret onus officii parochialis, et beneficiati aut cappellani chorales, quorum praebendis inhaeret officium cooperatoris, lucrentur distributiones quando absentes sunt ratione sui officii. S. C. C. *in Papien. 28 ian. 1882.*

1025 Nota autem, hoc, quod dicitur, canonicos istos a choro absentes, ob causas superius recensitas, haberi a iure ut praesentes, et proinde lucrari sibi non solum fructus praebendae, sed et distributiones quotidianas, comprehendere etiam fallentias seu punctaturas absentium; idest eos pro rata participare etiam debere de distributionibus aliorum canonicorum absentium absque legitima causa. *S. C. C. in Alexandrina 26 sept. 1657; in Romana 5 maii 1703, 27 iul. 1705; in Mediolanen. 7 dec. 1715; in Aprutina 7 iun. 1755.* Attamen, ut canonicus infirmus lucretur distributiones, et multo magis fallentias aliorum, necesse est, ut ipse solitus fuerit residere. Ben. XIV. *Inst. eccl. CVII. n. 45; S. C. C. in Ripana 8 febr. 1783; in Asculana 5 ian. 1705; in Monoecen. 12 sept. 1896.*

1026 Alii excusantur a choro, ita ut lucrentur quidem fructus praebendae, sed non distributiones quotidianas. Hi sunt: duo canonici (ratione scilicet debitae obedientiae), qui apud episcopum detinentur pro utilitate ipsius episcopi et dioecesis (*S. C. C. a. 1587.* apud Bouix *de capitulo p. III. c. 22. § 13; in Leodien. 24 aug. 28 sept. 1765*); canonicus, qui simul est vicarius generalis (*S. C. C. 17 dec. 1627*); examinatores synodales, quando munere suo funguntur (*S. C. C. 20 sept. 1642*); docentes in scholis publicis s. scripturam et theologiam (*c. 5. de magistris etc. X.* [*V. 5*]; Conc. Trid. *sess. V. c. 1 de ref.*), vel, iuxta plures, ius canonicum, philosophiam et etiam grammaticam (S. Alph. *IV. 132*); studentes theologiae, scripturae sacrae vel iuri canonico (*c. 5. tit. cit. X.* [*V. 5*]; *c. 2 de privil.* [*V. 7*] *in 6°; S. C. C. 31 mai 1607*) in aliqua universitate cum ordinarii licentia (Conc. Trid. *l. c.; Const.* Pii IV. «Sanctissimus» *24 nov. 1564*); quam licentiam ordinarius concedere nequit ultra tres annos, vel iis, qui excesserint vicesimum quartum aetatis annum (Ben. XIV. *Inst. CVII* § *9*), dummodo tamen id fiat sine detrimento cultus divini (*S. C. C. in Urbanen. 21 nov. 1772*); quo in casu imo permissio iam data revocanda est. *c. 16 de clericis non residentibus etc. X.* (*III. 4*). — Quod autem diximus, hos lucrari quidem fructus praebendae, non autem distributiones quotidianas, intelligendum est, ut patet, nisi ex lege fundationis aliter statutum sit. Cfr. *S. C. C. in Cornetana 6 mart. 1857.*

Sed, ut iam adnotavimus, his omnibus non debentur distributiones quotidianae, quae tantum residentibus in ecclesiis, et iis, qui intersunt horis canonicis, exhibentur. *c. 32. de praebendis etc. X.* (*III. 5.*); *S. C. C. in Maceraten. 10 dec. 1616; in Eugubina 15 mart. 1783.*

Aliae causae a servitio chori ca- 1027
nonicos non excusant; hinc nec ratione consuetudinis, qua ex. gr. aliqua dignitas dicatur ab eo exempta

(*S. C. C. in Ariminen. 13 sept. 1862*), aut illis qui processioni cuidam interveniunt, conceditur uno die a choro abesse (*S. C. C. in Giennen. 18 mart. 1905*); nec ratione organum pulsandi (*S. C. C. in Brixien. 26 nov. 1611; in Faventina 7 maii 1760; in Terracinen. 28 apr.*; *12 maii 1770*; nisi in tota dioecesi solus sit canonicus, qui musicam artem calleat, et possit organum pulsare tempore divinorum officiorum, dummodo hoc ipsum praestet sine stipendio, *S. C. C. in una S. Severini 15 nov. 1659.; in Adiacen. 11 iul. 1671.; in una Nullius Putignani 6 maii 1741*); nec aliis huiusmodi rationibus, ut ex. gr. ad habendam curam sororum aut parentum (*S. C. C. in Melevitana 15 dec. 1827*), vel ad parandam concionem, per totam hebdomadam concioni praecedentem (*S. C. C. in Vallisoletana 29 apr. 1899; in Oveten. 27 apr. 1901*; *in Toletana 21 ian. 1905*), vel etiam ad minus tempus; aut ad vacandum ministerio praedicationis, seu ad subiiciendos examini ordinandos vel confessarios, vel ad exercendum munus, quod obtinent, rectoris, administratoris, professoris, examinatoris in seminario, seu cancellarii, actuarii etc. in curia episcopali (*S. C. C. in Tranen. 20 dec. 1862*), possunt canonici se eximere a servitio chori.

1028 Quoad pontificia indulta a choro abessendi confer ea, quae a speciali congregatione ab Innocentio XI deputata ad haec indulta moderanda, reformanda et revocanda acta sunt et statuta decreto 2 maii 1693. Cfr. etiam *S. C. C. 6 maii 1820; 18 maii 1850 et decretum eiusd. S. C. de chorali disciplina in Urbe 17 sept. 1902.*

De poenis in non inservientes choro (*remissive*). — Quaenam sint poenae non residentium seu non inservientium choro, vide sub *Canonici*. 1023

Bibliographiam quaere sub *Canonici*.

Chrisma. — Chrisma est oleum olivarum mixtum cum balsamo, et ab episcopo benedictum. Est materia remota confirmationis (Cfr. Eug. IV. *Decret. pro union.*); eius applicatio per impositionem manuum episcopi est materia proxima huius sacramenti. Cfr. *Const.* Bened. XIV «Ex quo primum» *1 mart. 1756.* — Ad liceitatem debet certo esse benedictum, verius et ad validitatem. S Alph. *VI. 163.* Vid. *Confirmatio.* Patriarcha aut metropolita non potest chrisma licite conficere, antequam receperit pallium. *S. C. P. F. ad patriarch. Graeco-Melchit. 1 dec. 1837.* 1030

Adhibetur in baptismo, et sine eius unctione baptizare mortale est, extra necessitatem. S. Alphons. *VI. 141.* In baptismo veteri chrismate, nisi necessitas cogat, sacerdos ultra annum non utatur (Rit. Rom. *tit. II. c. 1. n. 33*); in baptismo tamen solemni licet uti chrismate anni praecedentis, usquedum recens consecratum acceptum fuerit, nec omitti debet chrismatis et olei unctio, ex eo quod olea recens consecrata nondum haberi potuerint. *S. R. C. in Oriolen. 23 sept. 1837 ad 4.* (*2773*).

Adhibetur etiam ad consecrandas campanas in parte interna. Vid. *Balsamum, Campana, Confirmatio.*

Cineres. — Cineres, qui feria IV ci- 1031

nerum super capita fidelium imponuntur, debent esse aridi et in modum pulveris, ut mos est in universali ecclesia, nec tolerari potest consuetudo eos adhibendi aqua madidos in modum luti. *S. R. C. in Egitanien. 23 maii 1603 ad 3* (*130*). Cineres autem sunt imponendi fidelibus in ecclesia, nec licet sacerdotibus, etiam parochis, se conferre ad fidelium domos, ut in iisdem domibus eis distribuant cineres prima die quadragesimae. *S. R. C. in Rossanen. 9 iun. 1668* (*1367*). Sacerdos in missa privata (nempe sive ante, sive post missam) sacris indutus paramentis, potest cineres fidelibus distribuere, at eos sibimet imponere non potest. *S. R. C. in Veronen. 16 mart. 1833 ad 5* (*2704*). Canonicus, qui, non celebrante episcopo, feria IV cinerum, eius loco peragit benedictionem cinerum, etsi eos ipsi episcopo imponere debeat, non debet ad hoc assumere pluviale, sed casulam. *S. R. C. in Suessonien. 28 apr. 1866 ad 1* (*3148*). Benedictio autem cinerum in cathedralibus una est ex functionibus episcopalibus. *S. R. C. decr. gen. 9 iul. 1895.* (*3865*). Vid. *Functiones episcopales.* Ea tamen non est de iuribus parochialibus. *S. R. C. decr. gen. 12 ian. 1704 ad 5* (*2123*); *S. C. P. F. ad Vic. Ap. Tunk. Occid. 10 aug. 1841.* Vid. *Benedictiones.*

1032 Cineres quidam superstitiosi sibi imponebantur ab Indis: cardinalis Carolus Thomas Maillard de Tournon tunc patriarcha Antiochenus, et in Indiis Orientalibus commissarius ac visitator apostolicus cum facultate legati de latere, sequens edidit decretum: «Cineres ex vaccae stercore confectos... benedicere, eosque fronti sacro chrismate delinitae impingere, sive quaecumque alia signa albi vel rubei coloris, quibus Indi superstitiosissimi in fronte vel in pectore aut in alia quavis corporis parte utuntur, deferre prohibemus; mandantes, ut sanctae ecclesiae consuetudo, piique ritus cineres benedicendi, illisque christianorum caput cruce signandi ad humanae infirmitatis memoriam recolendam, religiose serventur, tempore ac modo ab ecclesia praescripto, scilicet feria IV cinerum, et non alias». Hoc decretum emi. Patres Inquisitores generales *16 sept. 1733* confirmandum dixerunt, servata in omnibus constitutione Greg. XV «Romanae Sedis Antistes» *31 ian. 1623;* illudque confirmavit Clemens XII constitutione «Compertum exploratumque» *24 aug. 1734*, et iterum Ben. XIV constit. «Omnium sollicitudinum» *12 sept. 1744.*

Cingulum. — Cingulum adhiberi 1033
debet in missae celebratione, et probabilius debet esse ab episcopo benedictum. Sine eo celebrare nullo modo videtur mortale, imo ne veniale quidem ex causa. Cfr. Baller. *in Gury II. 204* (*1*). Potest vero esse lineum vel sericum, sed congruentius lineum adhibetur (*S. R. C. in una congr. Mont. Coronae 22 ian. 1701 ad 7* [*2067*]); imo potest etiam esse ex lana (*S. R. C. in una ord. Carthus. 23 dec. 1862* [*3118*]); nec necessario debet esse album, sed potest etiam adhiberi cingulum coloris paramentorum. *S. R. C. in Bracharen. 8 iun. 1709 ad 3* (*2194*). — Sicubi viget consuetudo

utendi cingulis ad instar fasciae tolerari potest, donec cingula hucusque adhibita consumentur. *S. R. C. in Minoricen. 24 nov. 1899 ad 6 (4048).*

1034 **Circuli.** — Quotiescumque episcopus sacris paramentis induitur in sacrario, vel alibi ad missam solemnem, vel ad processionem iturus, dignitates et canonici debent circa illum stare, dum paramenta capit, detectis capitibus, quos tamen semel aut iterum invitari ab episcopo decet, ut caput tegant, cui illi reverenter obtemperare debent, se cooperiendo. Cerem. episc. *lib. I. c. 21 n. 1.* Quo casu dignior ex omnibus tam dignitatibus, quam canonicis, stare debet a sinistris episcopi, et alii per ordinem apud illum, facientes circulum usque ad ultimum, qui versus dexteram episcopi stabit. In missa quoque solemni, quae non ab episcopo, sed coram eo celebratur, quater circuli fiunt: primo, quum episcopus stans in sua sede legit introitum, et dicit *Kyrie eleison etc.*, et successive hymnum angelicum *Gloria in excelsis Deo etc.*, postquam intonatus erit a celebrante, si recitandus sit; quo finito, canonici, producente super eos episcopo signum crucis, quod semper in fine circuli observatur, factaque illi et altari reverentia, redeunt ad loca sua: secundo veniunt canonici ad circulum, quum dicitur symbolum, si dicendum est; tertio loco veniunt ad circulum circa finem praefationis, ut dicant cum episcopo *Sanctus, Sanctus, etc.*, non tamen pectus percutientes; dicto autem *Benedictus qui venit etc.*, et facto super eos signo crucis ab episcopo, recedunt: quarto et ultimo paullo antequam celebrans dicat *Per omnia secula etc.*, ante *Pax Domini etc.* iterum veniunt ad circulum, ut dicant cum episcopo *Agnus Dei etc.* Et tunc, dum veniunt ad circulum et dum discedunt, ambobus genibus versus altare genuflectunt propter reverentiam SS. Sacramenti, quod est super eo (Cerem. episc. *loc. cit. n. 2. 3; S. R. C. in Carpen. 4 nov. 1904*), nisi ex consuetudine mos obtinuerit simplicem tunc genuflexionem faciendi. *S. R. C. decr. cit. 4 nov. 1904.*

Huiusmodi circuli fiunt tantum in missis (non autem in vesperis), et quum episcopus praesens est missae per alterum cantatae, sive diebus festis sive ferialibus, numquam autem, quando ipsemet episcopus celebrat; nec fiunt ante ullum, quantumvis episcopo superiorem, etiam legatum delatere, aut eius metropolitanum, et multo minus ante inferiorem vel suffraganeum, vel alium episcopum, sed dumtaxat ante ipsum proprium episcopum (quamvis cappa indutum, Cer. episc. *lib. II. c. 9 n. 6*); circuli tamen, praesente legato de latere, vel prae lato superiore, ob eorum reverentiam omittuntur. Pariter circuli non fiunt in missis defunctorum aut feria VI in parasceve. Cerem. episc. *lib. I. c. 21 n. 5. 6.* Circulos autem istos habere potest episcopus etiam in ecclesia exempta (*S. R. C. in Alexandrina 7 febr. 1604 ad 1* [*156*]), non autem cum quibus libet presbyteris et clericis (*S. R. C. in Pennen. 16 mai 1626* [*406*]); imo ne ipsi quidem canonici alicuius collegiatae, quando hi simul cum canonicis cathedralis conveniunt, admittendi sunt ad circu-

lum. *S. R. C. in Caesaraugustana 27 mart. 1628* (*456*). Tempore circuli potest episcopus permittere, ut, deficientibus cantoribus, maneant in choro aliqui canonici ad sustentandum cantum. *S. R. C. in Curzulen. 31 maii 1670 ad 4* (*1401*). Circuli a canonicis fieri non debent, quando missae assistit episcopus administrator (*S. R. C. in Sarsinaten. 22 aug. 1722 ad 4* [*2274*]); nec tunc, quum canonici induti sunt sacris paramentis. *S. R. C. in Casalen. 29 aug. 1870 ad 2* (*3228*).

1035 **Circumcisio.** — Vigebat apud Gallas usus circumcisionis, et infantes circumcidebantur, antequam deferrentur ad baptismum. Hunc ritum pertinacissime Gallae observabant, velut unum e primis fidei christianae signaculis. Quaesivit vicarius apostolicus, an liceret usus huiusmodi. Et Sacra Congregatio Un. Inquisitionis respondit, ex circumstantiis casus apparere Gallas usurpare ritum circumcisionis tamquam ritum sacrum ac religiosum, ac proinde non licere; quum ecclesia, ut in concilio Florentino ab Eugenio IV declaratum est, omnes post promulgatum evangelium circumcisionis et sabbati reliquorumque legalium observatores alienos a fide Christi denunciet. Quare voluit Congregatio, ut pastores circa hoc docerent et corrigerent subditos suos, quantum possent, contumaces autem a communione arcerent (quod idem responderat alias *28 aug. 1637*); quae omnia ex mente S. Congregationis praestanda a missionariis erant cum omni christiana prudentia. Monuit simul S. Congregatio, cavendum esse a missionariis, ne denegarent baptismum infantibus circumcisis, quippe qui non sua, sed parentum culpa, iniuriam istam patiuntur. *S. U. I. 20 iun. 1866.*

Circumstantia. — Circumstantia est 1036
accidentalis determinatio actus, seu est conditio extra substantiam actus exsistens, et tamen attingens aliquo modo actum humanum. S. Th. *1. 2. q. 7. a. 1.* Circumstantia autem non est obiectum actus, quia secundario tantum a voluntate attingitur.

Septem numerantur circumstantiae, hoc versiculo expressae: « *quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando* »; - *quis:* nempe utrum ex. gr. clericus an laicus, liber an coniugatus; - *quid:* hoc respicit accidentalem quantitatem vel qualitatem obiecti, utrum nempe multum, an parum furatus sis, utrum rem sacram, an non; - *ubi:* refertur ad qualitatem loci, utrum nempe quis homicidium perpetraverit in ecclesia, an extra; - *quibus auxiliis:* respicit causam instrumentalem, seu media adhibita, utrum ex. gr. quis usus sit re sacra ad superstitionem, an non; - *cur:* indicat finem extrinsecum, utrum Titius ex. gr. dederit Caiae eleemosynam, ut eam induceret ad peccandum, an ut eam a peccato averteret; - *quomodo:* spectat modum, ex. gr. utrum recta conscientia aliquid feceris, an erronea, utrum quis cum muliere peccaverit, vi adhibita, an non; - *quando:* pertinet ad circumstantiam temporis, utrum quis diu odium foverit, utrum quis in ecclesia confabulatus sit tempore missae, an extra missam, etc.

Aliae attingunt ipsam moralitatem actus, aliae non; earum quaedam novam speciem moralem actui superad-

dunt, quaedam non; nempe quandocumque aliqua circumstantia respicit specialem ordinem rationis pro vel contra, ex tali circumstantia constituitur aliqua species moralis actus in bonitate vel malitia. S. Th. *1. 2. q. 18. a. 10.* Circumstantia leviter mala totum actum bonum non corrumpit. Cfr. B. P. *I. 86.sqq.;* G. B. *I. 27. sqq.;* Bucc. *I. 87.*

1037 *Quoad restitutionem,* circumstantiae praecipue considerandae sunt: *quantum, cui, quo ordine, quomodo, quando,* nempe restituendum sit. Vid. *Restitutio.*

1038 *Quoad confessionem.* Quae speciem mutant necessario accusandae sunt in confessione (Conc. Trid. *sess. XIV. de poen. c. 5 et can. 7*); nec solum aggravantes, sed etiam minuentes, ut si quis ex. gr. volens occidere bovem ad furandum, casu occidit hominem, haec enim circumstantia transfert peccatum a specie homicidii in speciem furti. B. P. *V. 222.* Si agatur de circumstantiis, quae actum ad aliam speciem non transferunt, leviter aggravantes, vel minuentes, certo non debent necessario accusari; imo verius nec notabiliter aggravantes. Lugo *de poen. d. XVI. n. 115. sqq.;* G. B. *II. 296 (20).* Et generaliter nota animadversionem Lugonis (*l. c. n. 134*), nimirum distingui prorsus haec duo: esse in uno actu plures malitias specie diversas, et esse in uno actu plures malitias solo numero distinctas. Sic in actu unius blasphemiae, qua quis omnes sanctos blasphemavit, non habetur nisi unius speciei malitia, etsi adsint plures malitiae solo numero distinctae. Porro Tridentinum dicit esse declarandum numerum peccatorum, quod in casu est unum, et malitias specie diversas unius numero peccati, quae etiam in casu est una. Quare sufficit in casu dicere: semel blasphemavi. B. P. *V. 212.*

Per se circumstantia consuetudi- 1039
nis peccati non est necessario accusanda; *per accidens* tamen aliquando accusari debet, ut si confessarius de ipsa consuetudine interroget. Cfr. *prop. 58. ab Innoc. XI. damnatam.* — Circumstantia concubinatus aut meretricii *per se* non est necessario declaranda, sed saepius manifestanda est per accidens ad statum et genus occasionum manifestandum, semperque aperienda est confessario interroganti. G. B. *I. 421.* — An circumstantia gradus incestus cum consanguineis et affinibus aperienda sit, controvertitur (Cfr. Suarez *de poenit. d. 22. s. 3. n. 12;* Diana *tom. 1. tr. 7. resol. 107*); utraque autem sententia certo est probabilis; ergo certum est, non adesse obligationem eam circumstantiam declarandi, quum obligatio dubia sit obligatio nulla. — Circumstantia virginitatis puellae violatae, quae in peccatum consensit, non est per se accusanda, quia in hoc non habetur stuprum. Vid. *Stuprum.* — Certo non est accusanda circumstantia dignitatis personae, nisi ratione scandali fieri debeat; nec temporis sacri. S. Alph. *III. 273.*

Ex dictis autem patet, satisfacere 1040
integritati confessionis eum, qui peccatum recens accusat tamquam olim commissum (Lugo *loc. cit. n. 47. sqq.*), nam circumstantia temporis non immutat speciem peccati. Actus autem

externus peccati accusandus est, quia est integratio interni actus. — Effectus autem peccati verius praetermitti possunt, nisi tales sint, qui novum constituant peccatum in causa, ut si quis ebrius ob ebrietatem omiserit sacrum die festo, vel aliquem occiderit. Hinc, si quis domum alterius combusserit, satisfacit dicendo: ignem admovi domui alterius. D'Ann. *III. 303.* Ex eadem ratione, proportione habita, est, quod, in odio relate ad propinquos, propinquitas aperienda est, si sit proxima, non autem si sit remota.

1041 **Cives.** — Cives obedire tenentur auctoritati civili legitimae in iis, quae non sunt contra legem Dei vel ecclesiae, eique numquam rebellare possunt. Propositio huc spectans damnata in syllabo sub numero 63° haec est: « Legitimis principibus obedientiam detrectare, imo et rebellare licet ».

1042 **Civile matrimonium.** — Civile matrimonium, quod in contemptum ecclesiae inductum est, ne sponsalibus quidem aequivalet, ac proinde nullum inducit impedimentum publicae honestatis. *Decr.* Leonis XIII *17 mart. 1879.*

Quare verum fidelium matrimonium tum solum contrahitur, quum vir et mulier, impedimentorum expertes, mutuum patefaciunt consensum, in forma legitima; et matrimonium ita contractum omne robur et firmitatem obtinet, quin opus sit, ut a civili potestate ratum habeatur, aut confirmetur. Attamen ad vexationes poenasque vitandas et ob prolis bonum, quae alioquin a laica potestate ut legitima nequaquam haberetur, tum etiam ad polygamiae periculum avertendum, tolerat ecclesia et permittit, ut fideles, etiam antequam legitimum contrahant coram ecclesia matrimonium, magistratui civili se sistant, actum lege decretum exsecuturi, ea tamen intentione, ut, quemadmodum Benedictus XIV docet in brevi « Redditae sunt nobis » (*17 sept. 1746*), sistendo se gubernii officiali, nil aliud faciant, quam ceremoniam mere civilem. *Instr. S. Poen. ad episc. Italiae 15 ian. 1866, iterum data a Sacra Congregatione neg. eccl. extr. ad episc. Argentinae 20 februar. 1889; S. C. C. in Olomucen. 7 ian. 1899.* Imo aliquibus in locis ad praecavendum periculum, ne sponsus impune relinquat sponsam, quam coram ecclesia tantum duxit, statutum est, ut parochi non possint, inconsulto episcopo, devenire ad religiosam matrimonii celebrationem, quin a sponsis exhibeatur ipsis attestatio peractae iam civilis ceremoniae. Ubique autem parochi ad matrimonii celebrationem coram ecclesia non ita facile ac promiscue admittere debent eos fideles, qui, quoniam civili lege arcentur, ad civilem actum dein non admitterentur, ac proinde magno cum prolis damno manifestisque periculis non haberentur ut legitimi coniuges. Qua in re ad loci ordinarium semper tenentur recurrere, qui multa uti cautela et prudentia debet ad vitanda prorsus, quae ex hoc imminere possent incommoda. Praeterea fideles, quibus permittitur, ut civilem prius exsequantur actum, post ipsum tenentur quamprimum ad contrahendum coram ecclesia matrimonium, atque

interim seiuncti omnino manere debent. Qua super re ordinarii debent instruere suos respective parochos; hi autem suos fideles. *Brev.* Pii VI « Laudabitur » *ad Galliae episc. 20 sept. 1791; Litt.* Pii VII *ad episc. Piceni 11 iun. 1808; Instr. cit. S. Poen. et S. C. neg. eccl. extr.*

1043 **Clandestinitas.** — **Quid clandestinitas.** — Matrimonium clandestinum multiplici sensu dicitur. Olim significabat matrimonium contractum absque praesentia cuiuscumque testis, quod igitur probari in iudicio non poterat; vel etiam initum absque solemnitatibus praescriptis, quod tamen ita contractum erat, ut probari posset: post concilium lateranense improprie dictum est clandestinum matrimonium, quod initur in facie ecclesiae, sed omissis proclamationibus, et est validum, sed illicitum. — Proprie matrimonium clandestinum dicitur, quum initur sine interventione auctoritatis ecclesiasticae, omissis proclamationibus atque forma publica in facie ecclesiae. Cfr. *S. C. C. a. 1587 in causa Hieracen.*

1044 **De celebratione matrimonii iure antetridentino.** — Matrimonia clandestina improbavit et prohibuit ecclesia iam inde ab antiquioribus temporibus. Mens enim semper ecclesiae fuit, ut fideles, qui matrimonium inire exoptabant, ecclesiasticae ipsi auctoritati consilium suum aperirent et illud ei submitterent; nec solum, sed et praeterea ut matrimonium ab ecclesiastica auctoritate approbatum publice inirent servantes mores cuiuscumque regionis, illudque sacerdotali benedictione donare et quodammodo facerent consecrare. Verum his saluberrimis ecclesiae monitis non semper a fidelibus obtemperatum fuit. Disciplina tamen ecclesiae semper eadem mansit, ut scilicet fideles matrimonia sua inire deberent cum nuptiali benedictione et consuetis solemnitatibus coram sacerdote. Cfr. Benedictum Levit. *VII. 179;* Hostiensem *Summa in tit. de matr. p. 344. 356;* Panormitanum, *in c. 28 de sponsal. etc. X (IV. 1).*

Imo tempore aevi medii generalis fuit consuetudo ut sponsi ad ianuam ecclesiae venirent ibique ante valvas idest ante fores ecclesiae ipsis benediceretur. Panormitanus *loc. supra cit.;* Esmein *Le mariage en droit canonique I. c. 2. VI.* Exinde factum est ut paullatim in aliquibus locis, praesertim in ecclesia gallicana, introduceretur systema aliquod aequivalens et magis perfectum. Loco harum interrogationum, quae immediate ante matrimonium a sacerdote sponsis fieri debebant, invectum est ut sponsi curarent, matrimonium, quod volebant contrahere, publice in ecclesia a sacerdote fidelibus nuntiari. Ita exquirebatur populi testimonium de absoluta et relativa habilitate sponsorum ad nuptias.

Haec publica nuntiatio matrimonii in ecclesia facta banna vocata sunt. Vid. *Banna.*

De legitima matrimonii celebratione iure tridentino. — ***Praenotanda.*** — Concilium tridentinum (*sess. XXIV. c. 1. de ref. matr.*) voluit et statuit ut praeter formam externam, quae ex ipsa rei natura exigitur, declarationis scilicet mutuae interni 1045

consensus, *forma etiam quaedam accidentalis* quoad modum istius declarationis faciendae, non ad honestatem tantum et probationem, sed ad ipsam contractus *validitatem* necessaria esset; quae proinde *forma, accidentalis* relate ad externam manifestationem consensus, *substantialis* evasit relate ad constitutionem contractus matrimonialis. De qua tridentina disciplina statim.

1046 ***De sequelis seu effectibus clandestinitatis.*** — Matrimonium clandestinum *invalidum* evadit post concilium tridentinum, quum ante hoc tempus, ut vidimus, illicitum tantummodo erat. Ab hac invaliditate, quemadmodum est in omnibus legibus irritantibus, non excusat ignorantia, etsi invincibilis, quamvis a peccato ea excuset. Invaliditas autem haec viget et locum habet in iis tantum locis, in quibus promulgatum est decretum superius descriptum, quo statuitur, matrimonium celebrandum esse coram parocho (non autem necessario in parochia, quare parochus ubique potest ex Tridentino sine alterius licentia assistere matrimoniis suorum fidelium) et duobus saltem testibus (et haec parochi et testium praesentia debet esse non successiva, sed simultanea), indirecte irritando actum sine tali forma gestum. Suarez *de leg. lib. V. c. 19. n. 4.*

1047 Iuxta hanc disciplinam tridentinam, matrimonium clandestinum iis in locis, ubi decretum « Tametsi » publicatum est, ne sponsalium quidem vim habet. Quod patet tum ex ipsa rei natura, quia consensus, qui in matrimonio exprimitur, est de praesenti et non de futuro, quare nullo modo ibi haberi potest contractus sponsalitius; tum ex pluribus decisionibus sacrae Congregationis Concilii. Cfr. *S. C. C. in Bisuntina mens. mart. 1587*; *8 iul. 1592* etc.; Ben. XIV. *Inst. eccl. XLVI. n. 22.* Nec obstat quod matrimonium attentatum impuberum habeat vim sponsalium, quia illud est ex expressa iuris constitutione.

Quae requiruntur ut decretum tridentinum vim suam exserat. — 1048
De ordinario modo promulgationis. — Decretum « Tametsi » iure tridentino, ut vim habeat, publicari debet in unaquaque parochia; in unaquaque parochia, inquam, scilicet non in omnibus ecclesiis illius parochiae, si plures ecclesiae in ea adsint, verum in una ecclesia parochiali. Cfr. *respons. S. C. P. F. ad vic. ap. Tunkinen. 7 iul 1760.*

Quid si publicatum fuerit in territorio parochiae, sed in ecclesia non parochiali? Et Gasparri (*De matrimonio II. 1055*) dicit, hunc modum publicationis fore valde absonum, et fortasse nullum, quum concilium velit decretum publicandum in singulis parochialibus ecclesiis.

Ecclesia autem parochialis hic lar- 1049
giori quodam sensu, et non stricto sensu canonico sumenda est. Videlicet ad validam promulgationem non est necesse, ut fiat in parochia quadam canonice erecta, sed sufficit, si districtus vel missio, quamvis non sit parochia canonice erecta, regatur tamen ad modum parochiae, ita ut fideles in certa aliqua ecclesia, et a certo sacerdote apud ecclesiam commorante vel aliunde veniente, debeant

communionem paschalem sumere ceteraque sacramenta recipere Cfr. *resp. S. U. I. ad arch. Quebecensem 14 nov. 1883;* Feije *de imp. et disp. matr. n. 335 sqq.* At, si parochialitatis ratio ibidem omnino non exsistit, sed habentur tantummodo communitates christianorum, qui aliquando ab uno vel ab alio missionario visitantur, et neminem habent, qui cum ipsis munus parochi seu proprii sacerdotis expleat, tunc decretum concilii tridentini publicari non potest. Cfr. B. P. *VI. 1182.*

1050 Quum autem in aliqua parochia concilii decretum publicatum est, si postea in territorio eiusdem parochiae novum quoddam oppidum exstruatur, et novi incolae accedant, non est necessaria nova publicatio; at, si non solum novi accedant populi et incolae, sed et pro eis novae erigantur parochiae, in his novam publicationem requiri rescripserat sacra Congregatio Propagandae Fidei (*ad vic. ap. Tunk. 7 iul. 1670*): verum sacra Congr. Univ. Inquisitionis contrariam sententiam amplexa est. Nam, quum episcopus de Costa Rica in America centrali proposuisset, Portum de Limon usque ad annum 1870 fuisse regionem incultam et silvis consitam; primos incolas fuisse nigritas haereticos et nonnullos catholicos Costaricenses; anno 1893 erectam fuisse parochiam in eodem Portu, ubi tunc degebant mille catholici et quatuor millia haereticorum; et petiisset, utrum ibi vigeret lex tridentina, an ad hoc, ut vigeret, requireretur publicatio nova decreti in nova parochia facta, respondit: « Decretum *Tametsi* Conc. Trid. tamquam promulgatum censeri debet in tota dioecesi de Costa Rica, neque proinde necessaria est eiusdem decreti promulgatio in nova parochia Portus de Limon ». *S. U. I. 23 nov. 1898.* Hanc sententiam iam tenuerat sacra eadem Congregatio, in sua instructione ad arch. S. Francisci *14 dec. 1859* et in responsione ad vic. ap. Arizonensem *30 ian. 1884.* — Huc possunt referri etiam litterae emi. Card. Ledochowski Praef. S. C. de Prop. Fide, quibus (*15 apr. 1901*) declaravit, decretum tridentinum obligare etiam in pagis et vicis East St. Louis Centreville Station etc., qui in territorio locorum Cahokia et Frenck Village, in quo iam antea decretum vigebat, exorti sunt.

Extra dubium vero est, non esse necessariam novam publicationem in nova parochia, quae talis evadit ex dismembratione ab antiqua, in qua decretum fuerat publicatum, quamvis, si parochiae, in qua decretum publicatum non est, uniatur parochia, in qua publicatio facta fuit, prima parochia non exinde ligetur statuto tridentino, nec altera ab ea lege liberetur. Cfr. *Instr. S. U. I. 1. dec. 1859.*

Responsiones S. Officii superius citatae fundantur in principio ab eadem S. Congregatione admisso, quod decretum tridentinum publicatum est in universa ditione subiecta regi Hispaniae; quod principium quibus ex rationibus a S. Congregatione inductum fuerit, nescimus.

Ad ipsam validitatem requiritur ut 1051
hoc decretum publicetur tanquam decretum concilii tridentini (*S. C. C. in Kiovien. 2 dec. 1628; 20 martii 1629;*

dec. appr. ab Urb. VIII. 30 mart. 1699 in caus. Indiar. Orient. in edit. Richter Conc. Trid. pag. 291; Ben. XIV *de Synod. lib. XII. c. 5. n. 7*), nec proinde sufficeret, ut episcopus illud publicaret tamquam suum decretum, aut tamquam decretum concilii provincialis vel synodi dioecesanae.

1052 Ordinarii curent, praescribit concilium tridentinum, ut hoc decretum publicetur populo et explicetur. An exinde dicendum est non exserere vim suam hoc decretum, nisi *lingua vernacula* aut alia, quam populus intelligit, publicetur? Et Gasparri (*loc. cit. II. 1056*) putat, validam esse promulgationem lingua latina factam. At alii negant, et non immerito, ut videtur: hoc enim videtur sentire sacra Congregatio Concilii. Nam in citata causa *Indiarum Orientalium* recripsit: « Si decretum eiusdem Concilii *cap. I. sess. XXIV. de ref. matr.* in iis regionibus non fuit publicatum in parochiis intelligibili idiomate, seu... valida esse infrascripta matrimonia, nempe contracta coram parochis ordinatis seu institutis ab archidiacono intruso ». Cfr. etiam Acta S. Sedis *v. II. p. 623.*

1053 Debet hoc decretum, ex ipso Tridentino, publicari ab ordinario vel ab alio ex mandato ordinarii.

Quare si parochus hanc publicationem suo nomine et auctoritate faceret, nulliter ageret. Feije. *l. c. n. 301.*

1054 Quoad tempus publicationis nihil statutum est in concilio tridentino, ac proinde quovis tempore ad validitatem publicari potest; tantummodo praescriptum est, ut in primo anno, postquam promulgatum est, quam saepissime fiat nova publicatio et explicatio, postea vero quoties ordinarii id expedire viderint. Haec tamen ad valorem promulgationis non pertinere omnes unanimiter asserunt.

Idem Concilium in eodem capite 1055
expresse sanxit ut haec lex per triginta dies a promulgatione vacet, idest vim suam non exserat, nisi post triginta dies a die primae publicationis in parochia factae.

Decretum hoc publicari etiam pot- 1056
est pro certis quibusdam personis et non pro omnibus, qui ecclesiasticis legibus subiiciuntur (cfr. *litt. Pii VII ad Imp. Napol. I, 27 iun. 1805*); ita ut possit publicari pro catholicis et non pro acatholicis, etc. (cfr. *litt. S. C. P. F. ad episcopum Nicopol. 11 ian. 1817*), et, si quando parochiae non per territorium, sed *per linguas* in aliqua civitate dividantur (quod permissum esse declaravit S. C. P. F. *11 apr. 1887*), publicari possit pro fidelibus certae linguae, idest in parochia certae linguae, et non in aliis, ut notat Gasparri *(l. c. n. 1052)*.

Hoc quidem abstracte loquendo sed in praxi quaeri potest, quandonam censendum sit, decretum tridentinum publicatum fuisse pro solis catholicis, quandonam pro omnibus, pro catholicis scilicet et pro acatholicis. Et sunt distinguendi casus. Nam si quaestio est de parochia plane catholica, in quam acatholici supervenerunt, postquam ibi decretum tridentinum absolute fuerat publicatum (quodque ibidem adhuc vigeat), etiamsi huiusmodi acatholici pseudo-parochiam acatholicam erexerunt, decretum tridentinum eos tenere certo

dicendum est eorumque matrimonia tum cum parte catholica, tum inter se, irrita esse et nulla (cfr. *S. C. C. ad ep. Tricarien. 18 ian. 1663*), ut patet ex facultate a Sacris Romanis Congregationibus in his casibus pluries concessa transeundi ad novas nuptias. cfr. *Brev.* Pii VIII «Litteris» *25 mart. 1830.*

Si vero quaestio est de regione plane acatholica, in qua nulli vel pauci erant catholici, in quorum parochiis decretum promulgatum non fuerat, donec, numero catholicorum excrescente, sive propter conversionem haereticorum aut schismaticorum, sive propter adventum eo loci plurium aliorum catholicorum, tandem ad tridentini decreti promulgationem devenitur, dicendum est, decretum solos catholicos, non vero acatholicos afficere: et proinde matrimonia acatholicorum, sive cum parte catholica, sive inter se, esse valida. cfr. *litt. Pii VII ad Napoleonem I 27 iun. 1805; S. C. P. F. ad ep. Nicopolitan. 11 ian. 1817; S. U. I. 24 et 29 novembris 1852.*

Si autem agatur de regione anteactis temporibus plane catholica, in cuius parochiis decretum tridentinum fuerat publicatum, ex qua postea, catolicis expulsis, eorum locum haeretici aut schismatici tenuerunt, aut ex apostasia antiquorum catholicorum evasit regio acatholica, in qua proinde praesenti tempore impune grassatur haeresis, et acatholici constituunt societatem omnino distinctam et moraliter diversam a prisca catholicorum societate, probabilius dicendum videtur, decretum tridentinum acatholicos non afficere; quamvis non omnes doctores quoad hoc concordes sint. Inter alios hanc sententiam tenet vel tenuit Gasparri (*De matr. II. 895*[1]; nota autem sequentia verba in tertia editione suppressa fuisse), qui addit: «Hic est casus Statuum Foederatorum Belgii et Hollandiae, pro quibus Ben edictus XIV dedit celebrem declarationem, matrimonia haereticorum inter se aut mixta valere praecise, ut videtur, ob allatam doctrinam».

De diuturna observantia decreti. — 1057
Ut lex ista tridentina obliget, documentum authenticum promulgationis non requiritur, sed sufficit factum diuturnae observantiae eiusdem legis tamquam decreti Concilii Tridentini, (cfr. *S. C. C. ad ep. Tricarien. 18 iun. 1663; litt. Ben. XIV ad archiepisc. Goanum. 19 mart. 1758*); ita ut ex hac diuturna observantia et exsurgat praesumptio de ipsa promulgatione et habeatur consuetudo vim legis habens, quae idem decretum inducat. *S. C. C. in Constantinopolit. 16 dec. 1634; ad ep. Tricarien. 18 ian. 1663;* ctr. Gasparri, *loc. cit. II. 1060 sqq.* Quaenam autem sit haec diuturna observantia, non est omnino certum. Nonnulli volunt sufficere decennium; at S. C. U. I. ad ep. Wayne-Castren. (*10 ian. 1866*) respondit: «Decretum Concilii Tridentini *de ref. matrimon. sess. XXIV* diu dicitur observatum tamquam eiusdem Concilii decretum, quando a tempore, quod excidit hominum memoriam, in parochia vim legis obtinuisse compertum est, ita ut matrimonia contracta praeter formam a Tridentino praescriptam irrita semper habita fuerint».

1058 Ad asserendum decretum tridentinum ex diuturna observantia alicubi vigere necesse est habere documenta certa et evidentia de eius observatione; quare optimo iure S. Congregatio de Prop. Fide respondit vicario apostolico Tunkini orientalis: « Ideoque, nisi constet revera publicatum fuisse illud decretum, vel saltem semper observatum, ac matrimonia absque praesentia parochi inita tamquam irrita habita fuisse, tunc pro non publicatione sentiat ». *S. C. P. F. 1 mart. 1784.*

1059 **De desuetudine observantiae decreti.** — Desuetudine decretum tridentinum potest abrogari. Cfr. *litt. Pii VII ad archiep. Mogunt. 8 oct. 1803.* Et re quidem vera quaerenti vicario apostolico Iaponiae, utrum vigeret adhuc decretum tridentinum in Iaponia, ubi illud, validis suadentibus rationibus, saltem anno 1626 publicatum fuisse videbatur, quum fideles usque in praesens, de dispositionibus a Tridentino circa matrimonium clandestinum decretis omnino inscii, semper sine parocho (nullus remanserat) et saepe sine testibus contraxerunt, Sacra Congregatio Univ. Inquisitionis respondit: « negative ». *S. U. I. 11 mar. 1868.*

Attamen nullum temporis spatium sufficit, ut lex tridentina vim obligandi amisisse censeatur aliquo in loco per simplicem inobservantiam haereticorum. *S. U. I. 6 iul. 1892.*

1060 **De legitima restrictione decreti.** — Decretum tridentinum a legitima auctorite potest restringi ad quasdam tantum personas. Sic saltem quoad effectus productos (nam ex sui natura constitutio Benedicti XIV fuit potius veri nominis declaratio, quam legis exsistentis abrogatio) factum est a Benedicto XIV (*Const.* « Matrimonia » *4 nov. 1741*) pro matritrimoniis haereticorum vel mixtis in Hollandia: sic fecerunt Pontifices successores, qui hanc Benedictinam declarationem ad alias regiones extenderunt, vel per veri nominis abrogationem legis tridentinae, vel per declarationem authenticam. cfr. De Roshovàny *De matr. mixtis I.* § *47 sqq.*; B. P. *809*; Feije *loc. cit. n. 315 sqq.*

De vi decreti tridentini, — Vis 1061
istius decreti tridentini est simul personalis et localis (*S. U. I. ad arch. S. Francisci 14 dec. 1859*), ita ut (ex eo quod personalem vim habet) sponsi, qui domicilium habent in loco subiecto capiti « Tametsi », si in loco eidem capiti non subiecto contrahant, eo ipso in fraudem legis agere censeantur (G. B. II. *651. 1801. ed. XIII*), et nisi domicilium vel quasi domicilium in loco legi tridentinae non subiecto acquisierint, invalide agant. Urban. VIII *14 aug. 1627; Const.* Ben. XIV « Paucis abhinc hebdomadis » *19 mart. 1758; S. U. I. ad ep. Geneven. 3 sept. 1772; Instr. eiusd. Sacr. Congr. ad ep. Angliae et Statuum foed. Amer. Sept. 7 iul. 1867; S. C. C. in Colonien. 5 sept. 1626*; *in Parisien. 18 iul. 1903.* Si vero contrahant in loco, ubi decretum illud non viget, duo, quorum alter tantum sit ex loco, ubi viget, valide contrahunt, quia unus alteri privilegium suum communicat ratione individuitatis contractus. cfr. Ben. XIV

de syn. l. VI. c. 6. n. 121; S. C. P. F. 21 mart. 1759; Instr. eiusd. S. C. ad ep. Nicopolitanum 11 ian. 1817; Feije *l. c. n. 316 sqq.*

Ex eo autem, quod lex ista tridentina localem vim habet, incolae alicuius parochiae, in qua caput « Tametsi » Concilii tridentini non est promulgatum, transeuntes ad parochiam, in qua dictum caput « Tametsi » promulgatum est, retinentes domicilium unde discesserant, nequeunt valide in ista nova parochia matrimonium contrahere sine ullo parocho et testibus, aut pro more vagorum coram parocho simplicis commorationis et testibus: sed ad valide ibidem celebrandas nuptias, debent necessario contrahere aut coram parocho proprio domicilii retenti vel sacerdote ab ipso delegato, aut coram parocho veri domicilii vel quasi domicilii acquisiti in parochia, ad quam transierunt, servata etiam in reliquis quoad testes forma tridentina. Cfr. Ben. XIV *in fine suae declarat. pro Hollandia 4 nov. 1741. de Syn. lib. VI. c. 6. n. 14; S. C. C. in Parisien. 28 ian. 1899, et votum R. P. Fr. Xav. Wernz consultoris ibidem;* B. P. *VI. 805*; Zitelli *loc. sup. cit.* etc.

1062 **De causis excusantibus ab observantia tridentini decreti.** — Excusat a lege tridentina impotentia adeundi parochum vel episcopum, certo si sit communis, et perduret per spatium mensis (*S. U. I. 1 iul. 1863; 14 nov. 1883; S. C. P. F. 27 iun. 1625; S. C. C. pluries*); forte etiam si sit particularis, et per idem tempus perduret (B. P. *VI. 819*); in casu tamen matrimonium contrahendum est ad validitatem coram duobus testibus. Cfr. *S. C. C. ad episc. Tricarien. 13 ian. 1663; litt. Pii VI ad ep. Lucion. 28 maii 1793; S. C. P. F. 4 ian. 1798, ad ep. Quebecen. 17 nov. 1835; S. U. I. 6 iul. 1817.* Impotentia autem haec tunc verificari censetur, quum in loco, ubi matrimonium contrahitur, vel in vicino, ad quem sine periculo accedi possit, parochus vel alius sacerdos delegatus non exsistat. *S. U. I. ad vic. ap. Sutchuen. 15 ian. 1784.* Tenentur autem sic contrahentes nuptialem benedictionem recipere quam primum commode poterunt; et curare, ut ipsorum matrimonium inscribatur in sacramentali registro parochiae, seu missionis, aut proximioris missionis ecclesiae, a qua dependent. *Instr. S. U. I. ad praef. miss. Martinicae, Guadalupae etc. 6 iul. 1817; S. U. I. 14 nov. 1883.*

In casu autem impotentiae adeundi parochum, qui aliquando verificabatur in Sinis, Tunkino et Cocincina, Sacra Congregatio Prop. Fidei ea super re interrogata, in instructione data ad vicarios apostolicos earum regionum (*23 iun. 1830*), indicavit etiam modum practicum contrahendi matrimonium absque sacerdote. Dicit autem: « Si missionarius adiri nequeat. et ineundi matrimonii urgeat necessitas, atque aliunde nullum omnino obstet impedimentum, tali casu parentes duos testes eligant. qui una cum sponso et sponsa eorumque propinquis, ad ecclesiam se conferentes, flexis genibus, consuetos fidei, spei, caritatis, contritionis actus in communi recitent, sicque sponsus et sponsa ad contrahendum matrimonium recte se disponant. Post haec sur-

gentes sponsus et sponsa coram praedictis testibus per verba de praesenti mutuum exprimant consensum, et post actas gratias Deo domum revertantur. Si autem ad ecclesiam ire nequeant, in privatis domibus praedicta observentur. Postea vero, data opportunitate, novi coniuges et testes missionarium adeant, ut ipsi de matrimonio rite inito legitime constet, et ab eodem benedictionem accipiant ».

Iuverit hic etiam illud referre, quod anno 1785 Sacrae Congr. de Prop. Fide relatum est quoad *insulam Curação,* in qua lex lata fuerat, vetans catholicis, ne contraherent matrimonium coram proprio parocho, nisi prius contraxissent coram magistratu acatholico et ministro protestante, sub poena 500 florenorum a parocho catholico solvendorum; si autem vellent contrahere coram magistratu acatholico vel ministro protestante, ut 50 florenos solverent. Quare praefectus missionis referebat, vere pauperes nullo modo matrimonium posse contrahere. His stantibus, S. Congregatio respondit: « Parochus catholicus, constito primum sibi nullum inter contrahentes intercedere canonicum impedimentum, ac illorum inopiam veram esse, permittat ut, absque etiam sua assistentia, matrimonium ineant, sed tamen praesentibus tribus aut saltem duobus testibus integrae fidei; ac ita celebrato matrimonio teneantur coniuges, citius quam fieri potest, illud parocho significare, qui in codice matrimoniorum illud saltem secreto adnotet cum indicatione diei ac nominibus testium, qui praesentes fuerunt. Ita se gerat praefectus missionis in casu necessitatis et magnae contrahentium inopiae. Videat tamen, ne sub paupertatis praetextu fraus aliqua fiat contra Tridentini Concilii decretum sess. XXIV. c. 1. de reform. matr. etc. ».

De partiali publicatione decreti. — 1063
Alicubi ob speciales locorum circumstantias decretum tridentinum publicatum fuit ex parte: idest prout requirit ad validitatem matrimonii praesentiam duorum vel trium *testium,* non vero prout requirit etiam praesentiam *parochi.* Sed hoc, ut patet, non posset fieri ab episcopo, nisi de expresso consensu et mandato Romani Pontificis, quo deficiente, si quis episcopus hoc faceret, nulliter ageret. Sic de mandato Romani Pontificis in iis locis imperii Sinarum, in quibus integrum decretum tridentinum promulgari non posset, vel, si promulgatum esset, parochus tamen vel alius rite designatus abesset, vel faciles ad eumdem non essent aditus, statutum fuit, ut iniri quidem possent coniugia, etsi absque parocho, attamen coram duobus saltem testibus, iisque, si fieri posset, christianis. Cfr. *S. U. I. ad vic. ap. Sutchuen. 15 ian. 1784; S. C. P. F. ad vic. ap. Tunk. occ. 1 mart. 1784; pro Sinis 4 ian. 1798; Instr. eiusd. S. C. P. F. ad vic. ap. imp. in Sin. eique adiacentibus Regnis et Prov., iussu Pii VII dat. 14 ian. 1821.* Hoc idem prius statutum fuerat pro Iaponia. *S. C. P. F, 13 iun.; 27 iun. 1865.*

De dubia promulgatione decreti. — 1064
Dubitatur num in aliquibus locis decretum tridentinum fuerit publicatum. In praxi huiusmodi loca habenda sunt tamquam ea, in quibus publica-

tum non est; nam lex dubia non obligat. cfr. *S. C. C. 13 nov. 1638; S. U. I. 22 iul. 1840.*

1065 ***De assistentia parochi et testium.*** — **Quinam debeat assistere.** — Parochus assistens iure tridentino debet esse parochus alterutrius sponsi, et desumitur ex habituali domicilio vel quasi domicilio (de his infra). *S. U. I. 2 maii 1877.* Quare si assisteret parochus non proprius, idest parochus, in cuius parochia neuter sponsus domicilium habet, etsi is putaretur per errorem parochus proprius, matrimonium iuxta tridentinam disciplinam esset nullum ratione clandestinitatis. Cfr. *causam Parisien. agitatam apud S. C. C. 22 iun. 1907.*

Vagi contrahere possunt coram quolibet parocho, in cuius parochia tunc inveniuntur. Sanchez *De matrim. III. disp. 25.* Attamen parochus, qui vult assistere matrimonio alicuius vagi, debet prius, ex gravi praecepto Concilii (*sess. XXIV. c. 7 de ref. matrim.*) diligentem inquisitionem facere, et, re ad ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinere.

Valide assistit parochus, etiamsi non fuerit sacerdos (cfr. Giraldi *Exposit. iur. pontif. part. II. sect. 115 n. 19;* Fagnanum *n. 8 ad c.* « Praeterea » *de aet. et qual. etc. praef.*, referentem plures decisiones S. C. C.; Feije *loc. cit. n. 285*), vel fuerit suspensus, irregularis, excommunicatus, schismaticus, dummodo non depositus (cfr. Benedict. XIV *de synod. lib. XII. c. 5. n. 2 sqq.; lib. XIII. c. 23. n. 1 sqq.*); imo etsi fuerit tantummodo putativus, idest is, qui revera parochus non est, sed esse creditur errore communi, cui suffragatur titulus coloratus (cfr. *Pii VI Instruct.* « Laudabilem » *26 sept. 1791 ad episc. Gallos.* Sunt etiam, qui titulum hunc coloratum in casu erroris communis non requirunt, sed non bene, ut videtur. In casu recurrendum esset ad Sedem Apostolicam. Cfr. Feije *loc. cit. n. 291*).

Quum autem parochus ab ipso iure communi habeat hanc facultatem assistendi matrimoniis, patet ea destitui non posse a quocumque, etiam superiore, nisi ab uno Romano Pontifice. *S. C. C. ad ep. Giennens. a. 1581.*

Veris et proprie dictis parochis in hoc aequiparantur vicarii curati perpetui vel temporales, qui vices proprie dicti parochi gerunt (sed de his in speciali infra); nec non rectores parochiarum, qui alicubi succursalistae vel deservitores dicuntur. Gasparri *de matrim. II. 1076.*

Patet autem, praeter parochum, valide assistere matrimoniis Romanum Pontificem pro universa ecclesia (cfr. *litt. Leonis XII ad Helvetios 4 oct. 1828*); legatum a latere pro sua legatione (*S. C. C. 3 iun. 1628; 22 mart. 1681*); episcopum pro sua dioecesi (cfr. ipsum decr. Concilii Tridentini); archiepiscopum pro subditis suorum suffraganeorum, quando visitat suffraganei dioecesim in casibus a iure praescriptis, vel quando suffraganei subditus a sententia episcopi ad ipsum appellavit circa aliquod matrimonium contrahendum, ipseque per sententiam, quae transierit in rem iudicatam, pro libertate subditi stetèrit (Gasparri *l. c. II. 1118*); vicarium generalem, etiam sine speciali mandato,

quousque in officio manet (non igitur mortuo aut deposito episcopo, sed etsi episcopus fuerit interdictus, suspensus, excommunicatus (Gasparri *l. cit. II. 1120*), quia habet ordinariam iurisdictionem in dioecesi (*S. C. C. 5 iul. 1602; 26 sept. 1697; 17 nov. 1636*); vicarium capitularem, et sede vacante ante eius deputationem capitulum (num etiam vicario deputato, valide assisteret capitulum? et Gasparri (*l. c. n. 116* [*I*]) non videtur id abnuere; at, deputato vicario, capitulum non est amplius ordinarius, quia totam ordinariam iurisdictionem episcopalem, quae in ipsum transierat per mortem episcopi, transtulit in vicarium); praelatos nullius, qui veram habent iurisdictionem in populum. Dicunt nonnulli et cardinales in suis titulis hoc posse (Ferraris, *Prompta bibl. v.* « Cardinales » *art. 3. n. 12. 20*); aliis tamen contradicentibus. Sed priorum sententia praeferenda videtur, quum ex constitutione Innocentii XII « Rom. Pontifex » 17 sept. 1692 non fuerit ipsis adempta ordinaria ibidem iurisdictio. Vid. supra n. 859.

1066 **De modo assistendi in parocho requisito.** — Ut parochus dicatur de facto praesens, sufficit ut possit esse testis de matrimonio quod contrahitur; etiamsi resistat, ne habeatur ut testis, et affectet non intelligere ea, quae fiunt. *S. C. C. a. 1581; S. U. I. ad ep. Quebecen. 17 nov. 1835.*

1067 Parochus et testes a sponsis eo sensu formaliter ut tales adhiberi debent ad validitatem, quod contrahentes ideo consensum suum exprimant coram parocho et testibus praesentibus, quia volunt iisdem notum esse contractum, atque adeo eos iuxta mentem et praeceptum ecclesiae testes habere. Quare nihil refert, utrum prius hoc illis contrahentes dixerint, necne; utrum parochus et testes sciant, se hac de causa conveniri, necne. Quomodocumque enim parochus et testes aut casu occurrant aut ficto praetextu advocentur, seu conveniant, perinde est. Attamen « sponsi saltem de facto et implicite in ipso actu celebrationis matrimonii signis indicent (necesse est), se scienter illos ut testes adhibere velle ». Wernz *l. c., n. 182. III;* B, P. *VI. 859.* Cfr. *S. C. P. F. ad vic. ap. Tunkin. 2 iul. 1827.*

Quaedam adnotanda quoad domicilium vel quasi domicilium. — Ut pateat quinam sit parochus *proprius* ad assistendum matrimoniis, quem desumi diximus ex habituali domicilio vel quasi domicilio, haec quoad utrumque adnotanda sunt. 1068

Quoad matrimonium domicilium vel quasi domicilium aestimandum est *iure canonico,* non iure loci, in quo contrahitur matrimonium. *S. U. I. 9 nov. 1898.*

Domicilium iure canonico constituitur *habitatione in parochia, non in dioecesi* (quemadmodum etiam iure civili domicilium intelligitur in municipio seu communi, non in provincia. Cfr. *C. C. It. a. 17*).

Ad domicilium acquirendum ex iure communi (cui ius canonicum adhaesit) duo sunt necessaria: factum et voluntas: id est debet quis domum vel in illo loco habere vel eo transferre, simulque intentionem fovere manendi ibidem perpetuo, si nihil inde avocet. *l. 7. de incolis et ubi etc.*

C.(X. 40); Feije *de imp. et disp. matr. 205.*; D'Annib. *I. 83; C. C. It. a. 17.* Haec autem intentio exterius apparere debet. D'Annib. *I. 83 (12).*

Hinc ordinarius concedere nequit parochis licentiam assistendi matrimoniis eorum, qui diu in dioecesi versati sunt, sed in nulla parochia domicilium vel quasi domicilium habent, nisi, diligenti inquisitione facta, constet, eos in nulla parochia verum domicilium vel quasi domicilium habere, sed esse vagos. D'Annib. *III. 457 (38).*

1069 Verum *qui sui iuris non sunt,* patris vel tutoris domicilium habent, illudque retinent, quousque, sui iuris effecti, eidem non renuntient (Feije *l. c. n. 204;* cfr. etiam *S. C. C. in Parisien. 16 apr. 1902*); *uxor* habet domicilium mariti, illudque, etiam si maritus fuerit mortuus, retinet, donec ei non renuntiet (Zitelli *Ench. iur. pont. lib. II. c. 2 a. 7 de imp. cland.*), nisi in casu legitimae separationis ante mariti mortem id praestiterit. Feije *l. c.* Hi praeter hoc domicilium, possunt alibi quasi domicilium contrahere.

Hinc *alumni seminariorum vel collegiorum, et puellae,* quae in conservatoriis et collegiis educantur, retinent domicilium paternum, cui non renuntiarunt, et habent quasi domicilium in parochia, ubi collegium situm est. *S. C. EE. RR. 8 oct. 1723.*

Professores alicuius facultatis, *medici* ab aliquo municipio conducti, *officiales publici, magistri* vel *magistrae* comunales etc., si operam suam in aliquo loco exercent ultra semestre seu ad tempus indeterminatum, saltem quasi domicilium eo loci habent (Zitelli *loc. sup. cit.*), verum domicilium retinentes, si quod habent alibi. Gasparri *loc. cit. n. 1105.*

Famulos et famulas habere domicilium in parochia, in qua famulantur, tradunt nonnulli (Zitelli *loc. cit. etc.*); hoc autem verum non videtur, et ibi solum habere quasi domicilium hi videntur, retinentes etiam domicilium paternum, maternum vel fraternum (cfr. *S. C. C. in Eugubina 24 mart. 1788;* Giovine *de disp. matr. I. 314. n. 7*); nam ad amittendum domicilium non sufficit actualis discessus vel absentia diuturna, sed sive verbis sive factis debet constare de animo renuntiandi domicilio, quod, quamdiu de renunciatione non constat, conservatur. Feije *l. c. n. 208.*

Illi, qui partim in civitate, partim ruri degunt, habent domicilium in civitate, si ibi perpetuo velint manere; ruri autem, vel domicilium, si nempe perpetuo et aequaliter (quod non mathematice, sed moraliter accipiendum est, *S. C. C. 29 nov. 1851*); vel quasi domicilium, si ibidem aliquamdiu degant cum animo eo loci manendi per maiorem anni partem. Gasparri, *l. c. n. 1113;* D'Ann. *I. 84 (23).* Tunc utrobique contrahere possunt; si vero ruri nec quasi domicilium habent nec domicilium, tunc contrahere ibidem non possunt, et, si contrahunt, invalide agunt, etsi ruri aliquamdiu per plures menses degerint. Cfr. *S. C. C. in Parisien. 14 decembr. 1889.*

Milites quasi domicilium habere censentur eo loci, ubi per maiorem anni partem addicti sunt (D'Ann. *I.*

85 [*27*]); secus sunt vagi, nisi alibi domicilium retinuerint.

Ad carceres damnati in parochia carceris habent verum domicilium, si ad carcerem perpetuum damnati sunt; quasi domicilium, si poenam carceris ultra semestre luere debent; secus nec domicilium ibi habent, nec quasi domicilium. *S. C. C. in Farfen. 26 maii 1707 cit. a* Gasparri *l. c. n. 1107.*

Infirmi regulariter non acquirunt quasi domicilium in hospitali, nisi constet eos laborare morbo sex mensibus diuturniore et animum habere ibidem manendi, quousque convalescant. Zitelli *loc. sup. cit.*.

Peregrini (vid. *Peregrinus*) habent domicilium eo loci, unde discesserunt reversuri; ubi autem morantur, nec domicilium nec quasi domicilium habent. cfr. D'Ann. *I 85;* Giovine, *loc. cit. n. 9.*

Vagi (vid. *Vagus*) nullibi domicilium habent; hinc contrahere possunt matrimonium coram quolibet parocho, idest coram quocumque parocho, in cuius parochia tunc inveniuntur, ut diximus.

1070 Ad *quasi domicilium* autem necessario requiruntur: factum commorationis in aliquo loco, et animus ibidem manendi per maiorem anni partem. cfr. *decr. S. U. I. 24 mart. 1867;* Feije *de imp. et disp. matr. n. 209 sqq.*

Quare si legitime constet, ambos vel alterutrum ex sponsis animum habere alicubi permanendi per maiorem anni partem, ex eo primum die, quo eo devenerit, quasi domicilium acquisitum fuisse, tenendum est. *S. U. I. 7 iun. 1867.* Si autem non constet, alterutrum saltem ex sponsis hunc animum habere, recurrendum est ad praesumptiones; et si uterque, vel alteruter, ante matrimonium spatio unius mensis in loco matrimonii habitaverit, exsurgit praesumptio iuris, eos animum habuisse manendi ibidem per maiorem anni partem, atque ideo quasi domicilium in loco habuisse et matrimonium fuisse validum, nisi praesumptio illa contrariis probationibus certo elidatur. Cfr. litt. Card. Patrizi ad episcopos Angliae et Americae septemtrionalis per S. C. P. F. *7 iun. 1867* transmissas; *S. C. C. 25 ian. 1873; 4 maii, 20 iul., 14 sept. 1878 etc.* Attamen etiam commoratio sex mensium in aliqua parochia non excludit inquisitionem faciendam de animo permanendi per maiorem anni partem, nisi ex privilegio hoc idem concedatur, ut fecit S. Congreg. Univ. Inquisitionis pro archidioecesi Parisiensi, cuius officialis petiit declarationem, tamquam normam a se sequendam in futuris casibus, an bene egerit non admittendo ad matrimonium virum et mulierem, qui proposuerant commorari in aliqua parochia Parisiis ad tres menses, quam commorationem postea, volentes inter se matrimonium contrahere, ad alios tres menses prorogarunt, ut compleretur semestre commorationis requisitum ad matrimonium a lege etiam civili. Huic petitioni S. Congreg. S. Officii respondit: «Orator acquiescat; et addatur; se conferentes in civitate N. ex alio loco vel paroecia, dummodo ibi commorati fuerint in aliqua paroecia, per

sex menses, censendos esse ibidem habere quasi domicilium in ordine ad matrimonium, quin inquisitio facienda sit de animo ibi permanendi per maiorem anni partem, facto verbo cum SS.mo ». *S. U. I. 9 nov. 1898.* Hoc autem fuisse peculiare indultum declaravit assessor S. Officii litteris datis ad S. Congr. Concilii *26 ianuarii 1903.*

Pro Statibus foederatis Americae septemtrionalis aliquid peculiare habemus; videlicet illi, qui per spatium unius mensis in aliqua parochia commorati sunt, eo ipso in ordine ad matrimonium censendi sunt habere ibidem quasi domicilium, quin facienda sit inquisitio de animo ibi permanendi per maiorem anni partem (*Decr. S. U. I. 6 maii 1886 conf. a Leone XIII die 12 maii eiusd. anni et datum ad petitionem Conc. Baltimorensis Plenarii III*); quare ius quoddam novum pro iis regionibus haberi videtur, ut ad quasi domicilium acquirendum non requiratur animus manendi in loco per maiorem anni partem, sed sufficiat factum menstruae commorationis. Zitelli *loc. sup. cit.;* Gasparri *loc. cit. n. 1089.* Hoc, quod pro Statibus foederatis Americae septemtrionalis a S. Officio constitutum fuerat, extensum postea est *ad archidioecesim Parisiensem* a S. Congregatione Concilii (*S. C. C. 29 maii 1905*), quae pariter *ad civitatem Berolinensem* in dioecesi Wratislaviensi extendit privilegium a S. Congr. S. Officii Parisiis concessum (*9 nov. 1898*), ut scilicet in ordine ad matrimonium quasi domicilium acquiratur, quin animus investigetur, dummodo ex alio loco vel parochia sese conferentes in urbem Berolinensem *per sex menses*, et ibi in aliqua parochia, commorati fuerint. *S. C. C. decr. cit. 29 maii 1905.*

De facultate delegata assistendi matrimoniis. — Ii omnes, qui matrimoniis per se assistere valent, possunt hoc munus committere alii sacerdoti, non vero diacono aut inferiori clerico (unus Romanus Pontifex posset hanc facultatem cuicumque voluerit delegare) (Feije *loc. cit. n. 294*); idque facere valent quousque valent per se matrimoniis assistere, idest quousque officium retinent, etsi censuris irretiti sint. 1071

Patet autem episcopum posse valide facultatem assistendi sacerdoti delegare, etiam parocho invito et reluctante. *S. C. C. ad ep. Aturensem 14 aug. 1863.*

Nota etiam illum, qui delegatus est ad universitatem causarum, idest in casu ad assistendum matrimoniis in genere, posse alium sacerdotem subdelegare pro hoc vel illo matrimonio.

Delegare hi possunt, quoad validitatem, et speciali et generali delegatione; verum non semper id licite faciunt. Sic S. Congregatio Concilii (*in causa Posnaniensi 20 iul. 1899*), reprobavit consuetudinem parochorum alicuius civitatis, qui se mutuo delegabant ad hoc, ut quivis illorum semper et habitualiter posset assistere matrimoniis eorum, qui alteri parocho subdebantur; et de facto hoc erat illusorium reddere decretum tridentinum. Attamen hanc ipsam generalem delegationem, certos intra terminos restrictam, eadem S. Congregatio alias probavit. Nam quum in civitate 1072

Coloniensi parochi se mutuo delegarent in hunc modum, ut parochus, qui tempore, quo proclamationes expetebantur, parochus proprius sponsae erat, inde per tres menses matrimonio eius assistere valeret, etiamsi sponsa, ea parochia derelicta, in alia parochia eiusdem civitatis tempore matrimonii habitaret; et in civitate Aquisgranensi ab immemoriali tempore exsisteret usus, iuxta quem propter frequentem habitationis mutationem ex parte ancillarum, mercenariorum et pauperum, parochus, in cuius parochia sponsa habitabat, dum proclamationes expetebat, eius matrimonio assistere posset, etiamsi sponsa tempore proclamationum in aliam parochiam eiusdem civitatis transmigraret: S. Congregatio non solum sententiam tulit pro valore horum matrimoniorum, sed supradictam praxim per manifestationem *suae mentis,* archiepiscopo Coloniensi circa eam factam, approbavit (*S. C. C. in causa Colonien. et Aquisgranen. 18 mart. 1893*), et iterum approbavit S. Congregatio Univ. Inquisitionis *9 nov. 1898.*

Mens autem Congr. Concilii in causa Coloniensi haec fuit, ut scilicet eidem emo. archiepiscopo scriberetur, quod ad vitanda incommoda ex enunciata praxi utcumque oritura, opportunum futurum esset, ut utraque illa generalis delegatio parochis non esset permissa, nisi accedente ordinarii approbatione et delegatione una cum facultate subdelegandi; insuper, ut eadem mutua generalis delegatio limitanda esset ad casum, quo res per petitionem proclamationum factam non iam esset integra, idest restringenda ad solos parochos domicilii a sponsis relicti, et quoad durationem ita determinanda esset, ut exspiraret, si a die ultimae proclamationis (exclusive) elapsi essent duo menses, seu sexaginta dies completi, vel tot dies completi, quot iuxta dioecesana statuta requirebantur ut denuo fierent proclamationes, si intra illud tempus matrimonium non fuisset celebratum; optandum vero, ut emus. archiepiscopus uteretur ea facultate tantummodo pro maioribus suae archidioecesis civitatibus.

An *pro-parochi seu vice-curati* censendi sunt habitualiter delegati ad matrimonia omnium fidelium ex parochia? Et, si hi positi sunt cum plenitudine pastoralis ministerii (quod ex consuetudine quoque dioecesis erui potest), affirmandum est; negandum vero, si, nonnisi ad adiuvandum parochum in iis, quae ipsis committuntur, deputentur. cfr. *S. C. C. in Bosanensi 28 nov. 1789, in Turritana 13 iun.; 19 dec. 1795; S. U. I. 7 sept. 1898.* 1073

Delegatio haec quamvis fuerit metu extorta, est valida. Schmalzgrueber, *in tit. 3. lib. IV Decr. n. 208 sqq.;* S. Alph. *VI. 1088;* Feije *l. c. n. 297.* Attamen delegans debet facultatem facere sciens volens, nec errore ductus. Delegatus autem scire debet mandatum assistendi ipsi fuisse commissum (*S. C. C. 15 apr. 1625; 5 dec. 1626*), et quidem hanc notitiam habere debet directe ab eo, qui hanc licentiam concedit, aut a concedentis nuncio ad id destinato, nec sufficeret 1074

quod esset illius licentiae conscius per alium (Sanchez, *de matrim. III. disp. 36. n. 8*); et mandatum debet non fuisse revocatum (Feije *l. c. n. 297. 7°*), et planum est. Revocatio autem haec, ut vim suam exserat, debet innotescere sacerdoti delegato, et quidem directe, non indirecte per tertiam personam, nisi haec fuerit ad hanc revocationem intimandam destinata. Quare sacerdos, cui haec licentia concessa fuerat, etsi aliunde per parochum aut nuntium ad id destinatum noverit licentiam esse revocatam, si matrimonio assistit, valide agit, et matrimonium est validum. Sanchez *loc. cit. n. 9.*

Concedi autem potest mandatum hoc *sive scripto, sive oretenus;* et iuxta quosdam valet (nam delegatio iam habita est gratia facta), etiamsi parochus delegans mortuus fuerit, vel alias officio cesserit. B. P. *VI. 849.* Attamen Lugo (*Resp. mor. I. 35*) et Sanchez (*De matr. lib. VIII. disp. 28. n. 64 sqq.*) contrarium tenent in casu, quod mors parochi non ignoretur: si enim ignoratur, ratione communis erroris, adhaerent primae sententiae. Data autem licentia Titio vel Caiae ut inter se matrimonium contrahant, non valet nec pro Titio nec pro Caia, ut matrimonium ineant cum altera aut altero. *S. U. I. 2 aug. 1899.*

Praeterea haec licentia, *ad certum tempus data* vel *sub conditione,* transacto tempore aut conditione non impleta, evanescit, ut patet; dari vero potest etiam pro quocumque sacerdote, quem nempe contrahentes maluerint, sed hoc, quamvis non obstet validitati (*S. C. C. 15 iun. 1586*), improbandum tamen est, quia nimis est alienum a praxi ecclesiae. Feije *l. c. n. 297. 6*: Gasparri *l. c. 1141.*

Non sufficit in sacerdote assistente licentia *interpretativa* (*S. C. C. in Annecien. 29 iul. 1905*); quare, si parochus, putans alterum parochum iure suo procedere posse ad celebrationem alicuius matrimonii, verbis comiter dictis ostenderet se gratum habere, ut alter parochus matrimonio assisteret, etsi haberet intentionem dandi delegationem, si eam sciret necessariam, non tamen valida esset delegatio. Nec vitium nullitatis matrimonii, cui sacerdos sic adstiterit, sanari potest per supervenientem ratihabitionem a parocho factam. Giovine, *l. c. § 316. n. 3.*

Nec sufficeret generalis facultas ab episcopo alicui sacerdoti vel pluribus sacerdotibus facta administrandi omnia sacramenta, quae ordinem episcopalem non requirunt, quum in ea non includatur facultas assistendi omnibus matrimoniis fidelium dioecesis. *S. U. I. 7 sept. 1898.*

An sufficiat *tacita,* idest quum parochus videt ex. gr. sacerdotem quemdam in eo esse, ut assistat matrimonio, et non contradicit? Et sunt, qui affirmant (Sanchez *de matrim. lib. III. disp. 35. n. 20*); sunt, qui negant (ex nonnullis declarationibus S. C. C., quas refert Fagnanus *in tit. 3. lib. IV. Decr. n. 31 sqq.*); in praxi post matrimonium contractum standum est pro valore matrimonii, antequam vero contrahatur, alteri sententiae adhaerendum est. Gasparri *l. c. n. 1134.*

Si a parocho daretur mulieri seu viro licentia contrahendi coram quo-

cumque sacerdote ab ea vel ab eo electo, matrimonium cum quocumque viro aut quacumque muliere nondum certis et designatis, delegatio haec iuxta quosdam esset invalida (De Luca *de matr. disc. III. n. 5*; Lehmkuhl *Th. mor. II. 777*); iuxta alios (Gasparri *loc. cit. II. 1141*) esset valida. In praxi idem dicendum esset, ac de proxime superiori casu diximus.

1075 **De testibus requisitis.** — Ad validitatem quilibet usum rationis habentes testium munere fungi possunt, etiamsi feminae vel infideles, dolo vocati, aut invite detenti (cfr. *l. 209 de verb. signif. D.* [L. 11]); at de contracto matrimonio testari posse debent, et hoc sufficit. *S. C. P. F. ad vic. ap. Tunk. 2 iul. 1827; S. C. C. in Romana 7 mart. 1700., in Neapolitana 6 maii 1741;* Ben. XIV *de Syn. lib. XIII. c. 23. n. 6;* Feije *de imp. et disp. matr. n. 298.*

Diximus autem supra praesentiam parochi et testium debere esse simultaneam non successivam, ut communiter tradunt omnes. Sanchez *de matrim. lib. III. c. 41. n. 3;* Lehmkuhl *Th. mor. II. 779.* Doctores autem hic quaerunt, an valeret matrimonium in casu, quo mulier et vir non simultanee seu praesentes una immediate post alterum, ut fieri solet, verum successive, cum aliquo scilicet temporis intervallo, coram parocho et testibus simul praesentibus, exprimerent consensum, indicantes unusquisque sine ulla incertitudine alium, quocum matrimonium vult inire. Et quamvis putent, generatim loquendo, hunc contrahendi modum fore illicitum, praesertim ex dubio, quod potest exoriri, an pars, quae prior consensum manifestavit, consensum retractaverit, antequam illum expresserit altera pars, concedunt tamen, si hoc ultimum non verificetur, matrimonium fore validum. Lehmkuhl *loc. cit.;* Gasparri *loc. cit. II. 1157.* Attamen confer *S. C. P. F. ad vic. ap. Tunk. 2 iul. 1827.*

De poenis in contravenientes decreto tridentino. — 1076 Parochus vel alius sacerdos absque sufficienti numero testium, vel testes sine parocho, qui matrimonio contrahendo assisterent, nec non ipsi contrahentes graviter ex Tridentino (*loc. cit.*) ab ordinario puniendi sunt. Praeterea parochus, vel alius sacerdos sive regularis sive secularis sit, etiamsi id sibi privilegio vel immemorabili consuetudine licere contenderet, qui alterius parochiae sponsos, sine illorum parochi licentia, matrimonio coniungere aut benedicere ausus fuerit (igitur excusat ignorantia tum invincibilis, tum vincibilis, etiam crassa et supina, imo etiam affectata), ipso iure tamdiu suspensus (nempe probabilius ab officio sacerdotali tantum, non autem ab omni officio et beneficio, Sanchez *de censuris disp. XXXI sect. 3 § 6 n. 18*) manet, quamdiu ab ordinario eius parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. Conc. trid. *loc. cit.*

De benedictina declaratione. — 1077 Benedictus XIV statuit, matrimonia in foederatis Belgii provinciis inter haereticos usque tunc contracta, quaeque in posterum contraherentur, etiamsi forma a Tridentino praescri-

pta non fuisset in eis celebrandis servata, dummodo aliud non obstaret canonicum impedimentum, pro validis habenda esse. Similiter pro validis habenda esse voluit in iisdem foederatis Belgii provinciis ea matrimonia, quae absque forma tridentina contraherentur a catholicis cum haereticis, sive catholicus vir haereticam feminam in matrimonium duceret, sive catholica femina haeretico viro nuberet. Haec omnia extendi voluit idem Pontifex ad similia matrimonia extra fines eorumdem foederatorum ordinum contracta ab iis, qui addicti essent legionibus seu militaribus copiis, quae ab iisdem foederatis ordinibus transmitti solebant ad custodiendas muniendasque arces conterminas, vulgo dictas *di barriera,* dummodo uterque coniux ad easdem copias sive legiones pertineret. Voluit praeterea pontifex hanc declarationem complecti etiam civitatem Mosae Traiectensis a republica foederatorum ordinum tunc non iure dominii, sed oppignorationis nomine possessam. Ben. XIV pro Hollandia *4 novembr. 1741.*

Quum autem nonnulla dubia exorta progressu temporis fuerint circa personas, quae declaratione hac Benedictina comprehenderentur, res proposita fuit Congregationi S. Officii, quae statuit, ea declaratione comprehendi: « 1° Illos, qui catholice baptizati a pueritia nondum septemnali in haeresi educantur ac haeresim profitentur. 2° Qui non tam in haeresi, quam ab haereticis educantur, nulla scilicet, vel vix ulla haereticae doctrinae instructione accepta, et cultu non frequentato, licet aliquoties participato. 3° Qui adhuc pueri in manus haereticorum incidentes, haereticae sectae adiunguntur. 4° Apostatas ab ecclesia catholica ad haereticam sectam transeuntes. 5° Qui nati et baptizati ab haereticis adoleverunt, quin ullam solemnem haereseos professionem emiserint, ac veluti nullius religionis... » *S. U. I. 6 apr. 1859.* Ex his patet, catholicum, qui se protestantem aut apostatam tantummodo simularet, non comprehendi benedictina declaratione. *S. U. I. 17 nov. 1875.*

Haec benedictina declaratio, ut ipsum nomen indicat, et sententia non paucorum theologorum et canonistarum confirmat, fuit simplex quaedam declaratio, non proprie dicta legis tridentinae derogatio. B. P. *VI. 824;* Gasparri *de matr. II. 1188.* Attamen nonnulli putant, eam, quamvis principaliter fuerit declaratio, admixtam tamen habuisse aliquam speciem verae dispensationis. De Angelis *in tit. 3. lib. IV. Decr. n. 8;* Santi *in eumd. tit. n. 62 sqq.* 1078

Declaratio haec benedictina extensa est a S. Sede, quae una hoc idem praestare potest, ad alia etiam loca. 1079

De promulgatione decreti. — Restat, ut indicemus quibusnam in locis vigeat, vel non vigeat decretum « Tametsi »; et ad quas regiones declaratio Benedictina ex S. Sedis indulto extensa sit. Quamvis omni ex parte accuratus catalogus confici non possit, dabimus tamen catalogum confectum a cl. Zitelli (*App. iuris eccl. cit.*) cum notis ab ipso appositis, quas asterisco adnotabimus; nonnullis animadversis et additis. 1080

Elenchus locorum, in quibus tridentinum decretum de matrimoniis clandestinis publicatum est, et eorum in quibus publicatum non est.

I.

1081 *Loca, in quibus decretum publicatum fuit.*

EUROPA.

1. Italia universa et insulae adiacentes.[1]
2. Galliae universae.[2]
3. Hispaniarum regna.[3]
4. Lusitaniae regnum.[1]
5. Poloniae regnum.[2]
6. Archiducatus Austriacus et provinciae eidem adnexae.[3]
7. Silesia superior et inferior.[4]
8. Bohemia.[5]
9. Moravia.[6]
10. Hungaria.[7]
11. Moldavia.[8]
12. Valachia.[9]
13. Ulmia.[10]
14. Tres Electoratus: Coloniensis, Moguntinus, Trevirensis.[11]

[1] * Ut notum est ex more ubique recepto de celebrandis coniugiis iuxta formam a Tridentino praescriptam. * Quoad insulam Melitensem SS. DD. Leo XIII per decretum S. C. super Negot. Eccl. Extraord. *die 12 ian. 1890*, statuit: matrimonia inita vel ineunda ab iis omnibus, qui catholicam profitentur religionem, sive quod uterque contrahens sit catholicus, sive quod alter sit catholicus alter heterodoxus, valida non esse, nisi celebrata fuerint iuxta formam a S. Conc. Trid. praescriptam; eos vero, qui diversum a catholico cultum profitentur, valide contrahere posse matrimonium inter se, etiamsi formam Concilii Tridentini non servent, dummodo ceteroquin aliud non obstet canonicum dirimens impedimentum. Die vero *3 iun. 1892* idem SS. DD. Leo XIII per decretum S. Univ. Inquisitionis declaravit et statuit, matrimonia haereticorum inter se, non servata forma Concilii Tridentini, in insula Melitensi eo usque contracta pro validis habenda esse, nisi aliud obstiterit canonicum impedimentum.

[2] * Statim a celebratione eiusdem Concilii.* Excipiendus est in dioecesi Vesontina (Besançon) antiquus principatus Montbéliard; attamen catholici harum regionum ex consuetudine tenentur decreto tridentino. Gasparri *de matr. All. VI.*

[3] * Philippo II imperante. Gibraltariae tamen valent matrimonia haereticorum et mixta. *

[1] * Opera piissimi regis Sebastiani *.

[2] * Ex Senatus ac regis Sigismundi decreto. *

[3] * Sub imperatore Maximiliano eiusque successoribus. *

[4] * Praesertim vero in superiori: quae provincia nunc magna ex parte subest Borussiae. * Imo ex constitutione « Provida » Pii PP. X. *18 ian. 1906* iam adnumerandum est a die 15 aprilis eiusdem anni 1906 universum hodiernum Imperium Germanicum pro matrimoniis catholicorum inter se.

[5] * Prout fidem faciunt litterae anni 1626 ad Congr. S. Officii. *

[6] * Ut constat ex actis S. O. 11 maii 1633. *

[7] * Universim, si nonnullas excipias peculiares regiones, ut aliqui contendunt. * Cfr. relationem episcopi Rosnaviensis ad S. Sedem *20 febr. 1779* apud Roskovány *de matr. mixtis II. pag. 535.*

[8] * Publicatum tamen fuit inter catholicos; adeoque non in ecclesiis schismaticorum, quorum illa provincia referta est. *

[9] * In ecclesiis tantum catholicorum, nec fortasse in omnibus. *

[10] * Quae urbs nunc subest ditioni Regis Würtembergensis. *

[11] * Qui postea maxima ex parte cesserunt regno Borussiae. Publicatum etiam fuit in

15. Ducatus Cliviensis.[1]
16. Bavaria.[2]
17. Franconia.[3]
18. Palatinatus Neoburgicus.
19. Ducatus Limburgi, Harlemii ac Mosae Traiectinae.[4]
20. Hollandia, Zelandia, Frisia et foederatae Belgii provinciae.[5]
21. Magnus Ducatus Luxemburgensis.[6]
22. Urbs Genevensis.[7]
23. Insula Tine archipelagi.[1]
24. Archipelagus totum.[2]
25. Constantinopolis ac suburbium Perae.[3]
26. Omnes Hiberniae dioeceses.[4]
27. Provinciae Imperii Russiaci, non nullis exceptis.
28. Ruthenia.[5]

Monasteriensi dioecesi sub eiusdem regni dominio. *

[1] * Sub rege Borussiae. *

[2] * Saltem in primitivis regni huius nominis provinciis. Etenim post annum 1805 novae quoque regiones protestanticae Bavariae accesserunt. * Gasparri ex Weber plura enumerat loca Bavariae, in quibus publicatum non erat ante Constitutionem « Provida ».

[3] * Ut constat ex decreto Sacr. Congr. Conc. 4 aug. 1743. *

[4] * Ex actibus S. O. 1 iul. 1843. *

[5] * Ubi ante defectionem a Philippo II fuisse publicatum refert Wex. *

[6] * Ex actibus S. O. ann. 1845. * Addit Gasparri (*loc. cit.*) provinciam Posnaniensem, Vestphaliam, Borussiam rhenanam, partem provinciarum Hesse-Nassau et Hohenzollern. Etiam in ducatu Badensi vim habet ex consuetudine pro catholicis iuxta Gasparri (*de matrim. All. VI*). exceptis iis locis, in quae protestantismus a Margraviis inductus est.

[7] * Ex actibus S. O. ann. 1845. * Gasparri tamen asserit ex Broquet (*Les Mariages clandestins à Genève, 1886*), in urbe Genevensi decretum non fuisse publicatum, et dicit publicatum esse solummodo in iis locis pagi Genevensis (*Cantone di Ginevra*), quae a Gallia vel a Sabaudia avulsa Helvetiae addicta sunt ex tractatu anni 1815. Gasparri praeterea dicit (*de matrim. All. VI*), decretum vim habere in pagis (*Cantoni*) Schwytz, Uri, Unterwalden, in principatu Liechtenstein, in omnibus pagi Rhetorum (*Cantone dei Grigioni*) catholicis parochiis (exceptis novis parochiis Davos et Hany), et probabiliter etiam in parochiis catholicis Glaronae (*Glaris*). In parochiis protestantibus pagi Rhetorum et Glaronae et in universo pago Tigurino (*Canton di Zurigo*), exceptis parochiis exclusive catholicis Rheinau et Dieticon, decretum vim non habet. Etiam in nonnullis parochiis dioecesis Basileensis publicatum fuit decretum « Tametsi »; sed difficile est adamussim stabilire limites regionum, in quibus publicatio facta est. Matrimonia protestantium ibidem habentur ut valida. In dioecesi Sancti Galli decretum tridentinum pro catholicis viget ex consuetudine (*Cfr. relat. episcopi S. Galli ad S. Sedem 9 sept. 1877 apud Gasparri l. cit.*). In dioecesi Sedunensi (*Sion o Sitten*) Vallesia (*Cantone di Valais*) tenetur decreto, nec eximuntur protestantes. Publicatum est etiam decretum in omnibus parochiis catholicis dioecesis Lausanensis; et in pago Ticinensi (*Canton Ticino*).

[1] * Ex iisdem. *

[2] * In ecclesiis catholicis *.

[3] * In ecclesiis catholicis pro latinis tantum. *

[4] * Hoc videre est ex testimonio arch. Dubl. 8 mart. 1866 dato occasione causae tractatae in S. Congr. Concilii. * Sed publicatum est pro catholicis tantum, ex testim. citato. Cfr. Gasparri *de matr. All. VI.*

[5] * Ex S. O. ann. 1835. *

ASIA.

1. Indiae Orientales ac nominatim Goana archidioecesis, et dioeceses suffraganeae.[1]
2. Ora Malabarica.[2]
3. Vicariatus Pondicheriensis ac universa ora Coromandelica.[3]
4. Calcutiae.[4]
5. Regio Bombayensis.[5]
6. Plures Imperii Sinensis provinciae.[6]
7. Tunchinum Orientale.[7]
8. Iaponia.[8]
9. Batavia.[1]
10. Georgia.
11. Loca Terrae Sanctae.[2]
12. Smyrne in Anatolia.[3]

AFRICA.

1. Tripolis in Barbaria.[4]
2. Iulia Caesarea et Tunetum.[5]
3. Dioecesis S. Dionysii (Insula Reunionis).

AMERICA.

1. Regiones omnes, quae sub ditione quondam fuerunt Hispanorum sive Lusitanorum.[6]

[1] * Ex decreto S. C. de P. F. 4 septembris 1764. *

[2] * Ex Congr. S. O. 6 apr. 1669. *

[3] * Ex decreto S. O. 1845. *

[4] * Illuc etiam extensa fuit declaratio Bened. XIV, quae publicationem supponit. *

[5] * Illuc enim extensa fuit benedictina declaratio. *

[6] * Ad instantiam vicariorum apostolicorum utriusque Tunkini, orientalis et occidentalis, Sutchuensis et Cocincinae data est instructio a S. C. de Prop. Fide pro Sinis ac regnis adiacentibus ann. 1821. Iuxta hanc instructionem promulgatum est in Sinis pluribus in locis decretum tridentinum. Verum ob difficultates obortas ob eiusmodi publicationem ulterior promulgatio suspensa est. Post haec nova instructio ab eadem sacra congregatione ad eosdem directa est, qua probabatur publicationis suspensio, et interea missionarii se gererent ad normam earum praescriptionum, quae datae sunt vicario apostolico Tunchini orientalis. *

[7] * Pluribus in locis primum fuit ex parte publicatum hoc decretum, nempe quoad necessitatem solum duorum aut trium testium, non autem quoad parochi praesentiam. Deinde vero absolute ac integrum hoc ipsum decretum publicatum est. *

[8] Sed quum persecutio ante plura secula esset exorta, declaratum esse, matrimonia, non obstante legis tridentinae promulgatione, ob penuriam sacerdotum valere sine parochi assistentia, ait Lehmkuhl (*Th. mor. II.786*). Verum S. Congr. S. Officii ad vic. ap. Iaponiae *11 mart. 1868* affirmavit decretum tridentinum « Tametsi » ea in regione suum valorem amisisse. Cfr. Coll. S. C. P. F. n. 1408.

[1] * Ex rescripto Sacr. Congr. de Prop. Fide ann. 1823. * Haec proprie pertinet ad Oceaniam, et est urbs caput insulae Iavae. Decretum in provincia ecclesiastica Australiae non viget, teste Feije *l. c. n. 333* ex Conc. prov. Australiensi I.° a. 1844.

[2] * Publicatum est in ecclesiis Latinorum. *

[3] * Ex actis S. C. de P. F. Apud Maronitas viget clandestinitatis impedimentum, non quidem vi publicationis tridentini decreti, sed vi apostolicae approbationis in forma specifica omnium decretorum Synodi provinc. Maronit. in Monte Libano celebratae anno 1736 *.

[4] * Ex actis Congr. de Prop. Fide a. 1802. *

[5] Iuliae Caesareae seu Algeriae viget tamen pro solis catholicis. Feije *l. c. n. 333.*

[6] * Vicarius apostolicus Arizonensis quaesivit, utrum pro tota regione, quae sub regimine hispanico exsistit, tamquam promul-

2. Regnum Mexicanum.[1]
3. Curação.[2]
4. Insula SS.mae Trinitatis.
5. Canada.[3]
6. Urbs et dioecesis Quebecensis.[4]
7. Provincia Neo-Aurelianensis.
8. Provincia S. Francisci, excepta ea parte territorii Utah, quae iacet ad orientem fluminis Colorado.
9. Provincia S. Fidei, excepta parte septemtrionali territorii Colorado.
10. Dioecesis Vincennopolitana.
11. Civitas S. Ludovici.
12. Loca dicta S. Genovephae, S. Ferdinandi et S. Caroli, archidioecesis S. Ludovici.
13. Loca dicta Kaskaskia, Cahokia, French Village[1] et Prairie du Rocher, dioec. Altonensis.
14. Paroecia civitatis Detroitensis.

II.

Loca, in quibus decretum publicatum non fuit. 082

EUROPA

1. Anglia.
2. Scotia.
3. Borussia.[2]
4. Pomerania.[3]
5. Saxonia, Hassia, Hannover, Würtemberg.[3]
6. Argentoratum.[3]
7. Helvetiae plures pagi, inter quos Tigurum.[3]
8. Dania.[3]
9. Suecia.[3]
10. Norvegia.[3]
11. Regiones schismaticorum et haereticorum sub ditione Turcica aliorumque infidelium.[3]

gatum censeri debeat Concilium, an solum pro ea parte regionis, quae tunc temporis incolas habebat. Porro S. O. die 23 ian. 1882 (in Coll. S. C. P. F. habetur dat. 30 ian. 1884) respondit: affirmative ad I. partem: negative ad II. * Idem responsum nuper habitum est pro nova paroecia Portus de Limon in dioecesi de Costa Rica. *S. U. I. 23 novembris 1898.* Cfr. ea, quae dicta sunt supra n. 1050.

[1] Idest non solum territorium recentis Reipublicae Mexicanae, sed universum quoque territorium, quod iamdiu sub hispanica ditione fuit.

[2] « Legem vero tridentinam ibidem obliteratam esse authentica declaratione habemus. Lehmkuhl *II. 552.* Cette réponse est de 1851 (Mansella l. c.) ». Ita Gasparri (*de matr. All. VI*), sed Mansella nil habet.

[3] * Praesertim inferior ex Declarationis extensione. Pro dioecesi S. Hyacinthi Suprema Universalis Inquisitio ad dubium propositum, an valida fuerit promulgatio decreti « Tametsi » Concilii Tridentini facta in missionibus et quasi paroeciis illius dioecesis, die 14 novembris 1888 respondit: Iuxta exposita affirmative. *

[4] * Saltem ex parte. *

[1] Viget etiam in locis pagis et vicis East St. Louis Centreville Station etc., qui in territorio locorum Cahokia et French Village exorti sunt. *Litt. Card. Ledochowski S. C. P. F. Praefecti 15 apr. 1901.*

[2] * Presse sumpta. * Gasparri *de matr. II. 1183* asserit ultimis hisce annis in civitate Berolinensi decretum publicatum fuisse, et optimo iure defendi hanc publicationem factam fuisse pro solis catholicis. Nunc post const. « Provida » res ea dimetienda est. Et haec observatio valeat etiam pro aliis, quae hic ex antiquiore iure adnotantur.

[3] * Harum omnium regionum una eademque est ratio, quia longe ante annum 1563, quo editum est Concilii Tridentini decretum, iam

12. Archidioecesis Athenarum et tota delegatio Apostolica Graeciae.[1]

ASIA

1. Vicariatus Sutchuensis.
2. Regiones orientales generatim sub ditione Turcica et Persica constitutae.[2]

AFRICA

1. In Abyssinia non viget lex tridentina.[3]
2. In insula Madagascar publicatum non fuit decretum.

AMERICA

1. Provincia ecclesiastica Baltimorensis.[3]
2. Philadelphiensis.
3. Neo-eboracensis.
4. Bostoniensis.
5. Oregonensis.
6. Milwaukiensis.
7. Cincinnatensis, excepta dioecesi Vincipolitana.
8. S. Ludovici.[4]
9. Chicagiensis.[5]

III.

Loca, in quibus dubitatur an publicatum fuerit. 1083

EUROPA

1. Brema.[6]

defecerant per apostasiam a fide catholica imo nonnullae ante annum 1545, quo convocatum fuit Concilium, haereseos veneno iam infectae erant. Helvetia iam ab anno 1519; Würtemberga eodem fere tempore ac universa Saxonia; Suecia ab anno 1523; item Dania, et sic plus minus reliquae regiones ab Ecclesia Christi separatae sunt.* In Dania catholicos decretum tridentinum observare asserit Gasparri *de matr. All. VI.* Addit etiam, moraliter certum esse, numquam fuisse publicatum in plerisque parochiis catholicis dioecesis Hildesheimensis. Attamen in regno Würtembergico obtinere ex consuetudine in omnibus parochiis catholicis tradit idem Gasparri ex Weber. Idem tradit de territorio Budissae in Saxonia, et de Magno Ducatu Hassiae. At in Magno Ducatu Mecklembourg-Schwerin, Mecklembourg-Strelitz, Oldenbourg, Saxoniae-Weimar, in Ducatu Saxoniae Meiningen, Saxoniae-Cobourg-Gotha, Saxoniae-Altenbourg, Brunsvigae (*Brunswick*), Anhalt, in Principatu Schwarzbourg-Rudolstadt, Schwarzbourg-Sondershausen, Waldeck, Reuss, Lippe-Detmold, Schaumbourg-Lippe, Lubeci, Bremae, Hamburgi publicatum non est; quamvis, adnotat Gasparri, in pluribus parochiis catholicis locorum supra enumeratorum post Mecklembourg-Strelitz vim habeat ex consuetudine. In dioecesi Metensi viget ex Gasparri in omnibus parochiis catholicis; idem dicendum de dioecesi Argentinensi (*Strasbourg*).

[1] * Populus autem, hac de re ignarus, nulla credit matrimonia clandestina.*

[1] * Ex Congr. S. O. *

[2] * Ex litteris datis ad S. C. de P. F. annuo 1840. *

[3] * Ex litteris 13 dec. 1817 S. C. de P. F. *

[4] * Exceptis civitate S. Ludovici et aliis quibusdam locis supra nominatis. *

[5] * Exceptis locis quibusdam dioecesis Altonensis supra indicatis. *

[6] * In Circulo Saxoniae inferioris, post Congressum Viennensem anno 1815, libera declarata. *

2. Valachia fere tota.[1]

3. Bulgaria.[2]

Heic adiicimus ea loca Europae, in quibus, quamvis non constet de tridentini decreti promulgatione, tamen servatur ut Concilii decretum ab immemor abili; quo fit, ut legitima quidem seu valida habeantur illic celebrata connubia sive a schismaticis aut haereticis inter se, sive connubia mixta, nulla vero ac irrita sint matrimonia catholicorum, non servata forma tridentina. Talia sunt:

1. Transilvania, ac praecipue dioecesis Fogaras a Pio IX erecta in archidioecesim, Albae Iuliae nomine, in qua degunt graeci uniti commixti graecis schismaticis.

2. Bulgaria, Valachia, nominatim vero Bukarest.

3. Albaniae et Serviae dioeceses.

Cfr. Conc. Albanum ann. 1705 celebratum, et aliud celebratum anno 1871 part. II. capitulo 8.

ASIA

1. Syria.[3]

2. Insula Cypri.

3. Ora Malabarica sub aliquo respectu.[4]

[1] * Ex Sacra Congr. Prop. Fidei. *

[2] * Praecipue in dioecesi Sophiae ex decreto S. O. 31 aug. 1758. *

[3] * Ex actis S. Congr. de Prop. Fide. *

[4] * In Congr. de Prop. Fide ann. 1764 die 4 sept. relatum est, non constare sufficienter de promulgatione Concilii Tridentini in Malabaria, quia, licet fuerit ab archiepiscopo Goano acceptatum decretum in quadam synodo, tamen non fuerat publicatum lingua syriaca aut malabarica; quapropter revocabatur decretum S. Congr. Conc. 1673. *

AFRICA

1. Promontorium Bonae Spei.[1]

AMERICA

1. Universa dioecesis Detroitensis excepta una paroecia civitatis Detroit.

2. California superior.[2]

3. Dioecesis ac provincia Quebecensis in Canada superiore.[3]

Index locorum, quibus ex S. Sedis indulto extensa est declaratio Benedicti XIV de matrimoniis Hollandiae. 1084

EUROPA

1. Foederati ordines Belgii.[4]

Iuxta enumerationem, quae fit ab auctoribus, huc pertinent ex Hollandia 1) tota hodierna dioecesis Harle-

[1] * Ex decr. S. O. 22 iul. 1840. *

[2] * Ex Congr. S. O. 1853 sola praesumptio habebatur de promulgatione decreti, eo quod a missionariis Hispanis illuc fides delata fuerat. Ast adhuc desideratur certitudo. *

[3] Gasparri dicit, se ignorare, utrum dicendum sit decretum vigere in Guyana Gallica, in insula Guadalupensi, in insula Martinicensi et in insula S. Dominici, an non. Quare res est dubia.

[4] * N. B. Praeterea similia matrimonia Benedictus XIV dixit valida esse etiam contracta extra fines dominii eorumdem foederatorum Ordinum ab iis, qui addicti sunt militaribus copiis, quae ab iisdem foederatis Ordinibus transmitti solent ad custodiendas muniendasque arces conterminas: dummodo uterque coniux ad easdem copias pertineat. Erant autem Namurcum, Tornacum, Iprae,

mensis; 2) Ultraiectensis, excepto forsan Wehl; 3) Buscoducensis, exceptis Boeckel, Deemen, Dennenburg, Deursen, Herpen, Huisseling, Overlangen, Ravensteyn, Reek, Uden, Schayk, Velp, Volkel, Zeeland, Haren, Macharen, Megen, Teeffelen, Bokhoven, Gemert, Boxmeer, pago S. Antonii, et fortasse etiam exceptis Luiksgestel et Oeffelt; 4) tota Dioecesis Bredana.

2. Civitas Traiecti ad Mosam (Maastricht) in dioecesi Ruremondensi. [1]

3. Suburbium S. Petri prope Traiectum ad Mosam. [2]

4. Vratislavia. [3]

5. Dioecesis Culmensis.[1]

6. Poloniae pars, quae ab anno 1870 in Borussiaci Regni ditionem venit.[2]

7. Ducatus Cliviensis.[3]

8. Constantinopolis eiusque suburbia.[4]

ASIA

1. Pondicherium.[5]
2. Ora Coromandelica.[6]
3. Ora Malabarica. [7]
4. Bombay. [8]

Menenae, Furnae, Warneton, Knocke, Teneramunda. *

[1] Gasparri (*de matr. All. VI.*) citat ad hoc declarationem S. U. I. *12 aug. 1826.* * Quamvis non iure dominii sed oppignorationis tantum a republica foederatorum Ordinum possessa. Ubi animadvertendum est, per epistolam decretalem eiusdem Pontificis ad P. Paulum Carmelitam excalceatum in iisdem provinciis missionarium, quae incipit « *Redditae sunt* » sub die 17 septembris 1746 edictum esse, huiusmodi declarationem non suffragari sponsis utrisque catholicis ibidem degentibus, si coram civili magistratu aut haeretico ministro consensum in matrimonium de praesenti emiserint, nec illud ad formam tridentini contraxerint, aut post contractum more haereticorum, consensum coram ecclesia non renovaverint. *

[2] * Ex Congr. S. O. ann. 1844. Die 28 febr. facta fuit extensio ad cautelam declarationis tam Benedictinae, quam Leoninae una cum sanatione quoad praeteritum. *

[3] * Anno 1765, ex quo sub ditione Borussiae exstitit, ex actis S. Congr. de Prop. Fide.* Ex decreto 21 septembr. 1877, extensa est declaratio Benedictina omnibus partibus postea huic dioecesi adnexis (Gasparri *l. c.*).

[1] Addenda est ex Gasparri archidioecesis Gnesnensis et Posnaniensis. Cfr. etiam responsionem S. U. I. *6 septembris 1876* apud eumdem.

[2] Gasparri addit archidioecesim Coloniensem, dioeceses Trevirensem, Paderbornensem et Monasteriensem (ex decr. Pii VIII *30 mart. 1830*), dioecesim Limburgensem (ex decr. S. U. I. *15 maii 1854*), Varmiensem (ex decret. S. U. I. *ann. 1853*).

[3] * Regno Borussiae obnoxius an. 1795. * Gasparri ad hoc citat decretum Pii VI *19 iun. 1793.*

[4] * Quamvis enim Benedictina declaratio non fuerit illuc expresse extensa, aequivalenter idem constitutum est quoad illa loca, in quibus publicatum fuerat Concilium Tridentinum, dum valida, quamvis illicita, contracta illic matrimonia edicuntur. Ex decr. S. Off. *20 aug. 1769.* *

[5] * Anno 1833. *

[6] * Anno 1831. Ex litteris S. C. de Prop. Fide, ex quibus etiam habetur anno 1831 extensam fuisse declarationem ad colonias gallicas. *

[7] * Sub ditione quondam Hollandiae anno 1765; ex actis Congr. de Prop. Fide. *

[8] * Ex quo subesse coepit ditioni Societatis

AMERICA

1. Canada. [1]
2. Insula SS. Trinitatis. [2]
3. Dioecesis S. Antonii.
4. Galvestonensis. [3]
5. Vicariatus Apostolicus Brownsvillensis.
6. Archidioecesis Neo-Aurelianensis. [4]
7. Dioecesis Natchitochensis.
8. Dioecesis Petriculana.
9. Dioecesis Mobiliensis.
10. Provincia S. Francisci cum territorio Utah.
11. Dioecesis Vincennopolitana provinciae Cincinnatensis.
12. Archidioecesis S. Ludovici.[5]
13. Dioecesis Altonensis. [6]

1085 **Elenchus locorum, in quibus derogatum est decreto Concilii Tridentini relate ad matrimonia mixta.**

EUROPA

1. Bavaria. [7]

ab Indiis nuncupatae anno 1761. * Addi debet iuxta Gasparri Calcutium (*Calcutta*) et Bengalas occidentale ex decreto. S. U. I. *12 sept. 1838.*

[1] * Ex quo ad britannicam ditionem pertinere coepit. *

[2] * Ann. 1825. *

[3] * S. O. 23 nov. 1885. *

[4] Ex decr. S. U. I. *9 sept. 1824.*

[5] * Quoad partes, in quibus viget decretum « Tametsi ». *

[6] * In locis, in quibus idem decretum obtinet. *

[7] * Matrimonia acatholicorum et mixta generaliter ut valida habentur a clero, probabiliter innixo verbis instructionis datae ab

2. Hungaria. [1]

Apostolica Sede ac typis editae die 12 sept. 1834, in qua habetur: « Si ex temporum, locorum ac personarum conditione matrimonium acatholici viri cum catholica muliere et vicissim, absque maioris mali scandalique periculo in religionis perniciem interverti non possit, tunc sane ad maiora mala et scandala praecavenda abstinendum erit a catholico coniuge censuris nominatim expressis corripiendo, imo vero tolerandum, ut a parocho catholico tum consuetae proclamationes fiant, omni tamen praetermissa mentione religionis illorum, qui nuptias sunt contracturi, ut etiam de factis proclamationibus litterae mere testimoniales concedantur, in quibus (si nullum adsit dirimens impedimentum) unice enuncietur, nil aliud, praeter vetitum ecclesiae impedimentum mixtae religionis, matrimonio conciliando obstare, nullo prorsus addito verbo, ex quo consensus aut approbationis vel levis suspicio sit oritura. Quod si in ecclesiae utilitatem et commune animarum bonum cedere posse dignoscatur, nuptias quamtumlibet illicitas et vetitas coram parocho catholico, potius quam coram ministro haeretico, ad quem partes facile confugere possent, celebrari, tunc ipse parochus catholicus aliusve sacerdos eius vices agens poterit iisdem nuptiis, materiali tantum praesentia, excluso quovis ecclesiastico ritu, adesse ». * Nunc autem non solum in Bavaria, sed in universo Imperio Germanico matrimonia tum mixta tum mere acatholica seu haereticorum vel schismaticorum inter se valida certo sunt ex constitutione « Provida » Pii PP. X 18 ian. 1906, qua imo edicta sunt valida huiusmodi matrimonia etiam antea contracta.

[1] * Ex Instr. data die 30 apr. 1841 a S. C. Negot. Extr. Eccl., in qua dicitur: « Quod autem attinet ad connubiorum istorum (mixtorum) coram acatholico ministro, seu *non servata Conc. Trid. forma,* celebrationem..,

3. Hibernia.[1]

4. Universum Imperium Russiacum, et Regnum Poloniae eidem subiectum.[2]

5. Provinciae Rhenanae sub ditione Borussica.[3]

6. Georgia.[4]

inspectis tam praeteritis quam praesentibus *locorum, de quibus sermo est,* peculiaribus circumstantiis, erunt ab episcopis et a parochis *prudenter dissimulanda, et quamvis illicita pro validis habenda*, nisi tamen canonicum aliunde officiat dirimens impedimentum ». *

[1] * Ex decr. Congr. S. O. 1785 mense martio (decretum est diei 19 mart. 1795): « Sanctissimus, auditis etc. decrevit matrimonia mixta in Hibernia contracta et contrahenda, non servata forma Conc. Tridentini in iis locis, in quibus decretum eiusdem Concili forsan fuit promulgatum, alio non concurrente canonico impedimento, quamvis illicita, habenda tamen esse uti valida, idque significandum archiepiscopis et episcopis ». *

[2] * Ex Congr. Neg. Extr. Eccl. decretum est a. 1844: « Respondendum *oretenus* matrimonia *mixta,* quae in *Russiaco imperio* et in *Regno Poloniae* inita sint praeter formam a Tridentino Concilio praescriptam, esse prudenter dissimulanda, et quamvis illicita, pro validis habenda, nisi tamen aliud obstet canonicum dirimens impedimentum ». * Declaratio Benedictina extensa est ad Poloniam russicam a Pio VI die 2 mart. 1780. Lehmkuhl *Th. mor. II. 785.*

[3] * Ex Brevi Pii VIII ad episc. Borussiae Rhenanae ann. 1830. *

[4] * Ex Congr. S. O. ann. 1845. Dubio siquidem excitato, num non modo tamquam illicita, sed praeterea tamquam invalida haberi deberent matrimonia contracta ex una parte catholica, ex altera autem russica, coram ministro haeretico, ubi contrahentes vi legum educare liberos tenentur in religione schismatica, respondit: « Matrimonia, de quibus agitur, tametsi sint illicita, tamen ut valida habenda esse ». * R. P. D. Pompili in voto quoad quaedam dubia circa decretum « Ne temere » discussa a S. Congr. Concilii die 1 febr. elapsi anni 1908 putat exinde non deduci extensionem declarationis Benedictinae; sed evidenter in responso applicatum fuisse principium individuitatis contractus. His locis addit Pompili *loc. cit.* concessionem factam dioecesi Basileensi die 1 iulii anni 1890.

De celebratione matrimonii iure piano. — *Conditiones requisitae ad validam celebrationem.* — Principium generale. — Decreto piano (*S. C. C. decr. « Ne temere » 2 aug. 1907*) statutum est: ea tantum matrimonia fore valida, quae contrahentur coram parocho vel loci ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus in loco iurisdictionis assistentis vel delegantis; substantialem autem hanc formam servandam esse ad validitatem ab iis omnibus, qui ad catholicam ecclesiam pertinent vel aliquando pertinuerunt. Haec quidem generaliter, quae tamen aliis magis particularibus praescriptionibus complentur. De his statim. 1086

Quinam valide assistant et intra quos limites. — Matrimonium iniri debet coram parocho vel loci ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato. Nominatur autem in primis parochus, quia ordinarie contingit, ut non loci ordinarius sed parochus matrimoniis assistat; ob similem rationem nulla fit mentio Romani Pontificis. Delegatus ultimo loco ponitur, quia ipse extraordinarie ad hoc munus admittitur. 1087

Et ante omnia nota dici *parochum* vel *loci ordinarium*. Quum autem parochus vel loci ordinarius non amplius sit, qui titulum, quem prius habebat, postea, quacumque ex causa, amisit, patet parochum *depositum non posse* amplius matrimoniis assistere.

Praeterea sequentia adnota:

a) Parochus vel ordinarius valide non assistunt, nisi a die adeptae possessionis beneficii vel initii officii et intra limites tantum sui territorii. Quae omnia iam plures inducunt mutationes relate ad disciplinam ante decretum vigentem. Nam ante decretum parochum, cui parochia fuerat collata, etsi nondum tradita esset possessio, valide plures asserebant matrimonio assistere. Ita ex. gr. Kutschker (*Das Eherecht der katholischen Kirche IV. p. 381*), Feije (*De imp. et disp. matrim. n. 290*), Gasparri (*De matr. II. 1076*), Garcia (*De benef. p. IV. c. 2, n. 7*). Hodie certum est eum invalide assistere, saltem, ut patet ex ipsis verbis decreti, si agatur de parochia canonice erecta; nam si de tali parochia non agatur, valide assistit a die officii initi, qui generatim erit ille dies, quem episcopus aut superior ecclesiasticus designabit in commissione, quam facit officii.

b) In nova disciplina praeterea parochus, etiam proprius, extra parochiam suam invalide assistit: in antiqua vero disciplina parochus proprius contrahentium valide assistebat non tantum in parochia ipsa sua, sed etiam extra eam, et quidem etsi ordinarius loci vel loci parochus contradiceret. Pirhing *in tit. 3 lib. IV. Decr. n. 15;* Sanchez *de matrim. lib. III. disp. 19. n. 14;* Gasparri *l. c. II. 1101.*

c) In nova disciplina parochus nominatim excommunicatus aut ab officio suspensus facultate ista privatur omnino; quia scilicet ecclesia non habet huiusmodi hominem tamquam testem auctorizabilem, qui eius nomine et quasi vice matrimoniis fidelium assistat.

In antiqua disciplina parochus valide semper assistebat, quousque titulum retineret: ac proinde etiam suspensus et excommunicatus, vitandus quoque, retinebat facultatem valide assistendi, quam non amittebat parochus, nisi quando parochiali officio privatus erat.

Patet autem, excommunicationem vel suspensionem, de qua in decreto agitur, non sortiri effectum in decreto notatum, si quando ab ea interposita fuerit appellatio in suspensivo.

Parochum qui nondum fuerit sacerdos, in nova disciplina, quemadmodum in antiqua, valide matrimoniis assistere, contra Haring (*Das neue Ehedekret « Ne temere »*), qui affirmat, Knecht (*Die neuen eherechtlichen Dekrete « Ne temere » vom 2 August. 1907 und « Provida » vom 18 Januar. 1906 dargestellt und kanonisch erläutert*) negat rotunde, arguens non solum ex ipsa definitione parochi, quae habetur in decreto, sed etiam ex eo quod in pluribus locis decreti expresse sermo est de sacerdote. Attamen videtur standum sententiae Haring, tum quia ea cum antiqua disciplina concordat, a qua recedendum non videtur, nisi quando necessitas novarum dispositionum 1088

hoc exigit, tum quia rationes a Knecht adductae suam sententiam non probant. Nam in definitione parochi decretum nullo modo loquitur de sacerdotio, quod in parocho requiratur, et si decretum in aliis locis de sacerdote loquitur, idque saepius, hoc ex ipsa rei natura est, et tunc fit quum non de parocho sed de delegato agitur, qui nonnisi sacerdos esse potest.

1089 In recenti disciplina aeque ac in antiqua, *parochus etsi putativus,* qui nempe talis creditur esse errore communi, cui suffragatur titulus coloratus (et hoc ultimum a nonnullis non requirebatur), valide matrimoniis assistit; quum nulla in hoc videatur inducta mutatio.

1090 Pari ratione puto dicendum adhuc esse legatos a latere in provincia suae legationis, quippe qui ordinarii ibidem sunt (*c. 2 de officio legati* [*I. 15*] *in 6*), assistere adhuc posse coniugiis. Idem ex eadem ratione de vicariis generalibus, etiam sine speciali mandato, et de vicariis capitularibus dicendum est. Et quemadmodum antiquitus dicebatur, Nuntium, etsi aliquo modo ordinarius dici possit (Cfr. resp. Pii VI ad quatuor metropolitanos Germaniae), quum autem eius ordinaria potestas ad pauca quaedam se extendat, inter quae assistentia matrimoniis celebrandis non adnumeratur, iis invalide assistere, eodem modo nunc idem dicendum est. Hoc autem ad cardinales in suis titulis non extendendum puto. Vid. *Cardinales.*

1091 Ex nova disciplina parochus et ordinarius in loco suae iurisdictionis valide assistunt matrimoniis nedum subditorum, sed etiam aliorum; dum contra antiquitus nonnisi suorum matrimoniis, sed ubique, valide assistebant.

Sunt autem parochi, qui territorium 1092
exclusive proprium non habent, sed imo utuntur cumulative cum alio parocho eodem ac iste territorio. Huiusmodi sunt parochi, qui ex. gr. nonnullas personas vel familias sibi subditas habent, in quas iurisdictionem suam exercent in territorio aliis parochis assignato. Quid de his parochis dicendum? Et responsio facilis est ex ipsis iuris principiis. Patet enim ex iure, quod nihil obstat, quominus in uno territorio plurium iurisdictio exerceatur, et quod ratione territorii plures in eo iurisdictionem obtineant. Quare si duo vere sint parochi in eodem territorio, uterque ratione muneris poterit non solum valide et licite suorum, sed etiam valide etsi illicite aliorum matrimoniis in territorio assistere. Haec confirmata habemus ex explicita declaratione Sac. Congregationis. Nam quum in congregatione diei 1 febr. 1908 propositum fuisset emis. Patribus sequens dubium: « Ubinam et quomodo parochi, qui territorium exclusive proprium non habentes, cumulative territorium cum alio vel aliis parochis retinent, matrimoniis assistere valeant », respondendum censuerunt: « Affirmative in territorio cumulative habito ». Et nota, quod, etsi dubium propositum videatur forte contemplari tantummodo casum de assistentia, quae respiciat matrimonia subditorum, quum tamen et ipsa verba du-

bii caute dicant generatim *matrimoniis assistere valeant*, et ipsa principia iuris iuxta novum decretum dicere cogant, admisso quod ipsi possint suorum matrimoniis valide et licite assistere, eos posse etiam valide etsi illicite assistere matrimoniis aliorum, utrumque confirmatur ex relata responsione. Iste autem est casus parochiarum, quae non ratione territorii, sed ratione linguae (cfr. ea, quae dicta sunt supra n. 1056; De Angelis *in tit. 29* lib. *III Decr. n. 2*), aut etiam ritus divisae sunt.

1093 Praeter hos habentur etiam parochi, qui nullum proprium territorium, sed tantummodo aliquas domus in territorio alienae parochiae sibi subditas habent, ratione autem harum domorum curam aliquarum familiarum seu personarum gerunt. Dubium exinde exsurrexit quid de his parochis quoad matrimonia ex novo iure dicendum esset. Proposito dubio Sacrae Congregationi sub his verbis: « Ubinam et quomodo parochus, qui in territorio aliis parochis assignato nonnullas personas vel familias sibi subditas habet, matrimoniis assistere valeat », responsum fuit die superius citata: « Affirmative, quoad suos subditos tantum, ubique in dicto territorio, facto verbo cum SSmo ». Restricta autem est potestas talis parochi ad suos subditos, et quidem ad validitatem, ut patet ex ipsis verbis dubii, propterea quia emi. Patres considerarunt hunc modum stabiliendi parochos exceptionem esse a iure communi, eamque potius tolerantiam iuris habere quam approbationem (cfr. causam supra citatam apud S. C. C. *6 maii 1870*, et Conc. Trid. *sess. XXIV c. 13 de ref.*); praeterea sine hac restrictione potestatem horum parochorum nimis excedere limites ordinarios parochialis potestatis. Et forte propter hoc responsioni additum est: « facto verbo cum SSmo ».

Sunt quoque parochi, qui a praece- 1094
dentibus nonnihil differunt, illi scilicet, qui subditas sibi habent determinatas familias et personas, pro quibus exclusive constituuntur. Hi suos subditos sequuntur, etiamsi isti alio se conferant; imo aliquando ne ecclesiam quidem propriam habent, sed oratorium quoddam, non semel privatum tantum. In his conceptus territorii saepe exsulat omnino. Ad hos parochos reducuntur cappellani quidam regii et alii huiusmodi. Circa hos parochos interrogata per quaesitum, quod mox referam, respondit S. Congregatio, quoad hos parochos nihil esse immutatum. Quae responsio videtur mihi significare eos posse assistere matrimoniis suorum in terminis, quibus antea, non autem matrimoniis aliorum; verum subditos horum parochorum posse valide, et aliquando etiam licite (si scilicet sponsus pertineat ad aliam parochiam, et iusta causa suadeat matrimonium coram parocho sponsi celebrare) matrimonium contrahere coram alio parocho. Haec explicatio clarescet ex iis, quae statim dicam de cappellanis castrensibus; de his enim parochis et de cappellanis castrensibus unum propositum est dubium, quod unica responsione dimissum est.

Succedunt cappellani castrenses seu 1095

cappellani militum (Quoad eos confer Ferraris *Prompta bibl. v.* « *Cappellanus militum* »; Mülhlbauer *Thes. S. C. C. vol. III v.* « *Cappellanus militaris* »). Hi per se loquendo nullo modo dici possunt parochi etiam suorum militum. Hoc constat evidenter ex pluribus responsionibus S. Congregationis Concilii. *Cfr. S. C. C. 7. mart. 1694; 11 dec. 1697; etc.*

Ex hoc autem patet, hos cappellanos, quum parochi non sint, nullo modo assistere posse matrimoniis nedum aliorum, sed ne suorum militum quidem; quod quidem iam antiquitus obtinebat iure tridentino, multo autem magis nunc obtinere dicendum est iure piano, quo parochi ad suum territorium restrictam potestatem habent.

Haec autem per se valent; nam per accidens, si nempe habeatur apostolicum indultum, aliud, ut patet, dicendum est, quemadmodum etiam de iure antiquo evidenter procedebat.

1096 Supposito igitur privilegio seu apostolico indulto, quo hi cappellani haberi debeant ceu veri parochi militum, patet ante omnia eos valide assistere matrimoniis suorum militum in loco, ubi hi de facto versantur, scilicet in loco militaris stationis aut castrorum, si milites castra posuerint, aut etiam in loco proelii, si proelium milites inituri iam sunt, et unus vel alter mortem timens velit ex. gr. illicitum contubernium suum cum aliqua muliere legitimum reddere (militibus morti proximis providet articulus septimus decreti). Ratio autem est, quam supra innuimus pro parochis gentilitiis. Sed *an licite etiam assistunt,* quum hi parochi sint viri, non autem mulieris; parochus autem mulieris de generali regula, ut habetur in § 5 art. V. matrimonio assistere debeat? Et certa est affirmativa responsio. Caute enim in citata paragrapho dictum est, parochum sponsae pro assistentia praeferendum esse, *nisi aliqua iusta causa excuset.* Iusta autem causa ordinarie habetur in casu, tum quia parochus sponsae haberi non potest, tum quia militares leges saepe praecipiunt milites non debere matrimonium contrahere nisi coram cappellano castrensi. Et difficultas quoad hoc nulla esse videtur.

Difficultas exinde esse potest; quid 1097
scilicet, suppositis aliquibus concordatis et privilegiis, quibus concessum fuit ut milites exclusive coram cappellano castrensi contrahere deberent, dicendum sit de valore matrimonii, quod miles, qui teneretur contrahere coram cappellano castrensi, iniret e contra coram parocho sponsae aut coram alio quocumque parocho. Et per se evidenter respondendum esset pro valore horum matrimoniorum omnes enim nunc contrahere valide possunt coram quocumque parocho, etsi ille sit, coram quo licite contrahere non possunt. Verum difficultas quaedam practica exsistit praecise ex privilegiis ipsis concessis, quae, si deduceretur in praxim novum decretum etiam quoad hunc specialem casum, viderentur tacite abrogata.

Hinc propositum fuit emis. Patribus sequens dubium resolvendum: « Ubinam et quomodo cappellani castrenses, vel parochi nullum absolute territorium nec cumulative cum alio

parocho habentes, at iurisdictionem directe exercentes in personas aut familias, adeo ut has personas sequantur quocumque se conferant, valide matrimoniis suorum subditorum assistere valeant ». Et dubio proposito responderunt: « Quoad cappellanos castrenses aliosque parochos, de quibus in dubio, nihil esse immutatum ». An haec responsio tantum dicat, cappellanos castrenses retinere facultatem in matrimonia suorum, quam prius habebant, an praeterea ipsos solos eam potestatem retinere, si prius eam habebant exclusive, dubium forte esse posset, quum simplex quaedam responsio, nec adeo clara, non videatur ita extendenda, ut exinde iam dici debeat inducta exceptio quaedam principio generali in nova disciplina posito, ex quo potestas parochi iam non amplius ad validitatem restricta sit ad suos. Quod eo magis dicendum videtur, quia responsio emorum. Patrum alium obvium habeat sensum, scilicet cappellanos castrenses posse adhuc assistere valide et licite militum matrimoniis; nec extra hos limites videatur extendi dubium propositum, quum postulatum fuerit: « ubinam et quomodo cappellani castrenses... valide matrimoniis suorum subditorum assistere valeant ». Verum, suppositis iis, quae circa hoc scripserat consultor, animus ei sententiae adiiciendus mihi videtur, quae statuit exclusivitatem, si ea prius statuta erat, istius potestatis in cappellanis castrensibus. Ad hoc moveor praeterea ex eo, quod responsio Congregationis ad propositum dubium non data est solita formula *affirmative*, sed his aliis verbis: « Quoad cappellanos castrenses... nihil esse immutatum ».

Haec autem omnia intelligenda sunt 1098
de iis tantum locis, in quibus ab auctoritate ecclesiastica tales parochi pro militibus constituti habentur; alibi milites aliis fidelibus in omnibus aequiparantur, ut patet.

Non minoris forte momenti difficul- 1099
tas est, quid, si coram aliquo cappellano castrensi, qui ex privilegio haberi debeat ut verus parochus suorum militum, matrimonium contrahat vir non militaris? Nam certo, si hi veri parochi sunt (et notandum est nomen parochi in decreto ex eiusdem decreti declaratione non esse sumendum in stricta iuris significatione), dicendum esset, eos valide assistere matrimoniis etiam non subditorum. Nec videtur dicendum hoc non procedere, quia territorium proprium non habent; territorium enim si requiritur, pariter requiritur pro valida assistentia subditorum ac non subditorum. Porro responsum est cappellanos castrenses in hac suppositione valide assistere matrimoniis suorum militum. Attamen, suppositis his, quae scripsit consultor de voto requisitus, et in hoc inclinat animus ad sententiam negantem. Nec ratio aliqua ex essentialibus ducta deesse omnino videtur; etsi enim hi dici aliquando possint veri parochi relate ad milites, verum tamen est, eos ab aliis parochis discriminari, quia nullum habent certum et determinatum territorium, in quo suam iurisdictionem exerceant.

An cappellani seu rectores piorum 1100
locorum, a parochiali iurisdictione exemptorum valide assistunt matri-

moniis absque parochi vel ordinarii delegatione? His fere verbis dubium propositum est emis. Patribus in congregatione saepius citata. Et emi. Patres dubium remiserunt responsione: « Affirmative pro personis sibi creditis, in loco tamen ubi iurisdictionem exercent, dummodo constet ipsis commissam fuisse plenam potestatem parochialem ». Responsio clara est et evidens in quantum affirmat hos cappellanos, quibus commissa est plena potestas parochialis, valide et licite matrimoniis assistere. Habent enim plenam potestatem parochi; nec difficultatem facit restrictio illa, quae apponitur, quod scilicet hoc possint tantummodo in loco, ubi iurisdictionem exercent; hoc enim generale est pro omnibus parochis ex novo decreto. At non bene intelligitur curnam apposita fuerit illa alia restrictio « pro personis sibi creditis ». Videntur enim hi veri parochi, et, si tales sunt, in suo territorio valide assistunt matrimoniis omnium fidelium. In dubio autem nulla est quaestio de liceitate, sed tantum et expresse de validitate assistentiae. Et fateor me nullam aliam rationem decisionis invenire, nisi oeconomicam quamdam rationem, ob quam visum fuerit emis. Patribus non decere ut nimium extenderetur horum cappellanorum potestas. Quare existimo hic subintelligenda esse verba, quae immediate praecedenti responsioni addita sunt, scilicet « facto verbo cum SSmo ».

1101 **De modo assistendi ad validitatem requisito.** — Quoad modum assistendi in parocho vel ordinario, nihil aliud requirebat antiquum ius quam quod parochus praesens esset et posset esse testis de matrimonio, quod contrahebatur adeo ut, etsi resisteret, ne haberetur ut testis, matrimonium valeret. At praesenti decreto res omnino immutata est. *Parochus debet esse* **invitatus** *et* **rogatus**; quibus duobus verbis non duo distincta, sed unum tantum significatur, scilicet debere partes expresse vel tacite parochum monere, se ad eum venire ut matrimonium contrahant, ideoque ab eo poscere ut ipsis suum praestet ministerium. Et id in praesenti disciplina ex eo etiam requiritur, quod ad validitatem parochus debet a contrahentibus consensum requirere et excipere. Hinc iam non amplius procedit illud, quod in antiqua disciplina locum habebat, parochum scilicet, etsi passive tantum se haberet, valide potuisse matrimoniis assistere; nunc enim parochus per positivum quemdam actum intervenire debet, interrogando scilicet partes (quocumque tandem modo ad validitatem) an velint inter se matrimonialem contractum inire. Et hoc est novum principium, quod pervadit recentem legislationem de libera et voluntaria parochi cooperatione ad contractum, ex quo fit ut ad validitatem necesse nunc sit ut parochus ad requirendum consensum sponsorum nec *vi* nec *metu gravi* adactus procedat. Quae duo verba hic, assumpta nota et usitatissima in iure phrasi, unum denotant, scilicet metum gravem, quum concipi nequeat aliquem vi adigi ad alios de hac vel illa re interrogandos.

Haec autem differentia inter anti 1102
quam et novam disciplinam iure, in-

troducta est. Quum enim ex decreto tridentino unus esset parochus legitimus ad assistendum matrimoniis fidelium, scilicet parochus proprius, iure in eius cooperatione non requirebatur illa libertas et voluntaria illa cooperatio, quae nunc praescribitur, quum omnes parochi ad validitatem sunt auctorizabiles testes apti pro matrimonio contrahendo, et gravi intercedente necessitate, quae excuset parochum non proprium a petenda licentia parochi vel ordinarii proprii alterutrius contrahentis, sunt testes auctorizabiles, qui licite etiam matrimonio assistunt.

1103 Sufficiens est invitatio et rogatio implicita aut praesumpta, non autem interpretativa. Decretum enim non praescribit ut parochus invitetur et rogetur expresse aut explicitis verbis; illud unum requirit, ut invitetur et rogetur. Quare quotiescumque salvatur quod invitatus fuerit aut rogatus, satis est et matrimonium valet. Confirmatur hoc decisione S. Congr. Concilii, quae die 28 mart. 1908 ad dubium: « An ordinarii et parochi nedum explicite sed etiam implicite *invitati ac rogati,* dummodo tamen *neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum,* valide matrimoniis assistere possint », respondit: « Affirmative ».

Interpretativa autem voluntas tunc haberi dicitur, quum quis aliquid nunquam voluit nec vult, quod tamen voluisset vel vellet, si de hoc cogitatio incideret. Voluntas igitur interpretativa vera voluntas non est. Haec ad casum nostrum transferendo, patet *invitationem interpretativam* nullam esse invitationem, eamque proinde *ad satisfaciendum decreto sufficientem nullo modo esse.*

An ex nova disciplina abolita est in 1104
matrimoniis mixtis ea assistentia parochi *mere passiva,* quae hucusque generali regula praescribebatur? Huic quaestioni respondeo, omnia immutata mansisse quoad matrimonia mixta, hoc uno excepto, quod scilicet nunc parochus ad validitatem debet a contrahentibus exquirere et recipere manifestationem consensus. Scilicet in his matrimoniis ea omnia prohibita manent, quae prius prohibebantur et aliquid sacri praeseferebant: hinc parochus non posset matrimonio assistere indutus vestibus sacris aut sponsis benedicere illa etiam simplici benedictione, quae in rituali habetur, quum parochus pronuntiat in matrimoniis fidelium ea verba: « Ego vos coniungo etc. », quae etiam verba omittere prorsus deberet parochus; sed admittitur, imo praescribitur, ut parochus active assistat his matrimoniis eo sensu, ut illud faciat, quod tamquam notarius facit seu testis auctorizabilis, et proinde exquirat consensum a contrahentibus. Ex qua agendi ratione in parocho nulla exsurgere potest difficultas sive ex vetita cum haereticis communicatione in divinis, sive ex antiqua disciplina praescribente mere passivam assistentiam in odium horum matrimoniorum. Nam ante omnia patet permitti posse parocho hanc activam assistentiam intra limites supra dictos, quum ecclesia, dolenti quamvis animo, ex iustis rationibus permittat parti catholicae huiusmodi matrimonium contrahere et

proinde ministrum esse sacramenti quoad partem haereticam. Praeterea hoc non repugnat antiquae et traditionali disciplinae ecclesiae, quae, exclusa semper celebratione missae, multo plura quoad hoc permisit, quemadmodum videre est in epistola Gregorii XVI ad ep. Friburgensem 26 maii 1846 et in instructione Pii IX 15 nov. 1858. Haec omnia firmantur decisione S. Congr. Concilii, quae die 27 iulii 1908 ad dubium: « An vi decreti *Ne temere* etiam ad matrimonia mixta valide contrahenda ab ordinario vel a parocho exquirendus et excipiendus sit contrahentium consensus », respondit: « Affirmative, servatis ad liceitatem quoad reliqua praescriptionibus et instructionibus S. Sedis ».

1105 ***Conditiones requisitae ad licitam celebrationem.*** — **De praevia status liberi probatione** (*remissive*). — Haec, quae hucusque diximus, non sufficiunt ut parochus (vel ordinarius ut patet) assistant licite; ad hoc enim plura requiruntur. Et in primis, ut constat ex prima paragrapho articuli quinti, parocho debet prius legitime constare de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis. Quae prescriptio confirmat ea quae iuri communi hucusque statuta erant. Vid. *Status liber.*

1106 **Quinam sit parochus, qui licite matrimonio assistit.** — Praeterea parochus, ut licite assistat, quamvis non debeat esse stricte parochus proprius alterutrius contrahentis, debet eos tamen aliquo modo subditos sibi habere, vel quia in eius parochia unus saltem e contrahentibus domicilium foveat, vel quia unus saltem in ea a mense commoretur. De quasi domicilio autem nulla habenda est ratio quoad licitam celebrationem matrimonii. *S. C. C. 28 mart. 1908 ad 5.*

An requiritur ex novo decreto ad 1107
licitam assistentiam domicilium et menstrua commoratio in parochia, an sufficit in dioecesi? Quod quidem quoad parochum dubitationem non admittit, quum evidenter requiratur domicilium vel menstrua commoratio in parochia. Sed quid dicendum de ordinario? An licite assistit ordinarius matrimoniis eorum, qui per mensem in suo territorio commorati sunt, et quomodo in casu intelligendum est domicilium? Bucceroni (*Th. mor.* [5] *Suppl. XVI. n. 12*), Gennari (*loc. cit. pag. 26*), Alberti (*Commentarium in recens decretum S. C. C. de sponsalibus et matrimonio n. V. litt. b*) putant sufficere, ut matrimonium contracturi habeant domicilium vel commorentur a mense *in dioecesi,* si ordinarius assistat. Quod Bucceroni et Gennari nulla adducta ratione asserunt; Alberti ex eo probare intendit quod in decreto dicatur, sufficere commorationem unius mensis in loco matrimonii. Verum videtur mihi contrarium dicendum. Nam domicilium iure canonico non intelligitur nisi in parochia, nec ullum hucusque fuit domicilium dioecesanum, sed parochiale tantum, quemadmodum iure civili nullum est domicilium in provincia, sed in municipio aut in communi (cfr. *C. C. it. a. 17* et quae supra diximus n. 1068. Praesumi autem in interpretanda lege necesse est, legislatorem verba usurpasse secundum eam significationem,

quam habent in iure, nisi aliud expresse caverit. Verum quidem est, legislatorem non dixisse *in dioecesi*, sed *in loco matrimonii*; et ideo interpretari necesse est eius mentem, nam secus nulla esset in verbis ambiguitas, et tunc « non debet admitti voluntatis quaestio » *l. 25 de legatis III. D.* (*XXXII*]). Porro verba, quae in lège posita sunt, certe dioecesim non dicunt: locus enim, in quo matrimonium contrahitur, per se dicere potest parochiam, dioecesim, ecclesiam ipsam universalem. Quo ergo in sensu accipienda sunt? Et certum est ea esse accipienda in eo sensu, qui magis consonus est universae canonicae legislationi. Porro, non solum ex eo quod domicilium iure nostro nonnisi in parochia intelligitur, sed etiam ex eo, quod locus maxime proprius matrimonii iure nostro parochia est, quum per se matrimonium fidelium in parochiali ecclesia est celebrandum, certum mihi est, legislatorem hic voluisse cavere, ut ad liceitatem assistentiae necesse sit, ordinario constare de domicilio vel menstrua cammoratione sponsorum in aliqua parochia suae dioecesis. Quare puto, ordinarium licite non posse assistere matrimonio duorum, quorum ambo, habentes alibi domicilium, in dioecesi sua morantur quidem, a longo etiam tempore, quin tamen in una eiusdem dioecesis parochia commorationem unius saltem mensis traxerint. Casus erit rarissimus, non tamen omnino impossibilis. Difficillimum quidem erit, quod verificetur in famulis et famulabus: sed verificari forte poterit in institoribus (*commessi viaggiatori, commis voyageurs, Geschäftsreisende, encargados viajeros*), qui forte per mensem et amplius aliquam dioecesim peragrantur ad vendendas merces, quin tamen in aliqua parochia per mensem totum consistant. Nec difficultas ulla practica enascitur ex tali interpretatione, non solum quia difficile est, tales etiam institores velle contrahere matrimonium cum muliere, quae et ipsa a mense saltem in parochia non commoretur; sed etiam quia omnes istae conditiones ad liceitatem tantum requiruntur, non autem ad validitatem.

1108 Quum autem hic agatur de menstrua commoratione, notandum est quid ea significet. Porro generatim mensis, si non est definita dies, a qua computatio incipitur, ut in casu nostro, secundum quosdam semper triginta diebus constat (et ita statutum est ex. gr. in Cod. Civ. italico a. 2133 pro praescriptionibus); secundum alios debet computari prout iacet in calendario (cfr. Lugo *de iust. et iure disp. XXII. n. 314.* et ita statutum est ex gr. in Cod. Comm. italico a. 285 pro computando tempore, ex quo peti potest solutio alicuius syngraphae nummariae [*cambiale*]). Hic igitur, stante dubia sententia doctorum, poterit quis mensem sumere quasi spatium triginta dierum, imo, si de mense februario agatur, pro spatio viginti octo vel viginti novem dierum, prout fuerit non bissextilis aut bissextilis.

1109 Quid autem dicendum de ultima die? sufficitne esse inchoatam aut debet esse perfecta? Diem coeptam pro completa haberi tradunt iuristae (cfr. Vinnium *Comm. in Inst. Iust. lib. I. tit. 23*),

quoties id alicui utile est, aut alioqui favorabile. Hinc in favorabilibus, non autem in odiosis regula: *dies termini non computatur in termino.* Barbosa *Axiom. 71. n. 5; l. 101 de div. reg. iur. ant. D.* (*L. 17*). Quum igitur in lege non dicatur expresse mensem commorationis debere esse expletum de momento ad momentum, et simul agatur de re et partibus et parocho favorabili, poterunt partes licite contrahere et parochus licite assistere matrimonio etiam trigesima die incoepta ab inita in parochia commoratione.

1110 His dispositionibus, quae ad liceitatem requiruntur, in § V articuli quinti accedit regula consuetudinem firmans iam introductam, scilicet, nisi iusta habeatur causa excusans, matrimonium esse celebrandum coram parocho sponsae potius quam sponsi, qui proinde etiam ille est qui alteri sacerdoti licentiam dare potest assistendi.

1111 ***De licentia assistendi ab iis habenda, qui iure proprio non assistunt.*** — **De natura huius licentiae, et a quonam ea danda sit.** — Haec necessario requiruntur, ut parochus matrimoniis fidelium licite assistat: si alterum ex supra dictis desit, quia nemo ex contrahentibus in parochia domicilium habet aut menstruam commorationem, parochus relate ad hos contrahentes, quoad licitam assistentiam, se habet, perinde ac si parochus non esset, et regitur legibus, quibus quilibet alius sacerdos regitur.

1112 Parochus igitur et loci ordinarius quoad matrimonia eorum, qui in eorum parochia aut loco iurisdictionis domicilium non habent aut menstruam commorationem, ad licitam assistentiam praestandam: quilibet sacerdos non parochus quoad matrimonia omnium fidelium, ad licitam et validam assistentiam necesse habent obtinere licentiam illius parochi vel ordinarii, qui tali matrimonio iure suo et valide et licite assistit; duobus tantum exceptis casibus, de quibus statim dicam.

Licentia autem ista a Gennari distin- 1113
guitur a delegatione, quae in antiqua disciplina in simili causa requirebatur.

Mihi quidem nulla in hoc videtur inducta immutatio. Ea, quae antiquitus delegatio dicebatur, in novo decreto licentia vocatur; est autem nil aliud quam parochi consensus. Et forte novum decretum ideo a voce delegationis abstinuit, quia stricte loquendo hic non agitur de iurisdictione, quum parochus et ordinarius matrimoniis assistendo nullam iurisdictionem exerceant; vox autem delegatio ad iurisdictionem magis pertinet.

Potius dicerem ex novo decreto duplicem nos habere speciem licentiae, quae a parocho concedi potest; altera ad validitatem, quae non sese extendit ultra limites sui territorii; altera ad liceitatem, quae non respicit territorium, sed personas contrahentium.

Dicebam paullo ante hanc licentiam 1114
dandam esse, generaliter loquendo, a parocho vel ordinario, qui iure suo possunt tali matrimonio assistere. Sed statim quaeri potest: parochus vel ordinarius publico decreto nominatim excommunicatus vel ab officio suspensus potestne hanc licentiam alteri

concedere? Et Gennari (*l. c. pag. 51*), hoc expresse negat. Mihi verior videtur sententia contraria. Dicitur enim quidem in decreto, quod huiusmodi parochus vel ordinarius non potest matrimoniis assistere; sed ne verbum quidem est, quo caveatur ne hanc eamdem potestatem alteri faciat. Sed an dici potest, ex primo alterum sequi, scilicet ex eo quod ipse personaliter non possit assistere, ne alteri quidem posse hanc licentiam concedere?

Et huic quaestioni negative respondendum puto. Quare quum in decreto caveatur tantummodo, ne parochi nominatim excommunicati aut ab officio suspensi possint personaliter matrimoniis assistere; et ex alia parte generalibus verbis dicatur parochum et loci ordinarium facultatem alteri sacerdoti facere posse ut hoc idem praestent, valida mihi omnino videtur delegatio seu licentia alicui sacerdoti facta a parocho nominatim excommunicato aut ab officio suspenso.

1115 **De conditionibus, sub quibus haec licentia danda est.** — Licentia haec, ut praescribit decretum, danda est sacerdoti determinato ac certo. Ex quo facile patet, nihil quoad hoc immutatum esse quoad multa, quae ex antiquo iure a doctoribus tradebantur, uti facultatem hanc dari posse et speciali et generali delegatione, quemadmodum supra dicebamus (*S. C. C. 27 iul. 1908 ad 4*); aut vice-parochos, qui positi sunt cum plenitudine pastoralis ministerii, censendos esse habitualiter delegatos ad matrimonia omnium fidelium ex parochia (confer n. 1065, 1073) et alia huiusmodi. Ratio autem est, quam tradit Gennari (*loc. cit. pag. 29*), et est maxime obvia, ex decreto scilicet requiri ut licentia concedatur certo sacerdoti, non pro certo matrimonio.

Parochus hanc licentiam assistendi 1116
sacerdoti etiam certo facere non potest, nisi circumscripta ad limites sui territorii. Hoc enim expresse in decreto cavetur, et consonat cum aliis decreti dispositionibus; multo magis quod secus videretur parvipendere iura alterius parochi, qui ex novo decreto validus semper est in suo territorio testis auctorizabilis pro celebratione alicuius matrimonii.

Verum haec limitatio valetne ad de- 1117
legationem tantum alterius sacerdotis, an ad delegationem quoque alterius parochi aut ordinarii loci?

Adhaerendum in hoc mihi videtur Gennari (*loc. cit. pag. 29*), qui sine haesitatione respondet hoc valere quidem pro simplici sacerdote, non autem pro alio parocho aut loci ordinario, qui, ut ipse ait, valide in suo territorio assistit ex articulo quarto, licite autem ex articulo quinto (n. 3).

An sacerdos, nec parochus nec lo- 1118
ci ordinarius, extra limites territorii parochi delegantis assistere potest matrimoniis? Casus non raro potest accidere; et hic Romae erit valde frequens. Titius et Titia viri nobilissimi volunt matrimonium contrahere coram aliquo emo. cardinali in eius sacello. An is nequit matrimonio assistere, quia domicilium habet extra parochiam alterutrius sponsi, vel recurrendum erit ad ipsum Rom. Pontificem, quum cardinalis nec parochus sit nec ordinarius loci? Quod in car-

dinali exemplificavimus, de aliis quoque praelatis et sacerdotibus dici potest. Et quoad hoc ego quidem non puto hanc esse mentem decreti, multo magis quod nulla fuisset ratio inducendi huiusmodi immutationem. Neque hoc mihi videtur ex decreto necessario eruendum, si scilicet decreto ipsi obviam nec strictam interpretationem dare velimus. Scilicet, mea sententia, sacerdos delegatus duabus eget licentiis; altera quidem a parocho alterutrius sponsi ut licite assistat, altera a parocho illius territorii, in quo matrimonium contrahitur, ut assistat valide. Nec certe contrarium deducitur ex articulo sexto, ubi, nulla facta distinctione inter parochum alterutrius sponsi et alium parochum, de parocho in genere dicitur: « Parochus et loci ordinarius licentiam concedere possunt alii sacerdoti determinato ac certo, ut matrimoniis intra limites sui territorii assistat ». Parochus autem et loci ordinarius in decreto numquam venit pro parocho aut ordinario sponsorum. Conclusio autem logice procedit ex iis, quae supra diximus, loquentes de alio parocho aut loci ordinario iuxta ea, quae tradit emus. Gennari.

1119 Delegatus autem, ut valide et licite assistat, servare tenetur limites mandati et regulas pro parocho et loci ordinario statutas. Haec est regula seu lex, quam in decreto praecedenti dispositioni subiungitur in articulo sexto, innuendo dispositiones articuli quarti et quinti. Patet autem dispositiones istas praecedentium articulorum servandas esse in iis, quae ex ipsa natura rei non excluduntur; quare paragraphum primam articuli quarti, qua edicitur, parochum a die tantummodo adeptae possessionis beneficii vel initi officii assistentiam praestare posse, nihil faciendum habere cum delegato nimis evidens est. Hinc delegatus debet necessario habere licentiam illius parochi, in cuius territorio matrimonio assistit, debetque ita assistere, ut sit invitatus ac rogatus neque metu gravi constrictus, qui requirat et excipiat contrahentium consensum. Et haec ad validitatem.

Ad liceitatem autem nihil a delegato praestandum est, quod eidem a parocho delegante expresse non iniungatur. Ea enim, quae in articulo quinto parocho ad licitam assistentiam praescribuntur, pertinent tantummodo ad probationem status liberi contrahentium, et ad eorum saltem menstruam commorationem in parochia. Haec autem per se non delegato, sed parocho deleganti constare debent, antequam licentiam assistendi faciat. Parochus enim vel loci ordinarius ipsi sunt, qui de his moralem certitudinem sibi efformare debent. Attamen, ut bene hic advertit Gennari (*loc. cit., p. 30*), exinde apparet, quod actus etiam praevios faciendos, seu matrimonialis processiculi instructionem potest parochus delegans delegato committere (si confectio processus non sit reservata curiae), qui in casu deberet servare dispositiones articuli quinti, et, antequam ad assistentiam deveniret, probationes habere ibi praescriptas.

De extraordinariis casibus, de quibus agit decretum. — De matri- 1120

monio vagorum. Ante omnia decretum quaedam statuit de matrimonio vagorum, quae tamen nullam introducunt immutationem, sed confirmant decretum Concilii Tridentini (*sess. XXIV. c. 7 de ref. matr.*) praescribentis parochos ad horum matrimonia procedere non debere, nisi, re ad ordinarium delata, ab eo licentiam assistendi impetraverint.

1121 Et in primis nomen *vagorum* sumendum esse puto, prout in iure, ubi vagi ii sunt, quibus nullibi fixum est domicilium. Quare videretur mihi a parocho expetenda ordinarii licentia ad assistendum matrimonio Titii et Titiae, qui a mense tantum in parochia commorantur, statim inde post matrimonium discessuri, etsi ex processiculo, quem parochus confecit, nihil contra eorum liberum statum constaret.

1122 Alterum, quod attentione dignum est in hac quarta paragrapho articuli quinti, est indirecta monitio, qua suadetur ordinariis, ut, ad dandam post accuratam inquisitionem parochis hanc licentiam assistendi matrimoniis vagorum, sacerdotem alium sive unum sive etiam plures in dioecesi deputent, praesertim in maioribus dioecesibus, quemadmodum adnotat clarissimus Gennari.

1123 Tertium tandem ex ea paragrapho desumitur, quod immutationem quamdam infert ab antiqua disciplina. Est autem, licentiam quidem ordinarii parocho necessariam esse ad hoc ut licite his matrimoniis assistat; *in casu tamen necessitatis,* quando matrimonium urget nec tempus suppetit recurrendi ad ordinarium, *hanc licentiam necessariam non esse.* Patet autem, tunc parochum debere accuratissimam facere per seipsum inquisitionem, ex qua, nisi moraliter certo constet indubiis documentis et argumentis de libero statu utriusque contrahentis, ab assistendo huiusmodi matrimonio omnino prohiberi.

De matrimonio in periculo mortis. 1124 — Postquam de matrimoniis vagorum dictum est, agit decretum de alio casu extraordinario, de matrimonio scilicet ab iis contrahendo, quorum unus in imminenti mortis periculo versetur. Quoad hoc nova omnino disciplina inducitur. In articulo enim septimo decreti statuitur, quod « imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci ordinarius vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, ad consulendum conscientiae, et (si casus ferat) legitimationi prolis, matrimonium contrahi valide ac licite potest coram quolibet sacerdote et duobus testibus ». Ante omnia igitur decretum accurate determinat circumstantias, in quibus non unus parochus sed et alius sacerdos sine ulla parochi delegatione possit valide et licite alicui matrimonio assistere.

Primum autem, quod ad hoc requiritur, est, ut agatur *de periculo mortis.* 1125 Ubi probe notandum, non de articulo, sed de periculo mortis agi. Quare non est necesse, ut infirmus videatur morti proximus aut intra paucos dies moriendus; sufficit de morbo agi, qui in discrimen eius vitam adducat. Exinde quando sacramentum extremae unctionis impertiri potest aegroto, dispositio praesentis articuli viget.

Alterum, quod requiritur, est quod 1126

nemo ex iis haberi possit, qui ordinariis in casibus ad assistentiam matrimonio praestandam essent adhibendi, scilicet ordinarius, parochus aut sacerdos ab iis delegatus. Statuendum autem videtur tamquam regula generalis, quod scilicet quum sacerdos, qui adest, ex quocumque tandem capite iudicet probabiliter, parochum etc. venire ad infirmi domum non posse, locus est defectui in decreto indicato, et sacerdos est legitimus testis matrimonii. Et hic duo iure adnotat Gennari, primo scilicet defectum temporis, si quando de hoc agitur, moraliter, non mathematice, dimetiendum esse, ac proinde non requiri certitudinem, sed probabilitatem sufficere, imo dubium quoque prudens; deinde necesse haud esse expeditioribus mediis uti, telegrapho v. gr. aut telephono, quum his mediis uti dissonum sit a stylo iuris nostri; quod relate ad telegraphum expresse declaratum fuit litteris Secretariae Status 10 dec. 1891.

1127 Sed non semper, imminente in alterutro mortis periculo, potest matrimonium coram non parocho celebrari; nam haec facultas in decreto fit *ad consulendum conscientiae* et (*si casus ferat*) *legitimationi prolis.* Ergo in his tantum duobus casibus matrimonium in periculo mortis coram non parocho celebrari potest. Duo autem sunt casus et non unus; et quando scilicet matrimonium necessarium est ad consulendum conscientiae, et quando requiritur pro legitimanda prole. Quare haec duo non cumulative, sed disiunctive sumenda sunt; quod constat ex ipso spiritu, quem vocant, iuris nostri, quod semper studet conscientiis fidelium consulere. Patet autem quandonam ad consulendum conscientiae matrimonium requiratur, scilicet verificatur casus tunc praecipue, quum agitur de concubinariis, de iis qui illicitos fovent amores, et de aliis huiusmodi. Ad legitimandam vero prolem tunc requiritur matrimonium, quum ex una parte habetur iam proles ex illegitima coniunctione orta, et ex alia parte legitimatio ex subsequenti matrimonio possibilis est ad iuris praescriptiones. Proinde tunc tantum, quum de spuriis non agitur; hinc si ageretur de filiis adulterinis, sacrilegis, incestuosis, nefariis, exsulante alia causa supra indicata, matrimonium coram non parocho celebrari non posset. Imo tunc in multis casibus matrimonium impediretur ex alio etiam capite, scilicet ex impedimento iuris sive naturalis sive ecclesiastici.

Manet autem semper dispositio 1128
Leonis XIII (*Litt. S. U. I. 20 febr. 1888; litt. eiusd. S. C. 1 mart. 1889*), qua episcopi dispensare possunt sive per se sive per ecclesiasticam personam sibi benevisam aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos, quique iuxta leges civiles sunt coniuncti aut alias in concubinatu vivunt, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem, super impedimentis, quantumvis publicis, matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente, inter quae comprehenditur etiam impedimentum clandestinitatis (*S. U. I. 13 dec.*

1899); et hanc facultatem possunt parochis habitualiter subdelegare. Quare imminente mortis periculo, parochus, cui haec facultas subdelegata esset, posset sponsos coniungere etiam sine testibus, in eorum nempe defectu.

Imo nota, hanc eamdem facultatem dispensandi ab omnibus impedimentis ecclesiasticis quantumvis publicis, duobus tantum supra memoratis exceptis, concessam nuperrime fuisse per S. Congregationem de Sacramentis cuilibet sacerdoti, qui ad normam articuli VII decreti « Ne temere » imminente mortis periculo, coram duobus testibus matrimonio assistere valide ac licite potest. *S. Congr. Sacr. 14 maii 1909.*

1129 **De matrimonio in defectu ordinarii vel parochi.** — Tertius casus extraordinarius, de quo agit decretum, ille est, cui opportunae dispositiones in articulo octavo applicantur. Contingere enim potest, ut non solum, imminente mortis periculo, sed etiam extra quodcumque periculum mortis, in aliqua regione haberi nequeat ordinarius loci aut parochus aut etiam sacerdos ab eis delegatus. Hoc in missionibus non raro accidit. Pro hoc casu statuitur regula maxime obvia et clara. Matrimonium tunc, *dummodo haec rerum conditio a mense iam perseveret,* valide et licite celebrari potest per manifestationem mutui consensus a sponsis factam coram duobus testibus. Et ex hoc confirmatur antiqua disciplina, de qua diximus supra (n. 1062); quae ex hoc articulo nullam patitur immutationem. Nam etiam quaestio, utrum ad hoc requiratur impossibilitas habendi parochum aut delegatum *communis* seu *generalis in loco*, an potius etiam *particularis* sufficiat, nullo modo attingitur a decreto.

Si in loco autem non invenitur pa- 1130
rochus etc., sed tamen invenitur sacerdos non delegatus, *ad validitatem nullo modo necessarium est coram tali sacerdote contrahere;* sed certe hoc maxime decet et videtur omnino esse iuxta spiritum et mentem decreti, quod etiam in casu urgentissimo, quum scilicet est periculum mortis, non permittit ut matrimonium sine praesentia sacerdotis contrahatur.

Quum autem in decreto dicatur: « Si 1131
contingat ut in aliqua regione parochus locive ordinarius, aut sacerdos ab eis delegatus, coram quo matrimonium celebrari queat, *haberi non possit* », non potest matrimonium valide contrahi coram testibus tantum sine parocho, quoties haec impossibilitas non adest. Hinc iure S. Congr. Concilii ad dubium quintum hoc modo propositum: « An in locis dissitis, ad quae missionarius singulis mensibus non venit - in quibus tamen, si peteretur, haberi posset, et vel ad eum vel ad alium missionarium, qui sit parochus in sensu decreti, absque gravi incommodo possent accedere sponsi -, matrimonia contracta sine missionarii seu parochi praesentia retinenda sint uti valida » respondit: « Ad quintum, negative ». *S. C. C. 27 iul. 1908.*

In casu, quo, nondum a mense de- 1132
fectus parochi etc. perduret, sed moraliter certum est per mensem perduraturum, ut matrimonium valide possit contrahi sine parocho coram

testibus tantum, requiritur ut mensis sit iam expletus. Hinc parochus ex. gr. ab hebdomada profectus est, dixitque se ante duos menses non rediturum, quacumque ex causa hoc procedat; vel si velimus fingere hypothesim, quae facilius locum habere poterit, missionarius, qui matrimoniis assistere poterat, transivit per aliquem pagum, indeque ab hebdomada tantum profectus est, nec nisi post annum redibit; nullus alius est in utroque casu sacerdos eo loci. An duo aliquibus, quindecim ex gr., diebus post parochi aut missionarii discessum, contrahere valide possunt coram testibus tantum? Ii valide, ut dicebam, hoc modo contrahere non possent, nisi mense iam expleto. Verba enim legis clara sunt et requirunt mensem elapsum: « Eaque rerum conditio a mense iam perseveret », ait decretum.

1133 In casu omnino contrario, quando scilicet parochus *iam a mense abest,* sed notum est eum *brevi rediturum,* si duo tunc coram testibus tantum contraherent, puto dicendum *eos certissime valide contrahere.* Verba enim decreti apertissima sunt, et nullum relinquunt rationabili dubitationi locum. Equidem puto eos, qui ita agerent, male acturos, praecise, quia evidenter ex mente ecclesiae, quae maxime cordi habet ut matrimonium coram parocho contrahatur, debuissent aliquot dies exspectare, quod, ut suppono, sine incommodo facere potuissent; attamen valide contraxerunt.

1134 Nota tamen, quod, quum decretum non requirat absentiam parochi, sed impossibilitatem eum habendi, si parochus seu missionarius per aliquem locum ita transit, ut non subsistat paullisper ad exercenda ministeria necessaria in bonum alicuius christianitatis, pro iis fidelibus impossibilitas eum habendi perdurat semper et numquam cessavit. Aliud dicendum esset, mea sententia, si missionarius per locum transiturus admoneret fideles se aliquot horas substiturum in loco, ibique peracturum ea, quae necessaria sunt. Haec autem confirmantur responsione, qua S. Congr. Concilii dimisit sequens dubium: « VI. Utrum ratione momentanei inopinati et fidelibus prorsus incogniti transitus per aliquem locum, a quo iam a mense missionarius abest, interrumpi dicenda sit illa rerum conditio, de qua in articulo VIII decreti ». Responsum enim est « Ad sextum negative ». *S. C. C. 27 iul. 1908.*

Si in aliquo loco lege civili statu- 1135
tum sit ceremoniam civilis matrimonii praecedere debere religiosum matrimonium, sacerdotem autem, qui matrimonio religioso assisteret, non praemissa ceremonia civili, poenis mulctandum esse, in casu ordinario praemittenda est civilis ceremonia, ut patet. Verum dari potest casus, in quo urgeat necessitas contrahendi matrimonium nec possit praemitti ceremonia civilis. Quid tunc esset faciendum? Et puto posse tunc contrahi matrimonium religiosum sine assistentia sacerdotis coram duobus tantum testibus. Scilicet in hypothesi agitur praecise de casu excepto, quem contemplatur decretum in articulo octavo. Ibidem enim dicitur ea dispositio valere, si conditiones alicuius

regionis eae sint (et hoc a mense verificetur), ut parochus *haberi non possit;* ubi ea verba consulto posita videntur, nec dictum est: ut parochus *absens sit.* Porro videtur mihi impossibilitas ista non referenda tantummodo ad casum, in quo parochus physice impossibilitetur, ut ita dicam, assistere, sed etiam ad casum, in quo aliunde, ex. gr. ex imperio legis poenas minitantis, prohibetur ab assistendo. Hoc autem, quod erui mihi videtur ex ipsa recta analysi textus decreti, confirmari videtur ex spiritu et indole legislationis nostrae, circa quam in memoriam revocanda sunt ea, quae, adhuc vigente iure tridentino, statuta sunt pro insula Curaçao, ubi aliquid huiusmodi lege statutum fuerat. (Cfr. ea, quae diximus supra n. 1062). Quae nullo modo videntur infirmata ex eo quod S. Congr. Concilii ad dubium: « IX. An et quomodo providere expediat casui, quo parochi a lege civili graviter prohibeantur, quominus matrimoniis fidelium assistant, nisi praemissa ceremonia civili, quae praemitti nequeat, et tamen pro animarum salute omnino urgeat matrimonii celebratio » responderit: « Non esse interloquendum ». *S. C. C. 27 iul. 1908.* Porro haec responsio nihil dicit contra ea, quae superius scripsimus, sed unice significat S. Congregationi visum esse non expedire ut responsione quadam generali quaestionem dirimeret, quae forte non probe ab omnibus intelligeretur et applicari posset casibus, quibus applicanda non esset ad mentem decreti. Voluit proinde ut potius in particularibus casibus recurreretur.

Alicubi lex civilis praescribens praecedentiam ceremoniae civilis celebrationi matrimonii punit quidem sacerdotem active cooperantem nuptiis ante ceremoniam civilem celebratis, non autem sacerdotem passive assistentem. An in hoc casu passiva ista sacerdotis assistentia necessaria est? Et ad validitatem eam necessariam non puto: ex decreto enim nemo valide assistit, qui mere passive assistat; quare possibilitas talis passivae assistentiae non est computanda. Hinc videntur mihi sponsi in casu valide contrahere posse tantum duobus praesentibus testibus. Patet autem ex dictis superius eos acturos contra mentem et spiritum ecclesiae, si, passiva ista assistentia parochi aut sacerdotis praetermissa, coram testibus tantum contraherent.

De iis, quae matrimonii celebrationem sequuntur. — Sequuntur in decreto ea, quae peracto matrimonio fieri debent, et in primis renovatur praescriptio tridentina (Conc. Trid. *sess. XXIV c. 1. de ref. matr.*): « habeat parochus librum, in quo coniugum et testium nomina diemque et locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat ». Hoc praeceptum, quod graviter parochos urget, ut patet ex ipso praescriptionis momento, in novo decreto iterum innovatur, simulque praecipitur ut alia omnia in eo adnotentur, quae adnotanda sunt ex libris ritualibus vel ex praescripto ordinarii. 1136

In secunda autem praragrapho novi articuli nova praescriptio fit. Parochus matrimonium celebratum adnotare debet non solum in libro matri- 1137

moniorum, quemadmodum praescribebatur in tridentino decreto, sed *etiam in libro baptizatorum*. Et haec praescriptio, ut finem suum melius sortiatur, aliis praescriptionibus corroboratur; scilicet si coniux alibi baptizatus fuerit, parochus matrimonii debet notitiam matrimonii peracti sive per se sive per curiam episcopalem (suam vel parochi baptismi; decretum nihil determinat) transmittere parocho baptismi, ut is in libro baptizatorum adnotet matrimonium. Animadvertit hic Gennari (*loc. cit. pag. 34*) parochum aut curiam notitiam peracti matrimonii transmittentem, quum hic de re gravissima agatur, exquirere debere ab eo, cui notitia transmissa est, attestationem acceptarum litterarum (*la ricevuta del recapito della lettera*); quod certo prudentissime fiet, quamvis in decreto nulla de hoc obligatio imponatur.

1138 In casu autem matrimonii celebrati coram sacerdote non parocho, imminente mortis periculo, aut sine ullo sacerdote coram testibus in defectu parochi etc., qui iam per mensem perduret, obligatio transmittendi hanc notitiam ad hoc, ut initum coniugium in praescriptis libris adnotetur, incumbit in solidum tum sacerdoti in primo casu aut testibus in altero, tum contrahentibus. Scilicet omnes ad hoc tenentur quousque legi non fuerit satisfactum; simul ac autem aliis constiterit unum ex ipsis notitiam vere et efficaciter transmisisse, in aliis omnibus quaecumque obligatio cessat.

1139 Haec notitia transmittenda est utrique parocho et matrimonii et baptismi; imo, si uterque sponsus baptizatus est in parochia diversa a parochia matrimonii, utrique parocho baptismi notitia est transmittenda, ut patet ex ipso fine in lege indicato.

Difficultas quaedam potius esse po- 1140
test in determinando parocho matrimonii. Dicit enim decretum, quin magis rem determinet, curandum esse, ut initum coniugium in praescriptis libris quam primum adnotetur. Quinam autem sunt libri praescripti? Et certe praescriptus liber est liber baptismi, sed quoad librum matrimoniorum dubium est. Mihi quidem videtur hic intelligendus liber matrimoniorum illius parochiae, apud cuius parochum matrimonium regulariter fuisset celebrandum; proindeque praescriptos libros, in quibus adnotandum est initum coniugium, praeter librum baptizatorum, esse librum matrimoniorum illius parochi, qui in casu ordinario debuisset assistere, et proinde, si coniuges non haberent domicilium in eadem parochia, notitiam ad parochum sponsae transmittendam esse.

Poenae contra transgredientes 1141
statuta decreti. — Sequuntur postea in decreto poenae contra parochos decreti praescriptiones transgredientes, et in hac parte decretum aliquantulum mitigando immutat antiquam disciplinam. Nunc enim ex decreto parochi tantum et non alii contravenientes puniuntur. Poena autem *pro parochis* contravenientibus ea est, quam tridentinum sanxit, ut scilicet puniantur ab ordinariis pro modo et gravitate culpae. Exinde tamen non debet inferri contrahentes ipsos

aut testes puniri ab ordinariis non posse, si decreto contravenerint. Scilicet hi puniri possunt, parochi ex praescripto iuris debent puniri.

1142 His addendum est, quod si parochi adstiterint illicite matrimonio illorum, de quibus ipsis prius non constiterit eos in parochia sua domicilium habere, vel saltem menstruam commorationem, parochi ipsi emolumenta stolae, quae dicuntur, sua non faciunt, sed ea debent proprio contrahentium parocho remittere. Circa quod in primis adnotandum est, hic non agi de poena, sed hanc esse declarationem quamdam iuris, quod, etsi decretum nihil quoad hoc statuisset, per se vim haberet. Emolumenta enim stolae debentur a fidelibus *proprio* parocho; parochus autem contraveniens, de quo hic agimus, non est proprius parochus fidelium, qui eas praestationes faciunt; debet ergo eas proprio contrahentium parocho remittere.

1143 Quaerit autem hic Gennari (*l. c. pag. 36*), quinam sit parochus, ad quem remittenda sunt huiusmodi emolumenta, quando agitur de fidelibus, qui habent domicilium in aliqua parochia, in alia autem per mensem commorati sunt, et proinde in utraque parochia potuissent matrimonium contrahere. Et respondet videri sibi emolumenta stolae parocho domicilii reddenda esse. In quo omnino convenio cum doctissimo viro, multo magis quod videatur mihi hoc *innui* ipsis verbis decreti, quod de *proprio* contrahentium parocho loquitur.

Nota autem, quod in casu diversi domicilii in sponso et in sponsa, emolumenta remittenda essent parocho sponsae, quemadmodum iure adnotat Gennari (*l. c. pag. 36*); scilicet ex dispositione paragraphi quintae quinti articuli, de quo supra diximus.

De extensione decreti. – Post haec 1144 omnia sermo est in decreto de ipsius decreti extensione. Et quoad hoc accurate distinguendum est inter eos, qui nova hac lege ligantur, et inter eos, qui lege non afficiuntur.

Ligantur lege omnes, qui in catho- 1145 lica ecclesia baptizati sunt, aut in sectis separatis baptizati ad catholicam semel redierunt, etiamsi hi et illi postea ab eadem ecclesia defecerint.

Haec quidem expressis et claris verbis in decreto constituuntur. Attamen obvenire legenti difficultas potest: an in tanta verborum latitudine et generalitate *comprehendi etiam debeant catholici rituum orientalium,* an contra lex solos catholicos ecclesiae latinae respiciat. Et de facto inter varia dubia, quae S. Congregationi Concilii proposita fuerunt, hoc quoque dubium invenitur.

Dubio autem, quod ita conceptum erat: « An decreto *Ne temere* adstringantur etiam catholici ritus orientalis », emi. Patres in congregatione saepius citata diei 1 febr. 1908 responderunt: « Quoad catholicos ritus orientalis nihil esse immutatum ».

Principium igitur generale erit, catholicos orientales nulla teneri forma substantiali, ad validitatem scilicet servanda.

Quare apud orientales dicendum 1146 erit generaliter nec novum ius nec ius tridentinum vigere, alicubi vero

ex exceptione ius tridentinum vigere, quo in casu, idem ius tridentinum, non obstante novo decreto, in sua vi manere et perseverare.

Quum autem nonnullis videretur bonum esse ut dispositio decreti etiam ad orientales extenderetur, praesertim in locis, ubi catholici ecclesiae latinae et catholici orientales simul vivunt, propositum fuit alterum dubium: « Utrum ad eosdem decretum extendere expediat ». Huic tamen dubio noluerunt emi. Patres responsionem dare, sed rem totam remiserunt Congregationi de Prop. Fide.

1147 In casu, quo catholicus orientalis contrahat cum catholica latina vel viceversa, distinguendum est. Nam vel agitur de orientali, qui ad nullam formam substantialem tenetur, vel agitur de eo, qui debet servare formam tridentinam. Et in hoc secundo casu vel quaestio fit de matrimonio celebrando in loco, ubi promulgatum est decretum tridentinum, quod adhuc vigeat, vel de matrimonio celebrando in loco, ubi decretum tridentinum non amplius viget.

In primo casu, quando agitur *de latino aut latina contrahente cum orientali,* qui ad nullam formam servandam tenetur, puto matrimonium invalidum esse quocumque in loco celebretur, nisi servetur forma decreti. Moveor ex eo quod principium individuitatis contractus, mea quidem sententia, abolitum est praesenti decreto; et ex eo quod vis decreti « Ne temere » personalis mihi videtur, quum in decreto semper quaestio sit de personis, quemadmodum habemus praecipue in art. XI: « Statutis superius legibus tenentur *omnes in ecclesia catholica baptizati,* etc. »; « Vigent quoque *pro iisdem,* etc. », et nulla est mentio de loco.

In altero casu, quando agitur *de orientali,* qui teneatur ad servandam formam tridentinam, puto rem totam regi ex noto principio: « *Locus regit actum* ». Et re quidem vera hic de contractu agimus; formae autem contractus hoc praecipue principio reguntur (Cfr. ex gr. Ricci *Corso teorico pratico di diritto civile, I. 133 seqq.*); in hypothesi autem habemus duos, qui ad diversam formam contractus obligantur. Praevalere debet ea forma, quae magis propria est illius territorii. Quare puto catholicum latinum, qui in loco, ubi viget decretum « Ne temere », matrimonium init cum catholica orientali, quae lege tridentina ligatur, valide contrahere etiam coram parocho non proprio; invalide e contra matrimonium cum eadem inire coram parocho non proprio, si contrahat in parochia sponsae orientalis, ubi viget tridentinum.

Haec pro prima parte seu pro primo casu confirmantur ex responsione S. C. Concilii diei 28 mart. 1908, qua dubium: « 1° Utrum validum sit matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholica ritus orientalis, non servata forma a decreto *Ne temere* statuta », dimissum est responsione: « Ad 1um negative ». Alteram partem seu alterum casum non attingit haec responsio.

Quaesito: Quid si pars latina catho- 1148
lica contrahat cum orientali acatholica? aperte respondet decretum art.

XI § 2. Ex eo enim decretum « Ne temere » ad validitatem servandum est a catholicis seu ab iis omnibus, qui ad ecclesiam catholicam aliquando pertinuerunt, etiam tunc, quum matrimonium ineunt cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis; in qua generalitate verborum evidens est comprehendi etiam schismaticos et haereticos rituum orientalium. Hoc autem semper firmiorem facit persuasionem novum decretum abolevisse illud principium individuitatis contractus, quod hucusque vigebut. Haec firmantur decisione S. C. Concilii 28 mart. 1908. Ad hoc enim dubium: « 2. An in art. XI § 2 eiusde m decreti sub nomine acatholicorum comprehendantur etiam schima stici et haeretici rituum orientalium », responsum est: « affirmative ».

1149 Immutatio magni momenti, quae, ut saepius diximus, ex decreto in nova disciplina exsurgit, haec est, iam scilicet *non amplius vigere in quaestione de clandestinitate principium illud individualitatis* (*seu individuitatis*) *contractus,* quod in antiqua disciplina ante Benedictum XIV a pluribus admissum, a nonnullis negatum fuerat, post Benedictum XIV ab omnibus et in scholis et in foro admissum fuit ; et quod fuit ratio praecipua, saltem iuxta plures, declarationis Benedictinae quoad eam partem, quae respicit matrimonia mixta. Quare nunc post novum decretum impedimentum clandestinitatis in eodem sensu haberi debet ac alia omnia impedimenta dirimentia, in quibus, si una tantum pars ligatur, matrimonium nullum est.

1150 *Acatholici, sive baptizati sive non baptizati,* si inter se contrahunt, ***nullibi ligantur ad catholicam matrimonii formam servandam.*** Hinc non solum matrimonia, quae a non baptizatis inter se contrahuntur, si nempe legitime contrahantur, valida sunt, etiam non servata forma piana, quod evidens est, quum hi non ligentur legibus ecclesiasticis, sed etiam matrimonia, quae sive baptizatus acatholicus cum infideli, sive baptizati acatholici inter se ineunt, ubique terrarum valida sunt, quum hi eximantur hic expresse a lege de forma substantiali in celebratione matrimonii servanda. Patet autem ex dictis, nomine acatholicorum hic non venire eos, qui in ecclesia catholica baptizati aut baptizati in haeresi vel schismate et postea ad catholicam reversi dein tandem defecerunt. De his enim aliud supra statutum fuit, eorumque matrimonia cum parte acatholica nulla declarata fuerunt, nisi servata fuerit forma piana.

1151 Quoad hoc non habemus nisi unam exceptionem. Et exceptio est exemptio specialis a lege de clandestinitate, quae a S. Sede pro particulari quodam loco aut regione fuerit statuta. Circa quod non paucae difficultates exortae sunt. Scilicet dubium fuit pluribus, quid ea verba decreti « nisi pro aliquo particulari loco, aut regione aliter a S. Sede sit statutum » significarent.

1152 Et primo quaesitum est, utrum scilicet dicendum esset, aliter a S. Sede statutum fuisse pro iis regionibus, pro quibus data est celebris declaratio Benedictina (4 nov. 1741), scilicet pro

foederatis Belgii provinciis seu ordinibus, et pro iis, ad quas postea eadem declaratio extensa est. Quoad horum determinationem non parva adest difficultas, et saepe res est non omnino certa.

1153 Nec praetereundum, quaedam certe dari loca, quibus non facta est extensio declarationis Benedictinae, sed concessa exemptio a lege tridentina pro matrimoniis mixtis. Attamen circa hoc etiam non pauca est incertitudo. Quare necessaria omnino erat aliqua declaratio decreti, quae imo non tantum declarationis vim haberet, sed simul practice resolveret omnes istas iuris dubietates, quas innuimus. Hoc factum est ab emis. PP. Cardinalibus S. C. Concilii in congregatione habita die 1 februarii anni 1908, in qua ad dubium a R. P. Subsecretario ipsis emis. PP. propositum: « An sub articulo XI § 2. in exceptione enunciata illis verbis " nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum " comprehendatur tantummodo constitutio " Provida " Pii PP. X; an potius comprehendantur quoque constitutio Benedictina et cetera indulta directe vel indirecte constitutioni Benedictinae innixa », emi. PP. perspicuis et clarissimis verbis responsionem suam dederunt: « Comprehendi tantummodo constitutionem *Provida*, non autem comprehendi alia quaecumque decreta, facto verbo cum Ssmo. et ad mentem ». Circa quam responsionem haec sunt adnotanda: 1. emi. PP. non usi sunt solita respondendi formula, affirmative scilicet vel negative ad hanc vel ad illam partem dubii, praecise quia verba illa, quibus dubium proponebatur « et cetera indulta directe vel indirecte constitutioni Benedictinae innixa » aliquam generare poterant dubietatem; sed responsionem suam apertissimis verbis exprimere voluerunt, quibus nulla subesse posset dubitandi ratio; 2° additum est responsioni: facto verbo cum Ssmo; scilicet quia pro aliquibus regionibus, etsi paucis, necessaria erat antiqui iuris seu potius privilegii derogatio et extensio novi iuris a decreto inducti; 3° additum etiam est ad mentem; quo tamen nihil demitur vi responsionis, sed desiderium exprimitur responsionem ipsam firmans et roborans; 4° responsio mirifice rem dirimit, et uniformitati legislationis canonicae consulit. Praeterea etiam melius explicat et declarat fidelibus mentem, quam semper habuit et habet ecclesia, ut scilicet catholici omnes ab huiusmodi nuptiis abhorreant, quemadmodum ab iis ipsa abhorret ecclesia, quae, si quando huiusmodi dispensationes concedit et pro talibus matrimoniis ineundis solvit etiam ab obligatione servandi formam substantialem praescriptam, id aegerrime facit et unice ut maiora mala impediat, quae obventura timeri debent ex remissiore obedientia aliquorum catholicorum ad eius praecepta et desideria.

Quare ex his omnibus clarissimam 1154
nunc legem habemus: Matrimonia omnia, quae ab iis ineuntur, qui in catholica ecclesia sunt baptizati, aut ab iis, qui baptizati in haeresi ad ecclesiam catholicam redierunt, etsi postea ab ea rursus defecerint, si celebrentur non servata forma decreti,

invalida sunt, *uno excepto Imperio germanico*,[1] pro quo viget speciale ius a constitutione D. N. Pii PP. X « Provida » (18 ian. 1906) constitutum his verbis: « Matrimonia mixta, quae a catholicis cum haereticis et schismaticis contrahuntur, graviter sunt manentque prohibita, nisi accedente iusta gravique causa canonica, datis integre, formiter, utrimque legitimis cautionibus, per partem catholicam dispensatio super impedimento mixtae religionis rite fuerit obtenta. Quae quidem matrimonia, dispensatione licet impetrata, omnino in facie ecclesiae coram parocho ac duobus tribusve testibus celebranda sunt, adeo ut graviter delinquant, qui coram ministro acatholico vel coram solo civili magistratu vel alio quolibet modo clandestino contrahunt. Imo, si qui catholici in matrimoniis istis mixtis celebrandis ministri acatholici operam exquirunt vel admittunt, aliud patrant delictum et canonicis censuris subiacent. Nihilominus matrimonia mixta in quibusvis Imperii germanici provinciis et locis, etiam in iis, quae iuxta Romanarum Congregationum decisiones vi irritandi capitis *Tametsi* certo hucusque subiecta fuerunt, non servata forma tridentina iam contracta, vel (quod Deus avertat) in posterum contrahenda, dummodo nec aliud obstet canonicum impedimentum, nec sententia nullitatis propter impedimentum clandestinitatis ante diem festum Paschae huius anni (1906, quo anno Pascha fuit die 15 aprilis) legitime lata fuerit, et mutuus coniugum consensus usque ad dictam diem perseveraverit, pro validis omnino haberi volumus, idque expresse declaramus, definimus atque decernimus ».

Ex iis, quae ex constitutione « Provida » retulimus et matrimonii celebrationem regunt quoad formam substantialem de necessitate servandam vel non, nonnulla exoriri possunt dubia. 1155

Et ante omnia certum quidem est,

[1] Quaeres quodnam sit Imperium Germanicum seu quaenam sint regiones, quae sub hoc nomine in constitutione « Provida » comprehenduntur, et in quibus proinde viget ius speciale et privilegiatum, de quo diximus, quoad matrimonia mixta clandestina. Comprehenduntur autem sequentes regiones: Preussen (Borussia), Lauenburg, Bayern (Bavaria), Sachsen (Saxonia), Würtemberg, Baden, Hessen (Hassia), Mecklenburg-Schwerin, Sachsen-Weimar, Mecklenburg-Strelitz, Oldenburg, Braunschweig, Sachsen-Meiningen, Sachsen-Altenburg, Sachsen-Coburg-Gotha, Anhalt, Schwarzburg-Rudolstadt, Schwarzburg-Sondershausen, Waldeck, Reuss älterer Linie, Reuss jungerer Linie (Reuss tum antiquioris tum iunioris stirpis), Schaumburg-Lippe, Lübeck (Lubecum), Bremen (Brema), Hamburg (Amburgum), Elsass-Lothringen (Alsatia-Lotaringia), Insel Helgoland (insula Elicoland). Non comprehenduntur ea loca, quae sub protectione tantum Germaniae sunt, seu protectoratus germanici (Schutzgebiete), ut vocantur, qui eo ipso quod sub protectione Germaniae sunt et esse dicuntur, Germaniam seu Imperium Germanicum non constituunt. Excludendi proinde sunt Togo, Kamerun, Deutsch-Südwest et Deutsch-Ostafrika, (Africa alemanna meridio-occidentalis, Africa alemanna orientalis), Neu-Guinea (Nova-Guinea), Marschallinseln (insulae Marschall), Samoa, et territorium Kiautschou a Germania conductum (Pachtgebiet). Ita Knecht l. c. IV. a pag. 35.

matrimonia, quae in Imperio germanico a catholicis clandestine contrahuntur cum haereticis vel schismaticis, esse et fore valida. Hoc enim expresse edicitur in constitutione « Provida ». Sed quid de matrimoniis, quae ibidem contraherentur clandestine *a catholicis cum non baptizatis*, etiam supposita dispensatione ab impedimento disparitatis cultus? Et certe si velimus legem ex verbis interpretari (verba autem clarissima sunt) dicendum est ea esse et fore invalida. Nam constitutio « Provida » exceptionem non ponit, nisi pro matrimoniis *mixtis*, quae a catholicis cum *haereticis et schismaticis* contrahentur, ad quae contrahenda forte etiam accesserit dispensatio super impedimento *mixtae religionis*. Porro haec omnia respiciunt matrimonia vere mixta in sensu iuris, quae scilicet a catholicis cum acatholicis baptizatis contrahantur, non autem matrimonia, quae a catholicis contrahantur cum non baptizatis.

1156 Quare certum mihi est, ea sola matrimonia eximi in Germania a lege decreti « *Ne temere* », quae vere mixta sunt in sensu iuris seu inter haereticum et catholicum contracta.

1157 Alterum dubium illud esse posset, quod iam praeoccupavi, quum eidem responsum fuerit ab emis. PP. Cardinalibus in congregatione diei 1 februarii, et de eo mentionem fecerim supra, scilicet *quid dicendum de iis, qui matrimonium contrahunt cum parte haeretica, quum et ipsi haereticae sectae sunt addicti, fuerunt tamen aliquando catholici*, vel quia in religione catholica baptizati sunt, vel quia in haeresi nati ad fidem tamen catholicam redierunt, etsi postea ab ea defecerint iterum. Et vidimus hos debere de necessitate servare formam decreti, secus eorum matrimonium est nullum.

Duo alia dubia sunt sequentia. *Quid* 1158
dicendum de catholico, qui non sit ex imperio Germanico et matrimonium ineat cum haeretica in regionibus ipsius imperii?

Quid de matrimonio haeretici, qui esset ex Germanico imperio, et contraheret cum catholica extra imperium?

Haec duo dubia resoluta sunt a S. Congr. Concilii, quae die 28 mart. 1908 ad dubium: « Num exceptio per const. *Provida* in Germania inducta censenda sit uti mere localis aut etiam personalis » respondit: « Exceptionem valere tantummodo pro natis in Germania ibidem matrimonium contrahentibus, facto verbo cum SSmo ».

Conc. Later. IV cap. 51; tit. de clandestina desponsatione X. (IV. 3); decr. S. C. C. « Ne temere » 2 aug. 1907; Commentatores iuris Decr. in tit. cit.; Canonistae et moralistae quando de matrimonio; *Naclantus I.* De matrimoniis clandestinis irritandis; *De Torres* (*Turrianus*) *Fr.* De matrimoniis clandestinis explicatio; oecumenicum concilium non posse decernere ut matrimonia clandestina irrita fiant; *Hottomanni Fr.* Observationum, quae ad veterem nuptiarum ritum pertinent, liber singularis; *Thyraeus* De clandestinorum matrimoniorum iustitia; *Monnerus B.* De clandestinis coniugiis libellus Erphordiae impress.; *Peleus I.* Quaestionum L (De iure connubiorum quaest. I de clandestinis nuptiis); *Mocquet* De clandestinis nuptiis; *Dollen Chr.* De matrimonio; diss. an et quomodo benedictio sacerdotalis ad essentiam matrimonii

requiratur; *Mauser* De nuptiis; *Hochmann H. C.* De benedictione nuptiarum; *Wörger* De benedictione sacerdotali; *Ursaya* De matrimonii nullitate ex defectu consensus contrahentis et moralis praesentiae parochi; *Cras A.* De iusto matrimonio solo consensu constante et nulla solemnitate indigente; *Sahme* Diss. de matrimonio legitimo absque benedictione sacerdotali; *Fuchs C.* Matrimonium modo inconsueto celebratum validum demonstrat; *Gally H.* Clandestine marriages; *Spengler Io.* Instructio parochi pro assistentia contractuum sponsalium et matrimonii; *Pillons* La célébration du mariage à Rome; étude sur la légistation comparée sur la célébration du mariage; *De Richecour* Essai sur l'histoire et la législation des formes requises pour la validité du mariage; *Meier E.* Ius, quod de forma ineundi matrimonii valet, quomodo ex pristina iuris condicione profectum sit; *Stälin* Die Lehre von der Form der Eheschliessung nach dem kirchl. Recht vor der Abfassung des Gratian. Decrets; *Friedberg* Recht der Eheschliessung in seiner geschichtlichen Entwicklung; *Démètresko A.* Essai sur le fondement juridique de la publicité du mariage; *Sohm* Das Recht der Eheschliessung aus dem deutschen und kanonischen Recht entwickelt; *Schenerl* Die Entwicklung des kirchlichen Eheschliessungsrechts; *Dieckhoff* Die kirchliche Trauung und ihre Geschichte; *Grünwald* Die Eheschliessung; *Desforges* Étude historique sur la formation du mariage en droit canonique et français; *Leinz A.* Der Ehevorschrift d. Konzil von Trient Ausdehnung und heutige Geltung; *Hollweck* Das Ehehindernis der Klandestinität; *Fleiner F.* Die tridentinische Ehevorschrift; *Brandileone F.* L'intervento di stato nella celebrazione dei matrimonii in Italia prima del Concilio di Trento; *Brandileone F.* La celebrazione dei matrimonii in Roma nel secolo XIV ed il Concilio di Trento; *Deshayes F.* Questions pratiques de droit et de morale sur le mariage; *Bassibey* De la clandestinité dans le mariage; *Freisen* Gesch. d. kan. Eher. 91 ff.; *Esmein* Le mariage etc. I. 95 sqq.; *Wernz* Ius Decr. IV 128 seqq.; *Sägmüller* Lehrb. d. k. K. R. § 128; *Gasparri* De matr. II. 1027 sqq.; *Aguilas Jimenez I.* Nueva legislación sobre esponsales y matrimonio según el decreto « Ne temere »; *Alberti I.* Commentarium in recens decretum S. C. Concilii de sponsalibus et matrimonio; *Arendt G.* Analysis theologico-canonica decreti « Ne temere » de sponsalibus et matrimonio; *Arndt A.* Die Eheschliessung nach neuestem Recht; *Besson I.* De la publicité des fiançailles et du mariage; *Boudinhon A.* Le mariage et les fiançailles; nouvelle législation canonique; commentaire du décret « Ne temere »; *Choupin L.* Les fiançailles et le mariage; *Cronin C.* The new matrimonial legislation, a commentary on the Decree of the Sacred Congregation of the Council « Ne temere » published on the 2nd of August 1907 by order of Pope Pius X, on Betrothal and Marriage; *De Becker I.* Commentarii in legislationem novam de forma substantiali sponsalium et matrimonii; *De Leo F.* Per la pratica esecuzione del decreto « Ne temere » circa la celebrazione degli sponsali e del matrimonio; *Devine A.* The law of christian marriage according to the theaching and discipline of the catholic Church; *Domaica E.* De sponsalibus et matrimonio: decreti « Ne temere » comm. canonico-moralis; *Ferreres I.* Los esponsales y el matrimonio según la novísima disciplina; commentario canonico-moral sobre el decreto « Ne temere »; *Gennari C.* Breve commento della nuova legge sugli sponsali e sul matrimonio; *Haring I.* Das neue Ehedecret « Ne temere »; eine Gegenüberstellung der alten und neuen kirchlichen Eheschliessungsform; *Karst I.* Kommentar zu dem Dekrete über die Form der Verlöbnisse und der Eheschliessung vom 2. VIII. 1907; *Knecht A.* Die neuen eherechtlichen Dekrete « Ne temere » von 2 August 1907 und " Provida " vom 18 Januar 1906; *Leitner M* Die Verlobungs- und Eheschliessungsform

nach dem Dekrete « Ne temere »; *Mc. Nicholas I.* The new legislation on engagements and marriage on the Decree « Ne temere »; *Munerati D.* Addenda et mutanda in tractatu de matrimonio; *Noldin H.* Decretum de sponsalibus et matrimonio S. C. C. 2 aug. 1907 cum declaratione; *Ojetti B.* In ius antepianum et pianum ex decreto « Ne temere » S. C. C. 2 aug. 1907 de forma celebrationis sponsalium et matrimonii commentarii; *Pezzani H.* De celebratione sponsalium et matrimonii. Commentarium in decretum « Ne temere » S. C. C. 2 aug. 1907; *Trenta E.* La nuova disciplina sulla celebrazione degli sponsali e del matrimonio, ossia il decreto « Ne temere » della S. C. del Concilio brevemente commentato; *Vermeersch A.* De forma sponsalium ac matrimonii post decretum « Ne temere » 2 aug. 1907 ac declarationes 1 febr. et 28 mart. 1908; *Wouters L.* Commentarius in decretum « Ne temere » de sponsalibus et matrimonio.

1159 **Claudus.** — Claudus, qui sine baculo ad altare se sistere non valet, est irregularis, non solum quoad ordines recipiendos (*c. 3. d. 55*), sed etiam quoad missae celebrationem, si iam fuerit sacerdos. *c. 57. disp. 1 de consecr.* Qui vero ex infirmitate claudus evasit, ita tamen, ut, etsi cum aliqua deformitate, ad altare sine baculo ire possit et consistere, is non est irregularis. *c. 10. d. 55.*

Patet dispensationem ab hac irregularitate facilius concedi relate ad missam celebrandam pro eo, qui sacerdos iam est, quam relate ad ordines suscipiendos. Attamen et haec aliquando datur, dummodo claudicatio non sit nimia, et non impediat claudum ab exsequendis, etsi cum aliquo defectu, ceremoniis missae. Sic clericus, qui non valens genuflectere genu dextero, genuflexiones peragere debebat sinistro genu, quamvis aliquantulum claudicaret, quum tamen non egeret sustentari baculo, dispensatus est ad susceptionem sacrorum ordinum. *S. C. C. in Comaclen. 3 dec. 1863.* Cfr. etiam *S. C. C. in Borgomen. 13 iun. 1868; in Adrien. 11 dec. 1875; in Mediolanen. 14 apr. 1894; in Marsicen. et Potentin. 27 maii 1899.* — Verum non semel haec dispensatio non fuit concessa. Sic quum quidam alumnus seminarii Bergomensis, quem episcopus bonis moribus et sufficienti ingenii vi praeditum dicebat, petiisset dispensationem ab irregularitate, in quam incurrerat, eo quod ex contracto morbo amputationem pedum sustinere debuisset, dispensatio ad ordines suscipiendos denegata est, quia iudicio episcopi, quamvis absolute missam celebrare posset, non poterat tamen ita se movere ad ritus missae perficiendos, quin admirationem populi excitaret, quum singulis momentis in terram decidere videretur, nec ad populum vertere se posset, nisi ad altare manu anniteretur. *S. C. C. 21 nov. 1903.*

Quoad sacerdotes, claudos factos, aliquando magis, aliquando minus indulgentem se praebuit Sacra Congregatio Concilii. Parochus pauper, baculis seu fulcris innixus, ad altare pergebat, quibus dimissis missam celebrare poterat, ita tamen, ut nec omnino se vertere ad populum posset, nec genuflexionem recte peragere, sed tantum incipere aut indicare valeret. Concessa ei fuit dispensatio. *S. C. C. in Ianuen. 29 nov. 1812.* Contra sacerdoti, qui non poterat in eundo ad

altare genuflectere, nisi sese sustentando humero inservientis, quique gradus altaris ascendebat et descendebat male claudicando cum magna populi admiratione, dispensatio ad missam celebrandam denegata est. *S. C. C. in Cathacen. 17 dec. 1859.* Cfr. etiam *S. C. C. in Comaclen. 3 dec. 1863; in Soanen. 22 sept. 1866; in Mediolanen. 14 apr. 1868; in Bergomen. 13 iun. 1868.* Vid. *Irregularitas.*

1160 **Clausulae.** — Clausulae, quae apponuntur in responsionibus SS. Congregationum et explicationem merentur, sunt praesertim sequentes: *Dilata,* idest responsio differtur - *et amplius,* quod apponitur generatim affirmative vel negative, idest affirmative et amplius etc., et significat rem satis superque discussam fuisse; eo modo quaesitis respondendum, et causam amplius non esse proponendam - *in decretis* vel *in decisis* respondent SS. Congregationes ad repropositionem alicuius causae, quando iudicant standum esse priori sententiae - *lectum* significat, quaesitum propositum nulla esse responsione dignum - *providebitur in casibus particularibus* dicit, S. Congregationem nolle dare generalem responsionem - *reponatur,* idest, nulla data responsione, petitio reponenda est in archivio S. Congregationis - *facto verbo cum SSmo.,* scilicet gratia petita conceditur ex speciali facultate habita a Rom. Pontifice, ad quem S. Congregatio recurrit, quia gratia concedenda excedebat suas facultates - *ad cautelam* significat S. Congregationem, relicta quaestione theoretica, recurrere ad aliquod remedium, quod forte a parte rei non esset necessarium; ex. gr. relicta quaestione de valore vel nullitate matrimonii ex capite impotentiae, recurrere practice ad consulendum SSmo. ut dissolvat matrimonium ratum et non consummatum - *dimittatur* est clausula, qua utitur S. Congreg. Indicis, et hoc tantum significat, opus, quod dimittitur, non prohiberi. *S. Congr. Ind. 28 iun. 1880.*

In rescriptis clausula *motu proprio* tollit vitium subreptionis, non autem verius obreptionis. Vid. *Obreptio.*

Praecipuae clausulae, quas S. Poenitentiaria suis gratiis apponit, sunt sequentes: « *iniuncta ei gravi poenitentia* », quae clausula intelligenda est iuxta vires poenitentis (vid. *Poenitentia*), - « *in foro conscientiae tantum* », idest non valitura in foro externo, - « *in utroque foro absolvas* », et tunc sufficit una tantum absolutio in foro externo impartienda, quae valet etiam pro interno (*S. Poen. 27 apr. 1886*), - « *si ita est* », idest, si est vera causa finalis, sed ad hoc standum est attestationi poenitentis, nec ei deferendum est iuramentum de veritate causae allegatae, - « *audita prius sacramentali confessione* », vel « *in actu sacramentalis confessionis tantum* », ex his clausulis necessaria fit sacramentalis confessio facienda ipsi exsecutori, nec nocet absolutio sacrilege suscepta, ut S. Poenitentiaria pluries declaravit, imo si confessarius poenitentem indispositum ex confessione cognoscat, et urgens aliqua necessitas sit dispensationem concedendi, potest etiam absolutionem suspendere et dispensationem concedere. *S. Poenit. 19 maii 1834.*

1161 **Clausulae apostolicae.** — Iuverit hic praecipuas ex his clausulis enumerare et diluere ex Ferraris *Prompt. Bibl. v.* « Clausulae ».

Motu proprio et certa scientia et de plenitudine potestatis tollit omnem subreptionem, non tamen in praeiudicium tertii firmat privilegium. Praeterea non tollit obstacula cohaerentia personae, nec supplet personales defectus, uti irregularitatem, defectum aetatis legitimae. Aliquando huic clausulae additur haec alia, nempe *supplentes omnes et singulos tam iuris quam facti defectus;* sed etiam simul sumptae hae duae clausulae non supplent defectus iuris naturalis vel divini, sed tantum defectus expressos iuris positivi. Imo etiam haec ultima clausula non tollit defectus cohaerentes personae impetrantis, sed tantum concernentes iuris solemnia.

Appellatione remota etc., non obstante particula generali *omni et quacumque,* non valet quando sententia est notorie iniusta, nec contra tertium qui non litigavit, sed tantum contra litigantes. Imo hac clausula non censetur ablata restitutio in integrum, nec causae cognitio aut processus ordinarius usque in finalem sententiam. Quare praecipuus effectus huius clausulae est, quod in appellatione sit inserenda causa, qua iustificetur appellatio, et probanda ab appellante (cfr. quoad hanc clausulam Mühlbauer *Th. res. S. C. C. v.* « *Appellatio* » *n. 64*).

Ut asseris, ut asseritur: prima in hoc differt a secunda, quod illa censetur narrativa partis, et propterea supplicans tenetur verificare asserta, ut gratia non sit subreptitia; altera vero non indiget iustificatione, quia non est narrativa partis, sed Pontificis.

Ex nunc prout ex tunc: haec clausula est retroactiva ad tempus datae et operatur, ut rescriptum retrotrahatur, veluti si actus a principio pure factus esset. Adverte, quod relate ad futurum infert actum ad tempus, ad quod refertur, et facit, ut actus tunc valeat, ut nunc valeret. Cum a Papa ponitur in beneficio vacante, non suspendit gratiam, contra tamen in vacaturo, et non operatur in praeiudicium tertii. Si ponitur in reservatione pensionis ad favorem alicuius, qui nondum sit clericus, clausula *ex nunc prout ex tunc,* vel *ex tunc prout ex nunc,* eumdem effectum habet, et illi tribuit tantum spem pensionem exigendi, quum sit habilis.

Si et in quantum ponitur in decretis iudicialibus, in admissione ad beneficia patronata etc.; ponit conditionem, et facit actum valere tantum, quantum de iure valere potest.

Gratis ubique etc. solet poni in dispensationibus emanantibus a Curia, sed non derogat consuetudini legitime praescriptae, quae in pluribus episcopatibus viget aliquid accipiendi pro examine testium.

Omni meliori modo facit, ut actus valeat, quomodo valere potest, sed non extendit dispositionem, nec valere potest circa non expressa, nisi forte adsit clausula *omni et alio meliori modo.*

Anteferri; haec clausula liberat gratiam a vitio subreptionis; facit de posteriore priorem; per eam tolluntur

omnes reservationes et exspectativae tam generales quam speciales; non tollit tamen ius in re, non retrotrahitur in praeiudicium iuris quaesiti ad rem, demum nihil operatur, nisi is, in cuius favorem concessa est, voluerit anteferri.

Arbitrio tuo vel *iudicio tuo* important arbitrium boni viri, quod ita est intelligendum, ut illud quis faciat, quod vellet fieri in rebus suis; arbitrium autem regulari debet iuxta iuris dispositionem. Sed aliquando importat etiam liberam voluntatem. Executor cum hac clausula potest extraiudicialiter procedere.

Conscientiae tuae committimus, conscientiam tuam oneramus etc., *discretioni tuae* etc.: quum ponitur haec clausula, delegatus non potest subdelegare, nam Pontifex censetur respexisse personae qualitates; iudex debet iudicare iuxta allegata et probata atque iuxta iuris decreta; potest procedere extraiudicialiter in rescriptis gratiae. Demum ab illo datur appellatio devolutiva et suspensiva, quando agitur de gravi praeiudicio.

Prout iuris et de iure est conditionalis, ac omnia, quae praecedunt, secundum ius sunt regulanda.

Non obstantibus etc. tollit illa omnia, quae gratiae exitui obstant, etiam privilegia clausa, vel non, in corpore iuris. Sed non tollit statuta particularia, non operatur in praeiudicium tertii, non aufert obstacula personalia, nec dispositiones firmatas consensu partium, non derogat regulis Cancellariae, nec conciliis generalibus. Adverte tamen, quod, si gratia sit irrita invalidatur etiam clausula, et quod per eam non inducitur dispensatio.

Circa vel circiter, si agitur de aetate, intelligitur de quinque vel sex mensibus, et generatim de modico tempore; si agitur de coadiutoria, sumitur pro semestri; idem intellige de resignationibus.

Qui plura de clausulis cupit, videat Ferraris *l. c.;* Barbosa *Tract. de clausulis usufrequent;* Bertachini *Repertorium litt. C.;* Tuschi *Concl. practicarum litt. C.;* Marta *Tract. de clausulis;* etc.

Clausura. — De natura et divisionibus clausurae. — Clausura generatim est lex prohibens ingressum mulierum in domos religiosas virorum, et vicissim virorum in domos religiosas mulierum; nec non egressum religiosorum e claustro, sive simpliciter, sive certis conditionibus non servatis. 1162

Triplex distinguitur, nempe papalis, episcopalis, disciplinaris

Divisio autem haec deducitur ex diverso subiecto activo istius legis, ita ut dicatur papalis ea clausura, quae pontificiis constitutionibus inducta est; episcopalis ea, quae ex lege episcopi vim habet, eique subiacet; disciplinaris eà, quae ex constitutionibus alicuius Instituti religiosi viget, iisque determinatur.

De subiecto passivo legis clausuram praescribentis. – Clausura papali tenentur indiscriminatim omnes omnino domus virorum et mulierum regularium, idest eorum vel earum, qui vota solemnia nuncupant. Nec ullo pacto dici potest clausuram restringi ad monachos, sed certum est 1163

eam extendi ad eos quoque regulares, qui monachi non sunt, ut est de omnibus clericis regularibus.

Instituta votorum simplicium, quae nonnisi episcopali auctoritate et approbatione consistunt, possunt ab ipso episcopo obligari ad clausuram magis vel minus strictam servandam. Si ad clausuram ab episcopo obligentur, patet eam claurusam esse episcopalem.

Instituta votorum simplicium, approbata a S. Sede, clausuram habent, non quidem strictam, sed partialem, in ipsis constitutionibus determinatam, quae tamen requirit saltem, ut in omnibus domibus pars quaedam pro ipsis sororibus reservata sit, in qua nullus alius admittatur. *S.C. EE. RR. Instr. seu normae pro approb. novis Instit. votor. simpl. 28 iun. 1901.*

1164 **De clausura papali. — Custos clausurae.** — Huius clausurae custos est ordinarius localis, iure quidem ordinario quoad monasteria sibi subiecta, et iure delegato quoad exempta; et nemo ab eius directiva auctoritate hac in re exemptus censeri potest. *Ep. Encycl.* Ben. XIV. « Gravissimo » *3 oct. 1749.*

1165 **De eius elementis. — *Quaenam sint in genere.*** — Porro clausura haec duobus continetur; ut scilicet regulares teneantur domo non exire, saltem sine venia; et ut alii sive omnes, sive quidam, ab ingressu monasterii prohibeantur, quem ingressum ne ipsi quidem regulares his permittere possint. Quoad utrumque clausura monialium rigidior est clausura virorum regularium.

De egressu prohibito. — Ratione igitur clausurae, quae ad custodiam castitatis a Bonifacio VIII introducta est (*c. un. de statu reg.* [*III. 16*] *in 6°*), monialis nonnisi de licentia Rom. Pont., regulares de praelati tantum licentia domo exire possunt. Sine tali licentia exire pro monialibus est grave, et sub poena excommunicationis latae sententiae simpliciter Romano Pontifici reservatae prohibitum in const. « Apostolicae Sedis » *ser. 2. n. 6* (hanc vero poenam incurrunt solummodo vere egredientes, non aliae, ex. gr. illa, quae rotam ingressa verteret se ad partem exteriorem, vel quae legitime egressa revertendi moram faceret, quamvis letalem; peccant tamen omnes); pro religiosis veniale, si interdum tantum per diem, grave, si saepius, aut furtive de nocte fiat. Cfr. Conc. Trid. *sess. XXV. c. 4. de reg.; Constit.* Clem. VIII « Nullus »; Suarez *de relig. tr. VIII. lib. 1. c. 6.* 1166

Quoad clausuram monialium nota tamen, eas sine Rom. Pontificis venia e monasterio egredi posse incendii, leprae, epidemiae, quae monasterium invaserit (*Const.* Pii V « Decori » *kal. febr. a. 1570*), aut alia huiusmodi de causa, ut incursus latronum, inundationis etc. Cfr. Ferraris *Prompta bibl. v. « Moniales » art. 3. n. 28.* 1167

Attamen nota, ratione epidemiae licitum esse egredi e clausura non ita intelligendum esse, ut, grassante in aliqua civitate epidemia, eo ipso liceat monialibus omnibus a claustro exire, sed licet tantummodo extrahere eas, quae morbo affectae sunt, quaeque curandum est, ut recipiantur in ali-

quam domum pro infirmis monialibus paratam, quae omnibus veluti valetudinarium inserviat (*S. C. EE. RR. in Avenionen. sept. 1720*), nisi lege cautum sit, ut ad publicum nosocomium pestilitati curandae in casu epidemiae parari solitum et monialibus eundum sit. Si autem casus esset, quod pleraeque e monialibus, epidemico morbo laborarent, tunc putarem licere sanis e clausura egredi.

1168 Nota etiam, contra hanc prohibitionem exeundi e claustro nihil valere immemorabilem etiam consuetudinem, quae abrogata censenda est per constitutionem « Apost. Sedis », ita ut post hanc constitutionem ne vi quidem immemorabilis consuetudinis dici possit licere monialibus egressum ex causis gravibus, ab episcopo recognitis et probatis. *S. U. I. 22 dec. 1880.*

1169 Verum indultum exeundi e claustro gravissimis quidem de causis, aliquando concessum est, ut ex. gr. ad stipem quaerendam. *S. C. EE. RR. in Nepesina ian. 1809.* Heic autem illud quoque addendum est, concilium Tridentinum (*sess. XXV. c. 7 de reg.*) permittere, ut abbatissa eligi possit ex alio monasterio, eiusdem ordinis, si in monasterio, cui praeficienda sit, non reperiatur monialis praedita qualitatibus ab eodem concilio requisitis. Vid. *Abbatissa.* Attamen constitutione citata Pii V « Decori » correctum est decretum concilii supra citatum; quare non licet amplius extrahere monialem de monasterio ad eam constituendam abbatissam in alio, nisi obtenta speciali licentia a Sede Apostolica. Ita declarasse Greg. XIII testis est Collectanea S. C. Episc. et Regularium *pag. 208.*

***De admissione aliorum in claustra.* — Quid prohibeatur.** — Quoad admissionem aliorum in clausuram sequentia sunt adnotanda. 1170

Regularibus viris vetitum est lege clausurae admittere in sacris claustris quascumque *feminas,* cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, et quacumque dignitate et praeeminentia praeditis, etiam comitissis, marchionissis, ducissis, quae omnes ab ingressu in huiusmodi claustra pariter prohibentur. *Const.* Pii V « Regularium » *24 oct. 1566; Const.* Greg. XIII « Ubi gratiae » *13 iun. 1575; Const.* Bened. XIV « Regularis disciplinae » *3 ian. 1742.* Quaedam autem circa hoc sunt exceptiones, de quibus infra.

Ex iure consuetudinario licet tamen viris in clausuram admittere imperatrices, reginas earumque filias et alias feminas, quae ipsas comitantur. Bucc. *II 1190.*

Monialibus autem lege clausurae interdicitur, ne in suis monasteriis admittant personam ullam, sive viros nempe sive mulieres, qui omnes ab earum claustris ingrediendis omnino prohibentur. *Const.* Pauli V « Monialium statui » *10 iun. 1612; Constit.* Bened. XIV. « Salutare » *11 ian. 1742.* Cfr. etiam *S. C. EE. RR. ad arch. Liman. 19 ian. 1751.* 1171

Hinc etiam moniales prohibentur, quominus mulieres alias, quae in monasteriis veluti *pensionariae* vivere volunt, admittant (*S. C. EE. RR. 16 iul. 1884*); quod dicendum etiam est de puellis sive famulis sive educandis.

Imo has licentias concedere nequit episcopus, sed recurrendum est ad Sedem Apostolicam. Cfr. *Const.* Ben. XIV «Per binas» *24 ian. 1747.* Indultum quoque est aliquando monialibus clausurae subiectis ut docere possent in scholis puellas quasdam externas, quae cum ipsis intra clausuram non cohabitarent. Tunc autem haec venia ita concessa est, ut scholae constituerentur in parte aedium monasterii ab aliis separata, ad quam per externam ianuam puellae ingredi possent, facta potestate monialibus magistris in easdem scholas sese conferendi per interiorem ianuam ad earum officium exercendum; statuto tamen, ut porta externa caute custodiretur (*S. C. C. 2 apr. 1841*), imo etiam et praecipue interna, quae duabus clavibus clausa esset, quarum una servaretur penes superiorissam, altera penes monialem ab episcopo designatam. *S. C. C. 22 ian. 1847.* Praeter haec indultum est etiam quibusdam monialibus sub regula S. Augustini vitam degentibus, quae scholas puellarum in suo monasterio habebant, ut genitores aut ii, qui eorum vices gerebant, ingredi possent monasterium, si quando aliqua puella, quae in earum collegio degebat *educanda* graviter aegrotaret; ut puellae, quae iam cessaverant scholae interesse, possent per annum externam scholam ingredi; ut easdem externas scholas genitores puellarum aut ii, qui eorum vices gerebant, semel saltem durante tempore, quo eaedem puellae ad eas scholas admittebantur, ingredi possent; ut admitti possent in monasterium, arbitrio episcopi iuxta constitutiones apostolicas duas famulas cum permissione accedendi ad scholas externas, quae tamen ulterius egredi non valerent, durante earum munere, dummodo tamen essent caelibes. (*S. C. EE. RR. in Mutinen. 31 dec. 1840*).

Ex dictis sequitur etiam, non licere ut ad sepeliendam monialem defunctam plures sacerdotes claustra ingrediantur, nisi accedat privilegium Sanctae Sedis. Quare, quum nuper episcopus quidam exposuisset S. Congregationi Episcoporum et Regularium, quod in sua dioecesi consuetudo exsisteret apud quarumdam monialium monasteria, ut ad hunc effectum ingrederentur claustra aliquando duodecim etiam sacerdotes praeter operarios necessarios, simulque petiisset, an consuetudo haec sustineri posset, S. Congregatio respondit *vigore specialium facultatum a SS. Domino sibi concessarum,* consuetudinem tolerari posse; reprobavit tamen aliam partem ipsius consuetudinis, quae in hoc consistebat, ut iisdem sacerdotibus et operariis gratitudinis et obsequii gratia, vix ac sepulturae finis fuisset, offerretur intra claustra sobria quaedam mensa, quam voluit potius parari in communi collocutorio, ad quod seculares viri solent accedere. *S. C. EE. RR. 24 apr. 1903.* Idem responsum dedit eadem S. Congregatio ad quaesitum alterius episcopi circa eamdem consuetudinem (agebatur autem de prima tantum parte consuetudinis supra expositae), sed omissa clausula, quae in prima responsione apposuit, forte quia speciales illae facultates congregationi ipsi ita factae sunt a Pontifice, ut iis congregatio tamquam

ordinariis uti posset. *S. C. EE. RR. 12 nov. 1904.* Pariter non licet confessario monialium ingredi clausuram ad benedicendum monasterio in sabbato sancto. Pellizarius *de monialib. cap. X. sect. 3. subs. 1. n. 248.*

1172 **Quando et cuius licentia liceat ingredi in clausuram. — Generalia notanda.** — Patet autem, quosdam necessario dari casus, in quibus ingressus alicuius personae monasterio extraneae necessarius omnino sit; quare consultum est, ut aliquando ingressus huiusmodi liceret.

Porro, ut liceat, necesse est, ut fiat ex iusta causa (quae reducitur ad causam necessitatis, non quidem strictae, sed moralis ex parte ipsius monasterii, non autem extraneorum, nisi ius naturale aut divinum aliud suadeat, cfr. Conc. Trid. *l. c. c. 5*) et de licentia. Haec autem licentia danda est ab ordinatio loci (nec potest eam concedere vicarius generalis, nisi habeat speciale mandatum), et, si monasterium sit sub praelato regulari, etiam ab isto, nisi alius sit usus. *S. C. C. 13 nov. 1610 in Bellunen. 17 iun. 1630; S. C. EE. RR. 24 aug. 1594;* Bened. XIV. *de Syn. lib. XIII. c. 12. n. 23.* Verum postea S. Congregatio Concilii videtur immutasse sententiam. Nam ad quaesitum: an medici aliique ministri necessarii ingredi possint cum sola licentia et approbatione delegati absque licentia vel consensu episcopi, respondit danda esse decreta in Hyeracen. edita ann. 1681, nempe licentiam ingrediendi monasteria spectare ad superiorem regularem ex cap. 5. sess. XXV. de regular. *S. C. C. in Hyeracen. 26 ian. 1692.* Attamen Benedictus XIV refert antiquam praxim, quae debebat esse praxis quoque sui temporis, nec ullo modo meminit contrarii decreti citati in Hyeracensi.

Episcopus vero et praelatus regularis possunt delegare abbatissam vel confessarium, aut alium virum prudentem ad hanc licentiam concedendam. S. Alph. *VII. 224.* Medicis, chirurgis (qui continua assistentia prosequendi sunt et in accessu, et quamdiu cum infirma commorantur, *S. C. EE. RR. 26 maii 1601*), et confessariis ordinariis danda est haec licentia ad tempus (*S. C. EE. RR. 9 sept. 1561*); aliis pro unaquaque vice.

Quoad admissionem autem feminarum in clausura virorum haec nota, quae habet Mocchegiani (*Iurisprudentia ecclesiastica I. 328*), qui sequentia animadvertit: « Ubi consuetudo viget, ut mulieres serviant fabris murariis, portando calcem, petras et similia, ipsae excommunicationem non incurrunt, tametsi ibi adsit guardianus cum sua familia, si, dum serviunt, ingrediantur in hortos, silvas et eam monasterii partem, in qua aedificium construitur, dummodo non ingrediantur illas coenobii partes, in quibus habitant, dormiunt comeduntque religiosi ».

Patet autem ex superius dictis permissum esse regularibus viros in claustra, quicumque tandem fuerint, admittere.

De confessario clausuram ingrediente. — 1173
Confessarius autem ex hac licentia ingredi potest ad ministrandum infirmis sacr. poenitentiae, eucharistiae et extremae unctionis, et ad commendandas animas agonizantium, non

ex alia causa; et ingredi debet superpelliceo et stola indutus (*S. C. EE. RR. 22 dec. 1602*), et, si est regularis, cum socio (ex Const. Alex. VII « Felici » *10 oct. 1664*), duabus monialibus semper comitantibus. Praeterea (*S. C. EE. RR. 2 mart. 1865*) non potest refici, et cibum aut potum sumere, imo ex recentiori decreto eiusdem S. Congreg. (*13 sept. 1887*) debet recta via ire et redire nec ad aliam monialem divertere. — Nec solus confessarius ordinarius, sed episcopus quoque aut confessarius extraordinarius ingredi possunt monasteria monialium absque ulla limitatione, quando vocantur ab aliqua moniali infirma, quae pro sua devotione vult confessionem explere. *S. C. C. in Mazarien. 10 maii 1727.*

1174 **De episcopo ingrediente septa.** — Notandum autem est, ipsum episcopum non posse ingredi clausuram monialium, nisi visitationis (et propter hanc causam ingredi potest toties, quoties voluerit, *S. C. EE. RR. 8 septemb. 1725,* vid. *Visitatio*) aut cuiuscumque verae necessitatis causa (*Const.* Gregorii XIII « Dubiis » *23 dec. 1581*), ut esset e. g. ad dandam benedictionem apostolicam moniali constitutae in articulo mortis, nisi velit hanc facultatem delegare confessario monialium, ad quam tamem delegationem dandam episcopus non tenetur (*S. C. C. in Mazarien. 10 maii 1727*), in quo ultimo casu ingredi debet cum confessario monialium et alio probo sacerdote per eum eligendo (*S. C. C. decr. nuper. cit.*); generatim autem debet ingredi a paucis, iisque senioribus ac religiosis personis, comitatus (*S. C. C. 13 maii 1582*), et stola, non autem pluviali indutus. *S. C. C. in Lycien. 22 sept. 1742.*

De superiore regulari ingrediente. — Superior autem regularis potest ingredi clausuram monialium sibi subiectarum visitationis causa semel in anno ad normam const. cit. Alex. VII absque licentia episcopi, quem tamen certiorare debet de die et hora talis visitationis, quin tamen episcopus possit eum impedire. *S. C. C. decr. cit. 22 sept. 1742.* In aliis casibus, ut ad publicandam electionem abbatissae etc., superiores regulares clausuram ingredi non possunt (*S. C. C. 29 nov. 1710; 10 ian. 1711*), imo possunt prohiberi ab episcopo, ne hoc faciant, sine praesentia eiusdem episcopi vel alterius personae ab eo deputandae. *S. C. C. 7 iun., 2 aug. 1755.* 1175

Superior autem regularis visitare debet clausuram per seipsum et non per alium, etiamsi fuerit legitime impeditus, quo in casu differre debet visitationem in aliud tempus, eamque debet absolvere celeriter, et unica die, debita tamen cum diligentia, nec eam incipere potest ante ortum solis aut protrahere post occasum, neque ipse visitator aut socii ullam possunt sumere in monasterio refectionem; debet autem comitari ab uno socio sui ordinis (si visitator fuerit generalis ordinis, comitari potest etiam a duobus), et assisti a quatuor monialibus ex senioribus monasterii, quae numquam separentur, visitatione durante, a visitatore et sociis. Reliquae vero moniales et puellae seculares in monasterio degentes, nisi legitimo teneantur impedimento, convenire de-

bent omnes in choro, antequam visitator ingrediatur clausuram, et in eo permanere, durante visitatione, et quousque idem visitator cum sociis e clausura exierit. Visitatio autem personalis debet omnino fieri ad crates, et extra clausuram, nec non per ipsum superiorem dumtaxat. *Constit. cit. Alex. VII. 10 oct. 1664.*

1176 **De ingressu fundatricis.** — Fundatricibus conceditur generatim indultum ingrediendi clausuram quater singulis annis, ita tamen, ut ingressus non fiat temporibus adventus et quadragesimae, in solemnioribus anni festivitatibus et particularibus ipsius monasterii et aliis festivis diebus de praecepto et tempore recitationis divinorum officiorum; ut fundatrices ingredientes nullam in monasterio refectionem sumant, et ante solis occasum egrediantur. *S. C. EE. RR. in Panormitana iun. 1723.*

1177 **De necessitate clausurae ad vota solemnia.** — Si clausuram moniales non observant, hodie vota solemnia habere nequeunt ex Const. « Circa pastoralis » S. Pii V, eaque debet esse papalis; nec satis est, si sponte eam observent, sed necesse est, ut ad eam servandam obstringantur. Nota autem, quod, quamvis non possint moniales habere vota solemnia, nisi habeant papalem clausuram, possunt tamen ad clausuram adstringi etiam moniales votorum simplicium si eam a S. Sede impetraverint, quae tamen clausurae papalis concessio non immutat naturam votorum, quae contra remanent uti fuerunt ab initio. *S. C. EE. RR. in Policastren. 6 dec. 1839; in Gandaven. 24 sept. 1816.* Ut autem monialibus votorum simplicium concedatur clausura papalis requiritur generatim consensus omnium monialium vocalium per vota secreta. Cfr. *S. C. EE. RR. in cit. Policastren.*

De locis clausurae subiectis. — 1178 Quoad clausuram papalem quaeri tandem potest, quid veniat nomine clausurae, intelligendo pro clausura locum illum, intra quem haec lex regulares obliget, sive quoad prohibitionem ab eo exeundi, sive quoad prohibitionem in eum alios admittendi. — Porro nomine clausurae venit totum illud spatium, quod septis monasterii (seu mulierum seu virorum) continetur (D'Ann. *Comm. in const. « Ap. Sedis » n. 123*), idest cellae, officinae, coenaculum seu refectorium, dormitorium, infirmaria, coquina et huiusmodi. Viridaria etiam, seu horti et prata, nec non silvae aut nemora, cum conventu et claustro coniuncta, veniunt nomine clausurae (*S. C. EE. RR. 24 apr. 1582, 13 sept. 1583, 3 iun. 1608*), nisi ipsa viridaria et prata sint a clausura separata clavi et muro convenienti. Prima claustra, quae adiri possint ad hauriendam aquam, modo conventus habeat alia claustra invia mulieribus, non continentur clausura, et proinde mulieres (quoad claustra regularium virorum) possunt ea ingredi, quin incurrant poenas contra violantes clausuram. *S. C. EE. RR. in una Venetiarum 16 maii 1582, in Assisien. 17 sept. 1583.* Sacristia, ad quam non patet aditus, nisi per ianuam, quae sit in claustro, comprehenditur sub clausura; si vero habeat ingressum ab ecclesia, etiamsi simul a claustro interiori ingressum habeat, clausura, sal-

tem ex iure consuetudinario, non comprehenditur. Cfr. Mühlbauer *Th. resol. S. C. C. v. « Clausura » n. 1.* Tectum est extra clausuram (*S. C.* [*EE. RR.?*] *in Comen. 18 sept. 1609; in Lycien. 16 sept. 1609*), et proinde monialis, quae supra tectum ascenderet, excommunicationem non effugeret. Attamen aliquando a S. Congr. Episcoporum et Regularium indultum est ob peculiares loci circumstantias, ut episcopus licentiam monialibus facere posset ascendendi tectum ad tendenda linteamina ecclesiae, dummodo ageretur de tecto omnino interno et undequaque secularibus invisibili. *S. C. EE. RR. in Auximana 6 sept. 1809.*

Nota autem in ordinibus virorum, saltem ex iure consuetudinario, praesertim si agatur de ordinibus non monachorum, licere, ut prope ianuam habeantur conclavia destinata ad excipiendas mulieres, quae regulares viros alloqui debent (quod saepe iis, qui vitam non contemplativam, sed activam ducunt, necessarium est), cum debitis tamen cautelis, et hoc semper firmo, ut extra ea loca mulieres admittere nefas sit. — Nota praeterea, nomine conventus seu monasterii seu domus religiosae non venire domos privatas, ubi unus aut alter religiosus habitare consuevit (quod nostris hisce temporibus practici momenti est); neque domus, quae aedificatur, nisi iam sint sufficientia habitacula, ita ut communitas regulariter iam ibi vivere possit, et actu vivat. Bucc. *in Const. A. S. n. 56.*

1179 Dicuntur aliquando superiores regulares posse limites clausurae praefinire et determinare. Hoc tamen probe intelligendum est; certe enim nonnulli clausurae limites ipso iam iure determinati sunt, quos non possunt superiores regulares ullo modo praeterire. Ita ex. gr. ait Mocchegiani (*loc. cit. I. 330*) non est in potestate praelatorum regularium determinare clausuram ita ut aliqua pars interna conventus, puta coenaculum vel aliquod ambulacrum intra ipsum coenaculum, non comprehendatur in clausura. « Possunt tamen superiores, scilicet maiores, provinciales saltem quoad loca dubia (praesertim ratione habita consuetudinis, qua prope ianuam licet regularibus habere conclavia destinata ad excipiendas mulieres) terminos clausurae secundum ordinis consuetudines, habita ratione exigentiae locorum, definire et determinare. Reiffenstuel *in tit. 35 lib. III. Decr. n. 27;* Mocchegiani *loc. cit. I. 330;* Vermeersch *De religiosis inst. et pers. I. 303.* Verum, quum clausura stricte dicta (papalis) non afficiat nisi verum conventum, quatenus sedes est religiosae communitatis, si regulares domum suam idest monasterium non incolerent, sed extra monasterium, in aliquo forte collegio ex. gr. pontificio aut seminario degerent, ad quod vocati essent instruendae iuventutis gratia, non possent ibidem superiores regulares clausuram instituere, scilicet strictam seu papalem, etsi praeceptum suis de mulieribus non admittendis sive in tota domo sive in parte domi facere semper possent.

De clausura in missionibus. — 1180 Quoad loca missionis notandum est, statutum fuisse a S. Congregatione de Prop. Fide, ut hospitia et stationes,

seu domus quaelibet cuiuscumque ordinis, congregationis aut instituti regularis in locis missionum ubicumque exsistentes, in quibus duo vel tres missionarii latini ritus commorarentur seu commorari contingeret, clausurae legibus subiicerentur, ita ut nemini ex regularibus omnino liceret ullam feminam intra privata eorumdem hospitiorum seu stationum curricula, mansiones, recessus, sub quovis titulo, specie ac praetextu introducere, multoque minus sanctissimum poenitentiae sacramentum ibidem ipsis administrare; nec mulieribus sub quarumcumque licentiarum obtentu praedicta hospitiorum privata cubicula, mansiones, recessus ingredi sub poenis a sacris canonibus et constitutionibus Summ. Pontificum, praesertim S. Pii V, Gregorii XIII et Benedicti XIV inflictis adversus clausurae violatores. Ut autem ad eorumdem hospitiorum interna oratoria, ecclesias ac loca, ubi sacra peraguntur, mulieribus quoque pateret accessus, ut sacrosancto missae sacrificio aliisque ecclesiasticis functionibus interessent, atque sacramentum poenitentiae susciperent, eadem S. Congregatio decrevit, admitti posse mulieres internis ecclesiis, cappellis aut oratoriis publicis hospitiorum praedictorum, ad quae tamen recto tramite accederent, nec in cubicula aut privatas mansiones deflecterent, et per eamdem, per quam accesserunt, viam reverterentur. *S. C. P. F. 26 aug. 1780.* Attamen nota, eamdem Sacram Congregationem postea rescripsisse, decretum hoc « sustinendum, sed accommodandum locorum et temporum circumstantiis, ideoque servandum tantum esse in iis domibus, quae ad missiones spectant, et in quibus stabiliter permanent duo vel tres missionarii regulares ». *S. C. P. F. 5 mart. 1787.*

De cessatione clausurae. — Ex 1181
principio superius ex Vermeersch adducto, clausuram afficere verum conventum, quatenus sedes est regularis communitatis, sequitur aperte, quod clausura, quemadmodum non viget in domo, quae aedificatur in finem excipiendi regulares, quousque regularis communitas eam non inhabitat, eodem modo desinit, quum domus illa, non ad tempus, sed indefinite a regulari ipsa communitate deseritur, sive etiam tum, quum communitas ipsa dissolvitur. Circa quod notanda sunt ea, quae valde practica nunc adnotat Mocchegiani (*l. c. I. 341*) « Ob civilem suppressionem ordinum religiosorum plures conventus in Italia in municipiorum potestatem venerunt, ita tamen ut pars conventus assignata sit incolenda et custodienda tribus vel quatuor religiosis; reliquae partes ab ipsis municipiis retinentur. Quaeritur, num praedicti religiosi teneantur clausuram servare quoad illam partem, quam ipsi incolunt... Respondetur, nullam super re, quod nobis constat, editam fuisse authenticam declarationem. Opinamur tamen cum cl. Iosepho Pennacchi (*Comm. tom. I. p. 802*) *per se* non teneri regulares illos paucos, qui in dicta parte conventus commorantur, servare clausuram praecise ob rationem suppressionis, qua fit ut de facto monasterii claustra omnibus pateant, quin religio-

sis liceat, ut plurimum, sine periculo amittendae habitationis, prohibere ingressum sive viris sive mulieribus...» Ius, quo circa clausuram reguntur stationes regularium in missionibus, propter quod Vermeersch in contrariam sententiam inclinatur, non videtur mihi infirmare hanc sententiam, quia disciplina est peculiaris pro iis locis et ex alia parte principium verissimum est cessare clausuram, quando domus non est amplius regularis *communitatis*.

1182 **De clausura episcopali.** — Quoad clausuram episcopalem aut disciplinarem nihil hic addendum est, quum ea vigeat et regatur legibus episcopalibus aut constitutionibus instituti. Episcopus autem potest clausuram imponere etiam sub poena censurae contra violantes, idest, non solum contra moniales egredientes, sed etiam contra ingredientes (*S. C. EE. RR. 1 aug. 1839*), dummodo hi fuerint eius subditi.

1183 **De clausura in institutis recentioribus.** — Aliquid potius heic addendum de clausura recentiorum institutorum votorum simplicium, quae aliquid papalis, aliquid disciplinaris clausurae habet; quum nec constitutionibus tantummodo instituti vigeat (quamvis ab iis determinetur), sed exigatur etiam ab ipsa Congregatione Episcoporum et Regularium, ut huiusmodi instituta approbentur; nec imponatur cum iis solemnitatibus et sub iis poenis, quae papalem clausuram respiciunt. — Porro haec clausura non solum exigit, ut diximus, in omnibus instituti domibus partem quamdam pro ipsis sororibus destinatam esse, in quam nullus alius admittatur; sed praeterea lege clausurae cautum esse debet, ut, quoties medicus, aut confessarius, aut opifices eam partem sororibus destinatam ad propria munera exercenda ingredi debent, comitentur a duabus sororibus; nec non ut, si confessarius vel cappellanus in domo habitet, eius habitatio ingressum habeat separatum sine ulla cum sororum habitatione communicatione; ut domus ianuae ad solis occasum occludantur, et claves superiorissae tradantur; ut viri professores sive pro sororibus sive pro alumnis in litteris vel artibus instituendis non admittantur; ut, quoties sorores e domo, quacumque causa, egrediuntur, sociam a superiorissa designandam adhibeant. *Inst. cit. S. C. EE. RR. 28 iun. 1901. aa. 170-178.* Ex eadem instructione *a. 172* episcopi est curare, ut haec partialis clausura rite servetur, et quidquid in eam irrepat vitii cohibere. Cfr. etiam Const. Leonis XIII «Conditae a Christo». *7 dec. 1900.* Nota igitur, quod, quamvis in his institutis clausura non habeat nisi eam vim, quam ipsi tribuunt constitutiones et approbatio S. Sedis, si habeatur, et proinde peccatum contra violationem clausurae dimetiendum sit ab obligatione, quam constitutiones imponunt, et pro iis tantum, quibus eam possunt imponere, monialibus nimirum subiectis, potest tamen episcopus in vim Constitutionis Leonianae «Conditae a Christo» clausurae obligationem a constitutionibus impositam censuris quoque sibi reservatis communire, quae non tantum moniales,

attentione digna apud Lucidi *de vis. sacr. lim.* et apud Mocchegiani locis citatis in bibliographia.

1189 Magistratus ad instantiam episcopi non praebentes auxilium adversus contradictores clausurae monialium in Conc. Trid. (*sess. XXV. cap. 5 de reg.*) excommunicantur excommunicatione latae sententiae nemini reservata, quae censura tamen per non usum forte in desuetudinem abiit. Cfr. Avanzini *Comm. in Const.* « *Ap. Sedis* » *n. 63.* Vid. *Collocutio.*

1190 Violantes clausuram episcopalem nulla in iure poena ligantur, sed episcopus potest eos, si sui subditi sint, censuris etiam plectere.

c. un. de statu regularium (III. 16) in 6°; Conc. Trid. sess. XXV. c. 5 de reg.; Const. Pii V « Circa pastoralis » 26 maii 1566; Const. eiusd. « Regularium » 24 oct. 1566; Const. eiusd. « Decori et honestati » 1 febr. 1569; Const. Greg. XIII « Deo sacris » 30 dec. 1572; Const. eiusd. « Ubi gratiae » idib. iun. 1575; Const. eiusd. « Dubiis » 23 dec. 1581; Const. Clem. VIII « Nullus omnino » a. 1599; Const. Pauli V « Facultatem » 1 sept. 1608; Const. eiusd. « Monialium statui » 10 iun. 1612; Const. Greg. XV « Inscrutabili » 5 febr. 1622; Const. Urb. VIII « Sacra congregatio » 21 sept. 1624; Const. eiusd. « Sacrosanctum » 27 oct. 1624; Const. Alex. VII « Felici » 10 nov. 1664; Const. Ben. XIV « Quum sacrarum » 1 iun. 1741; Const. eiusd. « Regularis disciplina » 3 ian. 1742; Const. eiusd. « Salutare » 11 ian. 1742; Const. eiusd. « Per binas » 24 ian. 1747; Ep. encycl. Ben. XIV « Gravissimo » 3 oct. 1749; Litt. encycl. S.C. EE. RR. iussu Pii VII 30 sept. 1815; Const. Pii IX « Ap. Sedis » 12 oct. 1869; Const. Leonis XIII « Conditae » 7 dec. 1900; Comm. in tit. 35 lib. III Decr.; *Garcia de Galarca P.* De clausura monialium; *Pellizarius* Manuale regularium tr. 5 c. 6, tr. 10; *Pellizarius* De monialibus cc. 5. 6; *Rodriges E.* Quaestiones regulares et canonicae; *Miranda L.* Manuale praelatorum regularium; *Suarez F.* De virtute et statu religionis tr. 8 lib. 1. cc. 6-10; *Sanchez* in decalogum lib. 6 cc. 15-17; *Bonacina* Tract. de clausura et poenis violat. ipsius imposit.; *Gibalinus* Disquisitio de clausura regulari; *Diana A.* Resolutiones morales; *Parichellius I. B.* Tract... de sacra clausura; *Nicolii H.* Flosculi v. monialis; *Pignatelli* Consultat. tom. 6. cons. 85; *Sinistrari de Ameno L.* De delictis et poenis tit. 4 §§ 8; *Rotarius* Th. mor. regularium t. 2. l. 2. c. 3; *Passerini* De hominum statibus tom. 3. in l. 2. q. 189 a. 8; *Van Espen* Ius eccl. unic. p. 1. tit. 30. cc. 2. 3; *Bouix* De iure regularium t. 2. p. 6 s. 5 cc. 7-8; Comm. in Const. « Ap. Sedis; *Lucidi* de vis. ss. lim. II. c. 5. n. 28 sqq. 214; *Scherer* KR. 146 V; *Sägmüller* KR. § 186 sqq. *Hollweck* Die kirchl. Strafgesetze § 149; *Wernz* Ius Decr. III. 658; *Ballerini-Palmieri* Opus mor. IV. 114 sqq.: *Mocchegiani* Iurisprudentia ecclesiastica I. 310-392. *Piat* Prael. iur. regul.; *Dolhagaray B.* La clôture religieuse (in *Revue des sciences eccl.* LXXIV, 1896, 289 ss.); *Dolhagaray B.* La loi de la clôture dans les couvents d'hommes (in *Revue des sciences eccl.* LXXV, 1897, 230 ss.); *Angelus a SS. Corde* Manuale iuris comm. regularium; *Vermeersch* De religiosis institutis et personis p. IV. s. 3. c. 2. a. 4. § 1; *Gennari* Questioni canoniche qq. 38. 203. 349. 454; *Gennari* Questioni teologico-morali qq. 35. 113. 231. 306. 399. 522. 665; *Gennari* Consultazioni morali-canoniche-liturgiche II. cons. 49.

Clavis. — Parocho per se privative 1191
est ius retinendi clavem tabernaculi in quo reconditur SS. Sacramentum, (*S. C. C. in Asculana 25 iun. 1689 in Neapolitana 14 nov. 1693*), et si agatur de ecclesia monialium, non

potest asservari clavis intra septa monasterii; sed asservari debet penes cappellanum, saltem quum domus cappellani finitima est monasterio, et hoc etiamsi contrarius usus invaluerit. *S. R. C. in una Soc. Iesu 11 maii 1878, ad 6 (3448);* cfr. etiam *S. C. EE. RR. in Luceorien. apr. 1729.* Convenit, ut ciborii claves (praestat enim ut duae sint, ut, una forte amissa, alia habeatur) auro vel argento sint obductae.

1192 Claves *ianuarum monasterii et cratium* seu cancellorum chori et locutorii, ut etiam clavicula loci sacrae synaxi administrandae designati, debent semper esse penes matrem priorissam seu abbatissam. Duae autem debent esse claves claustri ianuae, totidem serae diversimode elaboratae, quarum una a matre priorissa, altera ab ostiaria custodiatur, et, quoties contigerit aperiri, duae moniales aperiant, unaquaeque cum sua clavi, et simili modo claudant, quin una clavem alteri tradat; et illa, quae secum trahet clavem matris priorissae (si in aliquo casu eam tradiderit) propria manu huiusmodi clavem priorissae continuo reddat. Omnes vero claves clausurae singulis noctibus ad matrem priorissam afferendae sunt, praeterquam una ex duabus clavibus portae monasterii, quam retinere debet penes se rotae adsidens ministra *Const.* Pii VI «Servent» *12 maii 1783.*

Imo, quod attinet ad ianuam parvae fenestrae pro communione, notandum, eas debere esse duas, unam interiorem et aliam exteriorem; clavem ianuae interioris semper retinendam ab abbatissa seu priorissa, et clavem ianuae exterioris a confessario; parvam autem hanc fenestram non esse aperiendam, nisi occasione sumptionis eucharistiae, vel dandi habitum seu velum alicui novitiae, aut consecrationem alicui moniali, aut confirmationem alicui personae degenti in clausura. *S. C. EE. RR. 15 sept. 1617; S. C. C. 14 apr. 1725.*

Claves *archivii ecclesiae* sive ca- 1193
thedralis sive collegiatae retinendae sunt una a canonico eiusdem ecclesiae cathedralis seu collegiatae per episcopum sive ordinarium deputando, altera ab ipso episcopo sive ordinario. Post obitum vero episcopi claves archivii remanere debent apud duos canonicos a capitulo deputandos, nec commissario apostolico, sede vacante, ullo pacto tradendae sunt. *Const.* Ben. XIII «Maxima vigilantia» *VIII kal. iul. a. 1727.*

Clavis capsae stipendiorum mis- 1194
sae. — Debent regulares omnes quascumque eleemosynas tam manualium quam perpetuarum et temporalium missarum reponere in capsa particulari sub duabus clavibus, quarum una penes superiorem localem, alia vero penes alium a capitulo conventuali deputatum retineatur, ac de iisdem eleemosynis et celebratione missarum coram patribus discretis seu conciliariis, vel alio simili modo nuncupatis, singulis mensibus distinctam rationem exigere et respective reddere. *S. C. C. 23 nov. 1697.*

Quoad clavem tabernaculi pro expositione SSmi. in feria V in coena Dni., vid. *Coena Domini.*

Quoad claves tradendas ostiariis in ordinatione, vid. *Ostiariatus.*

1195 **Clerici. - De notione clericatus.** — Clerici sunt omnes mares baptizati et saltem tonsura insigniti. Cfr. *c. 7. C. XII. q. 1.* Clericorum appellatione in odiosis non veniunt episcopi (cfr. *c. 4. de sent. excomm.* [*V. 11.*] *in 6°*), et dignitates saltem in capitulis (*c. 15. de rescript. X.* [*I. 3*]), imo iuxta quosdam canonici, qui dignitatibus accedunt seu canonici ecclesiae cathedralis (*c. 11. de rescriptis* [*I. 3*] *in 6°* sed ait D'Annibale, non est perpetuum); nec non verius regulares licet tonsurati (D'Ann. *I. 88*); sed veniunt tantummodo clerici seculares inferiores minorum ordinum.

In re autem favorabili nomine clericorum veniunt omnes omnino clerici, sive sint prima tantum tonsura initiati, sive in minoribus vel maioribus ordinibus constituti, sive praeterea sint canonici, sive episcopi, sive cardinales. Imo in materia favorabili veniunt hoc nomine etiam monachi, quin imo et moniales, ut in celebri canone 29. C. XVII. q. 4. « Si quis, suadente diabolo, etc. ».

Legibus civilibus, quae eorum statui aut sacris canonibus non repugnant, clerici certo tenentur (cfr. *cc. 7. 10. de const. X.* [*I. 2*]; *Syll. prop. 30. damn.*); neque ex sola lege naturali, aut ex sola ecclesiae approbatione, sed verius omnino ex ipsa vi legum civilium. Molina *de iust. tr. II. d. 31. n. 15.* — Omnes, sed praesertim sacerdotes, iuramentum solemne interponere non possunt, nisi de licentia episcopi, quae solummodo ex gravi causa conceditur.

1196 **De iuribus et obligationibus clericorum.** — Clericis omnibus sua specialia sunt iura, suae speciales obligationes. Et primum sit de eorum iuribus et privilegiis, iis nempe, quae universis clericis sunt communia.

De iuribus. — Clericorum privile- 1197
gia et iura Barbosa (*Ius eccl. univ. lib. I. c. 39. n. 13*) in duas classes dispescuit, distinguens ea, quae solis clericis supra laicos conceduntur, et ea, a quibus prae laicis debent clerici esse immunes. Haec proprie immunitates, illa praerogativae dicuntur. Primo igitur supra laicos obtinent clerici in altari ministrare, sacra contingere, divina officia solos celebrare posse. Cfr. *c. 25. dist. XXIII.* Praeterea solis clericis conferri possunt ecclesiastica beneficia (*c. 17. de rescriptis X.* [*I. 3*] *c. 6. de transaction. X.* [*I. 36*]); solis clericis licet intra cancellos altaris ad orandum consistere (*c. 30. dist. II. de cons.; c. 1. de vita et hon. cleric. X.* [*III. 1*]); in iudiciali actione generatim (dantur enim quaedam exceptiones, ut est in causis sollicitationis; cfr. *Instr. S. U. I. 20. febr. 1867.* § *14. et 6 aug. 1897*) iurare debent in conscientia et tacto pectore tantum, non tactis scripturis quemadmodum laicis faciendum est; quod fit in reverentiam eorum status.

Immunitates autem referuntur tum ad personas ipsas clericorum, tum ad eorum res. Ratione personae competunt clericis privilegium canonis, per quod obtinent inviolabilitatem physicam personalem (vid. *Canonis privilegium*); privilegium fori, per quod habent inviolabilitatem iuridicam (vid. *Fori privilegium*); privilegium exemptionis (vid. *Exemptionis privilegium*) et competentiae (*Competen-*

tiae privilegium), quod eis tribuit inviolabilitatem, ut ita dicam, oeconomicam. De his omnibus singula suis locis.

1198 De amissione autem privilegiorum singulorum agitur, ubi de singulis privilegiis. Hic adnota, ex decreto a Pio IX per S. Congr. Immunitatis dato *20 sept. 1860,* clericos, qui nondum maiores susceperint ordines, sive coniugati fuerint, sive non, semel ac ea, quae S. Conc. Trid. (*sess. XXIII. c. 6 de ref.*) pro privilegio fori statuit, diligenter non observaverint, habendos esse uti destitutos atque ipso iure et ipso facto destitui omnibus clericorum privilegiis, ita ut haberi tractarique debeant tamquam personae vere laicae etiam in causis criminalibus et ad effectus poenales, quin triplex admonitio, sive peculiaris declaratio incidentiae in hanc poenam sit necessaria. — Nota tamen, doctores in controversiam adducere, utrum hoc decretum Pii IX, quod italica lingua conscriptum est et ad episcopos tantum ditionis pontificiae directum, valeat ubique, an ad territorium antiquae pontificiae ditionis sit restrictum. Hoc ultimum putat Sanguineti (*Iuris eccl. priv. instit. n. 200*), aliis contra opinantibus, quia videtur ipsis incongruum dicere, Romanum Pontificem voluisse in sua ditione derogare privilegiis clericorum, quando volebat ea integra manere in ditione aliorum principum.

1199 **De obligationibus.** — Sicut autem prae laicis plura sunt clericis sua privilegia, ita etiam plura sunt propria officia.

Obligantur ratione status ad vitae sanctitatem; si subdiaconi (*c. 9 de celebr. miss. X.* [*III. 41*]; Schmalzgr. *in tit. 41. lib. III. Decr. n. 54 sqq.*) vel beneficiati (Const. Leonis X « Supernae » *5 maii 1514;* Const. Pii V « Ex proximo » *20 sept. 1514*) ad horas canonicas, ad habitum ecclesiasticum, coronam et tonsuram (vid. *singula suis locis*); si subdiaconi, etiamsi non beneficiati, ad coelibatum. Vid. *Coelibatus.*

Prohibentur, quominus artes inde- 1200
coras statui suo (ut lanionis, cauponis et similes, multo magis ioculatorum seu mimorum) exerceant (*cap. un. de vita etc.* [*III. 1*] *in 6°*; *S. C. P. F. 13 apr. 1807*); tabernas ingrediantur (*c. 15. de vita et hon. cler. X.* [*III. 1*], praeterquamquod, dum peregre abeunt; quoad hoc vide infra); maxime vero, quominus habitent cum mulieribus, nisi valde propinquis (vid. *Cohabitatio*); ludis aleatoriis vacent (vide *Aleae*); arma gestent (*c. 2. de vita etc. X.* [*III. 1*]); venationem clamorosam saepius exerceant (cfr. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 12. de ref.* Vid. *Venatio*); negotientur (Vid. *Negotiatio*); choreas ducant (Conc. Trid. *sess. XXII. c. 1. de ref.*), vel iisdem publice ductis intersint; se dent crapulae et ebrietati, idest modum excedant in cibis et potationibus. *c. 14. tit. cit. X.* (*III. 1*). Clericis interdicitur etiam interesse spectaculis publicis et pompis, quae, ut explicat Glossa, vel sint obscena et turpia, aut depravationis periculum contineant, vel quibus clericos interesse aliis scandalo sit. Cfr. *Resp. S. Poen. 19 sept. 1893 quoad luctas cum tauris in Hispania.* Vid. *Taurorum spectaculum.*

1201 Clericum in sacris vel beneficiatum militem agere expresse prohibetur a iure (*c. 9. ne clerici etc. X.* [*III. 50*], *c. 5. de poenis X.* [*V. 37*]); nisi gravissima necessitas publica id requirat. *c. 2. de immunit. etc. X.* (*III. 49*). Vid. *Militia.*

Prohibentur etiam clerici ministros, vel procuratores laicorum agere (*cc. 2. 4. 5. tit. cit. X.* [*III. 50*]; *S. C. C. 14 maii 1825*), exercere medicinam vel chirurgiam (Vid. *Medicina, Chirurgia*), exercere iudicium sanguinis, idest sententiam mortis aut mutilationis proferre (*c. 3. ne clerici etc.* [*III. 24*] *in 6°*), vel quidquam facere, quod directe tendat ad vindictam sanguinis. Vid. *Lenitas.*

1202 Attamen non prohibentur clerici proprias causas ecclesiarum, pauperum et miserabilium personarum tueri in tribunalibus laicorum. *S. C. EE. RR. in una Castrimaris 8 maii 1716.*

Quoad prohibitionem, qua tenentur clerici, non ingrediendi cauponas edendi seu bibendi causa, nota, eam non videri extendendam ad quemcumque ingressum in eas publicas officinas, quae nostra aetate *Caffè* audiunt, quamvis, ut bene adnotat Wernz, (*Ius Decr. II. 214. II*), in his diutius immorari, vel ibidem ludere chartis ex. gr., res est a decore status clericalis aliena.

1203 Diximus autem, clericos non debere se negotiis secularibus immiscere, quod multo magis intelligendum est, ne clerici intestinis bellis et politicis contentionibus utcumque opem ferant, aut iis sese immisceant. Ad quod praecavendum Leo XIII litteris per S. Congregationem Concilii *12 iul. 1900* datis statuit, « ut in posterum quisquis ex clero, ut intestinis bellis et politicis contentionibus opem utcumque ferat, proprium residentiae locum absque iusta causa, quae a legitima ecclesiastica auctoritate recognita sit, deseruerit, vel clericales vestes exuerit, quamvis arma non sumpserit, et humanum sanguinem minime fuderit, et eo magis qui in civili bello sponte sua nomen militiae dederit, aut bellicas actiones, quomodocumque dirigere praesumpserit, etsi ecclesiasticum habitum retinere pergat; ab ordinum et graduum exercitio et a quolibet ecclesiastico officio et beneficio suspensus illico et ipso facto maneat; et inhabilis praeterea fiat ad quaelibet officia aut beneficia ecclesiastica in posterum assequenda, donec ab Apostolica Sede restitutus non fuerit, sublata ad hunc effectum respectivis dioecesium ordinariis qualibet dispensandi potestate, etiamsi amplissimis, sive solitis (ut vocant) sive extraordinariis facultatibus rehabilitandi clericos gaudeant ».

Clerici, sine licentia episcopi proprii, non possunt e dioecesi abire (cfr. Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 16. de ref.*), imo, si abierint, possunt reduci etiam per impositionem censurae, etiamsi nullius ecclesiae speciali servitio addicti sint. *S. C. C. in Nucerina 19 sept. 1818; 26 ian. 1833 et alias pluries.* Attamen clericos invitos retinere in dioecesi episcopus non potest sine iusta causa (*S. C. EE. RR. decret. cit. 8 maii 1716*), et quin ipsis de congrua sustentatione provideat (*S. C. C. 14 aug. 1880*); nec potest de- 1204

negare assensum iis clericis, qui volunt religionem ingredi (cfr. litt. Leonis XIII ad quosdam diaconos Bavariae a. 1882 datas), etiamsi habeant beneficium cum cura animarum. *Brev.* Bened. XIV «Ex quo» *14 ian. 1747;* Bouix *de iure reg. I. p. IV. s. 1. c. 1.* § *2.* Hinc etiam Pius IX episcopo petenti, ut generali prohibitione caveretur, ne clerici suae dioecesis infra triennium a die, quo ad sacrum presbyteratus ordinem fuissent promoti, quodcumque regulare institutum amplecti possent, respondit per S. Congregat. Episcoporum et Regularium (*20 dec. 1859*) non expedire, quum per petitam generalem prohibitionem magni momenti vulnus infligeretur ecclesiasticae disciplinae.

1205 Praeterea tenentur clerici acceptare in dioecesi illud munus, quod ipsis commiserit episcopus, saltem quoties necessitas ecclesiae id exigit, et tunc episcopus potest eos cogere sub praecepto obedientiae, adhibitis etiam censuris; quod etiam potest cum iis, quibus aliquod munus curam animarum respiciens commiserit, quique illud relinquere illico volunt, saltem quousque de idoneo successore providere valeat. *S. C. C. 9. iun. 1884; 31 ian. 1891.*

1206 Episcopus potest etiam in suam dioecesim revocare sacerdotem, qui in ordinatione adscriptus fuerat alicui ecclesiae eiusdem dioecesis, sed sacerdoti redeunti debet congruam assignare. *S. C. C. in Amerina 17 iul. 1756, in Nucerina 19 sept. 1818;* Lucidi *de visit. sacr. lim. II. c. 9. n. 34 sq.*

1207 Clerici sine licentia sui episcopi aggregari non possunt alicui communitati presbyterorum secularium; hanc tamen licentiam non possunt episcopi illis temere denegare, ne potestate sua abutantur; et episcopi possunt clericum vel presbyterum sibi subiectum ex tali communitate extrahere, si id maius ecclesiae suae bonum postulare videatur. *S. C. P. F. 17 apr. 1820.*

Cogi non possunt clerici aut simplices sacerdotes ab episcopo ad interessendum et assistendum functionibus ecclesiasticis, quae fiunt in cathedrali per episcopum et canonicos. *S. C. EE. RR. decr. cit. 8 maii 1716.* 1208

Nec cogi ab episcopis possunt clerici ad vitam communem agendam, etsi allici ad eam possint. *S. C. C. in una Montisvidei 25 ian. 1895.*

Solemniter exercentes actum ordinis, quem non habent, fiunt irregulares; item quidam illicite ordines suscipientes. Vid. *Horae canonicae, Dominium, Irregularitas, Immunitas,* etc. 1209

De clericorum parochia. — Clerici perpetuo alicuius ecclesiae servitio addicti, ac titulum beneficii residentialis in ea habentes, censentur filii et parochiani illius ecclesiae, in qua iugiter spirituali pabulo reficiuntur et divina audiunt aut peragunt, non autem paroeciae, ubi retinent lares; hinc canonici, etiam alicuius collegiatae, sive intra limites paroeciae, cui fuerunt adscripti, sive in aliena parochia domum habeant, ibi domicilium ratione beneficii cum residentia contrahunt, ubi residere tenentur; et, etiamsi habitent in domo intra fines alterius parochiae sita, te- 1210

nentur in ultima infirmitate recipere sacramenta ab ecclesia, ubi sunt canonici, non vero a parocho domicilii. *S. C. C. in Dertonen. 3 dec. 1718; in Ianuen. 16 iun. 1827.*

1211 **De clericorum bonis.** — Eorum *bona* sunt patrimonialia, quasi patrimonialia, ecclesiastica, parcimonialia; quorum omnium bonorum perfectum dominium clerici habent. Vid. *Bona.* — Superfluum tamen ex bonis ecclesiasticis (in quorum censu computandae etiam sunt pensiones, quas civile gubernium alicubi loco beneficialium redituum clericis solvit, *S. Poenitentiaria 19 ian. 1819*) erogare debent sub gravi in pauperes vel pia opera (Conc. Trid. *sess. XXV. c. 1. de ref.*; Ben. XIV. *de syn. VII. c. 2. n. 4*); probabilius tamen non ex iustitia; quare, si aliter impenderint, non tenentur ad restitutionem. Schmalzgr. *in tit. 25. lib. III. n. 34 sqq.*; Lessius *de iust. II. 4. n. 35 sqq.*; D'Annib. *III. 86.* Superfluum est, quod honestae sustentationi superest. — Ad hoc non tenentur pensionarii, quum pensio non sit veri nominis beneficium ecclesiasticum. Vid. *Pensio.*

1212 **De amissione clericatus.** — Conditio clericatus, vere et omnino numquam amittitur. Quod patet pro iis, qui in eo statu sunt ratione alicuius hierarchici ordinis (diaconatus, presbyteratus, episcopatus), qui iuxta omnes indelebilem characterem imprimit; sed verum est pro illis quoque, qui in eo sunt ratione aliorum ordinum, de quibus an characterem imprimant controvertitur; imo etiam pro illis, qui ratione tantum susceptae tonsurae clerici sunt. Nam subdiaconatus etiam et minores ordines, imo et prima tonsura, ita conferuntur, ut semel suscepti numquam reiterentur; sed ille, qui eos recepit, sola reassumptione clericalis habitus pro clerico habetur iterum. Attamen aliquando S. Sedes clericis, non solum minorum, sed et maiorum ordinum, imo episcopis ipsis, etsi rarissime, concessit quamdam laicizationem, idest reductionem ad statum laicalem.

Decr. Grat. dist. 21 sqq.; 33; 41; 44 sqq.; 86; 91 sqq.; C. XI. q. 1; C. XII. q. 1; C. XXI. qq. 4. 5; c. 35 d. 5 de cons.; tit. de vita et honestate clericorum X. (III. 1); idem tit. (III. 1) in 6°; idem tit. (III. 1) inter Clement.; idem tit. (III. 1) inter Xvag. comm.; tit. de maioritate et obedientia X. (I. 33); idem tit. (I. 17) in 6°; idem tit. (I. 8) inter Xvag. comm.; tit. de foro competenti X. (II. 2); idem tit. (II. 2) in 6°; idem tit. (II. 2) inter Clement.; tit. de immunitate eccles. etc. X. (III. 49); idem tit. (III. 23) in 6°; idem tit. (III. 17) in Clem.; idem tit. (III. 13) in Xvag. comm.; tit. de sent. excomm. etc. X. (V. 39); idem tit. (V. 11) in 6°; Const. Martini V. « Ad reprimendas » 1 febr. 1428; Const. Inn. VIII « Officii nostri » 25 ian. 1491; Const. Leonis X « Supernae dispositionis » 28 iun. 1514; Const. Leonis X « Regimini universal. » 4 maii 1515; Const. Sixti V « Quum sacrosanctum » 9 ian. 1589; Const. Ben. XIII « Catholicae ecclesiae » 2 maii 1725; Const. Ben. XIV « Ubi primum » 3 dec. 1740; Const. Pii IX « Apostolicae Sedis » 12 oct. 1869; Litt. encl. Pii X « Sollicito » ad epos. Portugalliae 5 maii 1905; Litt. encl. Pii X « Haerent animo » exhortat. ad clerum catholicum 4 aug. 1908; Conc. Trid. sess. XIV. pr. et c. 6. de ref.; sess. XXII. c. 1. de ref.; sess. XXIII c. 6; sess. XXV. cc. 1. 17 de ref.; Commentatores decretalium in titulos citatos; Instr. S. C. P. F. mens. aug. 1827; Instr. eiusd. S. C. ad arch. Fogarien. et Alba-

Iulien. ritus graeco-rum. 24 mart. 1858; *Papiensis A.* De clericalis et monastici ordinis instituto; *Trotii B.* De clerico vero et perfecto; *Vibaldus M.* Baculus sacerdotalis; *A Mansfeld C.* Castra Dei seu de vita honestate et officiis clericorum; *De Soto P.* Manuale clericorum seu de sacerdotum institutione; *Lopis D.* Tract. de clericorum et sacerdotum excellentia; *Palomeque I.* De clericorum instituto et de optima educatione electione et institutione; *Saragoza de Heredia M.* De sacerdotali dignitate; *Filliuccius V.* Appendix de statu clericorum; *De Grassis* De effectibus clericatus; *Fabrotus* In tit. de vita et honestate clericorum; *De Loyac I.* Institutio clericalis; *De Urriez P.* Tract. de cognitione clericatus; *Bellarminus* De vita et honestate clericorum; *Antonelli* De iuribus et oneribus clericorum; *Ponsius* De antiquitatibus iuris canonici in tit. cit.; *Ferraris* Pr. bibl. v; « Clericus » a. 2. 7.; *Zech* Hierarchia eccl. tit. 3 de vita et hon. cler., tit. 5 de privilegiis cleric.; *Boeckhn* De clero seu de obligationibus, off., benef. et iurib. utriusque cleri; *Devoti* Inst. can. lib. 1. tit 1. 2; *Verhoeven* De regularium et secularium clericorum iuribus et officiis; *Phillips* KR. I. §§ 61; *Bargilliat* Prael. iur. can. n. 353 sqq.; *Werns* Ius Decr. II. 157 sqq.; *Hergenröther-Hollweck* Lehrb. des kath. KR. n. 317 sqq.; *Sägmüller* Lehrb. des kath. KR. § 54 sqq.; *Abbani* De immunitate ecclesiastica; *Nigri Ph.* De exemptione canon. tract.; *Bracha I.* Analytica demonstratio... qua evidentissime demonstratur immunitatem tam personarum quam rerum esse de iure divino; *Vigianus* De eccles. immunitate; *Ortiz L.* De politia et immunitate ecclesiast.; *Ambrosinus A.* De immunitate et libertate ecclesiastica; *Belletti I.* Disquisitiones clericales etc.; *Lomedé* De exemptionibus ecclesiasticis; *Squillantis P.* Tr. de privilegiis clericorum; *Popeus F.* De libertate ecclesiastica; *De Roye F.* Ad cap. " Super specula " de privilegiis; *Beckmanni I.* De clericorum privilegiis; *Karg I. F.* De exemptionibus et subiectionibus clericorum; *Kolb R.* Aquila certans pro immunitate et exemptione ecclesiarum, monasteriorum et status ecclesiastici a potestate seculari; *Del Bene* De immunitat. et iurisdiction.; *Fatrollini I.* Theatrum immunitatis et libertatis ecclesiasticae; *Strecker* De iuribus clericorum singularibus; *Amort E.* Vindiciae iurisdictionis ecclesiasticae etc.; *Lauterbach W.* Disp. de beneficio competentiae; *Arias de Valderas F.* Ad cap. " Si quis suadente " 17. q. 1; *Tristani G.* De clerico medico; *De Polemar I.* De clericorum civili dominio; *Stypmanni F.* Tract. de salariis clericorum; *Thomassin* Vet. et nov. eccl. disc. p. 1. lib. 2. c. 37-52, c. 60 sqq., c. 71 sqq., p. 2. lib. 1. c. 11 sqq., p. 3. lib. 1. c. 33 sqq.; *Schorch* De iuris civilis studio clericis interdicto; *Tardif A.* Note sur une bulle d'Honorius III relative à l'enseignement du droit romain dans l'Université de Paris; *Fournier M.* L'église et le droit romain au 13e siècle etc.; *Ziegler* Episcopus miles in vetere ecclesia invisus; *Fructiforus* Diss. de viris religiosis personatis ac ludentibus; *Concina* De spectaculis theatralibus christiano cuique cum laico tum clerico vetitis; *Concina* Diss. de presbyteris personatis; *Pierius I. V.* Pro sacerdotum barba apologia; *Pagenstecher* De barba liber singularis; *Hurtadus Th.* De coronis et tonsuris gentilitatis, synagogae et christianismi; *Cucquius N.* De renovando usu pristinae rasurae clericalis; *Stellartius P.* De coronis et tonsuris paganorum, iudaeorum et christianorum; *Du Saussay* Panoplia clericalis seu de clericorum tonsura et habitu lib. XV; *Chamillard* De corona, tonsura et habitu clericorum; *Ziegler* De tonsura clericorum: *Revius* Libertas christiana circa usum capilitii defensa; *Werner S.* Iudicium veterum de capillis peregrinis et ascititiis maxime clericorum; *Thiers* Historia von Ursprung, Gebrauch und Gestalt der Peruquen... sonderlich der Geistlichen; (*Boileau I.*) Disquisitio historica de

re vestiaria hominis sacri; *Solerius (Raynaudus Th.)* De pileo ceterisque capitis teguminibus tam sacri ordinis hominum quam aliorum; *Crema* Discorso storico della vita comune dei primi sei secoli della Chiesa; *Holzhauser* Vita clericorum secularium in communi viventium; *Hollweck* Die kirchl. Strafgesetze § 226 sqq.

Clerici coniugati. — Vid. *Coniugati clerici.*

1213 **Clerus indigena.** — Sanctae Sedi semper cordi fuit, ut in locis missionum non solum allaborarent missionarii europaei, verum etiam efformaretur irreprehensibilis et sanctus clerus ex indigenis desumptus (cfr. *litt. encycl. S. C. P. F. ad vic. ap. Ind. 8 sept. 1869*), quum indigenae plerumque maiorem habeant apud suos fidem, et linguas suorum concivium eorumque mores et inclinationes magis cognoscant. Hinc Sacra Congregatio de Prop. Fide (*23 nov. 1845*) instructionem dedit de clero indigena, qua sequentia praecipue praescripsit:

1° Omnes ac singuli missionum praesides, quovis titulo earum regimen gerunt, ita rei catholicae promovendae operam navent, ut, ubi adhuc desiderantur, episcopi praefici quantocius possint; ubi vero regionum amplitudo postulat aut sinit, ipsorum episcoporum numerus, territoriis divisis, augeri ecclesiaeque ad perfectam hierarchici regiminis formam constitui tandem aliquando queant.

2° Illud insuper aeque studiosissime curent, quod etiam praecipui illorum muneris est, ut ex christianis indigenis, seu incolis earum partium, probati clerici instituantur ac sacerdotes initientur; quo scilicet crescente fide, fideliumque numero, disciplinae ecclesiasticae usus paullatim invalescat, ac religionis catholicae stabilitati prospiciatur. Huius rei causa maxime proderit, imo necessarium erit, seminaria condere, in quibus adolescentes, qui a Deo ad sacerdotium vocati fuerint, bene diuque educentur, sacrisque doctrinis imbuantur.

3° Ad omnem vero scientiam ac pietatem levitae indigenae informandi et in sacro ministerio sedulo exercendi sunt; ita quidem, ut, quod iamdudum apostolica Sedes in votis habet, ad quaevis munia, atque ad ipsum missionum regimen idonei fiant, et episcopali etiam charactere digni exsistant. Quae tamen maximi sane momenti res, ut tutior evadat, et non sine religionis emolumento perfici suo tempore possit, qui ad tantum onus designantur, illi ferendo assuescant oportet. Quapropter, quos ex indigenis clericis missionum praesides praestantiores censuerint, eos gradatim ad potiora implenda munera instituant, ac suos quoque vicarios pro opportunitate deputare non renuant.

4° Hinc reiiciendus ac omnino abrogandus erit mos, indigenas presbyteros ad cleri tantum auxiliaris conditionem, eis merito molestam, deprimendi. Quin potius paullatim, et, quum fieri prudenter poterit, ea regula inducenda, ut inter evangelicos operarios, sive indigenae ii sint, sive europaei, ceteris paribus, praelationis ordo ex antiquiori missionis exercitio servetur, atque adeo honores, officia et gradus illis tribuantur, qui diutius sacro munere perfuncti sint.

5° Ad haec compluribus in locis

factum est, ut, neglecta et posthabita indigenae cleri institutione, evangelici iidem operarii laicos catechistas adiutores sibi in ministerio adsciscere consueverint; et forsan eorum operam plerumque fidei dilatationi perutilem experti sint. At, quum non satis consentanee apostolicae Sedis menti, atque ecclesiastici ministerii rationi id egerint, et graves etiam hac in re abusus ex praedictorum catechistarum seu imperitia, seu licentia praevaluisse innotuerit, sacra haec Congregatio singulis missionum praesidibus mandare non praetermittit, ut, donec eiusmodi laicorum auxilium ob cleri indigenae defectum vel paucitatem necessarium fuerit, viros morum integritate et fide omnino conspicuos ad id muneris eligi ac erudiri rectissime satagant. Ceterum hac etiam de causa omnem per eos operam in cleri indigenae institutionem dari iubet, ut nempe, progressu temporis, iuvenes potius levitae, et novus idem clerus catechistarum officia pedetentim occupent et diligentius impleant.

Hanc instructionem eadem sacra Congregatio Propagandae Fidei iterum confirmavit litteris encyclicis datis ad vicarios apostolicos Sinenses (*18 oct. 1883*), quibus quaedam alia inculcavit: « Quod si inter indigenas sacerdotes vicarius apostolicus homines vitae sanctitate, zelo fidei propagandae, ingenio ac maturitate spectatos opperuerit, eos etiam ad alicuius districtus regimen eligere non dubitabit, in quo districtu alios iuniores sacerdotes indigenas sub illius moderamine mittet, ut huiusmodi Sinenses praepositi addiscant se in regimine sacerdotum ita exercere, ut non sint dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. — Generatim vero optimum erit consilium, si indigenae clerici, quum ad sacerdotium pervenerint, ad ministeria exercenda longe a loco, ubi eorum familia commoratur, sub probati ac senioris presbyteri moderamine mittantur, ut discant non acquiescere carni et sanguini, sed regnum Dei unice quaerere, ac quos in Christo pepererint filios in caritate ac patientia gubernare. Si tamen (quod Deus avertat) contra disciplinam ecclesiasticam graviter offenderint, vel parum morigeros sese ostendant, eos primo quidem vicarius apostolicus in alium districtum transferat, praehabita admonitione; si vero incorrigibiles evadant, tunc illos etiam severioribus poenis iuxta culpae gravitatem plectat, ac si opus sit, ab officio in perpetuum suspensos in propriam familiam restituat. — Imo optandum plane foret, ut in locis sinensium missionum quaedam domus poenitentiales, saltem singulae in singulis quinque regionibus, erigerentur, in quas huiusmodi sacerdotes vel ad tempus, vel in perpetuum ad emendationem et correctionem, vel saltem ad tollenda scandala detruderentur ».

Inter alia autem, quae ad formatio- 1214
nem cleri indigenae quam maxime conducere iudicavit, hortata est S. Congr. de Prop. Fide aliquos vicarios apostolicos ut directorium quoddam conficerent, quod complecteretur ea, quae sive observanda a sacerdotibus in sui vivendi ratione, sive in fidelibus gubernandis ab iisdem arcte

servanda sunt. Voluitque simul ut in singulis vicariatibus sive clerus sive populus interdum daret operam exercitiis spiritualibus. *S. C. P. F. ad vic. ap. Ind. 8 dec. 1869.*

1215 Accidit aliquando, in missionibus praesertim, ut dioeceses dismembrentur. Tunc quoad divisionem cleri lege generali statutum est a S. Congreg. de Prop. Fide, annuente SSmo. Dno., ut clerus maneat subditus episcopi illius partis dioecesis, in qua ante dismembrationem apostolicum ministerium exercebat. *S. C. P. F. 13 apr. 1891.*

1216 **Clinici.** — Clinici antiquitus dicebantur illi, qui ex culpabili dilatione baptismum propter aegritudinem in lecto ratione necessitatis susceperant. Wernz *Ius Decr. II. 118.* Hi propter praesumptionem habebantur tamquam debiles in fide, et de quibus dubitari poterat, ne potius quam libera omnino voluntate, quadam necessitate compulsi baptismum suscepissent. Hinc tamquam irregulares ab ordinibus fuerunt exclusi (*c. 1. dist. LVII*); et quamvis ius non interdicat expresse, nisi quod promoveantur ad sacerdotium, praxi tamen de irregularitate a quocumque ordine canon ille intellectus est. Qui canon tamen aliquas exceptiones admittit, nempe « nisi forte postea ipsius studium et fides probabilis fuerit, aut hominum raritas exegerit ».

Coactio. — Vid. *Vis, Metus.*

1217 **Coadiutor.** — ***De coadiutoribus generatim.*** — Coadiutor ille est, qui alicui beneficiato datur, ut is ab illo adiuvetur in exsequendis muneribus, quae officio suo sunt coniuncta.

Coadiutor tenetur per se habere qualitates requisitas ad obtinendam praebendam, cuius coadiutoriam assumit. Quare et debet esse constitutus in ea aetate, quae ad obtinendum illud beneficium requiritur (Garcia *de benef. p. VII. c. 4;* Gonzalez *Ad reg. 8. Cancell. gloss. 5. § 9. nn. 6. 90;* Barbosa *in Conc. Trid. sess. XXV. c. 7 de ref. n. 38, de canonicis c. 29 n. 48*); et debet promoveri intra annum, si residet et inservit, ad ordinum suae praebendae adnexum, si quis est. Barbosa *in Conc. Trid. loc. cit. n. 39, de canonicis loc. cit. n. 49;* Mühlbauer *Th. res. S. C. C. v. « Aetas » 6.*

Dantur coadiutores praecipue episcopis, parochis, canonicis.

1218 ***De coadiutoribus episcoporum.*** — Episcopis coadiutor non datur nisi a Sede apostolica, quae etiam ob varios casus varias etiam facultates et varia munera coadiutoribus huiusmodi committit.

Vocatur etiam episcopus auxiliaris, et datur episcopo ordinario, ut eum adiuvet sive in universa dioecesi administranda, sive saltem in pontificalibus exercendis.

1219 Coadiutores episcoporum suffraganeorum cum futura successione in synodo provinciali sedere debent iuxta tempus suae promotionis. *S. R. C. in Aquilien. 30 sept. 1596 (60).*

1220 Episcopo auxiliari, vel non proprio, canonici tenentur osculari manum, dum ab eo sacram communionem accipiunt in missa feriae V. in Coena Domini, et assistere in conficiendis oleis, in sacris ordinationibus et in aliis solemnibus functionibus stricte

episcopalibus, quas ipse pro archiepiscopo vel episcopo proprio exsequitur. *S. R. C. in Capuana 5 mart. 1898* (*3984*).

1221 Nomen episcopi coadiutoris cum futura successione non est exprimendum in canone. *S. R. C. in Pisana 11 mart. 1882* (*3538*).

1222 Coadiutores vicariorum apostolicorum neque ad visitationem sacrorum liminum peragendam, neque ad rationem vicariatus reddendam tenentur, nisi forte hoc eis munus, nimirum relationis tradendae, vicarius apostolicus coadiutus delegaverit suo nomine absolvendum. *S. C. P. F. 24 dec. 1849.* Possunt autem vicarii apostolici subdelegare suis episcopis coadiutoribus et pro-vicariis facultates ordinarias et extraordinarias, exceptis iis, quae characterem episcopalem requirunt: his autem subdelegatis competit ius eas subdelegatas facultates aliis missionariis communicandi. *S. C. P. F. ad vic. apostol. Sutchuensem 9 decembris 1822.*

Dies electionis pro episcopo, qui fuit coadiutor cum futura successione, est dies, qua datae sunt litterae apostolicae pro coadiutoria cum futura successione, vel qua in consistorio promulgatus est ad ipsam coadiutoriam. *S. R. C. in Marionopolitana 30 ian. 1878 ad 2* (*3440*).

1223 ***De coadiutoribus parochorum.*** — Parochis datur coadiutor ab episcopo; qui illum constituere potest etiam parochis non tantum volentibus, sed aliquando etiam invitis, ex causis scilicet a iure determinatis; si nempe parochi perpetuo infirmi sint, vel evaserint inhabiles ad regendam parochiam senio, amentia, morbo insanabili etc. (cfr. *cap. 3. et 4. de clerico aegrotante etc. X.* [*III. 6*]); item, saltem ad tempus, si parochus ita deprehensus fuerit illiteratus et imperitus, ut nequeat officium suum probe exercere, etiamsi hic honestate vitae et morum polleat (Conc. Trid. *sess. XXI. c. 6. de ref.*); et hoc, etsi agatur de parocho exempto, in quo casu episcopus procedit tamquam delegatus sedis apostolicae. Concil. Trid. *sess. XXI. c. 6. de ref.* Praesertim vero si vita parochi scandalo fidelibus sit, potest ipsum episcopus a parochiali munere suspendere eique coadiutorem assignare. Potest per se episcopus parocho scandalose viventi suspensionem indefinito quoque tempore irrogare; advertit tamen Lucidi (*de vis. ss. lim. I. c .3. 264*): « caute admodum sese gerere debere episcopos in hac indefinita suspensione infligenda, ne quid negotii molestiaeque a suspensis offendant, monent duae, quas potissimum afferimus, causae ». Sunt autem prima in una S. Severini 19 sept. 1778, altera in Placentina 24 ian. 5 sept. 1846, 26 febr. 1848, quas videsis, apud eumdem Lucidi. Pariter ius est episcopo tamquam delegato Sedis apostolicae cogendi parochum, imparem ob supercrescentem numerum fidelium ad curandum bonum suae parochiae, ut coadiutorem vel coadiutores sibi assumat; et si parochus hoc facere renuat, potest et debet episcopus eos ipse assignare. Conc. Trid. *sess. XXI. c. 4. de ref.*; *S. C. C. 24 iul. 1875*; Lucidi *loc. cit. I. 280.*

Coadiutori debetur congruum sti-

pendium ipsi a parocho solvendum secundum iudicium episcopi (*S. C. C. in Ferentina 8 febr. 1744*; *in una Montisalti 23 iul. 1887*; cfr. etiam Conc. Trid. *sess. XXI. c. 6. de ref.*), nisi agatur de pauperioribus parochiis, quae a quocumque pensionum onere relevantur ex Tridentino (*sess. XXIV. c. 13. de ref.*), et tunc coadiutoris salarium ab episcopo et in subsidium a parochianis supplendum est. Monitore ecclesiastico *vol. V. p. I. p. 146.*

Coadiutoris facultates deducendae sunt ex litteris episcopi, et ex ratione, qua ad illum deputandum episcopus motus est. — Tum coadiutor, tum coadiutus (sive de canonicatu, sive de cura animarum agatur) tenentur ad residentiam. *Constit.* Bened. XIV. «Quod inscrutabili» *VII. id. iul a. 1745.*

Parochus tamen, cui invito assignatus est coadiutor, potest appellare cum effectu suspensivo, si coadiutor datus fuerit ob infirmitatem animi vel corporis; secus cum effectu tantum devolutivo. Conc. Trid. *l. cit.* Vid. *Vicarius.*

1224 ***De coadiutoribus canonicorum.*** — In iure generatim prohibitae sunt *exspectativae* (Conc. Trid. *sess. XXV c. 7. de ref.*); potest tamen Romanus Pontifex beneficium nondum vacans pro tempore vacationis conferre et de facto hac sua potestate aliquando utitur. Praesertim dantur coadiutores cum futura successione canonicis, qui ob aliquod impedimentum nequeunt servitium chori apte praestare. Coadiutor, durante vita coadiuti, fictus est, non verus canonicus (Pignatelli *t. IV. Consult. 185. n. 7; S. C. C. in Asten. 26 aug. 1780, in Forolivien. 16 sept. 1826*); quare minor est dignitate veris canonicis, quamvis in minoribus ordinibus constitutis; iique, quamvis posterius provisi, supra ipsos coadiutores habent praecedentiam. *S. C. C. in Vicentina 18 aug. 1618.* Imo coadiutor cum futura successione, mortuo coadiuto, novam debet capere beneficii possessionem, nisi eam sumpserit, stante legitima consuetudine in eo capitulo, ex tunc pro tempore quando venerit casus cessationis coadiutoriae. Mon. eccl. *vol. VIII. p. 2. pag. 108.*

Coadiutor vices gerit sui coadiuti, 1225
eumque repraesentat; hinc coadiutus per coadiutorem omnia sibi lucratur, etiam distributiones, exceptis lucris ex punctaturis canonicorum, quae coadiutori cedunt (*S. C. C. 19 aug. 1730; in Lauretana 27 febr. 1891*); similiter, coadiutore illegitime absente, nisi ipse sit praesens, coadiutus punctatur, etiamsi ipse infirmus esset vel impeditus, sed in damnum ipsius coadiutoris. Si vero coadiutor legitime absit, quia aegrotus v. g., coadiutus, etiamsi non impeditus, et tamen absens, nihil amittit. Si ex coadiutoris negligentia damnum patiatur coadiutus, tenetur coadiutor damnum ipsi compensare. *S. C. C. 22 febr. 1862, 12 aug. 1871.*

Coadiutor potest inservire in ec- 1226
clesia, coadiuto excommunicato exsistente, quia non inservit nomine excommunicati, sed nomine proprio aut ecclesiae; imo, si forte coadiutori aliquid de fructibus seu distributionibus assignatum fuerit pro congrua seu servitio, ut aliquando fit, id sibi

poterit lucrari, non obstante excommunicatione coadiuti, quae ipsi coadiuto, non alteri, nocere debet. Quare tunc coadiutor non potest lucrari pro coadiuto excommunicato et ad eius commodum et utilitatem; nec officit, quod in litteris apostolicis coadiutoriae dicatur, quod coadiutor inservire debeat pro coadiuto et pro ipso lucrari, quia iure sequitur, ut hoc privilegium intelligatur competere coadiuto, dummodo sit habilis et capax, excommunicatum autem non lucrari fructus et emolumenta beneficiorum clari iuris est. Mühlbauer *Th. res. S. C. C. v.* « *Coadiutor* » *1. g.*; Rota *apud Marchesan. de commiss. p. 1. pag. 467*; Barbosa *Iur. eccl. un. l. III. c. 10. n. 87.*

1227 Stricto iure, ut ex dictis patet, coadiutor nec vocem habet in capitulo, (*S. C. C. in Narnien. 20 mart. 1649; in una S. Severini 4 aug., 18 sept. 1824,* quod ius ei ne coadiutus quidem cedere potest, Mon. eccl. *vol. VIII. p. 2. p. 108*), nec potest admitti ad officia canonicorum, ut secretarii etc.; aliquando tamen etiam haec coadiutori permittuntur in litteris apostolicis coadiutoriae (*S. C. C. 20 mai 1649*), vel etiam ipsi debentur ex legitima consuetudine. Coadiutor, etsi nondum subdiaconus, tenetur canere officium in choro, sicuti tenetur coadiutus; sed extra chorum ad horas non tenetur, quia non est vere beneficiatus, quum non ius in beneficio, sed ius tantum ad beneficium habeat.

Coadiutori, absente coadiuto, ius est peragere, privative quoad alios, omnes functiones, quae coadiuto peragere ius esset, sive ratione sui canonicatus per se, sive devolutive, quia absente alio canonico, cui hoc ius esset, ad coadiutum devolveretur ius peragendi eas functiones (*S. R. C. in Patavina 14 febr. 1615* [*328*]; *in Brundusina 28 aug. 1628 ad 2* [*476*]; *in Bituntina 10 mart. 1657* [*1020*]), nisi tamen alia in capitulo obtineret consuetudo. *S. C. C. in Anagnina 6 sept. 1890.*

Pro casu autem, quo coadiutus 1228
(nam is semper potest choro intervenire, si velit) et coadiutor, simul choro adsint, propositum fuit hoc dubium sacrae Rituum Congregationi (*in Placentina 21 apr. 1882 ad 2.* [*3544*]): « Coadiutore altari assistente, praesens coadiutus debetne in suo stallo choro interesse simpliciter et materialiter, nullam nec secundariam actionem exercens, uti ex. gr., offerendi turibuli naviculam episcopo assistenti, pluviali et cappa induto, pacis osculum dandi aliaque praescripta in libro ceremonialis peragenda, haec, relinquens dignitatibus inferioris ordinis? Viceversa, coadiuto altari inserviente, poteritne similiter se gerere coadiutor? » Et S. Congregatio respondit: « Affirmative ad primam partem: negative ad secundam ». Quam responsionem confector indicis collectionis decretorum S. C. R. sic explicat, ut in supradicto casu coadiutus debeat materialiter tantum sedere in stallo, nullam partem in functione sumens, dum coadiutor altari inservit; coadiutor autem, coadiuto altari inserviente, non item. Quae quidem explicatio incongrua omnino videtur, quum permittat coadiutori ex. gr. offerre naviculam turibuli episcopo,

idipsum autem vetet in similibus adiunctis coadiuto, qui vere canonicus est. Quare censeo « affirmative ad primam partem » respicere duplicem casum propositum; « negative ad secundam » referendum esse ad alteram partem disiunctivae, quae implicite tantum et non explicite in casu enuntiatur, ut esset: an potius debeat secundarias illas actiones exercere, et non eas relinquere dignitatibus inferioribus.

1229 Quoad praecedentiam distinguendum est inter praecedentiam, quae coadiutoribus in choro, et quae extra chorum eisdem competit. — Extra chorum, seu extra suam ecclesiam et sine capitulo coadiutores nullam omnino habent praerogativam; quare non praecedunt aliis sacerdotibus, nisi ratione antiquitatis in ordine. Mühlbauer *loc. cit. i.* — In choro vero distinguendum est. Nam Sacra Rituum Congregatio *in Ferrarien. 2 iul. 1640 ad 2.* (*709*) per modum generalis regulae statuit: « Coadiutorem inservientem pro suo coadiuto canonico semper stare, sedere et incedere debere in ultimo loco post omnes canonicos; si vero coadiutor sit coadiutor dignitatis, coadiutorem inservientem pro suo coadiuto semper stare, sedere et incedere debere in eodem loco et stallo ipsius coadiuti ». Attamen postea *in Firmana 15 sept. 1657* (*1037*) declaravit: « Coadiutori etiam primae dignitatis qualemcumque clausulam in litteris apostolicis expressam minime suffragari, quin ipse ultimae dignitati, tametsi annuali, digniorem locum deferre teneatur, tum praesente, tum absente coadiuto, cuius tamen vicibus in obeundis muneribus, quae spectant ad ipsum coadiutum, privative etiam quoad dignitates reliquas, ius illaesum coadiutori servavit, prout aliarum dignitatum insignia sacraque indumenta ipsimet coadiutori, et supra canonicos omnes in quibuscumque actibus locum deberi decrevit ». Similiter cautum est ab eadem S. Congregatione *in Aesina 31 maii 1670 ad 1* (*1398*), ut in ecclesiis, in quibus praebendae sunt distinctae in presbyterales, diaconales, et subdiaconales, coadiutori canonici presbyteri debeatur praecedentia supra canonicos diaconos, etsi coadiutor sit tantum in minoribus ordinibus constitutus. — Ex quibus omnibus generalis regula statuenda videtur, quae firmatur etiam generali consuetudine capitulorum, ut coadiutor sedeat post omnes capitulares pares in gradu cum coadiuto et ante alios. Santi *in tit. 6 lib. III. Decr. n. 12.*

Etiam, praesente coadiuto, permittitur coadiutori sedere in choro, sed tunc veris canonicis digniorem locum deferre deberet, iisdemque supervenientibus, stallum dimittere; et si sedes sufficiant tantum veris canonicis, omnibus iisdem praesentibus vel supervenientibus, a choro discedere coadiutores tenentur. *S. R. C. in Messanen. 6 apr. 1658* (*1062*).

Gometius A. De gratiis exspectativis; *Ring S.* Dissertatio de coadiutoribus; *Remocampius N.* Synopsis de beneficiorum ecclesiasticorum et officiorum secularium coadiutoriis; *Schmier* Consultationes canonicae de coadiutoribus et coadiutoriis perpetuis; *Held Ph.* Das Recht der Aufstellung eines Coadiutors mit der Nachfolge; *Scherer* KR. I. § 91;

Leurenius De episcoporum vicariis tractatus secundus; *Thomassin* Vet. et nov. eccl. disc. p. II. lib. 2. c. 55 sqq; *Sägmüller* Lehrb. des kath. KR. § 96; *Hergenröther-Hollweck* Lehrb. des kath. KR. n. 412 sqq.; *Campegius* De coadiutore episcoporum; *Altesserae A.* Dissertationes de adiutoribus episcoporum; *Overberg* Diss. de elect. coadiutorum episcopalium; *Phillips G.* Die Koadjutoren d. Bischöfe; *Grunau G.* De coadiutoribus episcoporum; *Steck* De adiutoribus praesulum Germaniae; *Köhler* De coadiutoribus in Germania; *Holzer* De proepiscopis Trevirensibus.

1230 **Cochlear.** — Usum parvi cochlearis ad infundendam aquam in calicem ante calicis oblationem praescribit ceremoniale S. Rom. Ecclesiae in solemni missa papali (*lib. 2. tit. 2. cap. 15*), eumque etiam in aliis missis non esse prohibitum declaratum est. *S. R. C. in Baltimoren. 6 febr. 1858 ad. 4* (*3064*).

1231 **Codicillus.** — Codicillus est ultima defuncti voluntas minus solemnis, et extra testamentum expressa, nec continet directam heredis institutionem. Cfr. *tit. de iure codicill. D.* (*XXIX. 7*). Ad eum sufficiunt quinque testes, etiamsi feminae. *l. 8. de codicill. C.* (*VI. 36*). In codice italico codicillus in sensu iuris romani dicitur simpliciter testamentum, nam *institutio heredis* propria testamenti romani non amplius postulatur. G. B. *I. 829* (*).

1232 **Coelibatus.** — Coelibatus tenet clericos omnes in sacris. *cc. 1. 4. de cler. coniug.* (*III. 7*); *tit. qui clerici vel vov. etc. X.* (*IV. 6*); *c. un. de consanguin.* (*IV. un.*) *in Clem.*; Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 9. de ref. matr.* Obligatio autem haec est de lege ecclesiastica, quae clericis praecipit tum castitatem, tum modum eam profitendi, scilicet ex voto. *c. un. de voto* (*III. 15*) *in 6°*; *cap. un. de voto et voti red.* (*tit. 6*) *in Extrav. Ioannis XXII.* Ad eum obligantur clerici maiorum ordinum ritus latini: in ritibus orientalibus permittitur clericis (non tamen episcopis) usus uxoris ductae ante susceptum primum ordinem maiorem. *c. 6 de cler. coniug. X.* (*III. 3*); *Instr. S. C. P. F. ad Arch. Fogarasien. 24 mart. 1858.* Clerici maiorum ordinum sive ritus latini sive ritus graeci inhabilitati ad nuptias exsistunt; ita ut matrimonium nec licite nec valide contrahere possint. Conc. Trid. *loc. cit.*; *Const.* Ben. XIV. «Etsi pastoralis» *26 maii 1742*; Papp-Szilágyi *Ench. iur. eccl. orient. cath. pag. 322.*

Attamen nota quoad Graecos generatim (nam pro Italo-Graecis, pro Ruthenis, pro Maronitis res est extra dubium) rem non esse omnino definiti iuris; verum omnia inclinant doctores ad hanc sententiam tamquam certam retinendam. Cfr. B. P. *VI. 763* (*b*).

Etiam nolens votum emittere in 1233
subdiaconatus susceptione, teneretur ad castitatem ex praecepto ecclesiae (S. Alph. *VI. 809*), quo verius adstringeretur etiam ad votum emittendum. Si peccaret esset reus sacrilegii. G. B. *I. 992* (*4*). — Uxoratus sacros ordines recipere non potest, nisi uxore consentiente et castitatem vovente (*c. 5 de convers. coniug. X.* [*III 32*]), imo aliquando etiam religionem ingrediente. Haec autem vide sub *Uxoratus.* Vid. *Concubinarii.*

Bernardus Constantiensis Utilis altercatio duorum super quodam capitulo de incontinentia sacerdotum, Apologeticus etc.; *De*

Guzman F. De coelibatu ministrorum; *Alborini presbyteri* De coniugio sacerdotum per Hildebrandum damnato; *De Susanis M.* De coelibatu sacerdotum non abrogando; *Orcechowski S.* Epistola de coelibatu; *Orcechowski S.* De lege coelibatus contra Syricium in concilio habita oratio; *Orcechowski S.* Ad Iulium III supplicatio de approbando matrimonio; *Kromer M.* Orichorius (Orcechowski), sive de coniugio et coelibatu sacerdotum commentatio; *De Medina M.* De coelibatu ecclesiastico; *Toleti F.* De sacrorum ministrorum coelibatu; *Martyris Petri* Defensio de coelibatu sacerdotum et votis monasticis; *Cenalis R.* De coelibatu sacerdotum; *Cassandri G.* De coelibatu sacerdotum; *Calixti G.* Tr. de coniugio clericorum; *Hauermanni M.* Gamalogia synoptica seu de iure connubiorum; *Suchon G.* Du célibat volontaire ou la vie sans engagement; *Zaccaria* Storia polemica del celibato sacro; *Zaccaria* Nuova giustificazione del celibato sacro; *Buininck* Coelibatus clericorum firmatus; *Maultrot* La discipline de l'Eglise sur les mariages des prêtres; *Cephalius F.* Vindiciae coelibatus; *Klitsche* Geschichte des Cölibates der kathol. Geistlichen; *Penka* Uberior coelibatus sacerdot. expositio; *Pavy* Du célibat ecclésiastique; *Gaudin* Recherches historiques sur le célibat ecclésiastique; *Gallades P.* Coelibatus cleri catholici rationibus stabilitus ex Decretalibus; *Franz I.* De coelibatu eccl.; *Carové F. W.* Ueber d. Cölibatsgesetz d. röm.kath. Klerus; *Roskovány A.* Coelibatus et breviarium; *Schmitt J.* Der Priestercölibat; *Camaüer* Du célibat des prêtres au XIXe siècle; *Lea H. Ch.* An historical sketch of sacerdotal celibacy in the christian Church; *Holtzendorff F.* Der Priestercölibat; *Braun T.* Keine Priesterheirat; *Schulte I. F.* Der Cölibatszwang; *Laurin* Der Cölibat der Geistlichen; *Bickell* Der Cölibat, eine apostolische Anordnung; *Vassal A.* Le célibat ecclésiastique au premier siècle de l'Eglise; *Funk* Coelibat; *Vacandard E.* Études de critique et d'histoire religieuse; *Vacandard E.* Célibat ecclésiastique; *Vacandard E.* Les origines du célibat eccl.

Coemeterium. — Coemeterium praevia benedictione est consecrandum. Benedicitur autem sive ritu descripto in Pont. rom. (*p. II. de coem. ben.*), et tunc solummodo ab episcopo, vel a sacerdote delegato a Romano Pontifice; sive ritu descripto in Rituali romano (*tit. VIII. c. 29*), et tunc ab episcopo vel a sacerdote ab ipso delegato. 1234

Coemeterium tunc quoque benedicendum est, si fieri potest, quum civile Gubernium, spreto catholicorum iure, inique permittit ut in eo ii quoque tumulentur, qui ecclesiastica sepultura privari debent. *S. U. I. ad arch. Mechliniensem 8 iul. 1874; ad ep. Augustodonen. 8 febr. 1882.*

Coemeterio benedicto, non debet eo ipso censeri benedicta etiam ecclesia eidem adnexa; nec, benedicta ecclesia, censeri debet eo ipso benedictum coemeterium contiguum. *S. R. C. in Platien. 21 febr. 1896 ad 4* (*3488*).

Coemeterium, quum sit locus sacer, gaudet immunitate locali (*c. fin. de immun. eccl. etc. X.* [*III. 49*]), et subest iurisdictioni ecclesiae; quare nonnisi iniuste (quum ex collationibus catholicorum plerumque, et ad finem religiosum fuerit aedificatum) et impie habetur tamquam bonum publicum omnibus civibus commune, etiam acatholicis. — Sepulcrum, quod foditur in coemeterio benedicto, in sepultura benedicendum non est. *S. R. C. in Ruremunden. 27 maii 1876 ad 5* (*3400*). Quando corpora defunctorum non possunt sepeliri in coe-

meteriis benedictis, benedicenda est fossa singulis fidelium corporibus destinata, antequam cadaver humo mandetur (*S. C. P. F. 16 apr. 1862*); idem dicendum est de sepulcro ex lapidibus noviter constructo in coemeterio; ad hoc autem uti debet sacerdos benedictione brevi assignata in Rituali romano (*tit. VI. c. 3. n. 12*), nec ullius requiritur delegatio. Cfr. De Herdt *Sacr. liturg. praxis III. 256*.

1236 Coemeterium polluitur iisdem modis, quibus polluitur ecclesia (*c. un. de consecr. eccl. etc.* [*III. 21*] *in 6°*), nec non sepultura infidelis vel excommunicati vitandi (non autem tolerati), qui ante reconciliationem coemeterii deberet exhumari. *c. 12. de sepulturis X.* (*III. 28*). Vitandus ante absolutionem in eo sepeliri non debet, quamvis poenitentiae signa dederit (*c. 28. de sent. excomm. X.* [*V. 39*]; Rit. Rom. *tit. III. c. 4*); etiam toleratus poenitens decet, ut prius absolvatur. Per pollutionem ecclesiae polluitur etiam coemeterium, quod ecclesiae contiguum sit seu unitum; sed polluto coemeterio, etiam contiguo, non censetur polluta ecclesia. *c. un. de consecr. eccl. etc.* (*III. 21*). *in 6°*.

Expiandum seu reconciliandum est coemeterium ab episcopo vel a sacerdote delegato a Romano Pontifice si fuerit consecratum, ritu descripto in Pontificali romano (*p. II. de eccl. et coem. reconcil.*); si vero benedictum tantum fuerit, reconciliatur ab episcopo vel a sacerdote ab ipso delegato ritu assignato in Rituali rom. (*tit. VIII. c. 30*). — Mandantes et cogentes tradi sepulturae ecclesiasticae (quo verbo hic *inhumatio* tantum venit, D'Ann. *I. 394* [*2*]) haereticos notorios, aut nominatim excommunicatos, vel interdictos, excommunicatione latae sententiae nemini reservata plectuntur. *Const.* « Apostol. Sedis » *ser. 4. n. 1.* Vid. *Exsequiae, Sepultura,* etc.

Nota autem per constitutionem pu- 1237
blici coemeterii mutari tantum materialem locum sepulturae, non vero iura ecclesiarum. Quare, quemadmodum prius ius erat fidelibus eligere sibi locum et ecclesiam sepulturae, ita nunc est ipsis liberum eligere locum seu ecclesiam funerum, quarta funeraria parocho soluta. Imo, ecclesiae, quibus inerat ius sepeliendi, possunt nunc, erectis publicis coemeteriis, hoc iure frui, sepeliendo in coemeteriis cadavera, quae prius sepeliebant in propriis ecclesiis. *S. C. EE. RR. 6 maii 1870; S. C. C. 14 aug. 1875.*

Ius in ecclesiam coemeterii spectat 1237
ad parochum loci, in quo coemeterium situm est, nisi aliud dicendum sit ex privilegio aut consuetudine; et nisi agatur de coemeterio, quod sit commune pluribus parochiis, quia tunc omnes parochi ius habent in ecclesiam seu in oratorium coemeterii. Cfr. *S. C. C. in Pharen. 25 iul. 1896.*

Iure italico non prohibetur, ne in 1238
coemeteriis adsint certae areae (*speciali riparti*) ad sepeliendos non baptizatos ex. gr., vel adultos acatholicos. *Mens Consilii Status, Sect. int 18 ian. 1901 adopt.* (*Parere Cons. di Stato, Sez. int. 18 gennaio 1901 adott.*).

Ut autem, quantum fieri potest, habeantur in publicis coemeteriis areae

certae et determinatae pro acatholicis et non baptizatis, curare debent parochi et episcopi pro viribus. Nam haec semper fuit mens S. Sedis et Congregationum Romanarum etiam pro locis missionum. Et revera S. Congr. de Prop. Fide *29 aug. 1763*, dedit sequens decretum: « In casu tantum necessitatis et non aliter, tolerandum, ut catholici habeant coemeterium commune cum schismaticis, iuxta formam resolutionis S. C. C. in Catharen. — Si obtineri possit, ut sepulturae catholicorum, quamvis in eisdem coemeteriis, ab heterodoxis separatae sint, rectum et optimum erit; sin minus curandum saltem, ut defunctis iusta secundum catholicum ritum solvantur, omnisque arceatur superstitio ». Cfr. etiam *Instr. S. U. I. ad ep. Scepusien. 16 aug. 1781, 13 apr. 1853; S. C. P. F. 29 mart. 1830, ad ep. Rosen. 16 apr. 1862.*

Panvini O. De coemeteriis et ritu sepeliendi mortuos apud veteres christianos; *Spondanus H.* Coemeteria sacra, ubi de ritibus sepulturae apud iudaeos, gentes et maxime christianos disseritur; *Geisser F.* Disputatio de iure coemeteriorum; *Hofmann C. G.* De coemeteriis ex urbibus tollendis; *Kortum* Ueber die Unschädlichkeit der Kirchhöfe in Städten und Dörfern; *Aichner S.* Das kirchl. Begräbnis u. d. Cömeterien; *De Ram* De sepulturis et coemeteriis; *Moulart* De sepultura et coemeteris; *Gaume* Les cimetières au XIXe siècle; *Schultze V.* De christianorum vet. rebus sepulcralibus; *De Molins* Legislación canónica civil y administrativa vigente en España sobre cementerios; *Sauer* Zur Geschichte d. Friedhofs u. d. Totenbestattung; *Drössler O.* Die Begräbnisstätten u. d. Bestatt. d. Leichname einst. u. jetzt; *Many S.* Prael. de locis sacris n. 137 sqq.; *Werns* Ius Decr. III. 466 sqq.; *Zech* De iure rerum eccles. sect. 1 tit. 3 § 38 sqq., sect. 2 tit. 23; *Scherer* KR. § 139; *Sägmüller* Lehrb. d. k. KR. § 120. Vide etiam bibliographiam sub *Sepultura.*

Coena Domini. — **De celebratione missae.** — Feria V in Coena Domini prohibitum est, ne plura sacra fiant in eadem ecclesia. *Decr.* Clement. XI *15 mart. 1712.* In ecclesiis regularium, qui privato oratorio carent, saltem ex consuetudine, praeter conventualem, alia missa pro infirmis celebrari potest, sed ianuis clausis. Imo, ait Gardellini in nota ad decretum S. R. C. *28 iul. 1821* (*2616*), quae nota seu suffragium in recentissima editione decretorum reperitur in volumine IV, non deesse ecclesias, in quibus pro populi commoditate parochus privatim celebrat, subiectaeque sibi plebi communionem ministrat, priusquam missae conventuali initium detur; ita in patriarchali Lateranensi et in quibusdam aliis Urbis collegiatis ecclesiis, quamvis in iisdem solemnia omnia fiant, et possit commode populus sacro interesse. Ex quibus deducit Gasparri (*de euch. I. 82*), videri sibi, episcopum posse unius missae privatae celebrationem pro populi commoditate permittere, etiam in illis ecclesiis, ubi solemnia omnia fiunt, dummodo missa privata celebretur ante conventualem. 1289

Quare non videtur extra dubium omnino positum illud, quod habet scriptor ephemeridis « *Monitore Ecclesiastico* » *vol. XI. pag. 269,* hoc quidem valuisse in antiqua disciplina, non autem in recentiori, post publicatam nempe novam collectionem

decretorum S. Congr. Rituum, in qua expunctum est dubium nonum decreti diei 27 mart. 1773, in una Ord. Carm. excalc., quo hoc permittebatur. Nam falsum videtur hoc fundari tantummodo in eo decreto, quum innitatur potius consuetudini Romae servatae, et permissae in ipsa Lateranensi basilica. Et praeterea expunctio dubii non illico significat responsionem ad dubium ipsum ex mente Sacrae Congregationis esse reformandam.

Item regulares, si carent oratorio privato et functiones hebdomadae maioris in ecclesia peragere nequeunt, possunt unam missam lectam celebrare in ecclesia, ianuis clausis, ut distribuere possint suis communionem paschalem. *S. R. C. in una tertii ordinis S. Franc. 31 aug. 1839* (*2799*). In parochiis, in quibus haberi possunt tres quatuorve saltem clerici, ordinarii curare debent, ut sacrae functiones feriis V et VI ac sabbato maioris hebdomadae peragantur, servata forma parvi ritualis Ben. XIII; quoad alias vero parochias, quae clericis destituuntur, indulgere valent ob populi commoditatem, ut parochi (petita quotannis venia) feria V in Coena Domini missam lectam celebrare possint, priusquam in cathedrali vel matrice conventualis incipiat. *S. R. C. 28 iul. 1821 ad 1.* (*2616*).

1240 **De missa solemni seu de functione diei.** — Missa autem conventualis, seu functio illius diei, celebrari potest in omnibus ecclesiis cathedralibus, collegiatis, parochialibus et regularibus publicis, in quibus asservatur SS. Sacramentum (etsi regulares non teneantur ad chorum et ad missas stricte conventuales, Gasparri *loc. cit. I. 72*), non vero in aliis, in quibus SS. Sacramentum non asservatur. *S. R. C. in Neapolitana 14 iun. 1659* (*1120*). In ecclesiis quoque seu oratoriis spectantibus ad seminaria et pias communitates hanc functionem celebrare non licet, nisi habeatur apostolicum indultum. *S. R. C. in Comen. 9 dec. 1899 ad 2* (*4049*). Imo, in his omnibus ecclesiis ad hoc, ut liceat celebrare functionem feriae V, necesse est, ut exstruatur altare adorationis SSmi, vulgo *sepulcrum,* et die insequenti fiat missa praesanctificatorum, quamvis non sit necessarium peragere etiam functionem sabbati sancti. *S. R. C. in Comen. 9 dec. 1899 ad 1* (*4049*). Quare non licet feria V missam canere cum delatione alterius hostiae ad sacellum vulgo sepulcrum dictum, quae in sacrarium sub vesperam privatim deferatur, relicta die sequenti missa praesanctificatorum. *S. R. C. in una Min. S. Franc. 28 mart. 1775 ad 5* (*2503*); *in Bellunen. 1 febr. 1895 ad 1. et 2.* (*3842*). — Pariter non licet functiones maioris hebdomadae peragere in ecclesiis confraternitatum, quia, quamvis hae functiones non sint de iuribus mere parochialibus, celebratio tamen missae feria V in Coena Dni. ad parochum spectat prae cappellano confraternitatis. *S. R. C. decr. gen. 12 ian. 1704 ad 8* (*2123*); *in Senogall. 25 ian. 1698* (*1989*). Multo minus autem licet alicui confraternitati, quae non habeat proprium oratorium publicum, sed tantummodo aliquam cappellam propriam in ecclesia parochiali functiones maioris hebdomadae peragere in

ea cappella praeter functiones, quas parochus in parochia peragit. *S. R. C. in Hispalen. 20 dec. 1692 ad 1 et 2 (1887), 6 maii 1702 (2099).* — Deficiente clero, sacra functio peragi potest iuxta memoriale rituum Benedicti XIII; sed non licet ex. gr. ut celebranti assistat diaconus tantum alba et stola indutus. *S. R. C. in una Ord. Min. Capuc. 7 dec. 1888 ad 10 (3697).*

1241 Nonnulli, inter quos Pasqualigo (*De sacr. nov. leg. tr. I. q. 384. n. 1 sqq.*), examinant casum, quo parochus duas habeat sibi concreditas parochias, et quaerunt an ipse possit, an debeat in utraque ecclesia missam feriae V in coena Dni. celebrare, an pariter possit, an debeat in utraque SS. Sacramentum adorationi fidelium exponere. Ad primam quaestionem ita respondet Pasqualigo (*loc. cit.*), scilicet parochum « habentem duas parochias debere feria V maioris hebdomadae in utraque celebrare. Quamvis enim non sit de praecepto servandus dies, nec etiam soleat populus colere ut festum, est tamen valde celebris, praesertim quoad missam, quum in ipsa recolatur institutio sacramenti eucharistiae, unde solet frequens populus accedere ad audiendam missam et proinde debet in utraque parochia celebrare et exhibere parochianis repraesentationem sacrificii missae ». — Ad secundam quaestionem sic respondet: « Dicendum est debere tantum conservare eucharistiam pro officio sequentis diei et erigere sepulcrum in ecclesia principaliori », quae iuxta eumdem ea est in casu, quae habet populum numerosiorem. — Si quando autem parochus in utraque ecclesia ex errore eucharistiam conservasset, tunc, quamvis alii contrarium sentiant, censet Pasqualigo (*loc. cit. q. 385 n. 4*), debere parochum in principaliori tantum ecclesia celebrare missam praesanctificatorum, in alia autem ecclesia debere eucharistiam conservatam reponere in sacrario pro infirmis. Et hanc addit rationem, quia reservatio eucharistiae non habet necessariam connexionem cum consumptione, sed ex aliquo accidente superveniente potest non sequi consumptio, ut si ecclesia interim interdiceretur, aut alia de causa; quare potest etiam non sequi consumptio, quando non potest fieri secundum ritum ecclesiae, quia scilicet in prima missa praesanctificatorum sacerdos debet necessario ex ritu praescripto ieiunium solvere. Haec sententia Pasqualigo maxime est rationabilis eique adhaeret etiam Gennari *Consultazioni vol. I. cons. 116.*

Ab obligatione non celebrandi mis- 1242
sam feria V in coena Dni. non eximuntur ne ipsi quidem canonici ecclesiae cathedralis, qui e contra debent accedere ad recipiendam communionem de manu episcopi, qui eos et quoscumque alios de gremio cathedralis potest ad hoc cogere (*S. R. C. in Seguntina 19 sept. 1654 ad 1 [970]; in Cortonen. 10 sept. 1701 ad 16 [2079]; in Conchen. 22 dec. 1770 [2489]*); de praecepto enim est, ut sacerdotes ea die non celebrent, sed omnes de clero inservientes missae pontificali, et praesertim sacerdotes, diaconi et subdiaconi sacrorum oleorum consecrationi assistentes, sacram communionem sumant de manu cele-

brantis. *S. R. C. in Mutinen. 23 sept. 1837 ad 1* (*2769*). Sacerdotes autem, quum accedunt ad communionem, debent deferre stolam, sed possunt eam deferre sive ante pectus in formam crucis accommodatam, sive a collo pendentem (*S. R. C. in una ord. Capucin. 30 sept. 1679 ad 4* [*1637*]), et si sint canonici, qui usum habeant almutiae, debent iuxta consuetudinem eam sive almutiae imponere, sive superpelliceo tantum. *S. R. C. in Brachar. 10 sept. 1796 ad 3* (*2552*). Attamen illi, qui missae pontificali inserviunt, ut diaconi assistentes, subdiaconi etc., etiamsi sint sacerdotes, non debent paramentis, quae gerunt, antequam s. communionem accipiant, superimponere stolam, sed accedere debent cum iisdem tantum paramentis, quibus ab initio missae utuntur (*S. R. C. in Macaonen. 10 maii 1895 ad 4* [*3855*]); quod etiam dicendum est de presbytero assistente et de aliis canonicis paratis pluviali, ut est canonicus baculum sustinens (*S. R. C. decr. nuper cit.; in Briocen. 12 aug. 1854 ad 14* [*3029*]), imo et de canonicis paratis planetis. *S. R. C. in Molin. 12 sept. 1857 ad 22* (*3059*).

1243 **Quid occurrente hac feria festo de praecepto.** — Si vero feria V in coena Dni. occurrat festum S. Iosephi, officium quidem transferendum est (in feriam quartam post dominicam in albis, *S. R. C. decr. gen. 15 aug. 1892* [*3789*]), praeceptum autem audiendi missam et vacandi ab operibus servilibus non est transferendum, sed ea die servandum. Adeoque ordinarii locorum accurate providere debent, ut eo die aliquae missae privatae, ante celebrationem solitae missae conventualis, celebrentur pro adimplemento praecepti; attamen propterea nullatenus omittendus est antiquus mos communionis cleri in missa solemni eius diei, quo ecclesia ssmi. eucharistiae sacramenti institutionem et memoriam recolit, summa religione semper retentus. *S. R. C. decr. 13 sept. 1692* (*1883*). — Ex quo generali decreto non est tamen concludendum, licere quibusvis sacerdotibus in quacumque ecclesia vel oratorio, etiam ianuis clausis, praeter missam conventualem missas lectas celebrare. *S. R. C. in Lucana 28 ian. 1719* (*2260*). — Missae autem, quae his in adiunctis, ab ordinario celebrandae statuuntur, dici debent cum *Gloria* et *Credo* sicut solemnes, et debent esse de feria, nullo autem modo de S. Iosepho, ne in illis quidem ecclesiis, ubi est titularis. *S. R. C. in Tuden. 7 sept. 1816 ad 8 et 9* (*2572*).

Ea autem omnia, quae hucusque dicta sunt in casu, quo festum S. Iosephi incidat in feriam V in coena Domini, dicenda omnino sunt de casu, quo in eamdem feriam incidat festum Annuntiationis B. M. V. (*S. R. C. in una Galliarum 10 ian. 1693 ad 6.* [*1890*]; *decret. gen. 27 sept. 1716* [*2240*]); hoc tantum excepto, quod officium Annuntiationis transferendum est in feriam II post dominicam in albis. (Si hoc festum incideret in sabbato sancto, aliud dicendum esset. Vid. *Sabbatum Sanctum*). — Nota tandem indultum celebrandi plures missas feria V in coena Dni., quando in ea occurrit festum S. Iosephi aut festum Annuntiationis non habere locum in

iis locis, in quibus haec festa ex indulto non sunt de praecepto. *S. R. C. in Viglevanen. 26 sept. 1868* (*3179*); *in Ruremunden. 27 maii 1876 ad 1* (*3400*); *in Segusien. 18 aug. 1879 ad 2* (*3503*).

Hoc autem, quod dictum est de festo Annuntiationis vel S. Iosephi incidente in feriam V. in Coena Domini extendi debet etiam ad casum alicuius alterius festi de praecepto ex. gr. patroni loci, in eam diem incidentis. Gasparri *de euch. I. 79.*

Nota autem in casibus supradictis, occurrentibus nempe festis S. Iosephi seu Annuntiationis in feria V in Coena Domini, applicationem missae pro populo non esse transferendam ad feriam II vel IV post dominicam in albis, sed faciendam esse ea die; si nempe parochus ea die celebret missam conventualem, secus debet eam transferre ad primam sacri celebrationem. *S. R. C. in Lingonen. 5 dec. 1868 ad 1* (*3189*); *in Segusien. 18 aug. 1879 ad. 3 et 4* (*3503*).

1244 **De hodierna expositione ssmi. Sacramenti.** — Expositio ssmi. Sacramenti, quae hac die modo a rubricis praescripto post missam fit, introducta est ad celebrandam memoriam institutionis sacramenti tam augusti, ut patet ex tota liturgia; et ex populi errore simul et devotione videtur factum, ut per eam intelligatur repraesentata etiam sepultura Dni., ut hodie de facto est (*S. R. C. in Romana 15 dec. 1896 ad 1* [*3939*]); quare prohibitum est, ut, recondito ssmo. Sacramento iuxta rubricas, cantetur « Sepulto Domino etc. » (*S. R. C. in Narnien. 7 decr. 1844 ad 3* [*2873*]); prohibitum, ut adhibeantur quaecumque indumenta nigri coloris ad ornatum altaris expositionis, quum intra tum extra cappellam, in qua expositio fit (*S. R. C. in Lauden. 21 ian. 1662* [*1223*]); prohibitum, ut apponatur sigillum in ostiolo arcae, in qua ss. Sacramentum reconditur (*S. R. C. decr. cit. 7 dec. 1844 ad 1* [*2873*]); prohibitum etiam, ut ad exornandum hoc altare adhibeantur statuae et picturae, ex. gr. bmae. Virginis, S. Ioannis, Evangelistae, S. Mariae Magdalenae, militum custodum etc. (quae consuetudo est contraria ceremoniali episcoporum et rubricis missalis romani, *S. R. C. in Salten. 26 sept. 1868 ad 1* [*3178*]), quamvis possint episcopi, ubi antiqua consuetudo vigeat eas repraesentationes tolerare (*S. R. C. decr. cit. 16 dec. 1896 ad 2* [*3939*]); quod tamen non est extendendum ad repraesentationes, quae aliquid praeseferant contrarium historiae evangelicae, quas imo omnes debent episcopi impedire, et coercere possunt etiam regulares, ne eas admittant (*S. R. C. decr. cit. 26 sept. 1868* [*3178*]), curando etiam omnino ne novae consuetudines hac in re introducantur. *S. R. C. decr. cit. 15 dec. 1896 ad 2* (*3939*). Attamen, si consuetudo habeatur, ut ea expositio sepulcrum nominetur, hoc nomen retineri potest. *S. R. C. decr. cit. 7 dec. 1844 ad 2* (*2873*).

Tolerari nequit ut altare maius ec- 1245
clesiae sit altare *sepulcri*, nec quod in ipso altari *sepulcri* ornatus causa exponantur ostensoria, calices et ciboria. *S. R. C. in Colimen. 12 iul. 1901.*

A mane feriae V. in Coena Dni.

usque ad mane sabbati sancti interrumpenda est expositio ssmi. Sacramenti pro oratione XL horarum. *S. R. C. in una Urbis 12 mart. 1661* (*1190*). Neque ea die potest patenter exponi hostia consecrata reservanda in diem crastinum pro missa praesanctificatorum (*S. R. C. in una ord. Capuc. Galliae 14 febr. 1705 ad 6* [*2148*]); imo prohibitum etiam est, eam recondere in arca, quae non undequaque clausa sit, sed, etsi clavi obseretur, habeat tamen ostiolum crystallo munitum, ita ut calix velo coopertus oculis adorantium appareat. *S. R. C. in Vallisoletana 30 mart. 1866 ad 1* (*3660*).

1246 **De clave arcae.** — Clavis arcae, seu tabernaculi, in quo asservatur ss. Sacramentum feria V. in Coena Domini non debet tradi laicis et secularibus cuiuscumque gradus, sed tradi debet sacerdoti in crastinum celebraturo (*S. R. C. in Hispalen. 22 nov. 1636* [*635*]; *in Calaguritana 13 sept. 1642* [*813*]; *3 aug. 1647* [*912*]; *in Tiburtina 7 dec. 1737* [*2335*]; *in Meliten. 22 maii 1814* [*2833*]; *in Corcyren. 22 maii 1841* [*2830*]; *in Narnien. 7 dec. 1844; in Neapolitana 14 iun. 1845* [*2904*]); attamen tolerari potest, ut praeter veram clavem capsulae, quae servanda prorsus erit penes sacerdotem, alia symbolica clavis tradatur gubernatori provinciae. *S. R. C. in Hispalen. 7 aug. 1880* (*3518*).

1247 **De velo crucis.** — Velum crucis altaris, in quo missa celebratur, feria hac V debet esse coloris albi; velum autem crucis processionis et altaris lotionis debet esse violaceum. *S. R. C. in Lusitana 20 dec. 1783 ad 4* (*2524*).

De organo. — Quoad sonum organi 1248
ea die, potest iuxta consuetudinem vel interrumpi statim post intonationem hymni angelici « Gloria », vel protrahi usque in finem eiusdem hymni (*S. R. C. in Viglevanen. 11 iun. 1880 ad 4.* [*3515*]; *in Senogallien. 4 mart. 1901 ad 8*), attamen consuetudo pulsandi organum per totam missam ea die est omnino eliminanda. *S. R. C. in Urgellen. 30 dec. 1881 ad 7* (*3535*).

Varia quaedam. — In arca seu *se-* 1249
pulcro non potest reponi praeter hostiam in crastinum reservandam etiam pyxis cum particulis consecratis. *S. R. C. in Comen. 9 dec. 1899 ad 4* (*4049*).

Alicubi inolevit consuetudo deferendi cum magna pompa per publicas vias feria hac V nocturnis horis sanctissimum Sacramentum; hunc usum esse eliminandum rescripsit S. Congr. Rit. *in Ceneten. 30 nov. 1889* (*3717*).

Nec permittitur ea die, ut post missam lectam in ecclesia monialium, in qua die insequenti non peragitur functio, ss. Sacramentum e tabernaculo extrahatur, illudque in calice vel pyxide velo cooperta patenter collocetur, ut per totam diem a monialibus et ceteris fidelibus adoretur. *S. R. C. in Ruthenen. 30 nov. 1889* (*3716*). Attamen, ubi nulla ea die habetur functio, potest sacra pyxis in suo altari servari usque ad solis occasum, ut fideles, loco *sepulcri*, ad ssmam. eucharistiam adorandam possint accedere. *S. R. C. in Bellunen. 1 febr. 1895 ad 3* (*3842*).

Permittitur, ut feria hac V de nocte statua B. M. V. velo nigro circumdata cum Iesu Dno. Filio mortuo in gremium deposito exponatur in ec-

clesia, et sequenti feria VI mane processionaliter cum pluvialibus nigris deferatur. *S. R. C. in Bergomen. 21 mart. 1744 ad 4* (*2375*). Attamen potest episcopus prohibere, ne effigies ss. Redemptoris demortui, vel Deiparae Virginis perdolentis, etsi in altari separato ab illo, in quo ss. Sacramentum publice expositum manet, venerationi fidelium ea die exhibeantur, et decretum hoc episcopale esset omnino servandum. *S. R. C. in una S. Miniati 27 mart. 1903.*

1250 Gubernator et magistratus civitatis feria V in Coena Domini possunt accedere, ut communionem recipiant, ad gradus altaris (*S. R. C. in Praenestina 27 aug. 1836 ad 6* [*2753*]); sed non debent accedere post canonicos et ante alios sacerdotes etiam planeta indutos (*S. R. C. in una Civitatis Castelli 21 mart. 1676 ad 4* [*1559*]), verum post universum clerum. *S. R. C. in Amerina 12 aug. 1854* (*3024*).

1251 Parochus feria V. in Coena Dni. praeter ius relativum ad adimplementum praecepti paschalis, nullum aliud ius potest sibi vindicare quoad alias ecclesias intra parochialem iurisdictionem exsistentes. *S. R. C. in Nicosien. 9 maii 1884 ad 2* (*3608*). Verum conferas supra, quae diximus relate ad ecclesias confraternitatis.

1252 Non potest servari usus denudandi altaria feria V. in Coena Dni. post mandatum hora quarta pomeridiana. *S. R. C. in Pisana 12 nov. 1831 ad 7* (*2634*). Usus vero, ut post vesperas denudatio altarium fiat per simplicem sacerdotem superpelliceo et stola indutum cum duobus clericis superpelliceo pariter indutis, non vero per celebrantem cum ministris, servari potest. *S. R. C. in Taurinen. 11 sept. 1847 ad 4* (*2959*). Pariter, ubi est consuetudo, sufficit pro denudatione altarium mappas seu tobaleas ita complicare, ut maior mensae pars nudata remaneat, quin ipsae mappae ab altaribus removeantur. *S. R. C. in Bellunen. 1 febr. 1895 ad 4* (*3842*).

Quoad mandatum ea die peragendum, Vid. *Mandatum feriae V in Coena Dni.*; quoad consecrationem et distributionem ss. Oleorum, Vid. *Olea sacra.*

De Mazolles M. L'office de la semaine sainte; *Mayer I. F.* Dissertatio de hebdomada magna; *Mazzinelli A.* Uffizio della settimana santa ecc.; *Schüch* Handbuch der Pastoraltheologie § 256.

Coenula. — Coenula die ieiunii ex 1253
consuetudine nunc admitti potest. Generatim in ea octo unciae sumi possunt, plures etiam in quibusdam circumstantiis, ut alicubi in vigilia Nativitatis Dni., et alibi in Coena Domini. S. Alph. *III. 1024.* Ova et butyrum in ea comedere ordinarie non licet; sed hoc uti ad modum condimenti licet, quoties usus condimentorum ex adipe apostolica venia indulgetur (Vid. *Butyrum*); in his vero standum particularibus consuetudinibus. Cfr. B. P. *II. 1122 sqq.* Vid. *Ieiunium*, ubi sententiae theologorum in hac re magis explicantur.

Cogentes. — « Anathemati (seu ex- 1254
communicationi latae sententiae nemini reservatae) S. Synodus (tridentina) subiicit omnes et singulas personas, cuiuscumque qualitatis vel con-

ditionis fuerint tam clericos, quam laicos, seculares vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fulgentes, si quomodocumque coegerint aliquam virginem vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem (si igitur coactio fiat alicui viro, censura haec non incurritur) invitam, praeterquam in casibus in iure expressis (excipitur igitur casus coactionis mulieri adhibitae, quae in criminis poenam in monasterium detruderetur, vel alius casus huiusmodi), ad ingrediendum monasterium (quare incurritur censura etiam per coactionem mulieri factam, ut monasterium ingrediatur ad ibi habitandum, proprio quoque habitu retento [Suarez *de censur. d. XXIII s. 7. n. 6*]; attamen alii putant [Bonacina *de cens. d. II. q. 6 p. 2 n. 6. etc.*] coactionem ad monasterium ingrediendum fieri debere in ordine ad suscipiendum habitum, secus censura non incurritur; puto autem quod utrique ex parte verum dicant; nempe eum incurrere excommunicationem, qui cogit mulierem ad ingressum, ut ibi maneat inclusa veluti in carcere, vel ne nubat, etsi nullo modo de induendo habitu quaestio sit; et illum non incurrere, qui sine ordine ullo ad habitum induendum cogit puellam ad ingressum, ut ibi ex. gr. educetur convenienter, donec finita educatione e monasterio exeat libera eligendi statum, quem velit), vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque religionis (an etiam recentiorum congregationum? et puto affirmative respondendum, quia et hae sunt congregationes religiosae, et Tridentinum non adhibet vocem ordinis), vel ad emittendam professionem, quique consilium, auxilium vel favorem dederint; quique scientes, eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel consensum vel auctoritatem interposuerint. Simili quoque anathemati subiicit eos, qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo sine iusta causa impedierint (idest obstacula apposuerint, quae nempe efficacia fuerint)». Concil. Tridentin. *sess. XXV c. 18. de reg.* — Confer Bucc. *Comm. in const. «Apost. Sedis» n. 93.*

Cogentes sive directe sive indirecte 1255
iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones excommunicatione plectuntur latae sententiae Romano Pontifici specialiter reservata. *Const.* «Apost. Sedis» *ser. 1. n. 7.* Quoad hanc excommunicationem Vid. *Fori privilegium.*

Cogitatio. — Cogitatio rei malae se- 1
cundum se non est mortale, et quandoque nec veniale, imo idem dicendum est de delectatione istius cogitationis, et de consensu in eam; mortale vero esset delectari de ipsa re mala cogitata. B. P. *I. 535. sqq.*; G. B. *I. 169. (5).* Vid. *Delectatio.*

Cognatio. — Cognatio est impedi- 1257
mentum dirimens matrimonii. Triplex est: naturalis, legalis, et spiritualis De legali in superioribus locuti sumus (Vid. *Adoptio*), de naturali loquemur suo loco postea (Vid. *Consanguinitas*). Hic de spirituali cognatione loquendum.

Porro cognatio spiritualis est pro-

pinquitas quaedam orta ex baptismo vel confirmatione. Cfr. *Const.* Ben. XIV. «Inter omnigenas» *2 febr. 1744. § 17.*

1258 Dirimit matrimonium ex iure ecclesiastico inter ministrum et subiectum sacramenti eiusque genitores (sive legitimos sive illegitimos, cfr. *c. 6. de cogn. spir. X.* [*IV. 11*]), inter patrinum vel matrinam et filiolam vel filiolum eorumque genitores. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 2. de ref. matr.*

Nota autem, impedimentum hoc non cessare ob mortem personae, qua mediante cognatio contrahitur. Quare, etiam mortuo baptizato vel confirmato, non desinit cognatio cum parentibus baptizati vel confirmati contracta a patrinis vel a ministro. B. P. *VI. 643.*

Cognatio haec spiritualis prout subsistit inter baptizantem seu confirmantem et patrinos ex una parte, et baptizatum seu confirmatum ex altera, vel inter baptizantem seu confirmantem et patrinos ex una parte et parentes baptizati seu confirmati ex altera, varium nomen sortitur. Prima enim habet nomen paternitatis, quum hi relate ad baptizatum seu confirmatum paternitatem quamdam spiritualem induant; altera habet nomen compaternitatis seu commaternitatis, in quantum hi spiritualiter acquirunt erga baptizatum vel confirmatum eam relationem paternitatis vel maternitatis, quam naturales parentes erga eum naturaliter habent.

1259 Ut patrini cognationem spiritualem contrahant, necesse est in primis, ut usum habeant rationis, quamvis nullo iure cautum sit, ut ad certam aetatem pervenerint. Merito autem alicubi iure dioecesano cavetur, ne impuberes ad patrini munus admittantur; attamen nota, eos, si, etiam contra ius particulare, admittantur, cognationem contrahere. Feije *de imp. et disp. matr. n. 415.*

Praeterea requiritur, ut animum 1260
habeant agendi munus patrini (hinc non procurator, sed mandans contrahit impedimentum, *S. C. C. in Theatina 13 sept. 1721; in Nucerina 11 iun., 10 sept. 1881*); idque sufficit, quamvis intentionem contrahendi spiritualem cognationem non habeant. Ex hoc principio, quod necesse est, patrinos habere animum exercendi illud munus, consequi etiam nonnullis videtur, eum, qui patrinum ageret infantis, quem putat esse filium Sempronii, est tamen filius Titii, non contrahere cognationem spiritualem, quum de facto non sit patrinus, deficiente animo agendi patrinum illius infantis. Attamen hoc theoretice non videtur indubium, nisi quis expresse nollet hic et nunc alium levare de sacro fonte, quam filium Sempronii. In praxi tamen impedimentum haberi posset tamquam dubium, et proinde nullum. Cfr. Gasparri *de matr. I. 744.*

Insuper ad cognationem contrahen- 1261
dam necesse est, ut patrini baptizandum vel confirmandum physice tangant, vel in actu confirmationis seu baptismi, vel, si de hoc altero agatur, immediate ante (ut si infantem ministro, qui eum sustineret in actu baptismi, traderet patrinus), vel immediate post (quum infantem baptizatum patrinus de sacro fonte proprie su-

scipit vel levat). Cfr. *S. C. C. in Bobien. 20 dec. 1653;* G. B. *II. 618.* (*23*); Feije *loc. cit. n. 418.*

Imo nota hic responsionem Sacrae Congregationis de Prop. Fide *pro Sinis 21 ian. 1856:* « Per verba (ritualis) *patrino infantem tenente*, haud susceptio absoluta requiritur, cum *tenere* aeque intelligatur ac sufficiat, si patrinus, ut in more est, physico contactu infantis iungat se cum eo, cuius manibus ille tenetur, et ad aquae infusionem comitetur deferentem, quin opus sit, ut patrinus vel matrina tantum, amoto deferente, infantem suas in manus excipiens, sacerdoti baptizandum exhibeat ».

In confirmatione autem sufficit, ut patrinus vel matrina ponant manum suam dexteram super humerum dexterum confirmandi, licet confirmandi pedem suum super pedem dexterum patrini sui non ponant, ut praescribitur in pontificali romano *part. I. de confirmandis. S. R. C. in Taurin. 20 sept. 1749 ad 6* (*2404*).

1262 Nonnulli auctores requirunt praeterea, ut patrinus vel matrina fuerint a parentibus vel a parocho designati; secus putant non contrahere cognationem, etsi de facto infantem de sacro fonte suscipiant aut in confirmatione teneant. Porro certum est quoad baptismum ex Tridentino *l. c.*, parochum non posse admittere ad munus patrini, nisi eum vel eos, quos elegerint parentes baptizati, aut ipse baptizatus, si fuerit adultus sui iuris, eosque tantum designatos, et non alios, etsi baptizatum tangant seu de fonte suscipiant, contrahere cognationem spiritualem.

Quaestio autem est, quid dicendum sit de pluribus designatis et admissis, qui baptizatum tangant volentes patrini munus exercere. Certum est parochum et parentes, vel baptizatum si ipse designaverit, peccare contra legem tridentinam, si plures admittant, quam permissum sit. Verum, supposito facto, an contrahunt omnes cognationem, an nullus, an aliqui tantum? Et doctores non concordant. Confer varias doctorum sententias apud Baller. Palmieri *IV. 773.*

Inter varias has doctorum sententias ea videtur praeferenda, quae dicit omnes, qui tangunt animo levandi baptizatum de sacro fonte, nisi aliqui fuerint designati, cognationem contrahere. Ratio autem est, quia Tridentinum loquitur tantum de casu aliquorum levantium, extra designatos, et dicit, eos non contrahere. Casum vero aliquorum levantium, quando nemo est designatus, Concilium non respexit. Porro ius tridentinum est correctivum et restrictivum antiqui iuris: quando igitur expresse non corrigit et non restringit, antiquum ius manet intactum et vim suam retinet. Antiquo autem iure omnes vere levantes de sacro fonte, etsi non designati, cognationem contrahebant. Cfr. Feije *loc. cit. n. 419.* Nec dicendum ex eo, quod mens Tridentini fuit restringere hoc impedimentum, praeferendam sententiam eorum, qui in casu nullam ex his cognationem contrahere dicunt. Nam, finis legis non cadit sub lege, et quamvis Tridentinum voluerit impedimentum hoc restringere, illud in casu de facto non restrinxit. — Sententia eorum, qui dicunt, in hoc

casu aliquos tantum contrahere impedimentum, fundatur super quadam responsione S. C. C., quam refert Gallemart (*in not. ad cap. 2. sess. XXIV de ref. matr., n. 2;* et nota Gallemart saepe documenta referre fide destituta, Richter *Conc. Trid. praef.*). et Rebellus (*ad calcem lib. IV part. 2 sect. 4. n. 95*), et haec est: « Congregatio censuit, si plures suscipiant, omnes contrahere cognationem, si non constet quis primo tetigerit, et plures sunt electi vel nullus. Si unus est electus, ille tantum contraxit ». Unde argumento a contrario deducunt, eum solum contrahere, qui primus tetigit, si noscatur. Cfr. B. P. *VI. 647.* Verum non multum videtur valere haec argumentatio. Nam profecto contraxisse impedimentum est factum, quod non pendet ex eo, quod constet vel non constet aliquem aliquid fecisse, sed ex eo quod aliquis aliquid fecerit necne. Constare quippe vel non constare est extrinsecum rei. Praeterea tunc dicendum esset, S. Congregationem authentice declaravisse impedimentum dubium esse impedimentum validum; quod tamen communiter non admittitur. Nam ex mente Congregationis tunc ille tantum incurrisset impedimentum, qui primus tetigit; sed, quum quinam ex his pluribus primus tetigerit non constet, Congregatio respondisset, omnes dubie contraxisse cognationem, et proinde omnes impedimento teneri.

Haec quidem theoretice sint dicta. In praxi retinendum principium: impedimentum dubium esse impedimentum nullum, et proinde, quamvis ante matrimonium interroganda esset S. Sedes, post matrimonium tamen standum esset pro valore actus.

Quoad confirmationem Tridentinum non statuit, patrinos debere esse designatos a parentibus, ut supra pro baptismo diximus. Quare quoad eam standum videtur antiquiori iuri, quod nec pro baptismo nec pro confirmatione ullam requirebat designationem. — Hinc in confirmatione patrini etiam non designati verius contrahunt cognationem. D'Ann. *III 287;* attamen cfr. Sanchez *de matr. lib. VII disp. 57 n. 9.*

Praerequiritur praeterea, ut patet, 1263
baptismus, quia non baptizati ecclesiae non subduntur (*cc. 10, 12. C. XXVIII q. 1; c. 4 de cons. etc. X.* [*IV 14*]; *c. 8 de divortiis X.* [*IV 19*]); sed et sufficit baptismus, nempe ad contrahendam cognationem ex munere patrini vel baptizantis, in baptismo exerciti, nec requiritur professio fidei catholicae. Quare haeretici, schismatici, etc., dummodo valide fuerint baptizati, si patrinos autbapti zantes agant, etiam in baptismo haereticorum aut schismaticorum, impedimentum contrahunt. Si agitur de confirmatione, praeter baptismum susceptum, tenens debet esse etiam confirmatus. *S. C. C. in Licien. 13 iun. 1654.* Cfr. Feije *de imp. et disp. matr. n. 411.*

Notandum praeterea est cognatio- 1264
nem non exsurgere ex baptismo (*S. C. C. 2 oct. 1687; 16 maii 1711*) vel confirmatione invalidis. Quare ex baptismo sub conditione collato non exsurgit impedimentum, si vel detegatur postea primum baptismum fuisse certo validum, vel saltem pro eius

validitate militent rationes non spernendae, quamvis non certae. Scilicet in hoc ultimo casu impedimentum esset dubium, et proinde nullum. Cfr. B. P. *VI. 651.* —Hinc etiam nulla contrahitur cognatio spiritualis ab illis qui munere patrini funguntur in supplendis ceremoniis baptismi. *Instr S. C. P. F. ad ep. Scodren. 11 septembris 1779.*

At ex baptismo etiam non solemni oritur cognatio. *S. C. C. 17 apr. 1603, 29 maii 1677, 5 mart. 1678.* Cfr. Feije *l. c. n. 413;* Mon. eccl. *vol. IX p. 1 pag. 91.*

Verum nota, iuxta quosdam contrarium, quoad hoc ultimum, esse affirmandum, ex ea praesertim ratione quod si haec lex aliquando viguit (quod multis non est indubium), ea nunc est abrogata contraria consuetudine; cuius consuetudinis testis est communior opinio, ut ait S. Alphonsus (*VI. 149*) negans in casu contrahi cognationem a patrinis, testis ipse S. Alphonsus hanc opinionem sequens, eamque communiorem appellans, testis ipsa ecclesia non urgens observantiam antiquorum illorum decretorum Sacrae Congreg. Concilii et permittens teneri sententiam S. Alphonsi. B. P. *VI. 652 (a).*

Ex eo quod quis in baptismo, vel in confirmatione fuit patrinus duorum aut plurium filiorum eiusdem matris, non augetur cognatio spiritualis, quare haec circumstantia non necessario exprimitur in supplici libello pro dispensatione obtinenda. *S. U. I. 20 apr. 1894.* Cfr. *Baptismus.*

Quoad parentes filios baptizantes, distinguendum est. Vel agitur de parente, qui filium baptizat ab alia parte habitum, quae hic et nunc non est sua coniux; et tunc certe contrahit cognationem iuxta omnes, et proinde impedimentum, ne eam ducat vel ei nubat. Schmalzgrueber *in tit. 11 lib. IV. Decr. n. 45.* Vel agitur de parente, qui baptizat, vel ex baptismo aut confirmatione suscipit filium suum legitimum; et tunc unice quaeri potest, an amittat ius petendi debitum a comparte. Porro doctores quoad hoc non omnes conveniunt, aliis affirmantibus (S. Th. *in IV. dist. 42 q. 1 a. 1;* Sanchez *de matr. lib. IX d. 26 n. 7 etc.*), aliis negantibus (Reiffenstuel *in tit. 11 l. IV Decr. n.. 30*; Schmalzgrueber *loc. cit. n. 48 etc.*). Horum sententia tum theoretice tum practice videtur praeferenda. Et patet ante omnia, nos nunc loqui de parente baptizante vel suscipiente filium suum legitimum extra casum necessitatis volente et sciente. Nam si quaestio est de casu necessitatis, vel ignorantiae sive iuris sive facti, certum est apud omnes parentem tum baptizantem (*c. 7. C. XXX q. 1*), tum suscipientem (Schmalzgrueber *loc. cit. n. 43;* B. P. *VI. 653 etc.*) ius petendi debitum non amittere. Ratio autem superioris nostrae assertionis haec est, quia nullus habetur clarus iuris textus, qui hoc ius coniugi in poenam auferat, imo erui posse aliquid contrarii videtur ex cap. 2° huius tituli (X. *IV. 11*); quare practice, quum ad summum dubie hi coniuges suo iure privarentur, possunt tuto suo iure uti.

Nec obstare videtur, quod aliquando (cfr. *resp. S. Poen. a. 1869,* apud Bucc. *Ench. mor.*) concessa fuerit di-

spensatio ad petendum debitum; dispensatio enim, si quando petitur, tunc etiam conceditur, quum necessaria non est ad maiorem conscientiae quietem petentis, praesertim, quum non omnes doctores sint concordes, num ea requiratur, an non.

1265 Circa disciplinam in ecclesia orientali servatam quoad hoc impedimentum haec brevissime habe. Scilicet Graeci utuntur impedimento cognationis spiritualis intra eum ambitum, intra quem et Latini eo utuntur; differentia autem disciplinae latinae « a disciplina graeca in eo consistit, quod secundum Latinos permissum sit filio patrini ducere sororem filii spiritualis patris sui, quod per disciplinam graecam prohibitum est, in quantum inter filios patrinorum atque filium spiritualem, eiusque fratres et sorores fraterna correlatio consistit... Insuper impedimentum hoc cognationis spiritualis etiam ex sacramento matrimonii contrahi tenent Graeci; nam in codice canonum vulgo Pravila.... legitur titulus *de cognatione ex matrimonio,* quae contrahitur inter testes ad matrimonium adhibitos quasi patrinos, et parentes sponsorum, filiosque eorum inter se. Haec prohibitio matrimonii, ubi viget, episcoporum dispensatione tolli potest ». Papp-Szilágyi *Enchiridion iuris eccl. orient. cath. p. II. § 111.* Attamen notat Mansella (*de imp. matr. dirim. pag. 44*), Maronitas quoad hoc impedimentum servare adamussim ius tridentinum, et inter eius limites sistere.

1266 Quum autem impedimentum hoc sit iuris ecclesiastici tantum, ut superius diximus, patet, posse ecclesiam seu romanum Pontificem super eo dispensare, imo illud etiam penitus abrogare; et de facto in Concilio Tridentino de hoc impedimento penitus tollendo deliberatum est. Dispensat autem unus romanus Pontifex, qui in paternitate difficilius, aliquando tamen dispensat; in compaternitate autem vel commaternitate, facile dispensat ex quacumque causa. Ex his patet, in supplici libello ad dispensationem obtinendam necesse esse exprimere, utrum de paternitate an de compaternitate agatur, et etiam addendum utrum ex baptismo an ex confirmatione proveniat. Feije *loc. cit. n. 424;* Gasparri *de matr. I. 850.*

Saepe autem romanus Pontifex facultatem dispensandi super hoc impedimento aliis quoque, episcopis praesertim, communicat. Circa quod notanda est recens responsio S. C. Un. Inquisit. ad quaesitum: « Utrum in formulis, quibus concedi potest facultas dispensandi super impedimento cognationis spiritualis, comprehendatur casus cognationis spiritualis inter baptizantem et baptizatum, in iisdem formulis non praevisus »; scilicet: « Negative, seu non posse qui concessa per praedictas formulas facultate gauderet, super impedimento cognationis spiritualis inter baptizantem et baptizatum dispensare; idque communicandum cum omnibus, quorum interesse queat, atque in posterum expresse in formulis edicendum. Si quae vero matrimonia cum huiusmodi dispensatione, vi earumdem formularum concessa, forte hucusque contracta fuerint, ad omnem circa eorum valorem quaestionem dirimendam, sup-

plicandum SSmo, ut eadem in radice sanata declarare dignetur (qui de facto hanc dedit declarationem) ». *S. U. I. 3 dec. 1902.*

Decr. Grat. C. XXX. q. 1-4; tit. de cognatione spirituali X. (IV. 11); idem tit. (IV. 3) in 6; Const. Pii V « Sanctissimus » 20 aug. 1566; Const. eiusd. « Quum illius vicem » 28 nov. 1566; Const. Ben. XIV « Etsi pastoralis » 26 maii 1742; Instr. S. U. I. 20 iun. 1883, 3 maii 1893, 29 apr. 1894, 3 dec. 1902; Instr. S. C. P. F. 4 maii 1774, ann. 1883; S. C. C. 5 mart. 1678; Conc. Trid. sess. XXIV c. 2 de ref. matr.; *S. Raymundus* Summa lib. IV. tit. 7; *Rolandus* Stroma; *Bernardus Papiensis* Summa de matrimonio; *Tancredus* Summa de matrimonio; *Durandus* Speculum; Commentatores omnes in Decretum et Decretales in loc. cit.; *Cyntholix I.* Tract. de affinitate et consanguinitate spirituali et legali; *Galledo M.* De spirituali cognatione; *Tuschi D.* Conclus. pract. litt. C.; *Bianchi* Le due cognazioni spirituale e legale; *Sanchez.* De matr. lib. VII disp. 54-62; *Laurin* Die geistliche Verwandtschaft in ihrer geschichtlichen Entwicklung bis zum Rechte der Gegenwart; *Souarn* La parenté spirituelle empêchement canonique de mariage chez les Grecs; *Freisen* Geschichte des kan. Eherechts pag. 507-555; *Esmein* Le mariage I. 362-374; *Feije* De imped. etc. n. 409 seq.; *Rosset* De sacr. matr. n. 1835. 1893; *Scherer* KR. § 117; *Wernz* Ius. Decr. IV. 481 sqq.; *Gasparri* De matr. I. 831 sqq.; *Giovine* De dispensat. matr. I § 214 sqq.; *Leitner* Eherecht § 33; *Mansella* De impedim. matr. dirim. pag. 41 sqq.; *Van de Burgt* Tract. de matr. part. 2. cap. 6 8; *Péries* Code de procédure canon. dans les causes matrimoniales a. 319 sqq.; *Sägmüller* Lehrbuch des k. KR. § 143; *Hergenröther-Hollweck* Lehrbuch des k. KR. n. 942 sqq.; *Ballerini-Palmieri* Opus morale VI. 642 sqq.

Cognomen. – Cognomina, agnomina et patria sanctorum in orationibus missae seu officii non sunt exprimenda (*S. R. C. in Einsiedeln 5 maii 1736* [*2319*]) exceptis S. Ioanne Chrysostomo, et S. Petro Chrysologo. *S. R. C. decr. gen. 5 mart. 1825* (*2637*). 1267

Cohabitatio. — Cohabitare cum mulieribus, nisi sint omnis suspicionis expertes (cfr. *c. 16 dist. XXXII; c. 9. de cohab. cler. et mul. X.* [*III. 2*]), ut consanguineae in primo et secundo gradu, et affines in primo (ut noverca), vel etiam in secundo (ut uxor defuncti patrui), si alter alteri reverentiam debeat, aut provectae, nempe saltem quadragenariae, clericis interdicitur sub variis poenis iure statutis. Quando autem licet clericis habitare cum aliqua femina ex rationibus adductis, licet etiam ipsis habitare cum earumdem pedissequis et ancillis, ut tradunt communiter canonistae. Schmalzgr. *in tit. 2 lib. III. Decr. n. 1 sqq.*; B. P. *IV. 455.* 1268

Omnia autem haec intelligenda sunt semper cum hac limitatione, quod non adsit periculum vel scandalum (cfr. *S. C. C. in Bambergen. 17 aug. 1883*); tunc enim cum omnibus, etiam consanguineis et affinibus, cum quibus alias permittitur, cohabitatio est omnino interdicta. Nam in his omnibus suprema lex est, quae traditur capite primo *de cohabitatione clericorum et mulierum* (*X. III. 2*): « inhibendum est, ut nullus sacerdos feminas, de quibus suspicio esse potest, retineat, sed neque illas, quas canones concedunt, matrem, amitam et sororem; quia, instigante diabolo, et 1269

in illis scelus perpetratum reperitur, aut etiam in pedissequis earum ».

Si ergo feminae tales sint, quae suspicionem merito ingerant, clericus, etsi ob virtutem suam vel frigiditatem nihil ex earum societate sit passurus, prohibetur cum eis habitare iure ecclesiastico, imo iure quoque naturali prohibente scandalum, quod generari potest. Cfr. *S. C. EE. RR. in Bambergen. et Herbipol. 17 augusti 1883.* Si vero feminae sint eiusmodi, quae nullam legitimam suspicionem ingerant, non prohibetur clericus cum iis habitare, quemadmodum etiam consuetudine firmatum est. Quare clericus potest etiam feminam in servitium assumere, quae tamen sit provectae aetatis (generatim admittitur quadraginta annorum) et honestae famae.

1270 In his tamen habenda est etiam ratio statutorum dioecesanorum. Episcopo enim ius est inquirere in observationem horum canonum, et iudicium ferre, an haec vel illa mulier in particulari casu sit suspecta (Cfr. Barbosa *Ius eccl. univ. lib. I. c. 40 n. 39*), et proinde an liceat clerico cum ea cohabitare. Quare, etsi episcopus non possit generali lege prohibere, ne clericus cum quacumque femina habitet (Cfr. *S. C. C. in Faventina 2 iunii 1695;* Wernz *Ius. Decr. II. 206*), potest tamen clericis interdicere omnem cum mulieribus habitationem, nisi ipse prius earumdem qualitates examinaverit, easque a suspicione immunes recognoverit; potest itidem statuere aetatem mulieris, cum qua clericus cohabitet, et mulctare clericum, qui cohabitet cum muliere iunioris aetatis, poenis etiam latae sententiae.

In ecclesia orientali ex canone 18 1271
Concilii Nicaeni II, et ex aliis similibus legibus prohibentur episcopi cohabitare cum quibuscumque mulieribus. Wernz *loc. cit.*

Clerici, qui, violando has leges de 1272
cohabitatione cum mulieribus, retinent apud se mulieres suspectas, veniunt in iure nomine clericorum concubinariorum. Quaenam autem sint poenae latae contra huiusmodi clericos concubinarios vide sub *Concubinarii.*

Decr. Grat. cc. 5. 6. 16 sqq. D. 32, c. 1 D. 33, c. 1 sqq. D. 34, c. 13 D. 83; tit. de cohabitatione clericorum et mulierum X. (III. 2); Conc. Trid. sess. XXI c. 6 de ref., sess. XXV. c. 14 de ref.; Commentatores Decreti et Decretalium in loc. cit.; *Polo A.* Contra concubinarios sacerdotes; *Greuenbruck G.* De beneficiatis concubinariis eorumque concubinis; *Bossenius* De clericorum cum feminis cohabitatione; *De Guzman F.* De sacris ministris altaris et coelibatu; *Onorato A.* Delle donne subintrodotte o siano agapete; *Kuyckii U.* Speculum concubinariorum sacerdotum, monachorum, clericorum; *Sas G.* Oecumenicum de singularitate clericorum illorumque cum feminis extraneis vetito contubernio iudicium; *Roehrensee* De mulieribus clericorum συνεισάκτοις seu subintroductis; *Muratori* De synisactis et agapetis; *Kraus* R. E. art. Subintroductae; *Scherer* KR. § 70; *Devoti* Inst. can. lib. IV. tit. 15; *Hollweck* Die kirchl. Strafgesetze § 231 sqq.; *Wernz* Ius. Decr. II 204 sqq.; *Achelis H.* Virgines subintroductae.

Collatio. — Collatio est contributio 1273
eorum, quae defunctus filiis, futuris heredibus suis, adhuc vivens donavit, ut inter omnes aequaliter dividantur. Cfr. Vinnium *de collat. c. 3. n. 3.*

Conferre autem quis omnia debet, quae per donationem *inter vivos* accepit, nisi donator eum expresse dispensaverit (*C. It. a. 1001*); vel nisi fuerint donationes manuales non ingentes aut expensae factae ab ipso donatore, v. g. in alimenta, vestes, consueta munera, vel etiam educationis, nuptiarum etc. causa. *C. It. a. 1009; C. G. a. 852.*

Collatio iure italico (nam iure gallico indiscriminatim cuilibet heredi facienda est, *a. 843*) datur solummodo inter liberos eosque heredes; quare a filiis non debetur ascendentibus, licet heredibus, nec descendentibus, nisi fuerint heredes; multo magis non debetur aliis heredibus aut legatariis aut creditoribus hereditatis (*C. C. a. 1001, 1014*); nec peti potest ab his, qui paterna seu materna hereditate abstinuerint, nisi quatenus forte opus sit ad ceterorum filiorum heredum legitimam integrandam. *C. It. a. 1003; C. G. a. 843.* Si vero testator, dum viveret aut in testamento donationes aliis fecit, quae excederent portionem, de qua poterat, salva legitima portione debita filiis, disponere, eae donationes quoad excessum revocantur, isque excessus legitimae filiorum adiungitur. *C. C. a. 821, 822.*

Fieri potest collatio vel in specie, vel minus accipiendo. Non sunt rerendi fructus rerum referibilium, etiam de iure italico, nisi a die delatae hereditatis. *C. It. a. 1013, 1094; C. G. a. 856.*

Expensae factae in gratiam filii pro studiis etc. referendae ab ipso sunt, si fuerint extraordinariae [illegible] relate ad familiam, secus non. *C. It. a. 1009.*

Nemausensis V. De collationibus; *Vinnius A.* Tract. de collationibus; *Schultz I.* Disput. de collationibus; *Genin F.* Degli effetti della collazione; *Lusignoli A.* Sul fondamento della collazione; *Melucci P.* Trattato teorico pratico delle collazioni ed imputazioni secondo il codice civile italiano; *Rossi* Di alcuni principî razionali della collazione desunti dalla legislazione storica comparata romana francese e italiana. B. P. *III. 1908 sqq.*; G. B. *I. 806 sqq.*; D'Ann. *II. 391 sqq.*; Bucc. *I. 1015 sqq.*

Collatio beneficiorum. — **Quid sit.** — 1274
Collatio beneficii est concessio vacantis beneficii canonice facta personae idoneae ab eo, qui spirituali potestate ad hoc gaudet.

Quinam possunt beneficia conferre. — Conferre possunt beneficia:

a) Summus Pontifex; et valide con- 1275
fert omnia omnium dioecesium beneficia. Cfr. Conc. Trid. *sess. XXIII. de sacr. ord. can. 8*; Conc. Vat. *sess. IV. Const.* « *Pastor aeternus* ». Est tamen ordinarius et exclusivus collator maiorum beneficiorum (episcopatuum etc., *Reg. 2. Canc. apost.*; Riganti *in hunc locum*), et extraordinarius aliorum, seu minorum. *Reg. Canc. apost. a 1 ad 9*; Garcia *de benef. p. V. c. 1. sqq.*

Haec minora beneficia dicitur R. P. conferre:

iure praeventionis, quum inferiorem collatorem praevenit disponendo de beneficio vacaturo (*c. 2 de praeb. etc.* [*III. 4*] *in 6°*; Conc. Trid. *sess. XXV. c. 21 de ref.*);

iure concursus, quum alicui confert beneficium vacans, quod inferior potuisset conferre vel etiam contulit (et in hoc casu praefertur ille, cui prius

beneficium collatum fuit, sive ei fuerit collatum ab inferiore collatore, sive a Romano Pontifice, et, si hoc non constet, praefertur ille, qui in legitima possessione est [cfr. *reg. 54 iur. in 6°; c. 14 tit. cit. III. 4 - in 6°*], et, si nemo possidet, ille praefertur, qui a Romano Pontifice electus est, *c. 31 tit. cit.* [*III. 4*] *in 6°*; Riganti *in reg. 17 Canc. Ap.*);

iure devolutionis, quum inferiores vel ob negligentiam vel ob culpam ius conferendi amiserunt (*c. 8. de const. X.* [*1. 2*]; Garcia *l. c. p. X. c. 3*);

iure reservationis vel affectionis, quum beneficia sunt reservata seu affecta. Vid. *Affectio, Reservatio beneficiorum.*

b) Episcopus, etiam non consecratus (collatio enim beneficiorum non est actus ordinis, sed iurisdictionis), est collator ordinarius omnium beneficiorum minorum in sua dioecesi, exceptis affectis, reservatis, litigiosis, iis etiam, quae ad aliorum, licet inferiorum, collationem spectant; quod tamen inferiorum ius ipsis est concludentibus argumentis probandum. *c. 7 de praeb. etc. X.* (*III. 8*). Quare merito dicitur, episcopum habere intentionem in iure fundatam quoad collationem beneficiorum suae dioeceseos, exceptis canonicatibus (nec non dignitatibus et personatibus) ecclesiae cath. et ecclesiarum collegiatarum. Hoc tamen non est extendendum ad episcopum non confirmatum aut institutum, sed tantum electum aut praesentatum. Praeterea debet episcopus, antequam exercere possit liberam beneficiorum collationem, praesentare litteras apostolicas promotionis suae capitulo cathedralis ecclesiae. Cfr. *Const.* Pii IX « Rom. Pontifex » *28 aug. 1873; Const.* Pii IX « Ap. Sedis » *12 oct. 1869.* — Nota praeterea, non posse episcopum in conferendis beneficiis exigere taxas, etiam piis usibus deputatas. *S. C. EE. RR. in Pistorien. 3 mart. 1579.* — Vicarius generalis beneficia conferre nequit, nisi per speciale mandatum haec ei facultas ab episcopo facta fuerit. *c. 3. de off. vic.* [*I. 13*] *in 6°*. Hoc autem non est extendendum ad institutionem dandam praesentatis a patronis; id enim ex mandato quoque generali facere potest vicarius generalis. *arg. c. 3 de instit. X.* (*III. 7*).

c) Capitulum ecclesiae cathedralis cum episcopo confert beneficia, quae sunt de gremio capituli; sede vacante, capitulum vel vicarius capitularis confert beneficia electiva vel patronata (*c. 14 de maior. et ob. X.* [*I. 33*]; *c. 1 de inst it.* [*III. 6*] *in 6°*) non autem liberae collationis (*c. 2 ne sede vacante etc. X.* [*III. 9*]), nisi eorum collatio pertineat ad capitulum, vel ad ipsum capitulum cum episcopo (et hoc potest capitulum, etiam non mortuo episcopo, si is a beneficiorum collatione fuerit suspensus, et a petenda relaxatione suspensionis fuerit negligens). *c. un. ne sede vacante etc.* (*III. 8*) *in 6°*. Vivente autem episcopo, si is negligens fuerit in conferendis beneficiis ad eius collationem spectantibus, capitulum debet episcopi negligentiam supplere. *c. 2. de conc. praeb. etc. X.* (*III. 8*). Sede autem vacante, non potest, ut diximus, capitulum conferre beneficia, quae conferenda spectant ad epi-

scopum, quia tunc nulla est episcopi negligentia; imo, ne ea quidem conferre potest, quae ex inferiorum negligentia ad collationem episcopi devolvuntur. Reiffenstuel *in tit. 5. lib. III Decr. n. 184;* Barbosa *de canon. cap. XLII n. 110.* Idem valet de collatione praebendarum, quae ed episcopum spectant cum consilio vel assensu sui capituli. *c. un. cit. (III. 8) in 6°.* Cfr. Mühlbauer *Th. res. S. C. C. v. « Canonicatus » n. 7.*

d) Praeterea conferre possunt beneficia omnes, qui ex privilegio vel ex consuetudine hoc ius habent; ex. gr. cardinales in curia romana residentes in suis titulis, iuxta indultum ipsis factum per regulam 8am. Cancellariae apostolicae, salvis exceptionibus per alias huiusmodi regulas, praesertim per primam, quartam et octavam, statutis. Cfr. Santi *lib. III. tit. 5. n. 53;* Riganti *in reg. 9 Canc. apost. § 3. n. 153.*

Laici vero non possunt conferre beneficia, scilicet de iure communi, nisi nempe a pontifice hoc privilegium habuerint; hanc autem facultatem assequi hi nequeunt ex consuetudine aut praescriptione. Cfr. *S. C. P. F. pro Hollandia 18 dec. 1664;* Schmalzgrueber *in tit. 5. lib. III. Decr. n. 56 sq.*

1276 **De modo quo Papa beneficia confert.** — Pontifex beneficia vel per bullas confert, ut, si agatur de episcopo etc., vel per rescriptum, quo iubet, alicui beneficium conferri. Hoc autem rescriptum obtinet in iure nomen *Mandati apostolici de providendo.* Porro huius apostolici mandati variae sunt species, prout mandatum refertur tantum ad exsequendam collationem beneficii iam ab ipso pontifice factam, de qua collatione ipsum mandatum testatur (et tunc mandatum continet *gratiam factam,* et proinde non exspirat morte pontificis concedentis, vid. *Gratia facta*); vel prout mandatum non exprimit collationem factam, sed ipsam collationem respicit, et confert alicui potestatem conferendi aliquod beneficium sub quadam conditione, ut ex. gr. si expedire iudicabit, si orator videtur dignus etc. (et tunc continet *gratiam faciendam,* quae per se exspirat morte concedentis, attamen vid. *Gratia facta*). Aliquando mandatum refertur ad beneficium nondum vacans, ut si quando committit ut certo clerico conferatur beneficium primo vacaturum; hoc mandatum dicitur continere *gratiam exspectativam.*

Multiplices etiam sunt differentiae, quae respiciunt haec mandata apostolica seu litteras beneficiales, quibus alicui clerico a papa de beneficio providetur. Nam vel dantur in *forma communi,* vel in *forma pauperum,* quum beneficium confertur oratori, quia is suam paupertatem ad beneficium obtinendum adduxit; vel dantur in forma *rationi congruit,* et hoc accidit, quum agitur de expediendis litteris beneficialibus, quas pontifex voluisset expedire, sed non potuit, morte antea correptus; vel dantur in forma *dignum,* quando exsecutori committitur beneficium alicui conferre, si eum dignum invenerit; vel dantur in *forma gratiosa,* quando pontifex in suis litteris supponit provisum dignum esse, cui illud beneficium conferatur.

— Aliquando additur clausula *Motu proprio,* quae quid significet vide sub *Clausulae apostolicae.* — Dantur etiam aliquando quoad beneficia litterae *Perinde valere;* quid valeant, vide sub *Perinde valere.* — Si autem quaestio est de beneficiis litigiosis, seu de iis beneficiis, super quibus duo litigant, tunc litterae, quibus pontifex uni ex litigantibus concedit, ut ipsi beneficium conferatur, si collitigans non habeat in illud beneficium ius quaesitum, vocantur *si alteri;* si litterae continent gratiam pro tertio non litigante, ut ipsi beneficium conferatur, dummodo neuter ex litigantibus in illud habeat ius, dicuntur *si neutri;* quando vero tres sunt collitigantes, et unus a pontifice impetrat, ut sibi beneficium detur, dummodo nemini ex litigantibus ius sit acquisitum in beneficio, vocantur *si nulli.* Reiffenstuel *in tit. 5 lib. III Decret. n. 167 sqq.*

1277 **Quaenam requiruntur ad legitimam collationem beneficiorum.** — Collatio beneficiorum ante omnia, ut patet, debet fieri iuxta praescripta iuris communis, nec non iuxta formam a statuto, consuetudine, vel fundatione praescriptam. Plura quoad hoc suis locis dicuntur, ubi de electione, postulatione, renunciatione seu permutatione etc. agitur, quae viae sunt ad beneficia ecclesiastica obtinenda. Quaedam alia heic sunt adnotanda.

Et ante omnia iuxta praescripta iuris communis necesse est, ut collatio beneficiorum fiat gratis, idest ut nullum interveniat pretium, nulla pecunia, nulla merces temporalis (*cc. 2. 7. 8. C. I. q. 3*), imo ut fiat sine pacto, conditione aut modo ex privata conventione partium adiecto (*cc. 4. 6 de pactis X.* [*I. 35*]; *c. 7 de transactionibus X.* [*I. 36*]); secus enim collatio beneficii esset simoniaca. Vid. *Simonia.*

Praeterea necesse est, ut collatio beneficii non fuerit subreptitia (vid *Obreptio*), idest obtenta per expressionem falsi, aut suppressionem veri de iure exprimendi. *cc. 8. 17 de rescriptis X.* (*I. 3*).

Insuper, ut collatio recte fiat, necesse est, ut fiat intra debitum tempus, idest intra tres menses, quando agitur de ecclesiis cathedralibus et regularibus, intra sex (computandos a die habitae notitiae vacationis), si de ceteris ecclesiasticis beneficiis agitur. *c. 41 de elect. etc. X.* (*I. 6*); *cc. 2. 5 de conc. praeb. etc. X.* (*III. 8*). Si ex negligentia collatio infra hoc tempus non fiat, locus est devolutioni iuris conferendi. Vid. *Devolutio.*

Necesse etiam est, ut beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur (cfr. *tit. 8 lib. III Decr.*; *S. C. EE. RR. in Pistorien. 3 mart. 1579, in Asten. 15 mart. 1580*; nec solum non minuendo reditus sed etiam nova onera non imponendo, *S. C. C. in Firmana 2 apr. 1887, in Conchen. 20 maii 1905*; Vid. *Pensio*), ut unum idemque beneficium duobus non conferatur (*c. 20 de praeb. etc. X.* [*III. 5*]), neque plura conferantur uni (vid. *Pluralitas beneficiorum*), et ut praeterea beneficium, quod confertur, fuerit vacans. Vid. *Vacatio beneficii.*

Aliquando ad rite conferendum beneficium ecclesiasticum requiritur etiam concursus, ut is eligatur, qui ceteris dignior est. Vid. *Concursus.*

1278 **Quibusnam possunt conferri.** — Conferri autem debent et possunt beneficia nonnisi personae idoneae (*c. 29 de praeb. etc. X.* [*III. 5*]), imo saepe saltem digniori. Vid. *Dignus, Beneficiatus.*

Quare necesse est, ut is, cui beneficium confertur:

a) sit ex legitimo matrimonio natus (*c. 20 de elect. etc. X.* [*I. 6*]), secus necessaria est dispensatio S. Sedis, si ei conferendum sit beneficium cum cura animarum, etsi sufficiens sit dispensatio episcopi, si agatur de beneficio sine cura animarum, *c. 1 de filiis presbyt. etc.* (*I. 11*) *in 6°;*

b) aetatem et scientiam pro beneficio ei conferendo requisitas habeat (Vid. *Aetas, Scientia*);

c) saltem sit clericus primae tonsurae (*c. 2 de institut. X.* [*III 7*]), et aliquando requiritur etiam aliquis ordo, sive iure communi, sive lege particulari fundationis;

d) ut morum probitate niteat, quare criminosus, infamis, ligatus censura, irregularis excluditur (cfr. Schmalzgr. *in tit. 14 lib. I Decret. n. 28 sqq.*);

e) habeat praeterea omnes qualitates, quae lege fundationis, seu legitima consuetudine pro aliquo beneficio iure requiruntur.

Generaliter autem non est necesse ut beneficia diocesanis tantummodo conferantur. Imo adscriptus servitio alicuius ecclesiae, qui eligitur ad aliquod beneficium in alia dioecesi, potest illud acceptare absque venia episcopi, etsi absque licentia episcopi e sua dioecesi discedere nequeat; interveniente autem iusta causa, potest episcopus a superiore cogi ad dandam licentiam discedendi. Bouix *de episcopo vol. II. p. 5. c. 24 § 2. prop. 2.*

De effectibus collationis. — Effectus 1279
collationis praecipui hi sunt: ius ad ipsum beneficium ante acceptationem, ius in beneficio post acceptationem (*c. 17 de praebendis etc.* [*III. 4*] *in 6°;* Schmalzgrueber *loc. cit. n. 62 sqq.*); vacatio prioris beneficii incompatibilis post adeptam pacificam alterius possessionem. Vid. *Institutio canonica; Pluralitas beneficiorum.*

Bibliographiam quaere sub *Beneficium.*

Collationes. — Potest episcopus 1280
compellere confessarios seculares ad assistendum collationibus seu conferentiis casuum de re morali, quas in sua dioecesi peragere curat; hoc tamen non potest quoad confessarios regulares. *S. C. EE. RR. 15 ian. 1682; S. C. C. in Forosempronien. 12 mai 1585, in Aquipendien. 12 mart. 1718; litt. S. C. super regul. discipl. 8 nov. 1752.* Attamen constitutione Clementis VIII «Nullus omnino» *25 iun. 1599* statutum est, ut «lectio s. Scripturae vel casuum conscientiae bis in hebdomada praescriptis diebus in singulis monasteriis et conventibus habeatur, ad quam fratres omnes conveniant, eaque absoluta, mutua collatione circa explicatam doctrinam sese utiliter exerceant». Hoc autem decretum Clementis VIII diligentissime observandum esse in omnibus omnino monasteriis seu conventibus (etiam parvis, in quibus tamen sint confessarii ab episcopo pro excipiendis secularium confessionibus approbati) inculcavit Sacra Congregatio super re-

gulari disciplina omnibus superioribus in Italia et insulis adiacentibus, et insuper addidit, eosdem confessarios regulares, si quando in dictis monasteriis seu conventibus decretum Clementis VIII et ordinum constitutiones circa conferentias casuum moralium ad unguem non observarentur, teneri et obligari ad interessendum conferentiis casuum moralium ab episcopis praescriptis pro dioecesi. *Litt. Sacrae Congreg. super discipl. regul. 8 nov. 1752.*

Etiam in missionibus opportunum visum est Sacrae Congregationi de Prop. Fide, ut constituerentur, ubi circumstantiae id non prohiberent, collationes ad casus morales discutiendos, quibus studium doctrinae moralis foveretur, ac amoveretur, quantum possibile est, opinionum difformitas. *S. C. P. F. ad vicarios apost. Ind. 8 dec. 1869.*

Pro regularibus vero Angliae et Scotiae a Leone, XIII statutum est, ut omnes missionum rectores cleri collationibus adesse ex officio debeant, simulque ut iisdem intersint vicarii quoque, aliique religiosi viri missionarii facultatibus concedi solitis instructi, qui hospitia parvasque missionum domos incolunt. *Const.* Leonis XIII « Romanos Pontifices » *8 maii 1881.*

1281 **Collecta.** — Collecta seu oratio, quae ab episcopo in missa dicenda imperatur (et imperari ab eo potest non solum pro re gravi, sed etiam pro re non gravi, sed ex causa rationabili, Quarti *p. 1. tit. 1. d. 8*), dici debet non tantum in secularium, sed etiam in regularium ecclesiis etsi exemptis, per modum obligationis et praecepti; imo ne licet quidem cessare ab ea recitanda, antequam ordinarius id iusserit. *S. R. C. decr. gen. 31 mart. 1821 ad 1 et 2* (*2613*). Haec extendenda pariter sunt ad oratoria, sive publica, sive privata, etiam regularium exemptorum, quum episcopus sit, ut patet ex Tridentino (*sess. XXII. decr. de obs. et evit. in cel. missae*), ordinator legitimus et exclusivus, abstractione facta a romano Pontifice, celebrationis missae in sua dioecesi. Hinc etiam sacerdotes exteri, non subditi, debent in celebratione missae recitare collectas praescriptas ab episcopo loci, ubicumque in dioecesi celebrent. *S. R. C. 5 mart. 1898* (*3985*).

Praelati regulares non possunt sine 1282
licentia episcopi subditis imponere, ut aliquam orationem in missa recitent, sive pro necessitate ordinis, sive pro necessitate quadam communi. *S. R. C. in una ord. Min. 27 mart. 1779 ad 6* (*2514*); De Herdt *Sacrae lit. prax. I. 72.*

Collectae dicendae sunt post omnes 1283
commemorationes et orationes, quae secundo et tertio loco praescribuntur in missa, sed ante orationes votivas, quas celebrans forte ad libitum adiungit. Si plures collectae imperentur, non sunt dicendae ordine temporis, quo praescriptae sunt, sed ordine dignitatis, et, si sumuntur ex missis votivis vel ex *orationibus ad diversa,* eo ordine, quo in missali ponuntur.

Attamen, si quando deberent dici oratio desumpta ex missis votivis in missali positis et oratio ex orationibus ad diversa desumpta, putat scri-

ptor ephemeridis Monitore ecclesiastico (*vol. XII. p. 470*), non semper esse prius dicendam orationem ex missa votiva desumptam, sed hanc regulam principalem statui debere, servandam esse dignitatem orationum; quare dicenda prius esset ex. gr. collecta pro papa, quam oratio pro iter agentibus.

1284 Notandum etiam est, ratione collectae nullam aliam orationem, neque tertiam ad libitum, omitti posse. *S. R. C. in Bergomen. 17 aug. 1709 ad 2* (*2198*).

Collectae tamen ab ordinario loci imperatae, quae simul cum orationibus a rubrica praescriptis septenarium numerum excedunt, omitti debent. *S. R. C. in una ord. FF. Minorum 19 ian. 1906.*

1285 Collecta, sive pro re gravi (*S. R. C. in una ord. Min. 16 apr. 1853 ad 3* [*3009*]), sive pro re non gravi imperata (*S. R. C. in Assisien. 15 maii 1819 ad 2* [*2597*]), omittenda est in omnibus missis in duplicibus primae classis, dominica Palmarum (*S. R. C. in Cotronen. 20 apr. 1822 ad 2* [*2618*]), vigiliis nativitatis Domini (*S. R. C. in Aquen. 3 mart. 1761 ad 2* [*2461*]) et Pentecostes, feria V in Coena Domini et sabbato sancto (*Miss. rom.*), nec non in votivis solemnibus (cfr. *decr. gen. 30 iun. 1896* [*3922*]); in duplicibus vero secundae classis in missis privatis legi vel omitti potest ad libitum celebrantis, in conventuali autem et in solemni debet omitti (*S. R. C. decr. cit. 15 maii 1819 ad 2*); aliis omnibus diebus, etiam dominicis adventus et quadragesimae (*S. R. C. decr. cit. 20 apr. 1822 ad 2*), dici debet.

Attamen nota, episcopum praecipere posse, ut collecta, pro re vere gravi imperata, dicatur etiam in duplici primae classis sub unica conclusione. *S. R. C. in Clodien. 7 aug. 1875 ad 3* (*3365*); *cfr. etiam decr. in una ord. Carm. 27 mart. 1773 ad 4* (*2494*). Et sic factum est sub Pio IX quoad collectam de Spiritu sancto, quam dicendam praescripsit litteris suis (*11 apr. 1869*) in omnibus missis et ubique. *S. R. C. decr. gen. 3 iul. 1869 ad 3* (*3211*).

Collectae pro defunctis in missis 1286
privatis non admittuntur, nisi in missis festorum simplicium et in ferialibus. *S. R. C. in una prov. Trev. 31 iul. 1665 ad 8* (*1322*).

Responsum fuerat in dominica XVII 1287
post Pentecosten, si fuisset imperata collecta sub n. 12 « Deus refugium » substituendam illi esse collectam sequentem sub n. 13 « Ne despicias » (*S. R. C. 28 maii 1835* [*Gard. n. 4746*]); ast hoc decretum in nova collectione expunctum est; quare, quum contra rubricas certo sit eamdem orationem bis in missa dicere, puto in casu collectam nunc fore omittendam.

Collecta de sanctissimo Sacramen- 1288
to, quae dicitur durante expositione sanctissimi Sacramenti, non est dicenda in illis missis, quae die expositionis faciendae ante ipsam expositionem celebrantur. *S. R. C. in Veronen. 27 aug. 1836 ad 6* (*2745*).

Si quando dicitur collecta pro epi- 1289
scopo, ipso praesente, sacerdos celebrans inclinare debet caput versus librum, non autem versus episcopum. *S. R. C. in una Arequipae 13 mart. 1700 ad 3* (*2049*).

Quoad collectam dicendam in anniversario electionis et consecrationis episcopi, vid. *Anniversarium*.

1290 **Collectio eleemosynarum.** — Pro religiosis feminis institutorum votorum simplicium eleemosynas quaeritare volentibus haec praecipua statuta sunt: sororibus votorum simplicium non licet eleemosynas quaerere sive intra dioecesim, in qua ipsae resident, sive extra, sine licentia ordinarii loci respectivae residentiae. Imo, quando volunt eleemosynas quaerere extra dioecesim suae residentiae, necesse etiam habent obtinere licentiam ordinarii illius loci, in quo eleemosynas quaeritare desiderant. Ordinarius loci, in quo exstat domus sororum quaeritare volentium, licentiam eis concedere non debet, si de vera domus vel pii operis necessitate sibi non constet, et si quaeritatio commode fieri possit per alios ab ipsomet ordinario designandos. Praeterea, si necessitati occurri valeat per quaeritationem in loco, ubi sorores resident, vel infra propriam dioecesim, ordinarius non debet iisdem impertiri licentiam colligendi eleemosynas extra dioecesim. Huiusmodi licentiae tradendae sunt ab ordinariis gratis et in scriptis, eisque possunt ordinarii adiungere leges et conditiones, quas pro locorum, temporum et personarum adiunctis magis opportunas in Domino iudicant. Licentia ordinarii residentiae debet continere litteras commissorias ad parochos, si eleemosynae quaerendae sunt intra dioecesim, ut sororibus invigilent eisque auxilio sint, eique ordinario statim referant, si quid minus rectum in ipsis resciverint; et commendatitias ad ordinarios aliarum dioecesium, si eleemosynae quaerendae sunt extra dioecesim, ut sorores huiusmodi protegant et adiuvent. Quisque loci ordinarius sorores ex aliena dioecesi advenientes ad eleemosynas colligendas non debet admittere, nisi prius eaedem licentiam proprii ordinarii sibi exhibuerint; et, si in eleemosynarum quaestu male se sorores gerant, debet eas iubere, statim in propriam domum redire, et etiam, si opus fuerit, opportunis mediis eas ad id compellere. Superiorissae, praesertim extra locum, ubi domus habent, numquam debent ad eleemosynas quaerendas mittere sorores, nisi binas, aetate et animo maturas, intra dioecesim non ultra mensem, extra dioecesim non ultra duos menses, et semper ea pecuniae summa instructas, qua, inopinato quocumque casu cogente, possint statim domum redire. Sorores quaeritantes praeter modestiam, qua enitere debent, numquam debent singulae incedere, neque ab invicem separari, nisi necessitate impellente. Iter facientes, si commode fieri potest, uti debent via ferrea, et, quantum possunt, de nocte neque ab uno loco discedere neque ad alium pervenire debent. De suo adventu futuro praemonere debent illum, cui datae sunt episcopi litterae, eique, quum pervenerint, se sistere, precesque adhibere, ut intercedat pro invenienda hospitalitate apud aliquod pium feminarum institutum vel saltem apud aliquam honestam mulierem, numquam vero in domo, ubi possunt in aliquod periculum offendere. Ante solis ortum et

post occasum debent eleemosynas per loca non quaeritare. Superiorissae, absque ulla petita licentia, possunt ad sublevandam domuum vel piorum operum, quibus praesunt, inopiam eleemosynas undequaque sponte oblatas accepto habere vel etiam per litteras impetrare, usquedum a legitimo superiore rationabili ex causa non prohibeantur. — Haec fere ad verbum sancita sunt in decreto *S. C. EE. RR. 27 mart. 1896.*

1291 *Pro religiosis autem viris, qui eleemosynas colligere volunt, nuper prodiit sequens decretum S. Congregationis religiosorum:*

« De eleemosynis colligendis gravis quaestio, quae iam anteactis saeculis non semel agitata fuit, hodie praesertim, ob peculiaria rerum ac temporum adiuncta, in praxi maiores ac frequentiores praesefert difficultates.

Quibus ut occurreret, S. Congregatio Episcoporum et Regularium, omnibus mature perpensis, die 27 martii 1896 promulgavit decretum *Singulari quidem,* quo colligendarum eleemosynarum ministerium opportunis pro hodierna humanae societatis conditione communiebatur cautelis. Attamen mulierum dumtaxat respiciebat sodalitates. Quo autem et virorum institutis religiosis melius provideretur, eidem Sacrae Congregationi, in plenario consessu die 8 maii anni 1908 habito, visum est pro his quoque nonnullas apponere quaestuationum normas; quas, ex Secretaria supradictae Congregationis Episcoporum et Regularium acceptas, sacra Congregatio negotiis religiosorum sodalium praeposita, de mandato SSmi Dni. Nostri Pii divina providentia PP. X, publici iuris facit.

I. *Quoad ordines mendicantes.*

1° Regulares, qui mendicantes vocantur et sunt, ex institutione Sedis Apostolicae cum sola licentia superiorum suorum eleemosynas quaerere valeant in dioecesi, ubi erectus est conventus. Ordinariorum licentia necessario censenda est data in ipso actu, quo conventus fundationi consensum praebuerunt.

2° Si vero iidem regulares extra dioecesim, ubi conventus habent, stipem quaeritare velint, ordinarii illius dioeceseos licentia, per suos superiores in scriptis obtenta, indigent.

3° Ordinarii praecipue limitrophes hanc licentiam absque gravioribus urgentioribusque causis ne denegent, si aliquis conventus ex quaestuatione in sola dioecesi, ubi erectus est, vivere nullimode possit, ut in parvis dioecesibus contingere solet.

4° Quae licentia intelligitur habitualis, usque nempe ad expressam revocationem; quae quidem revocatio, ut par est, nonnisi legitimis de causis, iisque tantum perdurantibus, facienda est.

5° Ut mendicantes praefato iure gaudeant, per seipsos, non autem per personas ordini extraneas, eleemosynas colligere debent.

6° Regulares quaestuantes semper secum habere debent litteras authenticas, quibus constet de debita facultate deque officio quaestuationis sibi commisso. Quas litteras parochis ultro exhibere tenentur; necnon ordinariis, quoties ab ipsis requirantur.

7° Non licet superioribus regularibus ad hoc opus mittere nisi religiosos aetate et animo maturos; numquam eos, qui studiis adhuc incumbunt.

8° Religiosi eleemosynas collecturi ne pergant soli sed bini, praesertim extra urbem seu locum, ubi habent conventum, seclusa gravis necessitatis causa; quo in casu quaestuarius publice notus sit oportet atque aetate, virtute ac fidelium aestimatione omnino commendatus.

9° Porro extra locum conventuum quaestuantes, apud parochos vel apud alios clericos seculares vel regulares, aut, iis deficientibus, apud aliquem pium benefactorem, christiana honestate et virtute conspicuum, divertant.

10° Extra propriam domum ne maneant ultra mensem, si in propria dioecesi; non ultra duos, si in alia eleemosynas quaerant; neque iidem denuo mittantur, nisi postquam per unum vel respective duos menses vitam communem iuxta regulam et constitutiones in conventu exegerint, prout uno vel duobus mensibus extra claustra degere debuerint.

11° Qui in ipso loco, ubi situs est conventus, stipem corrogant, noctu extra propriam domum nequaquam manebunt.

12° Religiosi quaestuantes semper illa, qua decet, humilitate, modestia, munditie eniteant; secularium, praesertim mulierum, cuiuscumque sint conditionis, familiaritatem caveant; loca suae professioni minime congrua omnino devitent; pietatem sincere foveant atque spiritualia exercitia in religione ipsorum solita pro viribus fideliter adimpleant.

13° Superiores regulares, graviter onerata eorum conscientia, ne omittant quaestuariis suis normas agendi, quas prudentia suadet, opportunas praescribere.

14° Si vero, quod absit, regulares quaestuantes notorie deliquerint, fidelibus scandalum praebuerint, vel etiam contra legitimam prohibitionem eleemosynas colligere ausi fuerint, ordinarius loci iubeat eos in propriam domum redire, atque etiam tamquam Apostolicae Sedis delegatus superiores moneat, ut illos corrigant et pro gravitate scandali puniant; quod si secus fecerint, quamprimum ad Sanctam Sedem recurrat.

II. *Quoad ordines vel instituta religiosa non mendicantium.*

1° Religiosi sive ordinum sive congregationum *iuris pontificii,* qui privilegium quaeritandi eleemosynas neque vi propriarum constitutionum a S. Sede approbatarum, neque vi apostolicae concessionis gaudent, veniam Apostolicae Sedis impetrare debent, ut quaestuationes instituere valeant; praeterea licentiam per suos superiores ab ordinario loci obtinere tenentur, nisi forte S. Sedes in hoc expresse et specialiter iuri episcopi derogaverit, quod numquam praesumi potest, sed indubitatis documentis probari debet.

2° Religiosi vero, qui sunt *iuris dioecesani,* opus colligendi eleemosynas nequaquam aggredi poterunt, nisi licentiam obtinuerint tum ab ordinario loci, in quo resident, tum etiam, si extra dioecesim propriae residentiae

abituri sint, ab ordinario loci, in quo stipem quaerere desiderant.

3° Ordinarii autem locorum, si opportunum visum fuerit, pro unaquaque domo cuiusque religiosi suae dioeceseos instituti, sive iuris pontificii sive dioecesani, emendicato viventis, limites quaestuationis constituere possunt et respective servandos curare, praesertim ubi sunt conventus regularium nomine et re mendicantium; nec huiusmodi religiosis non mendicantibus quaeritandi licentiam concedant, nisi sibi constet de vera domus vel pii operis necessitate, cui alio modo occurri nequeat; et si necessitatibus provideri potest per quaestuationem in loco vel districtu, in quo religiosi resident, aut intra dioecesim, instituendam, ampliorem licentiam nequaquam concedant.

4° Ordinarius porro illius dioeceseos, ad quam isti religiosi aliarum dioeceseon eleemosynas quaesituri accedant, collectas eis minime permittat, nisi prius per se vel per suos ad hoc delegatos, praeter litteras obedientiales proprii superioris, facultatem, vel Apostolicae Sedis si sunt iuris pontificii, vel proprii ordinarii si sunt iuris dioecesani, recognoverit et huius decreti praescriptis conformem invenerit.

5° Insuper ordinarius sedulo advertat, utrum qui pro missionibus exteris subsidia quaerunt, praeter litteras commendatitias vicarii vel praefecti apostolici respectivae missionis et litteras obedientiales moderatoris generalis proprii instituti, habeant quoque facultatem a S. Congregatione de Propaganda Fide in forma authentica recenter datam.

6° Licentiam colligendi eleemosynas ordinarii concedant gratis et in scriptis, notatis semper (sive ad calcem litterarum obedientialium sive in documento separato) tum nominibus religiosorum, qui ad colligendas eleemosynas designati sunt, tum nomine ordinis vel instituti, ad quod pertinent, tum loco et tempore, pro quibus licentia valitura sit.

7° Licentias loco et tempore generales religiosis huiusmodi nequaquam concedent ordinarii, sed potius invigilabunt, ne sive quaestuantes, sive praetextu quaestuationis, extra propriam domum maneant ultra mensem, si in propria dioecesi; aut ultra duos menses, si in aliena eleemosynas quaerant; neve iidem denuo mittantur, nisi postquam per unum, respective duos menses, in suo conventu degerint, prout uno vel duobus mensibus foris manserint.

8° Ut religiosi ordinariorum facultate colligendi eleemosynas uti valeant, id per se, non per alios, facere debent.

9° Ad haec et ipsi fideliter observent, quae supra pro religiosis ordinum mendicantium sancita sunt, parte I, art. 6, 7, 8, 9, 11, 12, 13.

10° In casu tandem, quo hi religiosi quaestuantes contra legitimam prohibitionem eleemosynas collegerint, vel, quod Deus avertat, male se gesserint scandalove fidelibus fuerint, ordinarius loci, etiam tamquam Sedis Apostolicae delegatus, eos pro gravitate delicti et scandali opportunis remediis coërceat et in propriam domum

a suis superioribus puniendos remittat.

Datum Romae, ex Secretaria supradictae sacrae Congregationis negotiis religiosorum sodalium praepositae, in festo Praesentationis B. M. V., die 21 Novembris 1908.

1292 Ut discordia inter missionarios diversorum vicariatuum non exoriretur, in Indiis prohibitum fuit a S. Congregatione de Prop. Fide, ne missionum praesules collectas in aliis missionibus inconsulto superiore (nempe alterius missionis superiore) faciant. *S. C. P. F. ad vic. ap. Indiar. 8 sept. 1869.*

1293 Quum graeci quidam praetextu religionis eleemosynas in Europa colligerent, quibus saepe non bene utebantur, Innocentius XI per decretum Sacrae Congregationis de Prop. Fide (*29 ian. 1677*) omnibus et quibuscumque ecclesiasticam iurisdictionem sive ordinariam, sive delegatam habentibus in virtute sanctae obiedentiae inhibuit, ne quibuscumque graecis, tam secularibus quam ecclesiasticis, etiam regularibus, quacumque dignitate, quamvis abbatiali, seu archimandritali, episcopali, metropolitica, archiepiscopali sive patriarchali fulgentibus, tacite, vel expresse, sub quocumque praetextu, permitterent pecunias quaestuare vel quovis alio modo eleemosynam a fidelibus petere. Hoc decretum confirmavit Alexander VIII litteris in forma brevis datis *21 oct. 1690;* et postea Clemens XII litteris suis apostolicis *26 mart. 1736.* Hanc prohibitionem recenter iterum inculcavit Sacra Congregatio de Propaganda Fide, extenditque, ut videtur, omnibus tum ecclesiasticis tum secularibus ritus orientalis, voluitque, ut huiusmodi quaestuantes nec admitterentur, nec tolerarentur, nisi ab eadem Sacra Congregatione formalem et explicitam veniam quoad hoc habuerint, in forma authentica et recenter concessam. *Litt. encycl. S. C. P. F. 24 sept. 1882.*

Collectores missarum. — Iam ipse 1294
Bened. XIV constit. «Quanta cura» (*30 iun. 1741*) commemorat et damnat abusum eorum, qui stipendia a fidelibus erogata, ea mente *colligunt,* ut in aliis dioecesibus missae celebrentur, ubi taxa eleemosynae minor est, retenta sibi parte eleemosynae. Hunc abusum exsecrabilem vocat, et gravibus plectit poenis. Quem abusum semper ecclesia detestata est, et novissimis etiam decretis exstirpare studuit. Et recentia haec decreta respiciunt praesertim collectionem stipendiorum a bibliopolis seu mercatoribus factam. De hoc sub *Stipendium.*

Colligentes eleemosynas maioris 1295
pretii, et ex iis lucrum captantes, faciendo missas celebrare in locis, ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent, excommunicationem incurrunt latae sententiae romano Pontifici simpliciter reservatam (*Const.* «Apostolicae Sedis» *serie 2 num. 12*); etiamsi in eodem loco, ubi collegerunt, pro minori pretio eas faciant celebrare. *S. U. I. 12 ian. 1892.*

Quoad hanc excommunicationem nota, eam incurri ab iis, qui stipendia missarum colligunt, et colligentes lucrum captant, faciendo eas celebrare ubi (sive alibi, sive ibidem) stipendia missarum minoris pretii (ex consuetu-

dine, vel ex lege synodali seu episcopali) esse solent. Quare ante omnia necesse est, ut quis stipendia missarum *colligat,* idest collectoris munus exerceat; quod importare videtur huiusmodi stipendia quaerere, et in unum quasi cumulum conservare. Quare non incurrit excommunicationem (nunc de peccato non est quaestio) sive ille, cui missae per seipsum celebrandae traduntur, etsi eas per alios, quibus minus tradat stipendium, faciat celebrare; sive ille, cui sponte deferuntur plures missae per alios celebrandae; sive ille qui ab uno vel altero pauca tantum huiusmodi stipendia quaerit, dummodo talis sit collectio, ut nullam (nec tenuem nec magnam) videatur exercere negotiationem, quod in aestimatione boni viri debet esse. B. P. *VII. 311;* D'Annib. *Comm. in constit. « Apost. Sedis » n. 139.*

Necesse est praeterea, ut agatur de stipendiis missarum manualium (contra alios, qui volunt hic comprehendi missas quoque perpetuas, sive exceptis, sive non exceptis his, quae cohaerent beneficiis ecclesiasticis); quod satis indicari verbo ipso *colligentes* videtur tum Ballerini-Palmieri (*loc. cit.*) tum D'Annibale (*loc. cit.* [*3*]), et quia, ut bene arguit D'Annibale (*loc. cit.*) in dubiis leges posteriores ad priores trahendae sunt (et const. Bened. XIV « Quanta cura » de missis tantum manualibus loquitur), poenasque interpretatione exasperare a iure alienum, a const. « Apost. Sedis » alienissimum est.

Necesse etiam est, ut collectis eleemosynis maioris pretii, missas quis celebrare faciat minori stipendio sive hoc fiat in loco, ubi stipendia collecta sunt, sive alibi. Quare advertit D'Annibale (*loc. cit.* [*10*]), eum effugere excommunicationem, qui colligit stipendia iuxta taxam consuetudine seu lege statutam, easque missas alibi celebrare facit, si in eo loco, ubi de facto celebrantur, stipendia missarum solent esse eiusdem vel maioris pretii, quamvis ipse stipendia minora tradat. (Sed, an constitutio « Apostolicae Sedis » intelligit maius pretium quod excedit taxam, ut accipit D'Annibale, an potius quod excedit stipendium datum pro celebratione?)

Tandem necesse est, ut ex hac agendi ratione lucrum captet; quare is excommunicationem non incurrit, qui id faceret, ut id, quod retinet, sibi retineat, quasi tamen laboris sui pretium seu compensatio, vel quasi eleemosyna, dummodo revera sit pauper (B. P. *loc. cit.;* D'Ann. *loc. cit.*), vel in pios usus convertat, imo, ut videtur, etsi collegerit, ut lucrum captaret, de facto tamen convertit in pios usus, nam is de facto lucrum non captat; excommunicantur autem colligentes stipendia et ex iis lucrum captantes. E contra ille, qui non colligit, ut lucrum captet, sed occasione permotus velut casu et praeter intentionem in suum commodum interverterit, videtur excommunicationem incurrere; nam intentio non immutat naturam rei, et is de facto colligit et lucrum captat, et proinde mercimonium exercet. Quod cum reverentia dixerim contra doctissimum D'Annibale (*l. c.*) aliter sentientem.

Ultimo loco adnotandum est, excommunicationem incurri tunc tantum,

quum quis ex collectis eleemosynis lucrum captat, nempe grave; nam, si adeo parvum sit, ut nec lucrum dici possit, cessat excommunicatio, quamvis forte grave furtum non cesset. Pennacchi *tom. I pag. 983;* D'Annibale *l. c.* Ratio autem est, quia excommunicatio non incurritur, nisi consummato delicto.

1296 **Collegia.** – Optimum profecto consilium est, ut instituantur tum in regionibus catholicis, tum in missionibus, collegia ad instituendos adolescentes, qui in domo parentum quacumque ex causa non aeque bene institui possent. Huic assertioni probandae argumento est vel illud solum, quod hodierni ecclesiae hostes conantur, ut huiusmodi collegia penitus destruant. Hinc est, quod ecclesia hoc fieri semper curavit, in missionibus quoque, opportuna tradens monita, quae ad rei christianae incrementum in his praesertim regionibus conducere videbantur. Quare S. Congr. de Prop. Fide in instructione ad vic. ap. Sin. data optandum dixit, ut singuli vicariatus huiusmodi collegia haberent; monuitque, satis esse ab exiguis convictibus exordia capere, neque de magno numero alumnorum obtinendo anxium quempiam sollicitudine detineri, iisque adscribendos esse divitum praesertim filios, qui modicam saltem pro victu et vestitu pensionem solvere, valerent. *S. C. P. F. ad vic. ap. Sin. 18 oct. 1883.*

1297 Quod autem in missionum collegiis aliquam in praxi difficultatem parit, illud est, utrum in iis admittendi necne sint iuvenes acatholici. Et Sacra Congregatio de Propag. Fide tamquam principium retinuit, ut in collegiis acatholici, quantum fieri posset, non reciperentur; verum persenserunt S. Roman. Congregationes hoc non ubilibet fieri posse, censueruntque collegia mixta, sicubi gravis ratio id suaderet, posse tolerari (*S. U. I. 8 mart. 1882*); attamen cum debitis cautelis. Hinc S. Congregatio S. Officii quoad collegium Leopoli a sororibus a sacratissimo Corde Dni. Nri. Iesu Ch. fundatum, in quo schismaticas alumnas, quae bonam indolem praeseferrent, permisit admitti, sequentia voluit servanda. Ut nempe alumnae schismaticae non obligarentur ad assistendum missae sacrificio aliisque functionibus ecclesiasticis, verum id earum arbitrio relinqueretur, vetito tamen, ne umquam disputationes cum puellis catholicis haberent de rebus ad religionem spectantibus; ne templum adirent schismaticum a schismaticis ministris sacramenta recepturae, quod, si in aliquo casu id impediri nullo modo posset, sorores passive se haberent; et pariter vetito, ne puellae ab amicis et coniunctis, exceptis parentibus et tutoribus, absque licentia ordinarii visitarentur; de quibus omnibus clare et explicite instructi fierent, et iis consentirent parentes vel tutores earumdem puellarum, antequam ipsae ad collegium admitterentur. *S. U. I. 11 iun. 1866.* Praesertim autem curandum est, ut ex admissione alumnorum schismaticorum nullum, ne minimum quidem, perversionis vel indifferentismi periculum alumnis catholicis subsit; quare generatim curandum, ne acatholico-

rum numerus numero catholicorum superior sit. Cfr. *litt. cit. S. U. I. quoad parvum Sem. Graeco-Ruth. 8 mart. 1882.*

Et quia perversionis periculum facilius timetur ex admissione acatholicorum vel acatholicarum ad communem vitam in collegiis diu noctuque degendam, quam ex eorumdem admissione ad scholas tantum, seu ad permanentiam in collegiis solummodo per diem, eadem S. Congregatio Univ. Inquisitionis faciliorem se praebuit pro alumnis externis, quos vocant, quam pro internis. Hinc recenter interrogata a moderatricibus cuiusdam instituti ad puellas rite educandas, an possent retinere tres alumnas acatholicas iam admissas, respondit: « Tres alumnas iam receptas tolerari posse, modo absit quodvis perversionis periculum catholicarum alumnarum; qua de re sedulo a moderatricibus advigilandum. Quoad ceteras, pro internis negative; pro externis recurrant in singulis casibus, semper exceptis apostatarum filiabus ». S. *U. I. 6 dec. 1899.* Vid. *Scholae.*

1298 Quoad collegia et collegiorum scholas atque convictus, qui in locis missionum habentur a religiosis viris directi, quaesitum est, num potestas quoad ipsos ad superiorem regularem, an ad vicarium apostolicum spectaret. Et Sacra Congr. de Prop. Fide respondit tum regimen horum institutorum, tum personarum in iis destinationem ad superiores regulares spectare iuxta societatis (agebatur enim de religiosis Soc. Iesu) constitutiones. *S. C. P. F. 18 ian. 1886.*

1299 **Collegiata.** — Collegiata est capitulum canonicorum constitutum in ecclesia non cathedrali.

Ad eam erigendam necessaria est 1300
omnino auctoritas Romani Pontificis. Cfr. *S. C. C. in una Montisfalisci 25 dec. 1856.* Hinc collegiata (ecclesia nempe abusive sic dicta) ab episcopo erecta sine confirmatione Sedis Apostolicae, nullo modo frui potest privilegiis et praerogativis ecclesiarum collegiatarum (*S. R. C. in Caputaquen. 3 iul. 1627* [*437*]; *S. C. C. in Salisburgen. 16 dec. 1905*); huic tamen collegiatae, si postea accesserit auctoritas apostolica, ea frui potest huiusmodi praerogativis et iure praelationis a die expeditionis litterarum apostolicarum. *S. R. C. in una Montis Regalis 4 aug. 1657 ad 4* (*1034*).

Canonici ecclesiarum collegiatarum 1301
in concursu cum capitulo cathedralis non debent incedere in processionibus cum vestibus sacris, sicut incedunt canonici cathedralis. *S. R. C. in Placentina 19 maii 1607 ad 18* (*235*); *in Balneoregien. 2 iul. 1640* (*706*); *in Regien. 2 iul. 1640* (*707*); etc. Verum in processione Corporis Christi, quam sine interventu canonicorum ecclesiae cathedralis peragunt, possunt incedere cum planetis. *S. R. C. in Urbevetana 26 apr. 1704* (*2136*).

Canonici ecclesiae collegiatae in publicis processionibus, functionibus et synodis praeferendi sunt omnibus curatis et presbyteris ecclesiarum parochialium et aliarum ecclesiarum simplicium. *S. R. C. in Verulanen. 11 dec. 1613* (*317*); *in Milevitana 5 febr. 1639* (*664*); *in una Mont. Reg. 4 aug. 1657 ad 1* (*1034*), *2 iul. 1661* (*1200*).

1302 Capitula collegiata, non obstante qualibet consuetudine contraria, tenentur ad missam conventualem de vigilia et feriis, praeter missam festi currentis, diebus, quibus hae missae iuxta rubricas occurrunt. *S. R. C. in Seguntina 19 sept. 1654 ad 4* (*970*).

1303 Canonici collegiatae, si quando episcopus ad ipsorum ecclesiam venit solemniter celebraturus, tenentur eum associare et reassociare usque ad domum cum toto clero et elata cruce, nec tantum solemnioribus diebus, sed toties quoties ad ecclesiam pontificaliter vult accedere. *S. R. C. in Pisana 24 iul. 1683* (*1712*).

Quoad praecedentiam canonicorum collegiatarum supra alumnos seminarii, vid. *Seminarium*. Vid. *Capitulum*.

Wagner De capitulis collegiatis eorumque privilegiis: *Hommel* De ecclesiarum cathedralium et collegiatarum capitulis; *Schuberth* De origine et conditione ecclesiarum collegiatarum. Reliquam bibliographiam quaere sub *Canonici* et sub *Capitulum*.

1304 **Collocutio.** — Laici frequentantes monasteria monialium stricte dictarum excommunicationem ferendae sententiae; clerici suspensionem per episcopum imponendam (*c. 8 de vita et hon. cler. X.* [*III. I*]); regulares, etiam quoad moniales sui ordinis, aliasve intra clausuram degentes, ex quavis causa ultra horae quadrantem cum iis colloquentes, privationem vocis activae et passivae, nec non officii ipso iure incurrunt. *Decr. Sixti V a. 1590; S. C. C. 4 maii 1669 decr. approb. a Clemente IX.* Probabiliter excipitur abbatissa extra Romam. S. Alph. *VII. 238*. Frequentia autem in hoc consistit, quod quis tribus diebus continuis, vel semel singulis mensibus per annum circiter, aut quater in hebdomada monasterium adeat. Gury Ball. *II. 804*.

1305 Urbanus VIII per decretum Sacrae Congreg. Episcoporum et Regularium (*XIII kal. dec. a. 1632*) tribuit ordinariis facultatem concedendi quater in anno licentiam regularibus, ut moniales sibi in primo et secundo gradu consanguineas alloqui possent. Regulares, qui vellent moniales alloqui sibi in his gradibus consanguinitatis non coniunctas, tenebantur veniam petere et obtinere a sacra Congregatione episcoporum et regularium. Verum postea quaesitum est a s. Congr. Concilii: « An regulares accedentes ad colloquendum cum monialibus sine licentia episcopi peccent mortaliter? » et responsum est *26 nov. 1682* (alii ponunt *26 nov. 1672*): « Affirmative, etiam ex rationabili causa, quando non adest licentia etc. ». Quare nonnulli dubitarunt, an antiquiora decreta vim suam retinerent, et num hodie ordinarii licentia sufficiat, an potius requiratur adhuc venia S. C. religiosorum iuxta praescriptionem Sixti V et Urbani VIII. In animadversione quadam ad decretum quoddam S. Congr. Episc. et Regul. (*in Neapolitana 6 dec. 1838*) apposita in collectanea (Bizzarri) decretorum eiusdem Congregationis putatur, non obstante hoc decreto S. Congreg. Concilii, decreta antiquiora valere adhuc, quum decretum illud factum non fuerit nomine et auctoritate Pontificis, nec ullam con-

tineat derogationem decretis Sixti V et Urbani VIII praecedentibus. Verum s. Alphonsus (*VII. 232*) iam suc tempore contrarium putavit, non tantum ,huic decreto Congr. Concilii, sed et constitutioni « Gravissimo » Ben. XIV (*31 oct. 1749*) inhaerens; et ait: « in ea constitutione refertur vetitum fuisse regularibus a Sacra Congregatione accedere sine licentia episcopi ad monasteria monialium, etiam ipsis subiecta. His autem positis videntur hodie regulares (quidquid alia decreta prius statuerint, quae in desuetudinem abierunt) licite posse accedere toties quoties ad colloquendum cum monialibus ex licentia episcopi ». Quae sententia ex ipsa auctoritate s. Alphonsi fit tuta in praxi, vel saltem nunc consuetudine videtur cohonestari.

1306 Quoad recentiora instituta notandum est, in normis recenter editis (*28 iun. 1901*), secundum quas Sacra Congr. Episc. et Regul. (seu nunc s. Congreg. religiosorum) procedere solet in approbandis novis institutis votorum simplicium, cautum esse, ut « iis sororibus, quae licentia obtenta adeunt conclave pro recipiendis hospitibus destinatum (vulgo dictum *locutorium*), a superiorissa plerumque socia addatur » *a. 175*. Articulo vero sequenti statuitur, ut sorores possint absque socia alloqui aliquando proprios genitores aut primi gradus consanguineos.

1307 **Colloquia.** — Colloquia de re turpi ob delectationem veneream habita, vel cum eius periculo proximo, sunt gravia; si vero absit prava intentio, periculum et scandalum, nullum sunt peccatum. Habita cum personis diversi sexus periculosa valde, sed non semper mortalia sunt. B. P. *II. 987 sqq.*; G. B. *I. 419 sq.*

Color. — Color vestium in missa 1308
in ritu romano est de praecepto, sed per se non sub gravi; hinc satius est quocumque die facere sacrum in quocumque colore, quam illud omittere; quare omnis rationabilis causa excusare videtur. Cfr. s. Alph. *VI 378 dub. 5.* — Admittuntur pro vestibus sacris color albus, ruber, viridis, violaceus et niger. Rubric. gen. miss. *tit. XVIII n. 1.*

Et ecclesia romana *albo* colore 1309
utitur: a vesperis vigiliae Nativitatis Domini usque ad octavam Epiphaniae inclusive, exceptis festis martyrum, quae intra eam veniunt; in festo SS. Nominis Iesu; Feria V in Coena Dni., et Sabbato sancto in officio missae, et ab illo die usque ad sabbatum in vigilia Pentecostes ad nonam in officio de tempore, praeterquam in missa Litaniarum et Rogationum; in festo SS. Trinitatis; in festo Corporis Christi; in festo Cordis Iesu; in festo Transfigurationis Domini; in festis B. Mariae Virginis, praeterquam in benedictione candelarum et processione, quae fit in festo Purificationis eiusdem; in festis angelorum; in nativitate S. Ioannis Baptistae; in principali festo S. Ioannis Evangelistae, quod celebratur infra octavam Nativitatis Domini; in utraque cathedra S. Petri; in festo S. Petri ad vincula; in conversione S. Pauli; in festo omnium sanctorum; in festis confessorum pontificum et non pontificum et doctorum; in festis ss. virginum non

martyrum, et nec virginum nec martyrum; in dedicatione et consecratione ecclesiae vel altaris, ac in consecratione summi Pontificis, et in anniversario creationis et coronationis eiusdem, et electionis et consecrationis episcopi; item per octavas praedictorum festorum, quae octavas habent, quando dicitur missa de octava, et in dominicis infra eas occurrentibus, quando in eis fit officium de dominica, praeterquam in illis dominicis, quibus tributus est color violaceus; in missis votivis supradictorum festorum, quocumque tempore dicantur; et in missa pro sponso et sponsa.

1310 *Rubeo* colore utitur: a vigilia Pentecostes in missa usque ad sabbatum sequens, finita nona et missa; in festis S. Crucis et pretiosissimi Sanguinis Domini; in decollatione S. Ioannis Baptistae; in natali Ss. Apostorum Petri et Pauli, et in festis aliorum apostolorum (exceptis festo principali S. Ioannis evangelistae post Nativitatem Domini; et festis conversionis S. Pauli, et cathedrae S. Petri et eius vinculorum); in festo S. Ioannis ante portam latinam; in commemoratione S. Pauli apostoli; in festis martyrum, excepto festo Ss. Innocentium, quando non venerit in dominica, si autem in dominica venerit, utitur rubeo, in eius vero die octava semper utitur rubeo, quocumque die occurrat; in festis ss. virginum martyrum et martyrum non virginum; item per octavas praedictorum festorum, quae octavas habent, quando fit de octava, et in dominicis infra eas octavas occurrentibus, eodem modo ut dictum est supra de colore albo; item in missis votivis praedictorum festorum et in missa pro eligendo summo Pontifice.

Viridi colore utitur: ab octava 1311
Epiphaniae usque ad septuagesimam, et ab octava Pentecostes usque ad adventum exclusive, in officio de tempore, excepta dominica Trinitatis, ut supra, ac exceptis dominicis infra octavas occurrentibus, in quibus color octavarum servatur, exceptis etiam vigiliis et quatuor temporibus, ut infra.

Violaceo colore utitur: a prima 1312
dominica adventus in primis vesperis usque ad missam vigiliae Nativitatis Domini inclusive; et a septuagesima usque ad sabbatum sanctum ante missam inclusive, in officio de tempore, excepta feria V in Coena Domini, in qua utitur albo, et feria VI in Parasceve, in qua utitur nigro, ut infra, et benedictione cerei in sabbato sancto, in qua diaconus, illius praefationem dicens, solus utitur albo, ea autem finita, violaceo, ut prius; item in vigilia Pentecostes ante missam a prima prophetia usque ad benedictionem fontis inclusive; in quatuor temporibus et vigiliis, quae ieiunantur, exceptis vigilia et quatuor temporibus Pentecostes; in missa Litaniarum in die S. Marci evangelistae, et Rogationum, et in processionibus, quae his diebus fiunt; in festo Ss. Innocentium, quando non venerit in dominica; in benedictione candelarum in die Purificationis B. Mariae, et in benedictione cinerum ac palmarum, et in ipsa dominica in Palmis, et in earumdem ac generaliter in omnibus processionibus, in missis de passione Domini, pro quacumque necessitate, pro peccatis, ad postulandam gratiam

bene moriendi, ad tollendum schisma, contra paganos, tempore belli, pro pace, pro vitanda mortalitate, pro iter agentibus, et pro infirmis.

1313 *Nigro* colore utitur: feria VI in Parasceve et in omnibus officiis et missis defunctorum. *Rubr. gen. miss. loc. cit. n. 2 sqq.*

1314 In die commemorationis omnium defunctorum, si quando habetur expositio Ss. Sacramenti pro oratione XL horarum, missae pro defunctis celebrandae sunt in colore violaceo, quo excepto casu, in missis defunctorum semper color niger est adhibendus. *S. R. C. decr. gen. 27 iun. 1868* (*3177*); *decret. gener. 9 iul. 1895* (*3864*).

1315 Color paramentorum in missis de instrumentis passionis Domini, ubi permittuntur, est rubeus et non violaceus. *S. R. C. in una de Venezuela 23 apr. 1875 ad 2* (*3352*).

1316 Color albus praescriptus in missa de SS. Corde Iesu non solum adhibendus est, quum dicitur missa *Egredimini* cum praefatione Nativitatis, sed retinendus est etiam, quum dicitur missa *Miserebitur* cum praefatione passionis. *S. R. C. in Nitrien. 15 nov. 1890* (*3737*).

1317 In missa commemorationis omnium sanctorum, quorum reliquiae in ecclesiis asservantur, adhibendus est color rubeus. *S. R. C. in una ordin. Excalc. S. Aug. 17 aug. 1771* (*2492*).

1318 Paramenta varii coloris, item flavi (*S. R. C. in Fesulana 26 mart. 1859* [*3082*]; *in Syren. 5 dec. 1868 ad 4* [*3191*]), vel caerulei (*S. R. C. in Veronen. 16 mart. 1833 ad 4* [*2704*]; *in una Cong. Obl. B. M. V. 23 febr. 1839 ad 2* [*2788*]) prohibentur.

Imo videtur etiam prohibitum uti paramentis telae aureae pro rubro et viridi. Nam S. Congregatio Rituum de hoc interrogata respondit negative *in Adrien. 29 mart. 1851 ad 5* (*2986*). Nec videtur obstare aliud decretum *in Papien. 20 nov. 1885 ad 2* (*3646*); nam Sacrae Congregationi proposita est quaestio: An in *dictis* paramentis (nempe in pluvialibus, quae assumere solent canonici omnes cathedralis in functionibus pontificalibus) tela aurea admitti potest pro coloribus tum albi, tum rubri, tum viridis? et S. Congregatio respondit: « *In casu* potest adhiberi tela aurea, ratione pretiositatis ». Quare responsio, ut ex verbis ipsis patet, refertur ad casum omnino particularem, et non agit de paramentis celebrantis. Quare tela aurea tantummodo pro albo colore adhiberi posse videtur, et ut pro eo adhibeatur fert generalis consuetudo. Sicubi tamen adesset consuetudo utendi paramentis ex tela aurea etiam pro rubro et viridi (nam pro nigro et violaceo certe numquam licet), ea tolerari posset (*S. R. C. in una de Guadalaxara 28 apr. 1866* [*3145*]), iisque licet uti praesertim in ecclesiis pauperioribus, quae paramenta singulorum colorum a rubrica praescriptorum sibi procurare non valent. *S. R. C. in Syren. 5 dec. 1868 ad 4* (*3191*). Telam quoque argenteam pro albo colore adhiberi posse, palam est. *S. R. C. decr. cit.* (*3646*) *ad 3.*

Caligae, sandalia et chirotecae epi- 1319
scopi debent esse coloris ipsorum paramentorum (*S. R. C. in Lincien. 17 maii 1890 ad 2* [*3729*]); non item mitra, quae tolerari omnino nequit co-

loris rubei vel violacei, etsi paramenta sint illius coloris (*S. R. C. decr. nuper cit. ad 1*), sed debet omnino esse alba. *Cer. episc. lib. 1. c. 17.*

1320 In *processionibus* generaliter colore violaceo utendum est. *Rubr. gen. miss. tit. XVIII n. 5; Rit. rom. tit. IX c. 4.* Excipiuntur tamen processiones SS. Sacramenti, processiones quae fiunt diebus solemnibus vel pro gratiarum actione (*Rubr. gen. miss. l. c.*); et processiones quae fiunt in translatione reliquiarum insignium, in quibus adhibendus est color sancto, de quo agitur, conveniens. *Rit. rom. tit. cit. c. 14.*

Attamen, si quando facienda est processio SS. Sacramenti statim post missam solemnem, quae cantata fuerit in paramentis coloris non albi, ex. gr. coloris violacei in dominicis adventus seu quadragesimae, celebrans et ministri uti possunt paramentis coloris dictae missae convenientis, sed uti debet celebrans velo humerali albo. *S. R. C. in Taggen. 9 iul. 1678 ad 6 (1615).* — Vid. *Celebratio missae, Paramenta sacra.*

Bibliographiam quaere sub *Paramenta sacra.*

1321 **Columbae.** — Columbae alienae agro meo graviter, non vero leviter, nocentes occidi a me possunt; fugientes, proprio motu, fiunt eius, apud quem sedem figunt. *C. C. a. 462.*

1322 **Coma.** — Clerici comam nutrire prohibentur, *cc. 4. 5. 7. de vita et hon. cler.* X. (*III 1*). Cfr. Ben. XIV *de Syn. lib. XI. c. 9. n. 3.* Haec tamen prohibitio ita intelligenda est, ut non interdicat quamcumque comae curam, sed eam tantum, quae nimis profana esset, et abhorreret ab ea morum gravitate, quae clericum decet. Episcopus vero vel eius vicarius generalis potest contravenientes clericos gravibus poenis, etiam suspensionis, imo et excommunicationis (*c. 4. tit. cit.* X. [*III. 1*]) punire.

Coma fictitia. — Comam fictitiam 1323
vulgo *parrucca* deferre nemini licet infra missam absque licentia rom. Pontificis, in aliis functionibus ecclesiasticis sine licentia episcopi. Ben. XIV *de Syn. l. XI. c. 9.* Cfr. *S. R. C. in una Burgi S. Sepulcri 4 apr. 1699 ad 4 et 5 (2027).* Imo licentia episcopi ad gestandam comam fictitiam etiam extra functiones liturgicas per se necessaria est. Cfr. Ben. XIV *loc. cit.; S. C. C. in Melphit. 8 aug. 1722.* Haec autem facultas vel licentia, ait Wernz (*Ius Decr. II. 180*), nunc eo facilius concedi potest, quum antiquae illae comae fictae seculo 18° adhuc usitatae profecto a modestia clericali saepe fuerint prorsus alienae. Ben. XIV *loc. cit.; Inst. eccl. 38 § 4 n. 14 sqq.; Inst. eccl. 96 n. 1 sq., 5 sq., 9 sq.; Instr. Eyst n. 566.*

Bibliographiam quaere sub *Clerici.*

Comedere. — Comedere statim post 1324
communionem ex aliqua necessitate licet, decentius tamen aliquantulum morae interponitur. G. B. *II. 145.*

Comitia publica. — Si agatur de 1325
componendis consiliis municipalibus, etiam in Italia suffragia pro personis eligendis dare licet; si agatur de comitiis nationalibus in praesenti Regno Italico *non expedit,* quod prohibitionem importat. Litt. card. Monaco *30*

iul. 1886. — Ad componenda consilia sive municipalia, sive provincialia sive nationalia suis suffragiis concurrere aliquis omnino tenetur, quando ratio boni communis id postulat. — Qui abstinens a suffragio ferendo, quod ex officio foret dandum, causa est efficax damni iniusti, tenetur certo ad restitutionem; non item, si ius ferendi suffragium ei concessum fuisset in merum sui favorem. Qui suffragium datum authentice revocat, nondum consummata nequitia, non tenetur de damno. — Etiamsi praevideatur, non defuturos, qui suffragia dabunt ad damnum, primi dantes suffragium tenentur de damno, sicut quando omnes simul dant; expleto autem iam numero suffragiorum ad rei decisionem requisito, controvertitur, sed probabilius dicunt, qui negant. Molina *de iust. et iure disp. 732;* Lugo *de iust. et iure d. XIX. n. 17;* B. P. *III. 366 sqq.*

Nihil obstat, quominus in comitiis politicis ac administrativis clerici etiam sedeant, nisi specialibus quibusdam rationibus impediantur (ut in praesenti regno Italico). Bargilliat *Prael. iur. can. n. 368.* Vid. *Senatores.*

1326 **Commemoratio.** — **De commemoratione omnium fidelium defunctorum.** — In die commemorationis omnium defunctorum missae in omnibus altaribus sunt privilegiatae ex indulto Clementis XIII *29 maii 1761;* et omnes missae privatae dicendae sunt de requie.

Quoad commemorationem omnium fidelium defunctorum notandum est etiam recens decretum S. Congregationis Rituum sequens, videlicet:

Sacra Rituum Congregatio declarat et statuit:

1° Matutinum defunctorum die 2 novembris iuxta rubricas recitandum, non solum privatim, sed etiam publice in choro anticipari posse die 1ª eiusdem mensis post completorium, in omnibus tam cathedralibus quam collegiatis ecclesiis, sive praesens sit, sive absens episcopus, prout ceremoniale episcoporum innuit (*lib. II. c. 10 n. 1*).

2° Quod si die 2ª novembris occurrat dies dominica, vel alicubi festum aliquod cum feriatione celebrandum, aut duplex primae classis, quamvis sine feriatione, commemoratio omnium fidelium defunctorum transferatur in sequentem diem tertiam eiusdem mensis, similiter non impeditam; cuius pridie matutini recitationem pariter ut supra anticipari Sacra Rituum Congregatio indulget.

3° Si vero in aliqua ecclesia die 3ª novembris, in quam transferenda sit eadem defunctorum commemoratio, festum duplex secundae classis occurrat, hoc festum transferetur in primam diem liberam iuxta rubricas. De die vero octava, aut de festo duplici maiori, minori vel semiduplici occurrentibus, sicut de alio festo translato, cui in calendario locus pro eo anno non suppetat, in praefata commemoratione omnium fidelium defunctorum officium fiat; sed missae omnes, sola, ubi dicenda est, conventuali excepta, sint de requie.

4° Si autem in solemni hac defunctorum commemoratione expositio SS. Sacramenti habenda sit pro oratione XL horarum, missa unica de eo non omittatur; sed reliquae sint pro de-

functis, ad altare expositionis non dicantur, et celebrentur in colore violaceo.

5° Denique, si in eamdem diem incidat alicuius obitus vel depositio missa exsequialis pro defuncto cantetur, altera tamen non omissa pro omnibus defunctis iuxta rubricas reliquae vero dicantur ut in die commemorationis omnium fidelium defunctorum.

Atque ita decrevit et servari mandavit. *Die 9 julii 1895* (*3864*).

Sicubi autem in die commemorationis omnium defunctorum occurrit dies octava dedicationis ecclesiae, missae privatae dicendae sunt de requie, et duae missae cantandae sunt, altera de die octava, altera de requie. Quando vero dies octava incidat in dominicam, omnes missae celebrandae sunt de die octava, quum commemoratio omnium defunctorum transferatur in diem sequentem. *S. R. C. in una S. Germ. Mont. Cassini, 27 sept. 1698* (*2014*).

In Hispania et in Lusitania et in locis his regnis tunc subiectis ex concessione Benedicti XIII *26 aug. 1728*, celebrari possunt a quocumque sacerdote in die commemorationis omnium fidelium defunctorum tres missae, quarum prima applicari potest ad libitum cum stipendio, ceterae vero pro omnibus fidelibus defunctis applicandae sunt. Sacerdos autem, qui ea die cantat missam conventualem, ea expleta, celebrare potest alias duas missas pro defunctis (*S. R. C. in Mariannen. 11 aug. 1888 ad 1* [*3692*]; *in Macaonen. 10 maii 1895 ad 1* [*3855*]), et in eis dicendis debet servare ordinem missarum iuxta indultum ita ut primo loco dicat missam, quae iuxta indultum dicenda est prima, deinde eam, quae secundo loco legenda est *S. R. C. decr. cit. 11 aug. 1888 ad 2.*

Ubi mos est, ut cum ssmo. eucharistiae sacramento benedictio populo impertiatur in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, vel per subsequentem octavam, vel aliis statis temporibus in suffragium defunctorum, quum licitus omnino sit, retineri potest. Si quando autem onera huiusmodi ex piis fidelium fundationibus in aliqua ecclesia multum excreverint non ideo immutari vel transferri ex arbitrio possunt onera acceptata, sed supplicandum est S. Sedi pro opportuna facultate. *S. R. C. in una Montis Pessulani 11 aug. 1853* (*3017*). Antea eadem S. Congregatio strictius responsum dederat *in Florentina 13 mart. 1804* (*2558*), approbans consuetudinem exponendi ss. sacramentum ad plures etiam dies vel pro omnibus fidelibus defunctis, vel pro defunctis alicuius congregationis tam ecclesiasticorum quam laicorum, improbans vero eam consuetudinem, quum ageretur de exsequiis privatae alicuius personae, sive eae perage rentur in die obitus vel depositionis, sive in anniversariis, aut aliis quibuslibet diebus. Vide *Exsequiae.*

In ecclesiis ad chorum non obligatis non est obligatio canendi in die commemorationis omnium fidelium defunctorum unam missam pro defunctis. *S. R. C. in Labacen. 28 apr. 1902 ad 5.* Et si ea die in ecclesiis, unam tantum missam habentibus, oc-

currit dies depositionis alicuius defuncti, sumenda est missa de die obitus seu depositionis. *S. R. C. decr. nup. cit. ad 6.*

Quaesitum fuit a Sacra Congr. Concilii an in die commemorationis omnium fidelium defunctorum licitum sit applicare missas in particulari ad libitum celebrantis et a petentibus easdem missas eleemosynam accipere seu potius debeant applicari missae pro omnibus fidelibus defunctis. Et Sacra Congregatio respondit *14 dec. 1709:* « Detur decret. de 4 aug. 1663 ». Hoc autem decretum sic sonat: « In die commemorationis omnium fidelium defuntorum sacerdotes in missis de requie possunt sacrificium applicare ad libitum ».

1327 **De anniversaria commemoratione episcoporum et canonicorum cathedralis demortuorum.** — Aliquo die non impedito ex praescripto ceremonialis episcoporum (*lib. 2. c. 37*) infra octavam defunctorum arbitrio episcopi, canonicus aliquis seu dignitas ecclesiae cathedralis celebrare debet missam pro animabus omnium episcoporum et ecclesiae cathedralis canonicorum defunctorum cum paramentis nigris et ceremoniis solitis; cui missae praesens esse debet episcopus cum cappa, qui in fine, accepto pluviali, debet absolutionem impertire. Quod si episcopus praesens non esset aut absolutionem dare ipse non posset, tum celebrans ipse absolvere debet. Hoc anniversarium est de praecepto eique assistere tenentur omnes canonici sine ulla retributione.

1328 **Commemorationes.** — Commemoratio de cruce, quae dicitur tempore paschali loco suffragiorum de sanctis, omittenda est in officio votivo de passione (*S. R. C. in Emeriten. 29 apr. 1887 ad 3* [*3675*]), et de ss. euch. sacramento. *S. R. C. in Strigonien. 30 aug. 1892 ad 8* (*3792*).

Pariter in vesperis officiorum dominicae passionis infra quadragesimam occurrentium (ex. gr. spineae coronae, etc.) non debet fieri commemoratio sanct. eucharistiae sacramenti, si de eo recitatum fuerit officium votivum feria praecedenti (*S. R. C. in Nanneten. 18 iul. 1884 ad 2* [*3612*]); attamen his diebus dici debet in vesperis et in completorio doxologia propria ss. sacramenti (nisi habeantur propria in officio passionis) in hymnis eiusdem metri. *S. R. C. in Romana 5 febr. 1895 ad 7* (*3844*).

Quoad ordinem vero servandum in commemorationibus in vesperis, Sacra Congregatio statuit: post orationem diei, ante ceteras, commemorationem semper agendam esse de alio cuiuscumque ritus festo, quod concurrat, si locum habeat, deinde reliquas iuxta ordinem, quem seu rubrica generalis breviarii (*tit. IX. n. 11*), seu tabella occurrentiae in eodem breviario inscripta praecipiunt. Qui ordo sequentis tenoris est: 1° de dominica privilegiata, 2° de die octava, 3° de duplici maiori, 4° de duplici minori, ad instar simplicium redactis, 5° de dominica communi, 6° de die infra octavam Corporis Christi, 7° de semiduplici, 8° de die infra octavam communem, ad simplicem ritum pariter redactis, 9° de feria maiori, vel vigilia, 10° de simplici. *S. R. C. decret. gen. 5 febr. 1895* (*3843*).

Quando vero plures commemorationes occurrunt faciendae de eodem communi (nisi aliter in breviario notetur) ad vesperas, dictis antiphona et versiculis de primis et secundis vesperis, altera commemoratio fit per antiphonam de laudibus et versiculos ex 2° nocturno, ultima vero per primam antiphonam de laudibus et versiculos ex 3° nocturno; ad laudes vero, dictis antiphona et versiculis de laudibus, prima commemoratio fit per antiphonam et versiculos de primis vesperis, altera vero per antiphonam de secundis vesperis et versiculos ex 2° nocturno, tertia tandem per primam antiphonam et versiculos 3° nocturni. *S. R. C. in Rom. 27 iun. 1899 ad 5* (*4042*).

Quoad commemorationes faciendas ad laudes et vesperas in suffragiis sanctorum Vid. *Suffragia sanctorumi* quoad commemorationem faciendam in anniversario electionis et consecrationis episcopi; Vid. *Anniversarium*; quoad commemorationem dedicationis ecclesiae, Vid. *Dedicatio.*

1329 **Commenda.** — Commenda est custodia ecclesiae alicui commissa. Quare commendatarius dicitur ille, qui accepit ecclesiam in commendam, seu custodiam eiusmodi. Reiffenstuel *in tit. 5. l. III. Decr. n. 73.*

Veteri iure episcopi poterant aliquam ecclesiam alicui dare in commendam, et praesertim commenda bantur ecclesiae parochiales pro earum necessitate seu utilitate, uti quum ex morte titularis vacabant; et hae commendae ultra semestris tempus durare non poterant. *c. 15. de electione etc.* (*I. 6*) *in 6°*. Vetus hoc ius a concilio Tridentino (*sess. XXIV. c. 18 de ref.*) correctum est. Vid. *Coadiutor.*

Recenti quoque iure commendae dantur, quamvis rarius. Nec ab episcopis dantur, sed ab ipsomet tantum romano Pontifice, qui eas in perpetuum conferre solet personis de ecclesia bene meritis. Cfr. Vering *Lehrb. des KR.* § *82.* Sic abbatia Sublacensis in commendam hucusque dari solita fuit alicui ex eminentissimis cardinalibus. Discrimen autem inter antiquas et recentiores commendas in hoc praecipue est, ut advertit Reiffenstuel (*loc. cit. n. 75*), quod antiquae principaliter fiebant in bonum ipsius ecclesiae, quae commendabatur, ut interim beneficium a commendatario administraretur, donec rector idoneus fuisset institutus; recentiores non fiunt principaliter in favorem ecclesiae commendatae, sed potius in favorem ipsius commendatarii, ut videlicet ex fructibus eius commodius sustentari valeat. Quare antiquitus commendatarius non faciebat suos fructus ecclesiae, sed detracta parte convenienti pro sustentatione sua et ministrorum, reliquum cedebat ecclesiae; in recentibus commendis contrarium obtinet; haec enim, ait Reiffenstuel (*loc. cit. n. 75*), ideo inventae sunt, ut ii, qui sunt inhabiles ad obtinenda beneficia ecclesiastica in titulum (qui est modus ordinarius et legitimus obtinendi beneficia) efficerentur habiles intuitu meritorum suorum ad ea obtinenda per modum commendae (quae est via extraordinaria et tacite dispensativa), sicque ex eorum fructibus, quos faciunt suos, valeant commodius susten-

tari. Cfr. Fagnanum *in cap. 37 de elect. nn. 5. 6.*

1330 Quaerunt doctores, an commendatarii sint vere beneficiati in sensu iuris. Et omnes concedunt, commendatarios temporarios iuxta antiquum ius non fuisse vere beneficiatos, ut patet; similiter commendas recentiores perpetuas aequiparari et aequivalere beneficiis, evidens est, et omnes admittunt. Reiffenstuel *loc. cit. n. 79;* Schmalzgrueber *in tit. 5. lib. III. Decr. n. 7;* Hergenröther-Hollweck *Lehrb. des kath. KR. 481* (9), *514* (2). Hinc dicunt: commendatarium, qui perpetuam commendam habet, teneri ad horas recitandas: commendatarios antiquiores ad eas obligatos non fuisse. Schmalzgr. *in tit. 41 lib. III Decr. n. 73.*

Abbates commendatarii, illi scilicet, quibus aliqua abbatia data est in commendam, nec debent nec possunt ullo modo sese ingerere in iis, quae concernunt disciplinam et observantiam monasticam, in quibus monachi ecclesiae dependent a suis superioribus regularibus. *S. C. EE. RR. in Messanen. 20 sept. 1697.*

c. 15 de elect. et electi pot. (I. 6) in 6°; Conc. Trid. sess. XXV c. 21 de reg.; *Tepatius A.* Variarum sententiarium iuris canonici... compendium tit. 16; *Turrensis F.* De commendis beneficiorum; *Vering F.* Lehrb. des... KR § 82; *Phillips KR.* VII. 282 sqq.

1331 **Commendatitiae litterae.** Nullus clericus peregrinus sine commendatitiis sui ordinarii litteris ab ullo episcopo ad divina celebranda ac sacramenta ministranda admittendus est. Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 16 de ref.* Vid. *Celebratio missae.* — Similiter in locis missionum vicarii et praefecti apostolici debent omnino litteras commendatitias suorum episcoporum a clericis et sacerdotibus peregrinis exigere prius quam eos ad ecclesiasticum ministerium in suis missionibus recipiant; eos vero, qui his litteris carent, recipere nullimode debent, ut expresse iussit S. Congr. de Prop. Fide *litt. encycl. 20 apr. 1873.*

Commixtio. — Commixtio est spe- 1332
cies accessionis et proprie dicitur de plurium rerum aridarum unione. Si res mixtae possunt separari, separandae sunt; secus, dividendae pro rata quantitatis singulorum propria (*C. C. a. 471;* cfr. Inst. Iust. *lib. II. tit. 1. § 28*); ad quam divisionem peragendam potest uterque dominus velle, ut res mixtae communibus expensis licitentur. *C. C. a. 473.* Si vero materia ad aliquem spectans censeri posset principalis, aut valor eius multum excederet valorem alterius, nec separari possent nisi cum detrimento, dominus rei principalis ius habet ad proprietatem totius, soluto alteri pretio suae materiae. *C. C. a. 472.* Tandem, quoties dominus materiae, adhibitae absque suo consensu, potest rem suam sibi vindicare, potest etiam loco huius petere tantumdem materiae, quae sit eiusdem qualitatis et valoris, ac prior. *C. C. a. 474.*

Illi, qui materia aliena, dominis non consentientibus, usi sunt, possunt etiam damnari refectionis damnorum praeter exercitium actionis poenalis, si quando locum habere potest. *C. C. a. 475.*

1333 **Commodatum.** — Commodatum est contractus, quo res non fungibilis in individuo restituenda, certi usus gratia, gratis conceditur ad quoddam certum tempus. Inst. Iust. *l. III. tit. 15 § 2; C. C. aa. 1805. 1806.* Hinc patet, quomodo commodatum discrepet a locatione et a precario; ab ea quidem, quia res utenda datur gratis, ab isto, quia ad certum tempus datur, dum in precario intelligitur concessa quamdiu placet danti, nisi circumstantiae aliud suadeant. Cfr. D'Ann. *II. 528.* Vid. *Locatio, Precarium.*

1334 Commodatarius tenetur de damnis, quando res, etiamsi fortuito, facta est deterior ipsius culpa (*C. C. a. 1809*); debet rem restituere tempore praefixo, vel, si non fuerit praefixum, postquam ea usus est, vel uti potuisset (cfr. *C. C. a. 1815*); tenetur ad expensas ordinarias et modicas. Cfr. *leg. 18 commodati vel contra D.* (*XIII. 6*); *C. C. a. 1813.* - Commodatarius tenetur re commodata ipse uti, nec potest eam alteri utendam tradere seu commodare. Nec potest commodata re uti quocumque modo, sed eo tantum modo, quo inter ipsum et commodantem convenerit, et si nihil convenerit, quo ab ipsa sui natura res destinatur; si secus commodatarius fecerit, non solum debet damnum resarcire (*C. C. a. 1808*), sed etiam tenetur de amissione rei, etiamsi haec fortuito acciderit, nisi rem commodatam pariter perituram fuisse concludentibus argumentis probet. *C. C. a. 1809.*

Tenetur etiam commodatarius rei curam diligentem praestare (*l. 5. § 5. Commodati vel contra D.* [*XIII. 6*]), nempe tamquam bonus paterfamilias (*C. C. a. 1808; l. 18. tit. cit. D.* [*XIII. 6*]); quare eos tantum casus non praestat, quibus resisti non potest, scilicet in foro externo culpam civilem quoque praestat. At si res aestimata data sit, omne periculum (nempe et casus) praestandum est ab eo, qui aestimationem se praestiturum recepit (*l. 5. § 3. tit. cit. D.* [*XIII. 6*]), nisi contrarium convenerit. *C. It. a. 1811; C. G. a. 1883.* Si res commodata deterior facta est ex usu tantum, ob quem commodata fuit, nihil ex eo commodatarius commodanti debet. *C. It. a. 1812; C. G. a. 1884.* Si res pluribus simul fuerit commodata, singuli tenentur in solidum. *l. 5. § 15. tit. cit. D.* (*XIII. 6*); *C. It. a. 1814; C. G. a. 1887.*

Commodans non potest rem repe- 1335
tere ante tempus, vel antequam commodatarius ea usus sit (*leg. 17. tit. cit. in Dig. § 3; C. C. a. 1815*); scilicet, nisi, eo tempore durante, aut perdurante adhuc necessitate commodatarii, commodanti urgens nec praevisa necessitas utendae rei supervenerit; de quo iudicium esse debet penes bonum virum, imo iure italico et gallico penes iudicem, qui potest in casu commodatarium cogere ad rei restitutionem. *C. It. a. 1816; C. G. a. 1889.* Commodans debet rei vitia commodatario aperire; imo, si hoc non fecerit et damna exinde commodatarius passus fuerit, tenetur damnis. *C. It. a. 1818; C. G. a. 1891.* Commodatarius tenetur ad expensas necessarias et ordinarias pro utenda re commodata factas (*C. It. a. 1813; C. G. a. 1886*); sed expensas immodicas rei commodatae servandae causa factas (modicas enim etiam in hunc finem factas ad eum

pertinent) repetere potest. *l. 18. § 2. tit. cit. D. (XIII. 6)*. Attamen iure recentiori ad hoc ut eas repetat necesse est, ut, quando factae sunt, adeo urgerent, ut commodantem praemonere commodatarius non potuerit. *C. It. a. 1817; C. G. a. 1890.*

1336 Obligationes, quae ex commodato oriuntur, transeunt ad heredes commodantis et commodatarii; attamen si res commodata fuerit tantummodo in bonum commodatarii, ipsique personaliter, nequirent heredes in rei commodatae fruitione perseverare. *C. It. a. 1807; C. G. a. 1879.*

1337 Recentioribus iuribus numquam quis potest res suas praeferre commodatis; si fecerit, et res commodata perierit, de ea tenebitur. *C. It. a. 1810; C. G. a. 1882.*

Communicatio cum excommunicatis. — Cum excommunicatis, etiam excommunicatione maiore, exceptis nominatim excommunicatis vel publicis clerici percussoribus, communicare nunc est permissum, etiamsi huiusmodi excommunicati non requirantur a fidelibus, sed ipsi in civile commercium sponte se ingerant. *S. Poen. 5 iul. 1867.*

1338 Communicantes cum excommunicatis nominatim a papa in crimine criminoso (idest in crimine, propter quod aliquis excommunicatione perculsus est; quod censetur quis facere, si incitamentum, auxilium vel favorem praestet, ne reus ab eo delicto resipiscat, Schmalzgr. *in tit. 39. lib. V. n. 180*) incurrunt excommunicationem latae sententiae romano Pontifici simpliciter reservatam. *Const.* « Ap. Sedis » *ser. 2. n. 16.*

Quare patet ad hanc excommunicationem incurrendam necesse esse, ut quis communicet cum excommunicato, qui ab ipso papa, et non ab alio, excommunicatus est. Hinc non solum excommunicationem aufugit ille, qui communicat in delicto nondum perpetrato, sed perpetrando (D'Ann. *Comment. in Const.* « *Ap. Sedis* » *n. 151*); sed et ille, qui communicat cum eo, qui pontificiam censuram latae sententiae incurrit, et postea nominatim ab alio quovis ordinario denunciatur excommunicatus (B. P. *VII. 316*), vel qui ab aliqua e sacris romanis Congregationibus excommunicatus est, etsi illius decreto accesserit approbatio romani Pontificis. *S. U. I. 16 iun. 1894.* Praeterea haec excommunicatio non incurritur nisi quis ita cum tali excommunicato communicaverit, ut impenderit ei auxilium vel favorem, non item consilium tantum (quia constitutio « Ap. Sedis » consulentes praeterit, et quando eos includere voluit, expressit, Pennacchi *Comm. in const.* « *Ap. Sedis* » *tom. 1. p. 1045;* D'Ann. *loc. cit. n. 152* [7]). Cfr. *Monitore eccl. vol. X. p. 1. pag. 86.*

Praeterea eamdem excommunica- 1339
tionem incurrunt clerici scienter et sponte (hinc quaevis ignorantia, etiam affectata, et quivis metus excusant) communicantes in divinis cum personis a romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes. *Const.* « Ap. Sedis » *ser. 2. n. 17.*

Quare haec excommunicatio non intelligitur, nisi uterque, et is scilicet, qui communicat, et is, cum quo communicatur, sit clericus. Debet enim

excommunicatus admitti ad divina officia obeunda; et tum aliquem admittere, scilicet auctoritative, ad officia ecclesiastica obeunda nonnisi clerici est, quum illius tantum sit, qui aliquam habet potestatem in ecclesia; tum obire officia ecclesiastica solius est clerici. D'Ann. *loc. cit. n. 152;* Bucc. *Comm. in const. « Ap. Sedis » n. 71.* Imo notandum, quod, quamvis qui clericum excommunicatum admiserit ad quaedam divina, quae is tamquam clericus vel tamquam laicus obire potest, et obiverit tamquam laicus vel admissus fuerit, ut tamquam laicus obiret, excommunicatio cessat; ut ecce, si quis admissus fuerit ad dandam mortuo sepulturam in loco sacro etc. D'Ann. *loc. cit. n. 152 (10).*

1340 Praeterea ii, qui scienter nominatim excommunicatos (non tantum a papa) ad divina officia seu ecclesiastica sacramenta (exceptis poenitentia et viatico in articulo mortis, B. P. *VII. 400;* Bucc. *loc. cit. n. 128*), vel ecclesiasticam sepulturam admittunt, interdictum ab ingressu ecclesiae ipso iure incurrunt, donec ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserunt, competenter satisfecerint. *Const.* « Ap. Sedis » *interd. n. 2.* — Quod interdictum, ut patet, non tenet eos, qui ad huiusmodi admiserint nominatim interdictos; imo nec eos, qui, quum deberent prohibere, de facto non prohibuerunt; sed eos tantum, qui, quum ipsis pertineat regimen ecclesiae vel coemeterii, admiserint positivo actu aliquem excommunicatum nominatim, ut sunt parochi, rectores ecclesiae etc. Attamen puto, quod ad incurrendum hoc interdictum non sit necesse habere aliquod regimen ecclesiae in casu, quo agatur de sacramentis ministrandis. Nam quivis sacerdos, qui sacramentum alteri administrat, vere dicitur eum admittere ad sacramentum. Suarez *de censuris disp. XXXVII. sect. 1.* — Quum autem dicatur *scienter,* quod proprie in prima parte positum est, ubi agitur de scienter celebrantibus vel celebrare facientibus divina in locis ab ordinario vel delegato iudice, vel a iure interdictis, sed ab auctoribus et ad hanc secundam partem referatur, excusat ab interdicto incurrendo quaevis ignorantia etiam affectata, non autem quivis metus, sed tantum gravis, quum hic non fuerit additum *sponte.*

Communicatio in divinis. — Quoad 1341 communicationem in divinis cum dissidentibus haec habe ex D'Ann. *I. 110 (11)*: « Communicatio in divinis non suapte natura (cfr. *Instr. S. U. I. 24 febr. 1752*) illicita est (alias nefas esset mixta, quae vocant, matrimonia permittere), sed quia aut *adhaesionis* damnatae sectae speciem praesefert; aut fovet *indifferentismum,* quae aetatis nostrae contagiosa lues est; uno verbo propter ipsius catholicae religionis periculum. Ubi igitur huiusmodi periculum cessat, recidimus in legem ecclesiasticam, cui derogare fas est, quum longe plus incommodi, quam commodi habet. Hoc primum; deinde aequum non est, eadem regula uti pariter ultro citroque; sed plurimi refert, utrum nos cum haereticis, aut haeretici nobiscum communicent; illic enim religionis dispendium gravius metuendum est; hic non item, quin interdum magis compendii (idest

conversionis) spes subest. Hac re v. g., quamvis nobis non liceat in eorum templis ipsorum conciones audire (*S. U. I. 10 maii 1770* ap. Verric. *De apost. miss. l. 2. c. 19. n. 5*), eos ad nostras admittere, imo advocare, caritatis et religionis officium est. Item, etsi nobis non liceat haereticorum vel schismaticorum missas audire, licet carendum eis sit diebus vel solemnissimis (*S. U. I. 5 dec. 1668; 7 aug. 1704*), nobis celebrantibus, eos adstantes (toleratos inquam) eiicere non oportet (Lugo *de fide 22. 10; S. U. I. 22 sept. 1763;* dummodo, ut patet, nostris ritibus sese non immisceant, *S. C. P. F. 20 aug. 1826*); et in collegiis catholicis, in quibus etiam filii haereticorum in disciplinam recipiuntur, tolerari potest, ut hi divinis nobiscum intersint. *S. C. de Pr. Fide 25 apr. 1868.* Item, etsi nobis nefas omnino sit pulsare organa in templis haereticorum vel schismaticorum (*S. C. P. F. ad arch. Marianop. 8 iul. 1889*), eos in nostris arcessere huius rei causa, aliis deficientibus, remoto scandalo et ad tempus, non est illicitum (*S. U. I. ad ep. Sanctorien. 12 maii 1841*)».

1342 Ex generali autem principio, quod hic ponit clarissimus D'Annibale, scilicet legem ecclesiasticam prohibentem communicationem in divinis cum dissidentibus strictius vetare, ne nos cum haereticis, quam ne haeretici nobiscum communicent, plura explicantur, quae a Sacris Rom. Congregationibus sancita sunt, cuiusmodi sunt sequentia: nefas est catholicis interesse acatholicorum functionibus, quando vel periculum perversionis timeri potest, vel materialis etiam tantummodo praesentia simulationem aliquam, etsi externam tantum, falsae religionis praeseferat (*S. C. P. F. 19 febr. 1774; S. U. I. in una miss. Aethiopiae 10 apr. 1704; 7 aug. 1704; instr. ad vic. ap. Constantinopolit. 28 aug. 1780*); aut dare eleemosynas pro missis presbyteris schismaticis (*S. C. P. F. 12 mart. 1789*); aut eorum missas audire, etsi ageretur de satisfaciendo praecepto, quod aliter impleri nequiret, quum in hoc casu praeceptum cesset (*S. U. I. in Tribunien. 5 dec. 1668*); aut agere patrinos in baptismis, qui haereticorum filiis ab haereticis ministrantur (*S. U. I. ad vic. ap. Smyrn. 10 maii 1770; S. C. P. F. ad miss. ins. Paros 12 mart. 1789, ad arch. Antibar. 2 aug. 1803*); aut proles suas haereticis baptizandas deferre, etsi, nisi hoc faciant, gravem mulctam pecuniariam solvere debeant (*S. U. I. 26 sept. 1668. 29 nov. 1672*); aut, etiam in casu necessitatis confiteri peccata sua et absolutionem obtinere a sacerdote schismatico (*S. C. P. F. 17 febr. 1761*), in casu tamen mortis hoc licet, dummodo non praebeatur scandalum, nec sit alius sacerdos catholicus, nec sit periculum, ut fidelis ab haeretico pervertatur, et tandem probabiliter credatur, sacerdotem haereticum administraturum hoc sacramentum secundum ritus ecclesiae (*S. U. I. ad arch. Smyrn. 7 iul. 1864*); aut contrahere matrimonium coram ministro haeretico (*S. U. I. 11 maii 1892; S. C. P. F. ian. 1897*); vel nuptialem benedictionem ab acatholico ministro accipere (*S. U. I. in una Saxionae 29 ian. 1817*); aut sacros ordines recipere ab

episcopo schismatico vel haeretico, etiam deficientibus alicubi episcopis catholicis (*S. U. I. 21 nov. 1709*); aut advocare ministrum acatholicum, ut sacramenta acatholico morituro administret (*S. U. I. 7 iul. 1864*), sed in hoc casu debent passive se habere (*S. U. I. in Colonien. 14 mart. 1848*), idest non directe acatholicum ministrum vocare, sed, si requisiti fuerint, insinuare morituro, ut ad hunc finem personam acatholicam adhibeat (*S. U. I. ad vic. ap. Aegypti 5 febr. 1872; 14 dec. 1898*); aut sacras imagines ad templa acatholicorum deferre, ut ibi colantur (*S. C. P. F. ad miss. ins. Paros 12 mart. 1789*); aut admittere sacerdotes schismaticos ad missam celebrandam in nostris ecclesiis (*S. U. I. in una miss. Tenos in Peloponneso 10 maii 1753*). Hinc etiam sacra olea non debent servari in loco promiscuo cum acatholicis, sed in alio, et, si alius desit, in aedibus parochi. *S. C. P. F. ad ep. Helvetiae 7 mart. 1805.*

Contra fas est catholicis, scilicet toleratur, ut nuptiis acatholicorum aut mixtis, etsi illicite contractis, civilis officii causa tantum, adsint, semoto scandalo et quovis perversionis periculo nec non ecclesiasticae auctoritatis contemptu (*S. U. I. ad arch. S. Iacobi de Chile 17 mai 1869; ad vic. ap. Columben. 14 ian. 1874*); imo etiam sacerdoti catholico licet tamquam ministrum civilem se habere in celebratione matrimoniorum protestantium (*S. U. I. ad arch. Neo-Aureliae decr. cit. sine data a Mon. eccles. vol. IX. p. I. pag. 222*); ut permittant accessum acatholicorum ad suas ecclesias, dummodo ipsis non administrent sacramenta, nec quoquo modo communicent in divinis (*S. U. I. 22 sept. 1763*), nec ipsi se immisceant nostris ritibus (*S. C. P. F. 20 aug. 1826*); ut visitent et adorent ss. sacramentum in ecclesiis schismaticorum, dummodo non coniungantur in precibus cum schismaticis (*S. C. P. F. ad ep. Chien. 15 dec. 1764*), sacra tamen Congregatio S. Officii quoad similem casum respondit, catholicos, si non possint evitare delationem ss. sacramenti a presbytero schismatico factam, debere illud adorare, sed non posse prosequi deferentem nec ingredi ecclesiam schismaticorum (*S. U. I. ad Nunc. ap. Venet. 15 apr. 1672; ad arch. Smyrn. 7 iul. 1864*); ut sacerdos catholicus, gravi causa interveniente, schismaticorum domibus benedicat (*S. C. P. F. ad ep. Bulgariae 17 apr. 1758*); ut invitent acatholicos ad assistendum catholicorum nuptiis, accedente rationabili causa et dummodo nulla interveniat communicatio in sacris, et scandalum non sit pertimescendum (*S. U. I. 14 ian. 1874*); ut iurent tangendo et osculando Biblia haereticorum. *S. U. I. ad ep. Quebecen. 23 febr. 1820.* Cfr. etiam instructionem datam a S. Congr. Un. Inquisitionis ad episcopum Sanctoriensem 12 maii 1841 circa festivas functiones, quae in aula regia schismatica celebrari debebant apud Mon. eccl. *vol. IX p. 2. pag. 273.*

Licet etiam in ecclesia orare pro rege, ex. gr. formula alicubi consueta: « Domine, salvum fac regem » vel « praesidem », etsi hi sint acatholici *S. U. I. ad ep. Quebecen. 23 febr. 1820;*

ad ep. Sanctorien. 12 maii 1841; S. C. P. F. 2 aug. 1830.

Attamen non licet acatholicis tradere candelas benedictas, ac si essent fideles (*Instr. S. C. P. F. ad vic. ap. Constantinop. ian. 1761*), aut candelas accensas, dum nostris functionibus assistunt; imo, si in quibusdam particularibus circumstantiis, ab hac ceremonia soli acatholici excludi nequeant, excludendi potius sunt etiam laici catholici. *S. U. I. ad miss. Terrae Sanctae 20 nov. 1850.* Permitti etiam nequit, ut pueri, schismaticorum filii, in celebratione divinorum mysteriorum inserviant. *S. U. I. decr. nuper cit.* Illicitum pariter est, ut patet, haereticos in chorum invitare, alternis psallere, dare iis pacem, sacros cineres, palmas benedictas, aliaque id genus externi cultus, quae interioris vinculi ac consensionis indicia merito existimantur, tam in sensu activo, nimirum similia eis dando, quam in sensu passivo, ab iis in eorum sacris accipiendo. *Instr. S. U. I. 8 iun. 1859.* Permitti autem potest, ut catholici patrinos agant in matrimoniis haereticorum, quum patrini nil aliud faciant, nisi desponsati lateri adstare, quod nullam includit aut declarat prohibitam cooperationem.

Quid liceat catholicis quoad funera acatholicorum, vid. *Funera.*

Quid quoad celebrationem missae in ecclesiis acatholicorum, vid. *Celebratio missae.*

Quid quoad adeundum ministrum acatholicum ad ratificandum pro foro civili matrimonium mixtum coram sacerdote catholico contractum, vid. *Mixta matrimonia.*

Quid quoad praesentiam ceremoniis acatholicis, vid. *Ceremoniae acatholicae.*

Tolerari non potest ut parochi catholici pareant praecepto sibi a civili gubernio imposito denunciandi ministris heterodoxis baptismos infantium, qui ex matrimoniis mixtis nascuntur. *S. C. Neg. eccl. extr. appr. Ssmo mens. iul. 1890.*

Specialiter vero interdicitur com- 1343
municatio cum iudaeis; hinc nobis non licet cum ipsis habitare (*c. 13. C. XXVIII. q. 1*), eorum conviviis interesse, ipsis famulari (*cc. 2. 5. 8. 13. de iudaeis etc. X.* [*V. 6*]), eorum azymis vesci, et mulieribus christianis eorum infantes lactare. *cit. cap. 13. de iudaeis.* At, excluso perversionis periculo, est tantum veniale; imo nulla videtur esse culpa, si fiat ob rationabilem causam vel consuetudine interveniente, quae hodie, adeo immutato humanae societatis statu, ferme ubique obtinet. Scavini *l. II. n. 809.*

Collect. P. F. n. 1672 sqq.; Monitore eccl. vol. IX. p. 2. ubi plura habentur collecta decreta S. Congr. Un. Inquisitionis de hac re; *Arndt A.* Anwesenheit und Teilnahme am akatholischen Gottesdienste nach den Entscheidungen der römischen Kongregationen; *Schöttl* Die gegens. Gemeinsch. in Culthandlungen zwischen Kathol. u. Akathol.; *Lehmkuhl* Th. mor.[10] I. n. 291 sqq.; *Noldin* De praeceptis n. 34 sqq.; *Koch* Lehrb. der Moraltheologie § 93; *Pruner* Kath. Moraltheologie I. 222. *Simar* Lehrb. der Moraltheologie § 96; *Ball. Palm.* Opus morale II. 57 sqq.; *Bucceroni* Enchiridion ad n. 365.

Communicatio privilegiorum. — Pri- 1344
vilegia etiam communicatione acqui-

runtur, quando nempe privilegium uni concessum extenditur a concedente etiam ad alios. Communicatio fit vel *relative* seu *ad instar,* idest indirecte et accessorie; sic multa privilegia regularibus concessa communicantur eorum familiaribus: vel *absolute* seu *pariformiter et aeque principaliter,* idest directe, ac si specialiter concederentur illis etiam, quibus communicantur. Cfr. *Const.* Greg. XV. «Ad uberes fructus» *14 oct. 1622.* — Discrimen autem est in hoc, quod privilegia primo modo communicata minuuntur vel amittuntur, quoties contingat priora privilegia amitti vel minui (cfr. *reg. 42 iuris in 6°*); privilegia vero altero modo communicata nec minuuntur, nec amittuntur, etiamsi contigerit priora minui vel amitti. Suarez *de legibus l. VIII. c. 15. sqq.* — Regulares mendicantes habent plenissimam communicationem privilegiorum inter se, imo etiam privilegiis ordinum non mendicantium communicant. Cfr. inter alias *Const.* Sixti IV «Regimini» *31 aug. 1474* et *Const.* Leonis X «Dudum» *10 dec. 1519.* Hoc intelligitur de privilegiis concessis ordini, nam privilegia concessa certo cuidam regulari non communicantur aliis, sive diversi ordinis, sive eiusdem (cfr. *reg. 7 iur. in 6°*); idem dicendum de privilegiis concessis alicui determinatae ecclesiae. Reiffenstuel *in tit. 33 lib. V Decr. n. 60 sqq.* Praeterea etiam in privilegiis, quae sunt contra constitutiones ordinis, vel quae laedunt iura episcoporum, non fit communicatio.

Declaratum etiam est, sola communicatione privilegiorum, non posse regulares addere nomen s. fundatoris in litaniis aut confiteor, nec recitare posse officia et missas aliis religionibus concessas. *S. R. C. in Maioricen. 12 sept. 1699* (*2034*); *decr. gen. 20 mart. 1706* (*2166*).

Bibliographiam quaere sub *Privilegium.*

Communio. — Vid. *Eucharistia.* — 1345
Statutum quorumdam religiosorum ordinum, sive virorum, sive mulierum, quo certi dies statuuntur, quibus religiosi ad sacram communionem tenentur accedere, habet vim directivam tantum (*S. C. C. 20 dec. 1905*) non autem prohibitivam, quatenus huiusmodi religiosi prohibeantur, ne extra huiusmodi dies communicent (*S. C. EE. RR. 4. aug. 1888*); imo constitutiones, quae expresse haberent hanc iniunctionem prohibitivam (sive generalem, sive extraordinariam, ut ecce, tempore exercitiorum, aut extraordinariatus, quem vocant, quum decretum non distinguat, *Mon. eccl. vol. XII. pag. 516*) censendae sunt abrogatae. *S. C. EE. RR. 17 aug. 1891.* Permittere autem vel prohibere religiosis s. communionem, exclusive pertinet ad confessarium ordinarium vel extraordinarium, nullimode vero superiorissis vel superioribus, qui tunc solummodo possunt aliquem a communicando prohibere, quando is post ultimam sacramentalem confessionem communitati scandalo fuerit, vel externam aliquam gravem culpam admiserit; imo hoc iure etiam excidit superior, quando is denuo ad poenitentiae sacramentum accesserit. Religiosa vel religiosus, qui a suo confessario obtinuerit facultatem frequen-

tioris, et etiam quotidianae communionis, tenetur superiorem de hoc certiorem reddere; quod si superior iustas gravesque causas se habere reputet contra frequentiores huiusmodi communiones, eas confessario manifestare tenetur, cuius iudicio acquiescendum omnino ipsi est. Haec omnia habentur in decr. Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium *17 dec. 1890.* Superiores et superiorissae, huius decreti praecepta transgredientes, puniuntur ex eodem decreto poenis contra superiores Sedis Apostolicae mandata violantes ipso facto incurrendis. Quae sint hae poenae vide sub *Poenae.*

Haec autem multo magis nunc valent et confirmata sunt ex decreto S. C. C. *20 dec. 1905,* quod vide sub *Communio frequens.*

Confer quoad haec etiam antiquiora decreta in hunc sensum plus minusve lata, ut ex. gr. *S. C. C. 12 febr. 1679; 14 apr. 1725; Instr. S. C. P. F. ad vic. ap. Sutchuen. 19 apr. 1784, pro miss. Sin. a. 1817.*

1346 **Communio bonorum.** — Quoad communionem bonorum inter coniuges, vid. *Bona;* sed et praeterea nota sequentia. Quoad bona communia inter coniuges non permittitur in iure italico communio universalis, nisi utilium ex bonis mobilibus et immobilibus, praesentibus et futuris, quae cum ipso matrimonio incipiat (*C. C. a. 1433*); cuius communionis effectus est, ut lucra ex iis, sive coniunctim, sive seorsim facta, communione durante, sint inter coniuges ex aequo divisibilia (*C. C. art. 1436*), nisi aliter ex libera conventione statuatur. *C. C. a. 1434. 1440.* Bona acquisita ab alterutro per successionem aut donationem, communione durante, non spectant ad communionem *a. 1435.* Porro bonorum communitatis solus vir habet administrationem, isque solus pro iis agere in iudicio potest; nequit tamen, nisi ex titulo oneroso, alienare aut hypothecae subiicere bona, quorum proprietas spectat ad communitatem (*a. 1438*): communitas regitur vel specialibus pactis contrahentium, vel, iis deficientibus, legibus contractus societatis. *a. 1434.* Si communionem solutam coniuges rursus instaurare velint, ea debet iisdem pactis constitui, quibus ab initio fuerat constituta; secus nulla est. *a. 1443.* Mulier habens bona paraphernalia, si in contractu non fuit determinata pars, quam tribuere ipsa debet oneribus coniugii sustinendis, confert ex bonis suis iuxta proprtionem suarum substantiarum, comparatione facta cum substantiis mariti. *a. 1426.*

Iure gallico regimen communitatis in coniugio locum habet, quum coniuges in contractu matrimoniali statuunt quaedam bona inter se fore communia, vel, etiamsi id non statuant, si tamen quodvis aliud pactum desit, locum tunc habet vi legis communio legalis. Cfr. *a. 1393. 1400.* Communitas itaque vel *legalis* est, vel *conventionalis,* prout lege vel pacto speciali contrahentium constituitur. - Communitas legalis coalescit: - *a*) ex omnibus bonis mobilibus, quae coniuges possidebant ipso initi matrimonii die, vel quae ipsis deinde adveniunt titulo successionis vel do-

nationis; – *b*) ex omnibus fructibus et quibuslibet reditibus, durante coniugio, susceptis et provenientibus ex bonis, quae spectabant ad sponsos, quum coniugium iniretur, vel quae ipsis durante matrimonio advenerunt; – *c*) ex omnibus bonis immobilibus, quae ex bonis communibus, tempore matrimonii, acquisita fuerint. *a. 1401. 1402.* – Communitas conventionalis consistit in pactis sponsorum, quibus statuta legalia restringi vel relaxari possunt. His deficientibus, sola legis dispositione communitas regitur. *a. 1387.* – Sub regimine communitatis solus maritus habet administrationem et usumfructum bonorum communium; imo is potest ea vendere, commutare, in hypothecam tradere, etiam sine uxoris consensu (*a. 1421*); nequit vero disponere inter vivos titulo gratuito de immobilibus communitatis, vel universitate aut quotitate (dimidia, tertia parte etc.) mobilium, nisi pro statu communium filiorum. *a. 1422.* B. P. *III. 51 (a.).*

Rodenburg Chr. Tract. de iure coniugum etc.; *Henelii N.* De communione bonorum inter coniuges; *Eichelii I.* De communione bonorum inter coniuges; *Matthaei A.* Observationes et tractatus singulares de communione bonorum etc.; *Lauterbach W.* Tract. de bonorum societate coniugali; *Schultz H.* De communione bonorum inter coniuges; *A Wesel A.* Tract. de connubiali bonorum societate et pactis dotalibus; *Pottier M.* Trattato della comunione dei beni ecc.; *Felici N.* Tract. desideratissimus de communione seu societate bonorum etc.; *Battur* Traité de la communauté des biens entre époux; *Ginoulhiac* Histoire du régime dotal et de la communauté en France; *Tillard* Des actes dissolutifs de communauté; *Mennesson* Essai sur les récompenses sous le régime de la communauté légale; *Vavasseur* Reprises de la femme commune; *Seligman* De l'exercice des reprises de la femme sous le régime de la communauté; *Piolet* Etude sur la communauté réduite aux acquêts; *Paternò Castello di Buona L.* La communione dei beni nel Codice civile italiano; *Paoli B.* La dote, i beni parafernali e la comunione dei coniugi; *De Cardaillac* Origine et développement du régime de la communauté des biens entre époux; *Hochart* Etude sur la communauté réduite aux acquêts; *Typaldo-Bassia* La communauté de biens conjugale dans l'ancien droit français.

Communio frequens. — Iam ex decreto S. C. Concilii *12 febr. 1679* approbato ab Innocentio XI haec quoad frequentem communionem sancita erant: Circa communionis maiorem minoremve frequentiam nulla regula certa statui potest; quare in hoc pastorum ecclesiae diligentia potissimum invigilare debet, non ut a frequenti aut quotidiana sacrae communionis sumptione unica praecepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se aut parochos seu confessarios sibi decernendum putent, illudque omnino provideant, ut nemo a sacro convivio, seu frequenter seu quotidie accesserit, repellatur, et nihilominus dent operam, ut unusquisque digne pro devotionis et praeparationis modo rarius aut crebrius Dominici Corporis suavitatem degustet. Haec ex citato decreto. Sed adnotandum praeterea quod frequens communio semper, etiamsi quotidiana, ecclesiae fuit in votis. Conc. Trid. 1347

sess. XXII c. 6. S. Thomas (*3. p. q. 80. a. 10. ad 3.*) et S. Alphonsus (*Praxis confess. n. 151*) dicunt, melius esse accedere ad communionem quotidie ob amorem, quam abstinere ob reverentiam. - Confessarii tamen est, poenitentibus magis minusve frequentem communionem concedere, etiamsi de monialibus agatur. *S. C. EE. RR. 12 aug. 1891.*

1348 Haec omnia magis nunc clarescunt et confirmationem accipiunt ex novissimo decreto S. Congr. Concilii *20 dec. 1905* approbato a Pio X, quod, stante eius momento, hic integrum dandum puto:

« Sacra Tridentina Synodus, perspectas habens ineffabiles quae christifidelibus obveniunt gratiarum divitias, sanctissimam eucharistiam sumentibus (*Sess. 22, cap. 6*) ait: *Optaret quidem sacrosancta synodus, ut in singulis missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam eucharistiae perceptione communicarent.* Quae verba satis aperte produnt ecclesiae desiderium, ut omnes christifideles illo coelesti convivio quotidie reficiantur, et pleniores ex eo sanctificationis hauriant effectus.

« Huiusmodi vero vota cum illo cohaerent desiderio, quo Christus Dominus incensus hoc divinum sacramentum instituit. Ipse enim nec semel nec obscure necessitatem innuit suae carnis crebro manducandae suique sanguinis bibendi, praesertim his verbis: " Hic est panis de coelo descendens; non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt: qui manducat hunc panem vivet in aeternum " (*Ioan. VI. 59*). Ex qua comparatione cibi angelici cum pane et manna facile a discipulis intelligi poterat, quemadmodum pane corpus quotidie nutritur, et manna in deserto hebraei quotidie refecti sunt, ita animam christianam caelesti pane vesci posse quotidie ac recreari. Insuper quod in oratione dominica exposci iubet *panem nostrum quotidianum*, per id Ss. Ecclesiae Patres fere unanimes docent, non tam materialem panem, corporis escam, quam panem eucharisticum quotidie sumendum intelligi debere.

« Desiderium vero Iesu Christi et ecclesiae, ut omnes christifideles quotidie ad sacrum convivium accedant, in eo potissimum est ut christifideles, per sacramentum Deo coniuncti, robur inde capiant ad compescendam libidinem, ad leves culpas quae quotidie occurrunt abluendas, et ad graviora peccata, quibus humana fragilitas est obnoxia, praecavenda: non autem praecipue ut Domini honori, ac venerationi consulatur, nec ut sumentibus id quasi merces aut praemium sit suarum virtutum (S. August. *Serm. 57 in Matth. de orat. dom. v. 7*). Unde S. Tridentinum Concilium eucharistiam vocat " antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur " (*sess. 13. cap. 2*).

« Hanc Dei voluntatem priores christifideles probe intelligentes, quotidie ad hanc vitae ac fortitudinis mensam accurrebant. " *Erant perseverantes in doctrina apostolorum et communicatione fractionis panis* " (*Act. II. 42*). Quod seculis posterioribus etiam

factum esse, non sine magno perfectionis ac sanctitatis emolumento, sancti Patres atque ecclesiastici scriptores tradiderunt.

« Defervescente interim pietate, ac potissimum postea ianseniana lue undequaque grassante, disputari coeptum est de dispositionibus, quibus ad frequentem et quotidianam communionem accedere oporteat, atque alii prae aliis maiores ac difficiliores, tamquam necessarias, expostularunt. Huiusmodi disceptationes id effecerunt, ut perpauci digni haberentur, qui ss. eucharistiam quotidie sumerent, et ex tam salutifero sacramento pleniores effectus haurirent; contentis ceteris eo refici aut semel in anno, aut singulis mensibus, vel unaquaque ad summum hebdomada. Quin etiam eo severitatis ventum est, ut a frequentanda caelesti mensa integri coetus excluderentur, uti mercatorum, aut eorum *qui essent matrimonio coniuncti.*

« Nonnulli tamen in contrariam abierunt sententiam. Hi, arbitrati communionem quotidianam iure divino esse praeceptam, ne dies ulla praeteriret a communione vacua, praeter alia a probato ecclesiae usu aliena, etiam feria VI in Parasceve eucharistiam sumendam censebant, et ministrabant.

« Ad haec sancta Sedes officio proprio non defuit. Nam per decretum huius sacri ordinis, quod incipit C u m a d a u r e s, diei 12 mensis februarii anni 1679, Innocentio pp. XI approbante, errores huiusmodi damnavit et abusus compescuit, simul declarans omnes cuiusvis coetus, mercatoribus atque coniugatis minime exceptis, ad communionis frequentiam admitti posse, iuxta singulorum pietatem et sui cuiusque confessarii iudicium. Die vero 7 mensis decembris anni 1690, per decretum S a n c t i s s i m u s D o m i n u s n o s t e r Alexandri pp. VIII, propositio Baii, purissimum Dei amorem absque ullius defectus mixtione requirens ab iis, qui ad sacram mensam vellent accedere, proscripta fuit.

« Virus tamen iansenianum, quod bonorum etiam animos infecerat, sub specie honoris ac venerationis eucharistiae debiti, haud penitus evanuit. Quaestio de dispositionibus ad frequentandam recte ac legitime communionem Sanctae Sedis declarationibus supervixit; quo factum est ut nonnulli etiam boni nominis theologi raro et positis compluribus conditionibus, quotidianam communionem fidelibus permitti posse censuerint.

« Non defuerunt aliunde viri doctrina ac pietate praediti, qui faciliorem aditum praeberent huic tam salubri Deoque accepto usui, docentes, auctoritate patrum, nullum ecclesiae praeceptum esse circa maiores dispositiones ad quotidianam, quam ad hebdomadariam aut menstruam communionem; fructus vero uberiores longe fore ex quotidiana communione, quam ex hebdomadaria aut menstrua.

« Quaestiones super hac re diebus nostris adauctae sunt et non sine acrimonia exagitatae, quibus confessariorum mentes atque fidelium conscientiae perturbantur, cum christianae pietatis ac fervoris haud mediocri detrimento. A viris idcirco praecla-

rissimis ac animarum pastoribus SSmo. Dno. Nostro Pio pp. X enixae preces porrectae sunt, ut suprema sua auctoritate quaestionem de dispositionibus ad eucharistiam quotidie sumendam dirimere dignaretur; ita ut haec saluberrima ac Deo acceptissima consuetudo non modo non minuatur inter fideles, sed potius augeatur et ubique propagetur, hisce diebus potissimum, quibus religio ac fides catholica undequaque impetitur, ac vera Dei caritas et pietas haud parum desideratur. Sanctitas vero sua, cum ipsi maxime cordi sit, ea qua pollet sollicitudine ac studio, ut christianus populus ad sacrum convivium perquam frequenter et etiam quotidie advocetur eiusque fructibus amplissimis potiatur, quaestionem praedictam huic sacro ordini examinandam ac definiendam commisit.

« Sacra igitur Concilii Congregatio in plenariis comitiis diei 16 mensis dec. 1905 hanc rem ad examen accuratissimum revocavit, et rationibus hinc inde adductis sedula maturitate perpensis, ea, quae sequuntur, statuit ac declaravit:

« 1° Communio frequens et quotidiana, utpote a Christo Domino et a catholica ecclesia optatissima, omnibus christifidelibus cuiusvis ordinis aut conditionis pateat; ita ut nemo, qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad s. mensam accedat, prohiberi ab ea possit.

« 2° Recta autem mens in eo est, ut qui ad sacram mensam accedit non usui, aut vanitati, aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate coniungi, ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere.

« 3° Etsi quam maxime expediat ut frequenti et quotidiana communione utentes venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus ut culpis mortalibus vacent, cum proposito se nunquam in posterum peccaturos: quo sincero animi proposito, fieri non potest quin quotidie communicantes a peccatis etiam venialibus, ab eorumque affectu sensim se expediant.

« 4° Cum vero sacramenta novae legis, etsi effectum suum ex opere operato sortiantur, maiorem tamen producant effectum quo maiores dispositiones in iis suscipiendis adhibeantur, idcirco curandum est ut sedula ad sacram communionem praeparatio antecedat, et congrua gratiarum actio inde sequatur, iuxta uniuscuiusque vires, conditionem ac officia.

« 5° Ut frequens et quotidiana communio maiori prudentia fiat uberiorique merito augeatur, oportet ut confessarii consilium intercedat. Caveant tamen confessarii ne a frequenti seu quotidiana communione quemquam avertant, qui in statu gratiae reperiatur et recta mente accedat.

« 6° Cum autem perspicuum sit ex frequenti seu quotidiana s. eucharistiae sumptione unionem cum Christo augeri, spiritualem vitam uberius ali, animam virtutibus effusius instrui, et aeternae felicitatis pignus vel firmius sumenti donari, idcirco parochi, confessarii et concionatores, iuxta probatam catechismi romani doctrinam (*Part. II, c. 63*), christianum po-

pulum ad hunc tam pium ac tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio cohortentur.

« 7° Communio frequens et quotidiana, praesertim in religiosis institutis cuiusvis generis, promoveatur; pro quibus tamen firmum sit decretum Quemadmodum diei 17 mensis decembr. 1890 a S. Congr. Episcoporum et Regularium latum. Quam maxime quoque promoveatur iu clericorum seminariis, quorum alumni altaris inhiant servitio; item in aliis christianis omne genus ephebeis.

« 8° Si quae sint instituta, sive votorum solemnium sive simplicium, quorum in regulis aut constitutionibus, vel etiam calendariis, communiones aliquibus diebus affixae et in iis iussae reperiantur, hae normae tamquam mere *directivae* non tamquam *praeceptivae* putandae sunt. Praescriptus vero communionum numerus haberi debet ut quid minimum pro religiosorum pietate. Idcirco frequentior vel quotidianus accessus ad eucharisticam mensam libere eisdem patere semper debebit, iuxta normas superius in hoc decreto traditas. Ut autem omnes utriusque sexus religiosi huius decreti dispositiones rite cognoscere queant, singularum domorum moderatores curabunt, ut illud quotannis vernacula lingua in communi legatur infra octavam festivitatis Corporis Christi.

« 9° Denique post promulgatum hoc decretum omnes ecclesiastici scriptores a quavis contentiosa disputatione circa dispositiones ad frequentem et quotidianam communionem abstineant.

« Relatis autem his omnibus ad SSmum D. N. Pium pp. X per infrascriptum S. C. secretarium in audientia diei 17 mens. dec. 1905, Sanctitas Sua hoc emorum. patrum decretum ratum habuit, confirmavit atque edi iussit, contrariis quibuscumque minime obstantibus. Mandavit insuper ut mittatur ad omnes locorum ordinarios et praelatos regulares, ad hoc ut illud cum suis seminariis, parochis, institutis religiosis et sacerdotibus respective communicent, et de exsecutione eorum, quae in eo statuta sunt, s. Sedem edoceant in suis relationibus de dioecesis seu instituti statu.

« Datum Romae, die 20 decembris 1905 ».

Ad efficacius in dies propagandam 1349
quotidianam communionem SS. D. Pius pp. X concessit praeterea, ut omnes christifideles, qui in statu gratiae et cum recta piaque mente quotidie sancta de altari libari consuescunt, quamvis semel aut iterum per hebdomadam a communione abstineant, frui possent indulto, quod Clemens XIII (*9 dec. 1763*) omnibus fidelibus concesserat, qui consuevissent ad sacramentum poenitentiae semel saltem in hebdomada accedere, ut scilicet consequi possent omnes et quascumque indulgentias, etiam sine actuali confessione, quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria esset; ita ut fideles, qui quotidie vel fere quotidie ad communionem accedere soliti sunt, lucrari possint quascumque indulgentias absque hebdomadariae confessionis obligatione. *S. C. Indulg. 14 febr. 1906.*

Post haec S. Congr. Concilii propo- 1350
posita sunt duo sequentia dubia:

«1° Quotidiana eucharistiae sumptio in catholicis ephebeis suaderine debet etiam pueris quibuscumque post sumptam primam communionem?

2.° Infirmis, qui diuturno morbo laborant, nec naturale ieiunium in sua integritate observare queant, nullum remedium suffragari potest, ne pane eucharistico tam longo tempore priventur? ».

Et responsum est:

« Ad 1. Sacrae communionis frequentiam commendari iuxta articulum primum decreti etiam pueris, qui ad sacram mensam, iuxta normas in catechismo romano cap. 4. n. 63 semel admissi, ab eius frequenti participatione prohiberi non debent, sed potius eos ad id hortari, reprobata praxi contraria alicubi vigente.

Ad 2. Iuxta mentem, facto verbo cum SSmo. ». *S. C. C. 15 sept. 1906.*

1351 Quaenam fuisset illa mens, de qua in responsione ad secundum, non explicabatur in eo decreto, sed nota facta est per novum decretum ab eadem S. Congregatione latum die 7 decembris eiusdem anni 1906, quod est sequens:

« Post editum de frequenti et quotidiana ss. eucharistiae sumptione decretum die 20 mensis decembris 1905, concessasque a SSmo. D. N. Pio pp. X die 30 mensis maii eiusdem anni indulgentias omnibus Christifidelibus, qui certas preces devote recitaverint pro quotidianae communionis propagatione; post additum praeterea decretum *Urbis et Orbis*, die 14 mensis februarii 1906 a S. C. Indulgentiarum et Reliquiarum, cuius decreti vi possent christifideles per quotidianam communionem lucrari omnes indulgentias, absque onere confessionis hebdomadariae, vix dicere est, quanta laetitia benignae huiusmodi s. Sedis dispositiones exceptae sint, praesertim ab episcopis et moderatoribus religiosorum ordinum. Excitato inde studio fovendae pietatis, quaesitum est, si quo forte modo consuli posset aegrotis diuturno morbo laborantibus et eucharistico pane haud semel confortari cupientibus, qui naturale ieiunium in sua integritate servare nequeant. Quare supplices ad hoc preces delatae sunt SSmo. D. N. Pio pp. X; qui, re mature perpensa auditoque consilio S. Congregationis Concilii, benigne concessit, ut infirmi, qui iam a mense decumberent absque certa spe ut cito convalescant, de confessarii consilio ssmam. eucharistiam sumere possint semel aut bis in hebdomada, si agatur de infirmis qui degunt in piis domibus, ubi ssmum. Sacramentum asservatur, aut privilegio fruuntur celebrationis missae in oratorio domestico; semel vero aut bis in mense pro reliquis, etsi aliquid per modum potus antea sumpserint, servatis de cetero regulis a rituali romano et a S. Rituum Congregatione ad rem praecriptis. Praesentibus valituris, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, die 7 mensis decembris 1906 ».

Post haec, dubitationibus exortis, 1352 novum prodiit decretum eiusdem sacrae Congregationis:

« Proposito in S. Congregatione dubio - an nomine infirmorum, qui a mense decumbunt, et idcirco iuxta de-

cretum diei 7 decembris 1906 s. eucharistiam non ieiuni sumere possunt, intelligantur solummodo infirmi qui in lecto decumbunt, an potius comprehendantur quoque qui, quamvis gravi morbo correpti et ex medici iudicio naturale ieiunium servare non valentes, nihilominus in lecto decumbere non possunt, aut ex eo aliquibus horis diei surgere queunt. Eadem S. Congregatio die 6 martii 1907 respondendum censuit: Comprehendi, facto verbo cum SSmo. ad cautelam ».

Vermeersch De communione cotidiana; *Stella A.* La communione quotidiana; *Mahieu I.* Le décret sur la communion quotidienne; *Mahieu H.* De munere confessarii quoad usum communionis quotidianae; *Ferreres I. B.* La comunión frecuente y diaria según las enseñanzas y prescripciones de Pio X; *Lintelo J.* Les vacances et la communion quotidienne des enfants; *Lintelo J.* Le décret pour la communion quotidienne et les devoirs des prédicateurs et des confesseurs; *Lintelo J.* Prédicateur et confesseur dans la propagation de la communion frequente; *Antoni* Pour quoi ne pas communier tous les matins où vous allez à la messe? *Debourg P.* Décret sur la communion fréquente, commentaire théologique et historique; *Hättenschwiller I.* Die öftere und tägliche heilige Kommunion nach dem päpstlichen Dekrete vom 20 Dezember 1905; *Rechenauer E.* Die kirchliche Reform des Kommunionempfanges durch das Dekret der Konzilskongregation vom 20 dez. 1905 und dessen Ergänzungen.

1353 **Communio paschalis.** — Communio paschalis praescribitur iure divino quoad substantiam, ecclesiastico quoad tempus. Conc. Trid. *sess. XIII. can. 9.* – Tempus paschale de iure communi a dominica Palmarum ad dominicam in Albis computatur. *Const.* Eug. IV « Fide digna » *8 iul. 1440.* – Communio paschalis sumenda est in propria paroecia sub gravi (*c. 12. de poenit. X.* [*V. 38*], nec sufficit communicare in ecclesia cathedrali [*S. C. C. EE. RR. 21 ian. 1848*] aut in ecclesia regularium exempta [*S. C. C. 31 ian. 1692*]); et qui omisit communicare tempore paschali, tenetur id facere quamprimum potest (S. Alph. *VI. 292*), et etiam tunc in parochia. G. B. *II. 482.* Verum in utroque casu, ad communicandum alibi, sufficit licentia parochi (Const. Benedicti XIV « *Magno* »..... *1751* ; et multo magis episcopi) vel tacita, imo etiam praesumpta. S. Alph. *VI. 300.* Imo scriptor ephemeridis « Monitore Ecclesiastico » *vol. XII. pag. 125,* citans Berardi *Praxis confess. n. 3085* (numerus forte refertur ad antiquiorem editionem; in editione 3ª potes conferre *II. 1536. 1543*) et Frassinetti *Theol. mor. vol. I. not. 92,* putat in magnis civitatibus, in quibus plurimi ne cognoscuntur quidem a proprio parocho, quum adaequate cessaverit finis legis, posse unumquemque semper hanc tacitam parochi permissionem praesumere. Peregrini et vagi satisfaciunt ubique. S. Alph. *l. c.*

Pueri ex Conc. Lat. tenentur ad communionem paschalem, quando ad annos discretionis pervenerint. Quare qui autumant, etiam sub specie zeli, exspectandam esse in pueris provectiorem aetatem, ut ad communionem admittantur, *decipiuntur specie recti,* et contradicunt aperto (proinde et sapientissimo) praecepto et certae menti ecclesiae. Iudicium autem suf-

ficientis discretionis in pueris, pro eucharistia recipienda est penes confessarium praecipue, vel penes parochum, non penes pueri parentes, qui tamen parocho vel confessario testificari possunt de pueri intelligentia. *S. C. C. 15 mart. 1851*; Cat. Rom, *de euch. n. 63.*

Communio prima. — Vid. *Prima communio.*

1354 **Communio spiritualis.** — Communio spiritualis est pium desiderium eucharistiam suscipiendi, quum realiter suscipi nequit; hinc ad eam requiritur actus fidei et desiderii. G. B. *II. 157.*

1355 **Commutatio.** — **De commutatione votorum.** — Commutatio voti est substitutio alicuius alterius operis, loco promissi. Fieri potest in bonum melius, aequale, minus. - Qui potest dispensare, potest et commutare, etiam in minus bonum; sed non vicissim. Cfr. D'Ann. *III. 209 (18).* Vovens ipse suum votum commutare potest generatim in opus evidenter melius, probabiliter in aequale, in minus certo non potest. Lessius *de iust. et iure II. c. 40. n. 105.* Quod vovens possit suum votum commutare in opus melius est communis sententia (Suarez *de voto lib. VI. cap. 12. n. 10*); et sic potest quis omnia sua vota personalia propria auctoritate commutare in votum religionis (imo ipso iure vota realia omnia in votum religionis in professione mutantur), quia votum religionis includit omnia alia vota tum ratione perpetuitatis, tum ratione obedientiae, qua homo voluntatem suam Deo tradit, per quam sui et omnium dominus esse potest. S. Th. *in 4. dist. 38. q. 1. a. 4. ql. 4.* Diximus autem, hoc voventem generatim posse; nam aliquando vetuit ecclesia, ne aliqua huiusmodi commutatio propria auctoritate fieret, quemadmodum factum est quoad transitum ad arctiorem religionem (*c. 18. de reg. etc. X.* [*III. 34*]). Suarez *loc. cit. c. 18. nn. 4. 14.* - Quod autem vovens possit commutare votum suum in opus aequale sua auctoritate, non est concors omnium sententia; imo sunt graves doctores, qui contrarium tuentur. Attamen hoc ipsum videtur valde probabile, quum praesumatur Deus aeque acceptare opus aequale, quod, re per se spectata, redundat in aequalem Dei gloriam, maior vero sit utilitas voventis, qui saltem maiore hilaritate offert. B. P. *II. 694.* Verum in praxi suadendum, ut adhibeatur consilium confessarii propter periculum hallucinationis, quam quis saepe patitur in re sua.

Si quis autem velit commutare suum votum in opus evidenter melius, nulla requiritur causa, ut hoc licite faciat (Suarez *loc. cit. c. 18. n. 9*); quod verum est, etiamsi probabile tantum sit, commutationem esse in melius. Suarez *loc. nuper cit. n. 10.* - At si commutatio sit in aequale, aliqua iusta causa requiritur, etsi parva sufficiat; maior autem quaedam causa requiritur, si dubium sit, an opus, in quod commutatur, sit minus et probabiliter tantum aequale. Quod valet non solum, quum quis hanc commutationem sua auctoritate faceret; sed etiam, quum alius potestatem habens hanc faceret commutationem; exercetur enim nomine Dei quasi creditoris.

Iusta autem causa tunc esset etiam sola petitio voventis, scilicet ut promptiori animo votum impleat. Suarez *loc. cit. c. 19. n. 10.* Posita vero commutatione facta, si materia posterior fit impossibilis, neque ad priorem teneris. Suarez *loc. cit. c. 20. n. 1.*

Nota tandem, in dubio, an causa commutationis fuerit sufficiens, posse voventem acquiescere iudicio commutantis. S. Th *2. 2. q. 88. a. 12. ad 2;* S. Alph. *III. 245.* – Attamen liberum semper est voventi redire ad prius votum, non solum si res eo voto promissa fuerit melior, quod evidens est; sed etiam si fuerit aequalis, vel minor. Ratio primi est, quia commutatio fit in favorem voventis; ratio alterius est, quia haec sententia, contra iuris tenorem, aequitatis causa recepta est. D'Ann. *III. 209.* Hoc autem valet non solum pro prima commutatione, sed et pro insequentibus, si plures commutationes fiant. S. Alph. *III. 248;* Bucc. *I. 628.*

1356 Aliquid hic dicendum de potestate commutandi vota. Porro, haec potestas penes eos est, qui externam in ecclesia obtinent iurisdictionem, idest penes romanum pontificem et episcopos, quo nomine hic veniunt quotquot episcopali iurisdictione censentur. Suarez *loc. cit. c. 10, n. 13*; D'Ann. *III. 207.* Attamen hi, praeter rom. pontificem, non possunt commutare quinque vota reservata, nempe vota perfectae castitatis, religionis ab ecclesia approbatae et trium peregrinationum ad sacra bb. Apostolorum limina, ad S. Iacobi in Compostellis et ad Ierusalem. Vid. *Dispensatio.* Sunt praeterea, qui hac potestate gaudent iure delegato; quo privilegio fruuntur confessarii regulares mendicantium. Ferraris *Prompta bibl. v.* « *Votum* » *art. 3. n. 77.* Attamen et episcopi et confessarii regulares mendicantium hac potestate pro suis tantum subditis gaudent; scilicet nisi praeterea alio fruantur privilegio, quo hoc possint etiam cum aliis.

Praeter potestatem simpliciter com- 1357
mutandi datur etiam aliquando potestas dispensandi simul et commutandi seu commutandi dispensando, quae est alia a potestate simpliciter dispensandi. Est enim potestas commutandi in opus etiam multo minus, quod excedit simplicem potestatem commutandi, etsi ad potestatem simpliciter dispensandi non pertingat. Nam ille, cui potestas est simpliciter commutandi, potest quidem commutare votum in opus quoddam non solum aequale, sed etiam aliquantulo minus (secus haec potestas innumeris anxietatibus locum daret, et vix non esset inutilis, quum quisque probabiliter possit votum sua auctoritate in aequale opus commutare, S. Alph. *III. 247*; B. P. *II. 698*; D'Ann. *III. 209* [*18*]); non autem commutare potest in opus notabiliter minus.

Circa quod nota sequentia ex D'Annibale *III. 209*: « Rem autem aequalem accipere debemus moraliter, arbitrio boni viri; proinde nihil oberit, si haec vel alterius speciei sit, modo sit aeque utilis voventi, vel non sit tantumdem prorsus, quia heic minimum pro nihilo reputatur; proinde, etsi in commutatione insit aliquid dispensationis, et dispensare nequeat is, qui solam commutandi

facultatem habet, nihilominus haec facultas non est interpretanda adeo stricte, ut commutatio fieri debeat in opus penitus aequale », ut superius diximus.

1358 Potestas haec commutandi vota, quemadmodum et potestas dispensando commutandi, aut potestas simpliciter dispensandi ad forum conscientiae pertinet; hinc exerceri potest etiam extra confessionem. Vid. *Forum.*

1359 Nota etiam, eum, qui habet potestatem commutandi vota pro aliis, eam habere et pro seipso ex communi sententia. S. Alph. *III. 249;* B. P. *II. 698.*

1360 **De commutatione poenitentiae sacramentalis.** — Commutatio poenitentiae nunquam fieri potest ab ipso poenitente; et a confessario nonnisi in ordine ad absolutionem datam vel dandam, quin tamen necessaria sit repetitio confessionis factae, ne summatim quidem. Ad eam faciendam requiritur iusta causa. S. Alph. *VI. 528. sqq.* Vid. *Satisfactio sacramentalis.*

De commutatione ultimarum voluntatum (*remissive*). — Quoad eam vide *Testamentum.*

Comoedia. — Vid. *Spectacula.*

1361 **Compensatio. De compensatione occulta.** — Compensatio occulta vel extra-legalis est rei propriae recuperatio per occupationem alienae. Aliquando iusta est et licita, certis sub conditionibus, quae nempe omnes ad hoc reducuntur, ut scilicet occulta haec compensatio ita fiat, ut per eam non laedatur iustitia, nec alteri damnum iniustum aut iniuria inferatur, et tandem, ut iusta subsit causa eam faciendi. Quare iniusta esset et illicita occulta compensatio, si fieret ad compensandum debitum non ex iustitia, sed ex gratitudine; vel ad compensandum debitum non praesens sed futurum (attamen, si iure quis timeat, ne debitor soluturus postea sit debitum, et occasio quae sese compensandi nunc adest, futura in posterum non speretur, putat Lugo *de iust. et iure disp. XVI n. 93 sqq.*, posse aliquem sibi compensare etiam pro debito futuro, dummodo rationem habeat vel lucri cessantis vel damni emergentis, quod exinde passurus est debitor); vel ad compensandum debitum non certum, sed probabile tantum (certitudo autem requisita est moralis certitudo; imo quidam concedunt in quibusdam certis casibus licere compensationem etiam pro debito probabili tantum, sed de hoc postea); vel quae fiat non ex bonis debitoris, sed alterius (ut si quis ad se compensandum auferret rem apud debitorem depositam aut ei commodatam); vel quae, etsi fiat ex bonis debitoris, ita tamen fit ut ex hoc alteri inferatur iniuria (quemadmodum, si quis auferat sibi rem debitoris, quam debitor alteri locavit, etc.); vel quae ita fiat, ut exinde debitori obveniat damnum, quod pati non tenetur (ut ecce, si debitor maneat cum conscientia debiti, quod esset damnum spirituale, aut quod forte creditori secundo solvat, quod esset damnum temporale; attamen bene adnotant doctores, haec pericula non debere impedire compensationem, quamvis cavenda sint, quoad fieri potest, etsi enim damnum praeter intentionem sequatur, illud debitor ma-

litiae suae imputet; ex hoc capite dicunt plures compensationem faciendam in re eiusdem generis, ad summum scilicet, si commode fieri possit); vel quae fiat quum aliter creditor rem suam possit obtinere, hoc tamen in quacumque hypothesi leve ad summum esset, quia iustitia tantum legalis intervertitur. Cfr. Lugo *loc. cit. n. 90 sqq.*; B. P. *III. 293 sqq.*; D'Ann. *III. 255*; Bucc. *I. 1471 sqq.*

Quoad illud, quod diximus, compensationem scilicet licite fieri posse tunc tantum, quum debitum, pro quo fit, est certum, nota, quosdam admittere triplicem quemdam casum, ut innuimus, in quo liceat, etsi agatur de debito tantum probabili. Casus autem sunt: in compensatione famae cum pecunia; quando quis donavit immemor debiti, non donaturus, si scisset; quando legatum relictum est in testamento minus solemni, quod proinde heres dare renuit. Porro Croix (*Th. mor. lib. III. p. 1. n. 962.*) et D'Ann. (*loc. cit.*) cum aliis negant in quocumque ex tribus casibus (Croix loco secundi, quem non examinat, agit de casu compensationis infamiae cum infamia) licite fieri posse compensationem, aut saltem in secundo non agi dicunt, et iure, de compensatione, sed de interpretativa solutione. S. Alphonsus quoad primum et tertium casum, quos examinat, his adhaeret. Ego autem, ut fatear quid sentiam, in duobus postremis casibus adhaereo D'Annibale; in primo ab eo dissentio. Nam certum est, auctoritate saltem extrinseca doctorum, probabilem esse sententiam, quae docet, infamiam compensandam esse pecunia, quando non potest in proprio genere restitui; quam sententiam, ait Lugo *l. c. n. 95* (quamvis ipse contrariam veriorem appellet), tenet expresse Molina (*de iust. et iure tom. V. disp. 49. n. 5*) Ledesma (*2. p. 4. q. 18. a. 2,*) Ioannes de la Cruz (*in direct. p. 1. praec. 7. a. 2. dub. 6. concl. 2*) Tanner (*disp. 4. q. 6. dub. 6. n. 150*) Aragonius et alii, quos sequitur Diana (*tom. 2. tr. 5. Miscell. res. 30*) quibus ex recentioribus non pauci possent adnumerari. Potius dici posset, casum hunc non pertinere ad compensationem ex debito tantum probabili; nam in casu debitum, et proinde creditum, est certum; dubium autem versatur tantum circa modum compensationis, an scilicet possit quis satisfacere sibi per compensationem ex pecunia. Quare quamvis dici debeat quod ad se compensandum debitum debet esse certum, in casu tamen dubium non cadit super debitum.

Quoad famulos et famulas relate ad hanc compensationem nota propositionem damnatam ab Innocentio XI sub n. 37 *decr. 2 mart. 1679:* « Famuli et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario, quod recipiunt ». Attamen simul adverte, eam damnatam fuisse ob eius generalitatem, quasi nempe diceretur, quidquid iudicent famuli sibi deberi, hoc occulte posse eos surripere, etiamsi non cum certitudine iudicent; quod sane innumeris furtis viam aperiret, ut bene adnotat Ballerini-Palmieri *III. 296.* Ceterum putari nequit, voluisse Pontificem excludere famulos ab occulta

compensatione, quam omnes licitam habent. Verum quoad eos nota, tunc tantum posse sibi compensare contra heros, quando vel pretium pactum non attingit infimum pretium iustum, vel famulus adhibetur ab hero in iis operibus, ad quae non est conductus, si nempe in his maiorem laborem debeat impendere, aut praeter opera, ad quae conductus est, in aliis occupetur. In praxi autem optandum et suadendum, ut famuli et famulae ad compensationem non deveniant, nisi audito confessario, scilicet ad cavendas hallucinationes. Attamen hoc non bene extenderes ad strictam obligationem. B. P. *III. 297;* D'Ann. *II. 255* contra *Monitore ecclesiastico XI pag. 308 sqq.*

Quod autem de famulis dictum est, intelligendum quoque esse de quibuscumque operariis conductis planum est.

Lugo De iust. et iure disp. XVI n. 94 sqq.; *Vermeersch* Quaestiones de iustitia n. 333; *Simar* Lehrb. der Moraltheologie § 187; *Koch* Lehrb. der Moraltheologie § 150; *Noldin* De praeceptis Dei et ecclesiae n. 417 sqq.

1362 **De compensatione in restitutione famae.** — In restitutione famae datur probabilius compensatio, si diffamatus ab alio illum diffamet; imo probabiliter, ut supra diximus, fama etiam pecunia compensari potest. Cfr. S. Alph. *III. 521* et notam ad n. 35. tract. de conscientia, quam non in omnibus operum S. Doctoris editionibus videre est, sed quam refert B. P. *III. 293 (a)*.

1363 **Competentiae privilegium.** — Competentiae privilegium, seu, ut etiam dicitur, privilegium capitis « Odoardus », quia iuxta quosdam deducitur ex cap. *Odoardus 3 de solutionibus X. (III. 23)*, est beneficium competentis sustentationis pro clerico aere alieno gravato. Nempe vi huius privilegii clericis obaeratis seu debitoribus a creditoribus, bona ipsorum occupantibus, semper congrua sustentatio relinqui debet, ut nullatenus idcirco indigne tractari (incarcerari, excommunicari, etc.), vel iis, quae ad vitam necessaria sunt, privari possint. Ut vero clericus privilegio hoc gaudeat, requiruntur nonnullae conditiones, scilicet, ut debita haec proveniant ex contractibus et negotiis civilibus, non vero ex delicto vel quasi delicto, ut sit in sacris, vel, si in minoribus, gaudeat privilegio fori et non sit coniugatus (*c. un. de cler. coniug. [III. 2] in 6°*); ut conveniatur actione personali, non reali; ut coram iudice debitum malitiose non neget (cfr. *c. « Odoardus » cit.*); ut se probet impotentem ad solvendum, saltem summarie et praesumptive; ut non contraxerit debitum dolose et in fraudem creditorum. Barbosa *Ius eccles. univ. lib. I. c. 39 § 6 n. 6 sqq.* Debet praeterea clericus idonea cautione (in casu sufficit iuratoria) spondere, ut, si ad pinguiorem fortunam devenerit, contracta debita sit soluturus. Cfr. Santi *in tit. cit. n. 8 sqq.* Privilegium hoc paucis in locis viget, quamvis vigeat adhuc alicubi.

Bibliographiam quaere sub *Clerici*.

Complacentia. — Vid. *Delectatio morosa*.

Completorium. — Moniales ad com- 1364
pletorium in recitatione lectionis bre-

vis dicere debent *Iube, domne, benedicere* et *fratres, sobrii estote, etc.*; contrarium (videlicet quod dicatur *Iube, domna, benedicere* et *sorores, sobriae estote, etc.*) tamquam abusus omnino abolendum est. *S. R. C. in Corduben. 16 sept. 1673 ad 7* (*1490*). — A canonicis completorium canendum est modo chorali, nec licet ipsis facere, ut a musicis cappellae capitularis canatur; attamen episcopus non potest cogere canonicos ad completorium canendum, nisi in solemnioribus festis in quadragesima occurrentibus. *S. R. C. in Casalen. 15 sept. 1753 ad 18* (*2425*).

1365 **Complex.** — ***De complice in peccato turpi.*** — **Principium generale.** — Quoad complicem *in peccato turpi relate ad absolutionem,* haec habe.

Nemo potest absolvere complicem in peccato turpi, quia ad hoc caret iurisdictione; quare invalide ageret. *Const.* Ben. XIV «Sacr. Poenitentiae» *1 iun. 1741;* «Apostolici muneris» *8 febr. 1745.*

1366 **De peccato, quod lex benedictina respicit.** — Peccatum turpe hic est omne peccatum grave et externum contra castitatem, etiam merum colloquium vel aspectus. *S. U. I. 28 maii 1873.* Quare, si actus, prout externus est, non pertingit ad grave peccatum, benedictina lege non comprehenditur, licet actus internus, etsi in utroque, ad mortale peccatum pertigerit, ut ecce, si sacerdos attrectaverit manum mulieris voluptuose, muliere hoc voluptuose admittente, quin tamen et sacerdos et mulier, aut saltem alteruter, hanc voluptatem externe manifestaverit.

Sed et praeterea necesse est, ut peccatum sit grave externum formaliter. Hinc, si actus externus per se gravis excusandus esset a mortali ex inadvertentia aut indeliberatione aut imperfecto consensu, non haberetur casus sub hac lege comprehensus. B. P. *V. 413.*

Necessarium vero est, ut patet, quod 1367
vera habeatur in casu complicitas, nempe *formalis* et *exterior* in *gravi* peccato. Scilicet necesse est, ut ambo exterius per eam actionem, quam simul admittunt, vel ad quam ambo aliquo modo concurrunt, graviter peccent. Attamen non est necesse, ut uterque positive aliquid faciat, sed sufficit, unum tantum agere, altero passive, sed taliter sponte, se habente; is enim quoque qui sponte (nam aliter dicendum esset, si quis positive non dissentiret, ne coram aliis praesentibus et non advertentibus infamiam subiret) passive se habet in actione graviter peccaminosa, quam alter super ipsum ponit, graviter peccat externe. Hinc, qui dormientem vel invitum et reluctantem (sive de viro sive de muliere agatur) attrectat impudice, non est eius complex; qui vero volentem, vel non invitum, aut sponte patientem, etsi ipse nihil agat et positive nullo modo cooperet, impudice tangit, est eius complex. Hinc etiam, si alteruter externe serio dissensit, intus consentiens, complicitas non habetur.

In dubio, an peccatum fuerit grave, 1368
an grave externe, an adfuerit vera complicitas, sive dubium sit facti sive iuris, casus sub lege non comprehenditur. S. Alph. *VI. 554.*

1369 — **De peccato a iurisdictione sublato. — De directa absolutione.** — Nota etiam, iurisdictionem confessario ablatam esse quoad ipsum complicitatis peccatum, non quoad alia; quare, deleto per alterius directam absolutionem hoc peccato, confessarius complex iurisdictionem habet in alia peccata complicis. Imo putat D'Annibale (*Comm. in const.* « *Ap. Sedis* » *n. 87*), cui adhaerere videtur Bucceroni (*Commentarium in constitutionem eamdem n. 76*), confessarium complicem habere iurisdictionem etiam in ipsum peccatum complicitatis, postquam semel directe fuerit ab alio absolutum. Contrarium tenet Ballerini (*V. 415*), cui adhaeret Palmieri (*ibidem in nota*).

1370 **Utrum etiam indirecta absolutio sit prohibita.** — Nota etiam, lege benedictina prohibitam esse absolutionem directam peccati complicitatis, non vero indirectam. Quod non solum ex constitutionibus benedictinis eruitur et ex communi sententia theologorum comprobatur, sed firmatur etiam responsione quadam sacrae Poenitentiariae (*16 maii 1877*) qua ad quaesitum: « An incurrat censuras in absolventes complicem latas, qui complicem quidem absolvit, sed complicem, qui complicitatis peccatum in confessione non declaravit? Ratio dubitandi esse videtur, quia talis sacerdos, etiamsi complex sacrilege huius peccati confessionem omitteret, et ipse culpabiliter ab interrogando abstineret, non tamen absolvit ab huiusmodi complicitatis culpa, utpote non declarata, nec subiecta clavibus », responsum est: « Privationem iurisdictionis absolvendi complicem in peccato turpi, et adnexam excommunicationem, quatenus confessarius illum absolverit, esse in ordine ad ipsum peccatum turpe, in quo idem confessarius complex fuit. Tenetur nihilominus confessarius sacerdoti, qui hac ratione complicem, non tamen a peccato complicitatis, absolvit, omni studio ob oculos ponere enormitatem delicti sui et abominabilem abusum sacramenti poenitentiae, nec aliter ei beneficium absolutionis impertiri, quam praemissa gravissima adhortatione, ut officium confessarii dimittere studeat, nec non imposita obligatione, ut a confessionibus complicis audiendis in posterum omnino abstineat, monita eadem persona complice, si denuo compareat, ut de peccato complicitatis et ceteris invalide confessis apud alium confessarium se accuset ».

Particulares quidam casus. — Hinc, 1371 si poenitens peccatum complicitatis inculpabili oblivione non accuset (dummodo ex poenitentis ignorantia id non fiat, quia persuasum ipsi est, hanc accusationem non esse necessariam, quum confessarius illud peccatum probe noscat, et hoc ipsum confessarius animadvertat), etsi hanc oblivionem perspiciat confessarius, absolutio a complice data valida est et licita. B. P. *V. 415.*

In dubio vero, utrum ille, qui confi- 1372 tetur, fuerit revera complex an alius sit, affirmandum omnino videtur, confessarium valide et licite absolvere, non solum, quia durissimum est, adigere sacerdotem ad se prodendum, sed etiam quia hoc magno scandalo

poenitenti esse posset, si de facto non esset poenitens ea persona, cum qua confessarius peccavit. B. P. *V. 417;* D'Ann. *loc. cit. n. 87;* Gury *Cas. consc. n. 619;* Bucc. *Comm. in const. « Sacr. Poen. » n. 74.*

1373 Quid vero, si poenitens noscat sacerdotem, quocum peccavit, sed nunc accedens ad sacr. poenitentiae non advertat eum ipsum esse, licet confessarius complicem cognoscat? Et bene Palmieri ad Ballerini (*loc. cit. not. a.*) dicit, tunc nec licite nec valide absolvi, quum nec ratio infamiae, nec ratio scandali excuset, et iurisdictio fuerit adempta.

1374 Attamen, si neque poenitens advertat confessarium esse sacerdotem cum quo peccavit, neque confessarius poenitentem recognoscat, absolutio dicendane est omnino nulla? Et tunc adhaerendum puto D'Annibale (*loc. cit.*), qui putat, absolutionem datam complici bona fide confitenti nullius momenti esse quoad peccatum tantum complicitatis, non quoad alia, quum Benedictus XIV adimat confessario iurisdictionem « ad quamcumque personam *ab huiusmodi* (nempe complicitatis) *culpa* absolvendum »; scilicet peccatum complicitatis in casu remittitur tantum indirecte, et proinde manet per se complici poenitenti obligatio illud clavibus subiiciendi in altera confessione. Per se, inquam; nam in casu plerumque ne cogitare quidem poenitens poterit de hac obligatione.

1375 Ex dictis consequi etiam mihi videtur, quod si quando confessarius cognoscit complicem, sed is confessarium non cognoscit tamquam eum, qui eius complex fuit, quia ex gr. sacerdos peccavit in veste laica, sacerdos potest, ne se prodat et scandalum generet ac dedecus sacerdotalis ordinis, complicem absolvere, qui tamen a peccato complicitatis nonnisi indirecte absolutus evadit.

Quid de muliere alium confessarium adire omnino non valente, si infamiam secus sit subitura, si Pascha adveniat etc.? An iudicari posset hic casus exceptus a prohibitione Benedicti XIV? Sapientes iudicent.

De lege benedictina quoad articulum vel periculum mortis. — 1376 In articulo vero vel periculo mortis valide semper (*Constit.* Bened. XIV « Apostol. muneris ») absolvit complicem complex; attamen illicite, si alius sit sacerdos, etsi forte ad audiendas confessiones non approbatus, qui confessarii munus obire possit. Verum, si alius quidem sacerdos adsit, sed vocari aut accedere sine aliqua gravi exoritura infamia (sive sacerdotis complicis, sive moribundi) vel scandalo nequeat, tunc, ex eadem benedictina constitutione nuper citata alius sacerdos perinde haberi ac censeri potest, ac si revera abesset atque deficeret, ac proinde in eo rerum statu non prohibetur socius criminis sacerdos absolutionem poenitenti ab eo quoque crimine impertiri. Debet tamen sacerdos complex haec infamiae aut scandali pericula non sibi confingere, sed revera iudicare, quod adsint; nec non, si vere adsint, satagere, congruis adhibitis mediis, ut si fieri potest, removeantur. Quod si removeri non possint, tunc tantum confessionem

complicis excipere, et absolutionem eidem impertiri potest.

Difficultas vero alium inveniendi confessarium raro aderit, ubi multi sunt sacerdotes. At facile occurret in locis, ubi pauci sint confessarii, multo magis, ubi unus tantum est cum presbytero, qui ad confessiones excipiendas non sit approbatus. Quem casum examinans Ballerini-Palmieri (*loc. cit. n. 422*) his verbis rem totam perficit: « Plane igitur concludamus, vix fieri casum posse, quo vocari alius sacerdos, praesente approbato complice, possit ». Nota praeterea in hoc casu, si nempe facile esset, ut alter sacerdos non approbatus intelligeret moribundum vel moribundam cum alio sacerdote peccasse, posse morientem in confessione peccatum illud reticere ut patebit ex dicendis in fine.

1377 Patet autem evidenter, sacerdotem complicem, qui ex necessitate incepit audire confessionem complicis, posse inceptam confessionem explere et absolvere (etsi poenitens nondum accusaverit peccatum complicitatis), adveniente interim alio sacerdote, vel evanescente interim periculo mortis. Ratio est, quia iudicium inceptum est; qui autem iudicium incepit, potest et perficere.

1378 Eodem modo potest sacerdos absolvere complicem in periculo mortis, si complex alteri nolit confiteri, vel hoc ipsi nimium grave sit, puta quia inimicus est aut consanguineus. Ratio est, quia pro mortis periculo relicta est a Benedicto XIV sacerdoti complici iurisdictio, *ne aliquis pereat*, idest ne occasione ademptionis iurisdictionis tunc periculum adsit, ne quis conscientiam suam recte componat. Porro hoc timeri posset in casu, et proinde sacerdos confessionem excipiens bene ageret. Haec est sententia D'Annibale (*l. c. n. 86*), qui pro ea citat S. Alphonsum *VI. 563.* Verum s. doctor eo in loco de casu aliquantulum diverso agit; quaerit nempe, utrum in articulo mortis sacerdos non approbatus possit excipere confessionem illius, qui approbato praesenti confessionem suam facere horret, et esset in periculo confitendi sacrilege; respondet autem posse.

Eodem modo sacerdos, qui sine 1379
necessitate incipit in articulo mortis confessionem complicis audire, et postea eum facti poenitet, quamvis incipiendo confessionem peccavit, potest tamen confessionem perficere et absolvere, nec absolvendo peccat, et poenas non incurrit. Bucc. *loc. cit. n. 80.* Ratio est, quia confessionem perficiendo ponit actum debitum et proinde licitum; neque enim ius habet imponendi poenitenti, ut peccata sua iam in ea confessione clavibus subiecta iterum alteri manifestet. Quod valet, etiamsi poenitens scivisset, confessarium non posse eum audire in confessione, nec non nullam in casu subesse causam excusantem; quia, quamvis tunc poenitens peccasset contra caritatem incipiendo cum eo sacerdote confessionem, non tamen exinde amississet ius semel tantum sua peccata clavibus subiiciendi.

De poenis contra violantes legem benedictinam. — Poena vero pro sacerdote absolvente complicem in peccato turpi in casibus a Benedicto XIV 1380

prohibitis est excommunicatio latae sententiae romano Pontifici speciali modo reservata. *Const.* « Ap. Sedis » *ser. I. n. 10.* A qua excommunicatione incurrenda non excusat ignorantia crassa et supina. *S. U I. 13 ian. 1892.*

Absolutio autem data complici est casus *specialissime* reservatus, ita ut censendus sit exclusus etiam a facultate absolvendi a casibus specialiter reservatis. *Decl. S. U. I. 27 iun. 1866, 4 apr. 1871.*

At in casibus vere urgentioribus, ex responso S. U. I. *23 iun. 1886* dari posset absolutio sub poena reincidentiae, nisi saltem infra mensem per epistolam vel per confessarium absolutus recurrat ad S. Sedem. Quoad hoc vero confer *Censura,* ubi de his late diximus, loquentes de cessatione censurarum.

Audiens confessionem complicis et non absolvens, excommunicationem non incurrit; at absolvere simulans incurrit. *S. Poen. 1 mart. 1878.* Praeterea S. Poenitentiaria declaravit excommunicationem reservatam in Bulla « Sacramentum Poenitentiae » non effugere confessarios absolventes, vel fingentes absolvere eum complicem, qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur; sed ideo ita se gerit, quia ad id confessarius poenitentem induxit sive directe sive indirecte. Hanc declarationem extensivam S. Poenitentiariae diei *19 febr. a. 1896* approbavit summus Pontifex, qui iussit, eam S. Officio communicari, ut nempe etiam in foro externo servaretur. Cfr. B. P. *V. 412 sqq.*; G. B. *II 396 sqq.*; D'Ann. *III 324*; Bucc. *Comm. in const. Ben.* XIV « *Sacr. Poen.* » *pars altera.*

Confer quoad hoc omnes commentatores constitutionis « Ap. Sedis », *D'Annibale, Pennacchi, Ciolli, Bucceroni* etc. Cfr. etiam *Hollweck* Die kirchlichen Strafgesetze § 274.

De inquisitione complicis in confessione. — **De obiecto prohibitionis.** — Inquisitio in complicem poenitentis in confessione confessariis prohibetur ordinarie sub gravi. *Const.* Benedicti XIV « Ad eradicandum » *28 sept. 1746.* Attamen non prohibentur confessarii investigare peccati circumstantias, quas ipsi scire debent, ut conscientiae poenitentis vel integritati confessionis consulant, licet exinde quis fuerit complex dignoscatur. S. Alph. *VI. 491.* Ad hoc melius intelligendum nota sequentia ex Lugo *de poenit. disp. XVI n. 427 sqq.* Confessarius nunquam potest obligare poenitentem, ut aperiat ipsi tamquam confessario sub sigillo confessionis complicem suum, nisi necesse sit ad explicandum proprium peccatum (haec autem exceptio, quam facit Lugo expungenda est, quum, ut mox dicemus, probabile sit, poenitentem non teneri ad aperiendum confessario illud peccatum, vel illas peccati circumstantias, ex quibus sequeretur manifestatio complicis); quia confessarius ad nullum effectum uti posset ea notitia. Imo confessarius ne obligare quidem potest poenitentem, ut intra confessionem complicem detegat cum permissione ipsi facta, ut ea notitia utatur extra confessionem ad hunc vel illum effectum. Raro autem con- 1381

tinget, ut confessarius possit obligare poenitentem ad manifestandum sibi complicem, vel extra confessionem, vel intra, cum permissione utendi ea notitia ad certum aliquem finem; contingere tamen hic casus potest; quia nempe potest dari poenitens, qui aliunde teneatur complicem sui peccati confessario aperire, non qua confessario, sed qua personae huic, ut esset ex. gr. si confessarius esset superior religiosus, et ageretur de complice religioso alios corrumpente, quem eiicere ab ordine oporteret, ipse autem poenitens hanc manifestationem facere posset sine gravi suo damno. Cfr. etiam B. P. *V. 616 sqq.* His adde, confessarium non debere, et probabilius nec posse, suis interrogationibus ad peculiaria adiuncta ita descendere, ut complicem intelligat, nisi hoc necessarium sit ad consulendum conscientiae poenitentis. S. Alph. *VI. 491;* Bucc. *Comm. in const. « Ap. Sedis » n. 38.*

1382 **De poenis contra transgressores** — Confessarius hanc praxim a Ben. XIV damnatam sequens, et petens nomen complicis sub poena denegandae absolutionis, subiiciendus est suspensioni ab audiendis confessionibus et aliis gravioribus poenis, quae proinde sunt ferendae sententiae. *Const.* Benedicti XIV « Ubi primum » *2 iun. 1746.* — Cfr. G. B. *II. 313 sqq.;* D'Ann. *III. 334.*

Docentes vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi a poenitentibus nomen complicis, prouti damnata est a Benedicto XIV in constitutionibus « Suprema » *7 iul. 1745,* « Ubi primum » *2 iun. 1746,* incurrunt excommunicationem latae sententiae R. P. simpliciter reservatam. *Const.* « Ap. Sedis » *ser. 2 n. 1.* Quare nunc post constitutionem Pianam non tenentur amplius excommunicatione, prout antea (*Const.* « Ubi primum » *cit.*), confessarii hanc praxim sequentes, sed ii omnes et soli, qui eam docent vel defendunt. Docere autem et defendere eam praxim debent, prouti damnata est a Benedicto XIV; scilicet necesse est, ut doceant vel defendant, licitum esse exquirere nomen complicis, et nolenti illud aperire absolutionem denegare, seu obligare poenitentes ad manifestandum nomen complicis sub poena denegandae absolutionis. D'Ann. *Comment. in const. « Ap. Sedis » n. 106;* B. P. *VII. 298.* Nunc vero non est necesse, ut antea, ad incurrendam excommunicationem, ut quis ausu vel praesumptione seu temere hanc doctrinam doceat vel defendat. Sufficit tantum eam docere vel defendere. Verba enim *prouti damnata a Benedicto XIV* spectant praxim ipsam, quam docere vel defendere prohibitum est, non spectant modum, quo quis eam doceat vel defendat. Nota tandem verba, quibus D'Annibale (*loc. cit.*) hanc excommunicationem explanare perficit: « Et quando haec praxis profluit ex falso animarum zelo (ut habet Benedictus XIV), quaeri potest, an haec excommunicatio teneat eum, qui doceret, defenderet alia forte ratione, et ex alia causa, id licitum esse: v. gr. propter integritatem confessionis, vel quia confessario ius est haec inquirere. In sententiam affirmativam inclinat animus, primo quia

in hac doctrina minus hallucinationis (adeoque et periculi), minus odii subest; deinde quia licet non materialiter, at formaliter *alia* praxis esse videtur: nihilominus, quia lex factum (praxim), non aliud damnat, non ausim hanc sententiam cuiquam obtrudere, forte omnium primus; viderint sapientes ».

Confer quoad. hoc. omnes commentatores constitutionis « Ap. Sedis » *D'Annibale*, *Pennacchi* ecc.; cfr. etiam *Hollweck* Die kirchlichen Strafgesetze § 271.

1383 ***De manifestatione complicis in confessione.*** — Manifestatio complicis, etiamsi ad integritatem confessionis necessaria, probabiliter non est necessario facienda. Quaerendus tamen est alius confessarius, cui complex sit ignotus, si fieri potest sine gravi incommodo (ut ex. gr. esset pro exsistente in letali confessionem differre vel in crastinum, aut alium confessarium adire pro illo, qui difficulter alteri, quam consueto confessario conscientiam aperiret, vel qui propter consolationem, quam sentit ab amico vel docto confessario, alium quaerere non vult, S. Alph. *VI. 490*); semper tamen hoc non urget sub gravi, quia infamia penes confessarium generatim detrimentum modicum est. D'Ann. *III. 305* (*35*). Quare ex quavis mediocri causa complicem manifestare licet, eo confessario ordinarie excepto, quem crimen latere maxime et ex causa desiderat complex. Et haec sententia mihi arridet eo vel magis, quod manifestatio alieni criminis non est illicita, quando fit ex rationabili causa, ut docet S. Thomas *2. 2. q. 73. a. 2.* Cfr. S. Alph. *VI. 489.* Insuper probabile est, posse aliquem alicui viro prudenti revelare alterius peccatum ex rationabili causa, dummodo non illi reveletur, quem rei maxime et prae omnibus latere interest. Verum certe revelari non posse videtur ei confessario, qui ex ea notitia, licet sigillum non violando, in malum complicis uteretur; ut ecce, si metuat, ne confessarius, suspicatus famulam suam peccati complicem, eam sub quodam praetextu domo eiiciat. Ratio autem est, quia nullo iure potest complex ex peccato occulto complici damnum inferre. Patet autem excipi casum alicuius gravissimi damni impediendi, quo in casu complex, ut superius diximus, potest teneri ad manifestandum complicem etiam extra confessionem. Nota tamen clarum Ballerini post alios contrariae sententiae potius adhaerere, scilicet sententiae neganti liceitatem istius manifestationis, seclusis tamen illis incommodis, quae superius innuimus. Cfr. B. P. *V. 258.* - Cfr. G. B. *II. 311 sqq.*; Bucc. *II. 720 sqq.*

Quoad complicem in damno relate ad restitutionem, Vid. *Cooperatio.*

Componenda. — Componenda vel 1384
compositio dicebatur taxa, quae solvenda erat ab iis, qui a Dataria obtinebant dispensationem, ab impedimentis consanguinitatis et legitimae affinitatis et dispensatio dabatur in forma nobilium aut in forma communi aut etiam in forma pauperum, si agebatur de fere pauperibus, non autem de vere pauperibus. Componenda exigebatur etiam quando dispensatio dabatur ex causa, quae dicitur « ex certis rationabilibus causis ».

Feije *de imped. et disp. matr. n. 690.* - Vid. *Dataria.*

1385 **Compositio.** - Sciunt omnes in Italia post ultimam eversionem plures leges datas fuisse, quibus omnes perpetuae institutiones ad finem religiosi cultus, exceptis fabricis et aliis operibus destinatis ad conservationem sacrorum aedificiorum, quae cultui reservarentur, abolebantur, et prohibebatur, ne aliae in posterum constituerentur. Cfr. *leges 29 maii 1855 n. 878 pro regione Pedemontana, et legem 15 aug. 1867 n. 3848 pro tota Italia.* Fundationes ab abolitione immunes fuerunt igitur eae, quae non in finem cultus, sed in finem beneficientiae exercendae institutae sunt (attamen fundationes ad constituenda sacra patrimonia pro clericis pauperibus abolitae sunt, *Dicasterium Romanum sententiis definitive probandis vel improbandis* [*Corte di Cassazione di Roma*] *5 ianuarii 1879)*; eae, quae heredum conscientiae absque fundorum vel redituum designatione commissae sunt (verum, si legatum ita factum fuerit, ut quamvis huiusmodi designatio non exsistat, aliquis tamen sit, qui possit ius sibi in illud vindicare, abolitum est, *Dic. Rom. sentent. def. proband. vel improbandis 25 mart. 1886*); eae, quae alteri fundationi non abolitae adnexae sunt. M. C. G. *Circa la composizione sui beni e sugli oneri ecclesiastici e circa la rivendicazione e lo svincolo delle dotazioni etc. p. 2. n. 2. sq.* Omnia bona cuiuscumque speciei, quae ad pias fundationes abolitas pertinebant, devoluta sunt ad statum seu ad *demanium status.* Attamen laici beneficiorum patroni possunt bona beneficii dotem constituentia redimere, praevia petitione intra annum saltem a vacatione beneficii patronati facienda, et solutis generatim triginta pro quovis centenario super eorumdem bonorum pretio, quod sine onerum detractione computetur, et manente obligatione satisfaciendi oneribus impositis. *Leg. cit. 15 aug. 1867; Dicasterium Mediolan. Appellationis* (*Corte d'appello di Milano*) *6 dec. 1871; Dic. Taurin. sent. def. prob. vel improb. 16 iul. 1873.* Hinc, si cui cappellaniae inhaerebat onus celebrandi certum numerum missarum, redempta quoque cappellania, manet onus, nec tantum morale, sed et iuridicum, easdem numero missas celebrandi; stipendium autem determinari debet iuxta taxam synodalem (*Dicast. Anconitanum Appellat. 14 iun. 1875*; *Dic. Taurin. Appellat. 4 dec. 1877*; *Dicast. Panorm. Appellat. 15 apr. 1885*), nisi ipse beneficiatus fuisset patronus et beneficium redemisset. (*Dicast. Rom. sent. def. prob. vel improb. 8 iul. 1882*). Parochus vel quivis alius, cuius haec onerum adimpletio interest, potest iudicialiter hoc ipsum a patrono, qui bona redemit, exigere. *Dicast. Taurin. Appellat. 4 dec. 1877; Dicast. Rom. sent. def. prob. vel improb. 10 iulii 1877. Demanium*, seu Fundus pro cultu, ab adimpletione horum onerum liberatur, saltem eo sensu, quod nemini debet rationem reddere, utrum et quomodo oneribus satisfaciat. *Dicast. Rom. sent. def. prob. vel. improb. 24 ian. 1887.* - Qui plura circa redimibilitatem iuridicam in foro civili vel

irredimibilitatem beneficiorum ecclesiasticorum scire cupit, adeat opusculum citatum M. C. G. *Circa la composizione ecc. Napoli 1899,* ubi omnia dilucide et sapienter pertractantur.

Ea, quae diximus, iure civili consistunt; sed, quum leges huiusmodi, quippe quae ab illegitima auctoritate et contra evidens et certum ius ecclesiae factae sunt, iniustae et irritae sua natura sint, illi, qui harum legum patrocinio utuntur, et bona redimunt in sui favorem, vel a redemptoribus emunt, graviter peccant contra iustitiam; et excommunicationem incurrunt latae sententiae romano Pontifici reservatam, quae a concilio Tridentino (*sessione XXII c. 11 de ref.*) directe lata est, et proinde viget etiam post constitutionem « Apostolicae Sedis ». *S. U. I. 8 iul. 1874;* B. P. *VII. n. 471;* D'Ann. *Comm. in const.* « *Ap. Sedis* » *n. 97* (*66*). Ceterum ecclesia, ut huiusmodi peccantibus succurreret, iisque facile redderet suae conscientiae consulere, noluit suo iuri strictius insistere, sed facilitate et benignitate usa est. Et re quidem vera iam inde a die *1 iunii 1869* per sacram Poenitentiariam concessit, ut absolvi possent ii, qui bona ecclesiastica a gubernio italico in emphyteusim acceperunt, vel ea a canonis solutione, seu census quoscumque irredimibiles, praestationes etc. redemerunt, vel bona ecclesiastica a *Demanio* divendita acquisiverunt, dummodo loci ordinario, aut aliis viris ecclesiasticis ab ipso ordinario pro sua prudentia per dioecesim designatis, consignassent syngraphan ab eis subscriptam seu coram testibus subsignatam, eidem ordinario quamprimum transmittendam ac caute in cancelleria dioecesana aut alibi custodiendam, qua inter alia praecipue declarassent, se fundos seu bona ad nutum s. Sedis retenturos, eadem bona conservaturos et in eis rem utilem gesturos, onera imposita impleturos, personis seu locis piis, ad quae de iure eadem bona pertinebant, ex fructibus ipsorum bonorum subventuros, heredibus hanc obligationem declaraturos. Cfr. responsiones s. Poenitentiariae ad singulos casus integre relatas a B. P. *VII. 527.* Attamen per epistolam eiusdem sacrae Poenitentiariae *15 apr. 1892* novam s. Sedes praescripsit methodum sequendam in hunc finem; voluit nempe, ut huiusmodi emptores etc. compositionem super bonis ecclesiasticis emptis etc. cum ecclesia inirent. Quod etiam prius fieri poterat, sed tunc semper necessaria erat approbatio s. Sedis; nunc pro iis, qui triginta millia libellarum non excesserint in bonis emendis etc., sufficit approbatio ordinarii loci. Iuvat hic integras s. Poenitentiariae litteras referre:

« S. Poenitentiaria de speciali et expressa apostolica auctoritate ordinario N. N. ad annum duraturam facultatem communicat:

Christifideles, qui bona immobilia aut census aut iura ecclesiae erepta [1] sine eiusdem ecclesiae ve-

[1] Concessit etiam, ut non tantum super bonis ecclesiae ereptis, sed etiam super bonis et iuribus entium non suppressorum, ucapitulorum cathedralium, mensarum episcopalium aut parochialium etc., quum civilia iura extraneis facultatem tribuunt ea-

nia acquisierunt - vel acquisita alienaverunt - vel acquisita per emphyteusim liberaverunt - qui tamquam patroni vindicarunt beneficia ecclesiastica et cappellanias - qui redemerunt legata pia aut canones aut iura irredimibilia - vel ex redemptione iurium natura sua redimibilium cum damno ecclesiae lucrati sunt [1] - qui decimas non solverunt - et praedictorum omnium heredes et quoscumque successores;

Quoties ob aliquam ex praedictis causis gubernio aut aliis venditoribus solverunt aut solvere debent non ultra triginta libellarum millia (30000), et, si de decimis sermo sit, dummodo debitum hanc summam non superet, et si agatur de emphyteusi aut alio simili contractu, dummodo canon seu praestatio, iuxta legem civilem computata, respondeat capitali summae, quae itidem non excedat triginta libellarum millia; [1]

De speciali gratia admittendi ad compositionem, quae aequa videatur, servatis praesertim conditionibus et regulis, quae sequuntur:

1° Procedatur de intelligentia aliorum ordinariorum, si quorum intersit, et de consensu eorum, qui respective causas pias repraesentant, aliorumque canonice interesse habentium. [2]

2° In quantitate aequae compositionis determinanda considerentur: *a*) fundorum seu iurium valor realis eo tempore, quo compositio initur, *b*) pretium emptionis, *c*) praesens oratorum status, *d*) id in quo ipsi oratores cum damno ecclesiae di-

dem acquirendi, redimendi etc., posse nt episcopi ad compositionem fideles admittere. *S. Poen. 11 maii 1892;* Cfr. *M. C. G. Circa la composizione etc. p. 1. n. 4.* Nota, emptores bonorum ad causas pias mere laicales pertinentium, generatim loquendo, non indigere compositione, nisi ratione onerum super iisdem bonis impositorum aliquod ius ecclesiae competat; quo in casu ordinarius uti potest suprascriptis facultatibus s. Poenitentiariae circa compositiones. *S. Poen. 9 mart. 1894; 14 dec. 1898.*

[1] Quaeri hic potest, utrum hi, qui census natura sua redimibiles ab usurpatoribus redemerunt, censuram incurrerint. Et, si id coacti fecerunt, nec censuram incurrisse, nec peccasse, palam est; si sponte, licet peccent, quippe non domino restituunt, eos excommunicationem incurrere affirmat M. C. G. *loc. cit. num. 11;* negat D'Annibale *Comm. in const. « Ap. Sedis » n. 97* (*66*), tum quia magis indebite solvunt, tum quia sua pecunia ea est, qua redimunt, nec interim damno ecclesiam afficiunt, cui prohibentur canones solvere. Et haec sententia videtur verior, imo dubitari etiam potest, an peccent, quippe qui utuntur iure suo, permisso tantum ex iusta causa damno alterius. Patet autem, eos, si censibus redimendis minus accepta sorte persolverint, id ecclesiis restituere debere. *S. Poen. 1. iun 1869.*

[1] Valorem triginta millium libellarum computandum esse pro omnibus simul fundis acquisitis ab uno eodemque compositionem requirente, non pro singulis fundis, rescripsit s. Poenitentiaria *18 iunii 1890.*

[2] Si hi consensum denegent etiam irrationabiliter, recurrendum esse ad s. Sedem s. Poenitentiaria respondit *18 iunii 1890.* Et si agatur de bonis mensae episcopalis, obtinendum esse ab episcopo consensum capituli declaravit sacra Congr. Concilii *25 iul. 1891.* Si vero quaestio sit de monasteriis monialium, seu de capitulis, consensus dari debet capitulariter, nec sufficit interrogare singillatim. *S. Poen. 14 maii 1890.*

iores facti sunt, *e*) onera pia, quorum, si adsint, praecipua ratio habenda est.

Datur autem facultas ordinario eadem onera condonandi ex toto vel ex parte, si eis satisfactum non fuerit, nec non eadem reducendi pro futuro, iuxta vires, sive ad tempus sive in perpetuum pro diversa causarum et adiunctorum natura; supplente, quantum ad missas et alia suffragia attinet, Ss. Domino ex thesauro ecclesiae.

3° Benignior esse potest compositio, si pretium solutum vel canon assumptus, citra culpam emptoris vel emphyteutae, superet praesentem valorem fundorum; item pro eis, qui coacti affrancaverunt, et pro heredibus eorum, qui bona vel iura ecclesiastica, ut supra, iniuste possederunt, sed alias causas pias fundaverunt aut iuvarunt.

4° Ad compositionem adhortandi sunt etiam illi, quibus concessum fuit bona aut iura supradicta ad nutum ecclesiae retinere, subscriptis conditionibus alias designatis: *qui modus consulendi conscientiae fidelium non amplius conceditur.*

5° Ordinarius, quando agitur de fundis, in quibus aliqua sita est ecclesia, vel agitur de rebus sacris mobilibus, oratores oretenus moneat de obligatione, qua tenentur, faciendi, sub directione ordinarii pro tempore, quod poterunt pro sacrarum aedium et templorum conservatione, et res sacras nunquam in usus profanos convertendi seu deputandi, idque debitis modis notificandi suis heredibus et successoribus.

6° Nullum documentum peractae compositionis cuipiam tradatur; quod si illud omnino exigatur, episcopus per se iis, qui se composuerunt, poterit in scriptis id tantum declarare, eos omni obligatione conscientiae erga ecclesiam, ratione fundorum, canonum etc. exemptos et solutos esse.

7° Per has litteras eidem ordinario fit quoque potestas hac ipsa ratione providendi etiam illis, qui huiusmodi bona et iura acquirere, vendere, liberare, vindicare et redimere postulabunt, et si agatur de decimis, subducta computatione, quae supra pro canonibus et praestationibus statuta est; quin ex eo, praeter oratores eorumque heredes et successores, alii releventur, et, quod ad patronos attinet, dimisso prorsus iure patronatus, et quin laesa censeantur iura investitorum, si adsint.

8° Eidem ordinario conceditur etiam facultas indulgendi iis, qui super bonis habent imposita legata pia vel missarum onera, ut ea redimere valeant data summa, quae computatis fructibus ad quinque pro centum, reditus sufficientes quotannis praebeat pro integro eorumdem onerum adimplemento, et sub hac lege, ut, si praefata summa solvatur per publicas schedas (vulgo *di consolidato*), ipsae schedae non computentur iuxta nominalem ipsarum valorem, sed iuxta pretium, quod die solutionis effective in commercio habent.

9° Praeterea eadem s. Poenitentiaria praelaudato ordinario facultatem concedit, sive per se sive per aliam idoneam ecclesiasticam perso-

nam,[1] ab eo ad hoc singulis casibus subdelegandam, oratores in praemissis culpabiles, postquam, ut supra, se composuerint, a censuris et poenis ecclesiasticis, in quas propterea quomodolibet inciderint, apostolica auctoritate absolvendi cum congrua poenitentia salutari et reparatione scandali meliori, quo fieri potest, modo, prudenti iudicio absolventis.[2]

10° In hoc indulto non comprehenditur facultas concedendi impositionem hypothecarum, neque reducendi canonem emphyteusis temporaneae vel nimis onerosae; circa quae recurrendum est in singulis casibus ad s. Sedem.

Item non comprehenditur facultas dispensandi ecclesiasticos viros super irregularitate, in quam inciderint ob violatas censuras.

11° Qui ob paupertatem compositionem inire nequeunt, absolvi poterunt ab ordinario cum obligatione, ut, si ad meliorem conditionem devenerint, ecclesiae satisfaciant ac interim scandalum removeant.

Item qui statim nequeunt statutam compositionem solvere, si obligationem emittant de ea opportuno tempore solvenda, remoto interim scandalo.

12° Pecuniae vero summas ex compositione acceptas etiam tenues ipse ordinarius, quamprimum et quam tutissime possit, favore causarum piarum, ad quas de iure pertinent, in titulos liberos (*valori al portatore*), quos viri competentes tutos agnoverint, investire et ad nutum s. Sedis conservare satagat, neque alienet sine eiusdem venia, neque commutet, nisi urgeat necessitas, et tempus non suppetat recurrendi ad s. Sedem.

Quod si supradictae summae pertineant ad causam piam alterius dioecesis, transmittendae erunt ad eiusdem ordinarium.

Si eaedem pertineant ad religiosos, requiritur, ut eis tradi possint, venia s. Sedis in singulis casibus.

Quod si summae spectarent ad causam piam iam extinctam vel ad ecclesiam, in qua divina officia amplius ce-

[1] Quum non dicatur *per alium confessarium*, nec *audita sacramentali confessione*, absolutio dari potest etiam extra confessionem et in foro externo. M. C. G. *loc. cit. p. 1. n. 23.*

[2] Hoc quidem pro absolutione post compositionem peractam cum ordinario vi facultatis habitualis, quam ipse habet ex hac dispositione s. Poenitentiariae. Sed nota, quod, si ageretur de compositione peragenda ex decreto apostolico, tunc, si absolutio a censuris non esset data in forma gratiosa, sed in forma commissoria, ad validitatem necesse esset, ut episcopus prius daret absolutionem a censuris, et postea exsecutionem daret rescripto. Quod si episcopus daret decretum exsecutoriale rescripti pontificii ante fulminationem absolutionis a censuris, decretum esset nullum. Ratio autem est, quia rescriptum ab excommunicato obtentum nullum est ipso iure (*c. 1. de rescriptis X* [*1. 3*]). Nec posset episcopus sanare illud decretum; iam enim functum est, et quidem nulliter, mandato suo. Quare necesse esset expostulare novum pontificium rescriptum. Verum auctor ephemeridis « Monitore ecclesiastico » *vol. XI pag. 265* putat sufficere, ut in ipso decreto exsecutoriali prius apponatur absolutio a censuris, et postea concessio ecclesiastici fundi, circa quem compositio facta est.

lebrari non valeant, ordinarius ipsarum fructus impendat in bonum alterius causae piae, praesertim ecclesiarum, presbyterorum et clericorum pauperum, prout melius in Domino iudicaverit, celebratis tamen missis et ceteris persolutis suffragiis, si quae praefinita fuerint.

13° Circa fundos vero seu iura, quorum valor excedit triginta libellarum millia, recurrendum erit ad s. Sedem in singulis casibus.

14° Ordinarius moneat confessarios, ut, si ad poenitentes in periculo mortis constitutos et in praemissis culpabiles vocentur, prudenter compositionem urgeant; quod si haec obtineri nequeat vel quia tempus non suppetit, vel ob rationabiles causas, satis erit, si aegrotus eam heredibus imponat, vel serio promittat eam initurum, si convaluerit; remoto scandalo.

15° Ordinarius, confessariis sibi benevisis, tempore quadragesimae vel sacrarum missionum vel urgente paschali praecepto, facultatem concedere poterit absolvendi eos, qui compositionem statim inire nequeant, dummodo iidem serio promittant, se intra duos menses ab accepta absolutione recursum habituros ad ordinarium pro obtinenda compositione, remoto interim scandalo. - Contrariis quibuscumque non obstantibus. - Datum Romae in S. Poenitentiaria 15 apr. 1892. - N. Averardius S. P. Regens ».

Bona a gubernio redempta non spectant patronis, sed ecclesiae; attamen patroni habent ius indemnes sese praestandi ex reditibus benefi-cialibus pecuniae pro redemptione solutae. Cfr. *S. C. EE. RR. in Fesulana 18 mart. 1898; 16 mai 1902; in Signina 9 aug. 1901.* Cfr. etiam quoad hoc Monitore eccl. *vol. XII pag. 179.*

Compromissum. — Vid. *Arbiter.*

Concilii (S. Congregatio). — Haec 1386
congregatio primam suam originem repetit ex motu proprio Pii IV « Alias nos » *IV. non. aug. a. 1564.* Post varias immutationes recensita tandem fuit inter alias congregationes in const. « Immensa aeterni Dei » (*II kal. feb. 1586*) a Sixto V, qui eam nominavit « Congregatio pro exsecutione et interpretatione concilii tridentini ».

Quemadmodum aliae omnes con- 1387
gregationes, ita et haec cardinalibus constat, qui ab initio ex constitutione Pii IV octo fuerunt, quibus paullo post quatuor alii additi sunt. Numerus cardinalium postea maior generatim fuit, semper tamen varius pro arbitrio Romani Pontificis. Ita anno 1870 Congregatio constabat 37 cardinalibus, nunc post constitutionem novam pianam 22 componitur (unus nuper demortuus est), quorum quidam (nunc septem) extra Urbem resident, et proinde eius potius titulum habent quam officium. Unus cardinalium a Pontifice electus munus gerit praefecti.

Post cardinales habetur secretarius, qui immediatam habet officialium omnium et negotiorum directionem. Iam inde ab antiquis temporibus viri praestantissimi huic muneri secretarii huius congregationis, quae tractat negotia, ad quorum cognitionem

maxime necessaria est scientia iuris, praefecti sunt.

Secretarium adiuvat subsecretarius et inferiores alii administri.

Huic congregationi consultores hucusque fuerunt nulli; consultores enim, qui habebantur, et vulgo veniebant nomine consultorum s. Congregationis Concilii, non erant de iure consultores ipsi congregationi addicti, sed erant consultores adiuncti cardinalibus, qui efformabant congregationem specialem ex ipsa Congregatione Concilii desumptam pro revisione conciliorum provincialium, quae congregatio a Pio IX anno 1849 instituta est. De facto tamen consultores hi vere munus suum exercebant pro omnibus negotiis huic s. congregationi demandatis, et praesertim pro causis matrimonialibus, in quibus, si quando oeconomice tractabantur, uni vel duobus, aut etiam, rarissime quidem, tribus ex ipsis semper committebatur munus conscribendi votum pro rei veritate. Haec congregatio specialis nova piana constitutione abolita est, et proinde etiam consultores adiuncti cessarunt.

Novae congregationi concilii ex praescripto pianae constitutionis collegium consultorum datum est, qui a summo Pontifice eligi debent, et quorum aliqui probati debent, esse temporalium etiam rerum gerendarum peritia. Cessatis antiquis consultoribus, novi hi consultores statim a publicata constitutione noviter constituti sunt.

1388 Quum congregatio haec instituta fuerit ad urgendam exsecutionem decretorum concilii tridentini, hoc autem concilium de omnibus fere egerit, quae ad disciplinam ecclesiasticam spectant, patet quomodo ambitus iurisdictionis istius congregationis amplissimus fuerit et quomodo ea concurrerit cum plerisque aliis romanis congregationibus, praesertim cum congregatione episcoporum et regularium. Hoc etiam sibi proprium habuit haec congregatio ut omnes causas matrimoniales, postquam Rota siluit, ipsa videret, quum hae relationem haberent ad ea, quae concilium tridentinum decreverat in sessione XXIV de reformatione matrimonii. Excipiebantur causae, quae proveniebant sive ex privilegio Paulino sive ex impedimento disparitatis cultus seu mixtae religionis, quae congregationi S. Officii erant demandatae. Dixi causas matrimoniales huic congregationi demandatas fuisse, postquam Rota siluit. Nam quum Rota suum exercebat munus et redacta non erat fere ad simplex quoddam nomen, aliud dicendum erat.

Agebat praeterea haec s. congregatio de residentia episcoporum, de reductione missarum, de institutione in integrum adversus lapsum quinquennii pro reclamatione contra valorem professionis religiosae, de dispensatione ab irregularitatibus, de visitatione liminum facienda ab episcopis, de validitate unionum beneficiorum aut parochiarum aut de harum dismembratione ac divisione et de aliis huiusmodi. Praeter haec eius competentia erat interpretatio theoretica decretorum concilii tridentini, quae imo eidem erat exclusiva seu singularis et privativa.

Huic congregationi a Benedicto XIV constitutione sua « Decet Rom. Pontificem » 15 sept. 1740 addita est commissio praelatorum super examine relationum ordinariorum de statu dioecesium.

Hodierna competentia huius s. congregationis, ea scilicet, quae resultat ex nova constitutione, partim restricta est, partim ampliata.

Restricta quidem est, quia iam eius competentia ad lineam disciplinarem est coarctata, nec ullo modo causas contentiosas agere potest, nisi de mutuo partium consensu, quemadmodum de omnibus aliis congregationibus procedit; sed et praeterea quia multa ab ea sublata sunt, in quibus poterat se immiscere ratione concilii tridentini aliquod de iis statuentis, ut sunt ea, quae ad sacramenta pertinent, ea, quae pertinent ad regulares, causae matrimoniales et alia huiusmodi.

Ampliata etiam est, quia ea omnia, quae pertinebant ad congregationem Episcoporum et Regularium, pro ea parte, quae ad negotia episcoporum spectabant, ad ea sunt devoluta. Negotia autem, quae ad congregationem Episcoporum et Regularium spectabant, in quantum ea erat *Episcoporum congregatio,* ut eam vocat Fagnanus, vel *congregatio super consultationibus episcoporum et aliorum praelatorum*, ut eam melius ordinans vocavit Sixtus V in sua constitutione « Immensa », quamplurima erant et maximi momenti.

Competentia huius congregationis in nova constitutione sic breviter exponitur:

« Huic sacrae congregationi ea pars est negotiorum commissa, quae ad universam disciplinam cleri secularis populique christiani refertur.

Quamobrem ipsius est curare ut ecclesiae praecepta serventur, cuius generis sunt ieiunium (excepto eucharistico, quod ad congregationem de disciplina sacramentorum pertinet), abstinentia, decimae, observatio dierum festorum, cum facultate opportune relaxandi ab his legibus fideles; moderari quae parochos et canonicos spectant; item quae pias sodalitates, pias uniones, pia legata, pia opera, missarum stipes, beneficia aut officia, bona ecclesiastica, arcas nummarias, tributa dioecesana, aliaque huiusmodi, attingunt. Videt quoque de iis omnibus, quae ad immunitatem ecclesiasticam pertinent. Eidem congregationi facultas est reservata eximendi a conditionibus requisitis ad assecutionem beneficiorum, quoties ad ordinarios eorum collatio spectet.

Ad eamdem pertinent ea omnia, quae ad conciliorum celebrationem et recognitionem, atque ad episcoporum coetus seu conferentias referuntur, suppressa congregatione speciali, quae hactenus fuit, pro conciliorum revisione.

Est autem haec congregatio tribunal competens seu legitimum in omnibus causis negotia eidem commissa spectantibus, quas ratione disciplinae, seu, ut vulgo dicitur, in linea disciplinari pertractandas iudicaverit; cetera ad Sacram Romanam Rotam erunt deferenda ».

Haec autem omnia in normis pecu-

liaribus ad quodcumque dubium removendum sequentibus complentur.

« Potestas huius congregationis propria statuta est in constitutione *Sapienti consilio*.

Ad omnem tamen tollendam ambiguitatem, quae forte in aliquibus casibus oriri posset, nonnullae heic peculiares singillatim recensentur facultates, quae uni concilii congregationi reservantur. Eius itaque dumtaxat erit in posterum concedere:

a) collegiis canonicorum, seu capitulis, dispensationes ab obligatione celebrandi missam feriae ac vigiliae; missae canendae et applicandae conventualis; canendi atque in choro recitandi horas canonicas;

b) tum capitulis, tum singulis e clero seculari anticipationem recitationis officii matutini;

c) capitulis, anticipationem vesperarum et completorii ante meridiem;

d) sacerdotibus e clero seculari commutationem recitationis officii divini cum aliis precibus;

e) dispensationem a ieiunio praescripto ante consecrationem sacrarum aedium;

f) facultatem in interno templi vel publici sacelli pariete fenestram faciendi exstruendique parvi chori, aut aperiendi ostii, quo privatus aditus patefiat;

g) dispensationem a laurea doctoris sive ex tabulis institutionis sive ex lege praescripta ad beneficium vel officium aliquod assequendum, quorum largitio ad ordinarium pertineat.

Item ad concilii congregationem spectat iudicium de controversiis omnibus circa potiorem dignitatis locum seu praecedentiam, exceptis iis, quae sodales religiosos attinent, (quae controversiae congregationi religiosorum sodalium sunt reservatae), iisque pariter demptis quae *cappellam*, aulam pontificiam et patres cardinales spectant, ad Ceremonialem deferendae.

Item ad eam pertinet videre, administrationis et disciplinae tramite, de servitutibus, quas aedi sacrae se constituisse aliquis iactet, aut quas eidem velit imponere, qualia sunt habitatio in superiori contignatione, murorum impositio, atque horum similia ».

Quoad formam seu modum procedendi huius s. congregationis haec adnotanda veniunt. Postquam cardinalis praefectus simul cum secretario et subsecretario iudicaverat an negotium aliquod, quod s. congregationi propositum erat, esset necne discutiendum; negotium ipsum vel omnino respuebatur per responsum *Lectum, Nihil* aut aliud huiusmodi, vel admissa discussione definiebatur an statim resolvendum esset ab ipso praefecto cum secretario et subsecretario, an potius cardinalibus omnibus esset subiiciendum pro expeditione, et in hoc casu quo modo pertractandum esset. Distinguebantur enim plures modi causas pertractandi: *iuris ordine servato, in folio, oeconomice, per summaria precum*. Hos modos sufficiat hic innuisse; pertinent enim ad antiquam disciplinam.

Ex nova disciplina decidere ante omnia *congressus* debet utrum negotium huius naturae sit, quod ad s. Ro-

tam sit deferendum an potius pertractandum sit apud ipsam s. congregationem; et in hoc casu utrum plenae congregationi sit exhibendum, an potius in ipso congressu finiendum.

Ad hoc decidendum quaedam statutae sunt regulae in normis peculiaribus, quae his verbis exprimuntur:

« Ad plenae congregationis iudicium pertinent.

a) examen dubiorum circa iuris interpretationem in huius officii rebus, quae dubia nullam facilem solutionem atque perspicuam nanciscantur in constitutis legibus aut in alias decisis; examen petitarum gratiarum, dispensationum, indultorum, quae concedi fere non soleant eo modo, aut ea latitudine; aliaque, quemadmodum superius dictum est;

b) cognitio conciliorum provincialium. Qua in re, ad vigentis disciplinae normam, unius consultoris primum exquiretur sententia; deinde horum collegii, aut partis eiusdem, non infra numerum consultorum quinque, per vices eligendorum. Tum vero adiutor regionis, ad quam pertinet provinciale concilium, acta et suffragia typis imprimenda curabit.

Pariter quidquid maioris ponderis in episcoporum coetibus contigerit statutumve sit, ad plenam congregationem referatur.

Congressus autem est, ad normam legis communis, necessaria parare ad negotiorum examen, quae plenae congregationi sint reservata, ordinarias res expedire, solitas gratias concedere usitatis formis et pro facultatibus a summo Pontifice acceptis.

In administrandae pecuniae negotiis, suae ac peculiares erunt servandae normae ».

Concilium generale. — Concilium 1390
generale seu oecumenicum est coadunatio omnium episcoporum totius orbis catholici ad definienda negotia ecclesiae universalis, auctoritate romani Pontificis celebrata. Itaque ecclesiam universam repraesentat, quatenus eam sistit praesentem, non quatenus vices eius quodammodo gerit ex munere commisso, quod iansenistarum est.

Concilium hoc convocare, eique per se vel per suos legatos praesidere, ad unum romanum Pontificem spectat (*Const. Leonis X* « Pastor aeternus » *in Conc. Later.*), et iure divino ad illud vocandi sunt omnes et soli episcopi, hi saltem qui actu iurisdictionem obtinent in aliqua portione gregis christiani. An etiam episcopi titulares de iure divino vocandi sint, controvertitur: ad concilium vaticanum vocati sunt; quando vocantur, habent, sicut episcopi alii, votum decisivum.

De iure humano vel ex privilegio vocantur etiam cum voto decisivo cardinales non episcopi; abbates, tum seculares, tum regulares, habentes iurisdictionem; praepositi generales ordinum regularium (non vero congregationum religiosarum). Admittuntur etiam canonistae et theologi cum voto tamen consultivo tantum.

Suffragia in concilio feruntur viritim, seu per capita, non per nationes vel alio modo. Decreta concilii generalis, ut vim habeant, debent confirmari a Papa. Ex hoc autem nullo modo se-

quitur, episcopos in conciliis oecumenicis non esse veros iudices, sed consiliarios tantum r. Pontificis, qui unus sit iudex; sed hoc tantum sequitur, eorum iudicium (quod verissimum est iudicium, ut patet ex ipsa formula, qua in conciliis episcopi utuntur: « ego N. definiens subscripsi ») vi obligandi carere, donec confirmetur. – Concilium oecumenicum leges tum dogmaticas tum disciplinares ferre potest pro tota ecclesia. Cfr. Bouix *de episcop. p. I. c. 3;* Palmieri *de Rom. Pont. th. XXVIII;* De Luca Marian. *Prael. iur. can. lib. 1. tit. 24;* Bargilliat *Prael. iur. can. 666. sqq.*

Decr. Grat. dist. 15. 16. 17. 18; Const. Pii II « Exsecrabilis » 18 ian. 1460; Const. Leon. X « Pastor aeternus » 19 dec. 1516; Const. Pii IX « Cum Rom. Pontificibus » 4 dec. 1869; *De Vio Caietanus Io.* Tract. de comparatione auctoritatis papae et concilii; *Albani H.* De potestate papae et concilii; *Masselli P.* De potestate pontificis et concilii cum comparatione ad invicem; *A Turrecremata Io.* De auctoritate papae et concilii; *Contareni G.* De potestate pontificis et conciliorum magis illustrium summa; *Iacobatii Dom.* Tract. de concilio; *Durandus G.* Tract. de modo celebrandi concilii generalis; *Poli R.* De conciliis; *Lubberti S.* De conciliis; *Nugnus Cabezudus D.* De conciliorum et papae auctoritate etc.; *Suarez* De fide disp. 11; *Bellarminus* Disp. de controversiis fidei lib. 1 et 2; *Erber* Diss. de conciliis oecumenicis; *Ladvocat* Tr. de conciliis in genere; *Winkler* Diss. de conciliis oecumenicis; *Thomassin* Vet. et nov. eccl. disc. p. 2. lib. 3. c. 43 sqq.; *Härig F. X.* Uber das Recht des Papstes allgem. Synoden zu bestätigen; *Coppola R.* Sul diritto di suffragio dei vescovi titolari e rinunziatari nel concilio ecumenico; *Nardi* Il concilio ecumenico; *Maret* Du concile général et de la paix religieuse; *Ianus* (*Döllinger*) Der Papst u. d. Konzil; *Hergenröther I.* Antijanus; *Bouix M.* Tract. de papa; *Noto* Il concilio ecumenico ed i vicari capitolari; *Finelli F. M.* Della unanimità dei suffragi nei decreti dommatici dei concili ecumenici; *Steccanella V.* Adversus novam doctrinam de necessitate unanimis episcoporum consensus; *Pennacchi I.* De suffragiorum pluralitate in conciliis generalibus contra « L'unanimité dans les conciles »; *Kneller* Papst und Konzil im ersten Iahrtausend; *Schulte* Die Stellung der Concilien, Päpste und Bischöfe vom histor. u. canonist. Standpunkte und die päpstlich. Constitution vom 18 iul. 1870; *v. Döllinger* Erklärung vom 28 März 1871; *Hergenröther I.* Kritik der v. Döllingerschen Erklärung; *Kneer* Die Entstehung der konziliaren Theorie; *Hirsch* Die Entwicklung der konziliaren Theorie im 14 Jahrhundert; *Scherer* KR. § 96; *Phillips* KR. § 83; *Wernz* Ius Decr. II. 842; *Hergenröther-Hollweck* Lehrb. der kath. KR. n. 448; *Sägmüller* Lehrb. des kath. KR. § 105; *Bargilliat* Prael. iur. can. n. 666 sqq.; *Palmieri* de Rom. Pontifice th. XXVIII; *Billot* de ecclesia Christi tom. III. q. 16; *Wilmers* De Christi ecclesia n. 216 sqq.; *De Groot* Summa apologetica pag. 412 sqq.

Concilium provinciale. — Concilium provinciale est consessus episcoporum alicuius provinciae, praeside metropolitano. *c. 25. de accusat. etc. X.* (*V. 1*). Concilium hoc iuxta Tridentinum (*sess. XXIV. c. 2. de ref.*) quovis triennio habendum esset et convocandum a metropolitano, vel, eo impedito, aut sede metropolitana vacante, ab antiquiore suffraganeo, non a vicario capitulari. *S. C. C. 10. febr. 1624;* Ben. XIV. *de Syn. dioec. II. c. 9. n. 8.* In conc. Vaticano propositum fuit schema, ex quo concilia provincialia fuissent convocanda 1391

infra biennium ab expleto concilio, et postea singulis quinquenniis. Attamen s. Sedes videtur insistere adhuc antiquae disciplinae tridentinae, ut videre est in litteris secretariae Status circa concilia provincialia in America latina habenda, quas dabimus in fine huius articuli.

Locus celebrandi concilii provincialis non est determinatus in iure; sed relinquitur arbitrio metropolitani, qui tamen civitatem suam metropoliticam, si in ea adsint necessariae commoditates, relinquere non debet. Wernz *Ius. Decr. II. 855.* Attamen quoad hoc pro America latina aliter dispositum est.

1392 Vocandi sunt ad concilium provinciale omnes suffraganei, quamvis non consecrati, etiam vicarii capitulares aut vicarii apostolici, episcopi exempti, qui nulli archiepiscopo subiiciuntur, et praelati vere *Nullius* habentes clerum et populum separatum, qui omnes illum metropolitanum vicinum ad hunc scopum elegerint ex facultate ipsis facta a Tridentino *l. c.* Fagnan. *in c. 10. tit. 10. lib. III. num. 34* (Praelati *Nullius* ad hanc electionem faciendam tenentur. *S. C. EE. RR. in Cassanen. 20 ian. 1579*).

Hi omnes in concilio habent votum decisivum. Episcopi mere titulares, si ad concilium fuerint invitati (ex consensu singulorum ordinariorum comprovincialium in concilio congregatorum) et hi decisivum votum habent; verum non gaudent praecedentia supra ceteros, licet antea consecrati fuerint. *S. C. C. in Aquen. 25 aug. 1850.* Wernz *Ius Decr. II. 855.*

Cum voto consultivo tantum (Benedict. XIV *de syn. lib. III. c. 4. num. 1*) vocantur (sed ad interveniendum compelli non possunt) etiam capitula cathedralia, ut per unum vel duos delegatos adsint (*c. 10. de his quae fiunt etc. X. [III. 10]*; *S. C. C. 19 apr. 1596; S. C. P. F. in una Angliae 6 iul. 1874*); nec non abbates, qui habent exemptionem passivam tantum a iurisdictione alicuius ex episcopis convenientibus. Fagnan. *in c. 10. tit. 10. lib. 3. Decr. nn. 3. et 40;* Petra *Comm. ad const. un. Hon. II. sect. 1. nn. 24. 36.* Quivis episcopus affert etiam unum vel duos theologos in consilium adhibendos.

Episcopi omnes supradicti, et alii, 1393
qui de iure vel consuetudine interesse debent concilio provinciali, ad ipsum venire omnino tenentur (Trid. *l. c.*); si hoc non possunt, mittere debent procuratorem cum excusatione suae absentiae. *c. 10. d. 18; c. 1. C. V. q. 3* Hi tamen procuratores episcoporum non habent votum decisivum, nisi de assensu universi concilii.

Ad legitimitatem concilii provincialis praeter convocationem legitimam requiri et sufficere videtur, ut duae tertiae partes patrum, qui voto decisivo gaudent, convenerint cum legitimo praeside. Cfr. *c. 1. de his, quae fiunt a maiore parte cap. X. (III. 10).*

Sententia concilii est sententia plurium habentium votum decisivum; votum archiepiscopi nihil praeponderat. Cfr. Fagnanum *in c. 1. lib. V. Decr. n. 24. 104;* Ben. XIV. *de syn. lib. XIII. c. 2. n. 4.*

Episcopi autem in concilio provinciali (vel plenario) legitime coadunati vera potestate legislativa potiuntur; decreta vero conciliorum provincia

lium (vel plenariorum) a s. Sede in forma communi sive specifica confirmata, vel approbata, vel saltem recognita, vim habent, etiamsi in statuta dioecesana non fuerint incorporata. *S. U. I. 10 sept. 1896.*

Munus concilii provincialis est curare, ut leges universales, praesertim tridentinae, in praxim deducantur, corrigere abusus etc. Cfr. Fagnan. *l. c. n. 35. sqq.*

Acta concilii provincialis, antequam publicentur, debent confirmari a s. Congr. Concilii (vid. *Confirmatio*), secus publicatio est nulla (Wernz *Ius Decr. I. 114. I*); postea ab episcopis promulgari debent intra semestre in synodis dioecesanis, vel extra eas.

Haec decreta feruntur non a singulis episcopis, ut singuli; sed ab episcopis, ut efformant corpus aliquod morale seu concilium provinciale, quod singulis auctoritate praestat. Hinc obligant totam provinciam, eaque episcopus quilibet non potest abrogare pro sua dioecesi; ex consuetudine tamen in his dispensare potest. Leurenius *Forum eccl. I. quaest. 185. n. 2;* Suarez *de legibus lib. VI. c. 15. num. 7.*

1394 Concilium non potest a metropolitano dissolvi sine consilio et consensu suffraganeorum. Cfr. Fagnan., *l. c. n. 98* citantem resolutionem quamdam S. C. Concilii.

1395 Hic tandem ad calcem huius articuli, opportunum videtur afferre litteras secretariae Status ad episcopos Americae latinae de conciliis provincialibus ibidem habendis, ut de recenti disciplina ecclesiae circa ea melius constet.

Litterae autem sunt huiusmodi: « Illustrissime ac reverendissime Domine. - Quum ad optimum ecclesiasticarum provinciarum regimen et ad fidelium aedificationem plurimum conferre perspectum sit sanctam antistitum concordiam mutuamque consuetudinem, reverendissimi patres plenarii Concilii Latino-Americani, nuper in urbe feliciter absoluti, per articulos 208 et 288, utilitatem et necessitam agnoverunt consessuum episcopalium, qui iam pro Brasilia, per epistolam diei 2 iulii a. 1894 a sanctissimo domino nostro Leone divina providentia papa XIII fuerunt maxime commendati.

Porro beatissimus Pater, cui summopere cordi est, ut uberrimi firmique fructus ex praedicto plenario concilio capiantur, ad ipsorum episcopalium congressuum rationem aptius determinandam, haec, quae sequuntur, decernere, et universis Americae Latinae locorum ordinariis significari statuit; videlicet:

1° Tertio quoque anno, crebrius etiam pro necessitate vel opportunitate, episcopi omnes uniuscuiusque ecclesiasticae provinciae conveniant, de communibus ecclesiarum suarum negotiis coniunctim acturi.

2° Sedem primi conventus metropolita designet; in posterum ipse episcoporum coetus pro qualibet insequenti vice.

3° Episcopalem consessum metropolita convocet et moderetur, et, in eius defectu, senior in ecclesiastica hierarchia. - Secretarii munere fungatur is, quem episcopi suo suffragio designaverint.

4° Congressuris ad deliberandum maxime proponantur opportunae rationes, quibus efficaciter eliminentur difficultates et excusationes, quae contra religiosam observantiam omnium decretorum concilii plenarii produci contigerint, nec non ad fortiter et suaviter corrigendas negligentias in eadem observantia. Speciatim vero totis viribus curandum, ut efficaciter ad praxim ubique deducantur, quae in concilio Americano decreta sunt de Indorum ad fidem conversione et eorum institutione in christianis praeceptis et morum urbanitate. Agendum pariter erit de assiduo indigenarum idiomatum studio sacerdotibus urgendo, ut ad salutare missionum opus habiles reddantur; tum de infausta dilatione baptismi parvulorum, ruri, vel in locis, ubi deficiunt sacerdotes, degentium; tum de corrigenda parochorum negligentia quoad infirmos, praesertim ruricolas, sacra eucharistia reficiendos; demum dealiis id genus argumentis, quae ad Dei gloriam et salutem animarum provehendam neces sariavel utilia episcopis, pro eorum zelo ac prudentia, videantur.

5° Propositiones et sententia coetus episcoporum, maxime vero graves difficultates, quae in exsecutione et observantia unius vel alterius decreti concilii plenarii occurrere possunt, ad notitiam sanctae Sedis, ut par est, accurate deferantur, servata norma praescripta in articulo 995 eiusdem plenarii concilii.[1]

[1] Articulus citatus 995 ita se habet: « Si prudens dubium aut gravis difficultas in alicuius decreti vel aliquorum decretorum exsecutione et interpretatione oriatur, in iis, quae substantiam et vigorem ipsorum decretorum nullatenus respiciunt, solutio a metropolitanis, vel etiam a respectivis episcopis, si agatur de rebus minoris momenti, erit petenda. In reliquis vero ad sacram Congregationem Negotiis ecclesiasticis extraordinariis praepositam omnino recurrendum erit ».

6° Acta huiusmodi consessuum episcopalium breviori, qua fieri poterit, forma redigantur; et si quae resolutiones vel praescriptiones clero vel fidelibus communicandae videantur, id per litteras circulares vel per epistolam pastoralem concisa pariter forma exaratam fieri poterit.

Plurimum autem confidit Sanctitas Sua, per episcoporum omnium Americae Latinae concordem voluntatem et sollicitudinem, fructus laetabiles ex hisce congressionibus religioni etcivitati, Deo iuvante, fauste obventuros.

Quae iussa et optata beatissimi Patris, dum pro muneris mei officio significo, Amplitudini Tuae Illustrissimae ac reverendissimae felicia omnia ac prospera a Domino adprecor.

Romae, e secretaria Status; die 1 maii 1900. - *Addictissimus* M. Card. Rampolla ».

Conc. Trid. sess. XXV. c. 2 de ref.; *Quaranta S.* De concilio provinciali; *Thomassin* Vet. et nov. eccl. discipl. p. II. lib. 3. c. 43 sqq.; *Van Espen* Ius eccl. p. 1. tit. 20; *Phillips* KR. II. § 86; *Schmid A.* Die Bisthumsynode; *Fessler* Die Provinzialkonzilien und Diözesansynoden; *Bouix* Du concile provincial; *Hergenröther-Hollweck* Lehrb. des kath. KR. n. 456 sqq.; *Sägmüller* Lehrb. des kath. KR. § 106; *Wernz* Ius Decr. II. 855 sqq.

Concio. — Concio si necessaria ad 1396

instructionem christianam, audienda est sub gravi. Ex decreto card. urbis vicarii *12 iul. 1878* Romae graviter peccat audiens etiam ex mera curiositate concionem protestantium. Vide *Ceremoniae acatholicae.*

Non potest episcopus prohibere, ne, quum in cathedrali concio habetur, habeatur concio in aliis ecclesiis (*S. C. EE. RR. in Maceraten. 7 mart. 1579*); imo eadem sacra Congregatio Episcoporum et Regularium in eadem Maceratensi (*7 mart. 1579,*) de mandato Sanctissimi statuit, hoc non esse prohibendum etiam tunc, quum vel ipse episcopus in cathedrali concionem habet, vel eam coram se habere facit. Verum sacra Congregatio Rituum aliud tenuit; statuit scilicet: nemini tam seculari quam regulari, etiam in suis propriis ecclesiis, licere concionari, ipso episcopo actu concionante. *S. R. C. in Pharen. 10 sept. 1667* (*1360*). Hoc ipsum tenuit s. Congregatio Coucilii statuens, episcopo per seipsum praedicare volente, silere debere omnes alios praedicatores, etiam regulares in propriis ecclesiis; secus vero, si coram se tantum praedicare faceret; quam sententiam Sanctissimus approbavit. *S. C. C. in Pacen. 26 apr. 1607; in Bituntina 12 febr., 2 mart. 1629; in Brundusina 18 mart. 1645.* Et aequum est, quum evangelicae praedicationis officium ed episcopos praesertim pertineat, qui divino iure sunt sui gregis pastores et magistri. *Act. VI. 4; Tit. I. 5.* Imo, etsi episcopus ipse non praedicaret, sed tamen coram se solemniter praedicare faceret ex causa publica, convocatis clero, magistratu ac populo, silere deberent alii praedicatores, quos renuentes, etsi regulares essent, posset episcopus censuris coercere. *S. C. C. in cit. Brundus. 18 mart. 1645; in Urbinaten. 3 febr. 1652.* Excipitur tamen semper parochus, qui, etiam episcopo per seipsum praedicante, potest in sua ecclesia inter missarum solemnia sermonem habere ad populum. *S. C. C. in Torcellen. 21 iun. 1631.* Ratio autem est, quia praedicare competit parochis ratione officii, quum et ipsi curam habeant animarum, et ex iis sint, quibus praecepto divino mandatum est, verbi divini praedicatione oves suas pascere. Conc. Trid. *sess. V c. 2 de ref.; sess. XXIII. c. 1. de ref.; S. C. C. in Pisana 29 mart. 1817.*

Quomodo concionandum sint ante expositum sanctissimum Sacramentum vide sub *Expositio ss. Sacramenti.* - An in concionibus adhiberi debeat stola, vide sub *Stola.*

Concionari. — Concionari per se, vel, si legitime impediti fuerint, saltem per alios, debent episcopi (Concil. Trident. *sess. XXIV. c. 4. de ref.; Encycl.* Leonis XIII «Sapientiae christianae» *10 iun. 1890*); item parochi. Conc. Trid. *sess. V. c. 2. de ref.*

Scilicet episcopi ex Tridentino (*sess. XXIV. c. 4 cit.*) tenentur in ecclesia sua per se (excepto casu legitimi impedimenti, ut supra diximus) saltem omnibus dominicis et solemnibus diebus festis, tempore autem ieiuniorum, quadragesimae et adventus Domini quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, verbum Dei annunciare, et alias, quotiescumque id opportune fieri posse

iudicaverint. Contraria autem consuetudine haec obligatio non parum emollita videtur, quamvis omnino abrogata censeri nullo modo possit. (Cfr. Wernz *Ius Decr. III. 34*). Ad episcopos etiam curare pertinet, ut in aliis ecclesiis dioecesis, scilicet parochialibus, verbum Dei populo annuncietur per parochos, vel, iis impeditis, per alios ab ipsis episcopis deputandos impensis eorum, qui eas praestare vel tenentur, vel solent.

1398 Parochi etiam ratione officii praedicare tenentur, ut diximus superius (Vid. *Concio*), habentque ab episcopo missionem ad praedicandum ex ipsa institutione in officium parochiale. Hinc parochus praedicare valet in sua ecclesia absque speciali commissione episcopi; imo, si ipse praedicare vult, nemo alius potest in sua ecclesia praedicare, etiamsi ab episcopo fuerit deputatus. *S. C. C. in Adrien. 13 sept. 1670.* Et hoc valet etiam pro parocho regulari, qui proinde ad praedicandum nec venia suorum superiorum, nec licentia aut benedictione episcopi indiget. *S. C. C. in Narnien. 13 iul. 1669.*

Parochi vero graviter peccant, si ab annunciando verbo Dei abstinent per tempus notabile; ad quod a nonnullis requiruntur tres menses continui, sed a pluribus existimatur sufficere integer mensis continuatus, vel tres menses non continui, sed in anno divisi.

Obligationem hanc suam concionandi ad gregem pascendum parochus non impleret, conciones habendo non ad sui gregis capacitatem accommodatas, vel non explicando necessaria ad salutem. Imo obligationem suam non impleret legendo libros pios fidelibus.

Episcopi etiam graviter peccare dicendi sunt, si non curent fideles doceri ea, quae ad salutem necessaria sunt, ab iis, ad quos pertinet. Confer Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 4. de ref.*; *Encycl.* Pii IX « Nostis » *8 dec. 1849.*

Ut iam diximus ex Tridentino, epi- 1399
scopis praecipue competit gregem suum pascere verbo Dei; quod si aliquando id facere prohibeantur, idipsum per alios praestare debent. Hinc est, quod ipsis tantum competit missionem praedicandi aliis dare. Quod non hoc tantum significat, eos praedicatores approbare debere, verum etiam ab iis eligendos et designandos esse eos, qui praedicationis munus exercent. *c. 15. de off. iud. ord. X.* (*I. 31*); Conc. Trid. *loc. cit.*; *S. C. C. in Feretrana 21 aug. 1790.* Quod valet etiam pro ecclesiis parochialibus; quare parochus non potest cohibere a praedicando concionatorem ab episcopo missum, nisi velit ipse eo tempore praedicare. Pallottini *Coll. Conclus. Congr. Conc. v. «Concionator»* § *2. n. 3.* Hinc episcopi habent intentionem in iure fundatam quoad deputationem concionatorum in ecclesiis dioeceseos. Proinde quamvis, si adsit consuetudo legitimis ornata conditionibus, ut pro aliqua inferiore ecclesia seu non cathedrali concionatores eligantur a communitate vel ab aliqua universitate. etc., ea consuetudo servanda sit (*S. C. C. in una Civit. Castell. 19 iun. 1751; 17 dec. 1763; in Rossanen. 2 sept. 1591*); haec tamen consuetudo, vel privilegium eli-

gendi concionatorem ab aliis praeter episcopum probandum est congruis argumentis. In ecclesia autem cathedrali, posthabita quacumque consuetudine etiam immemorabili, deputare concionatorem spectat ad episcopum tantum, et sine consensu aut consilio capituli. *S. C. C. in Legionen. mens. iul. 1585; in Ianuen. a. 1624, 14 nov. 1626.*

1400 Si qui vero sunt, qui habent privilegium eligendi concionatorem pro aliqua ecclesia, debent concionatorem electum notum facere episcopo tanto tempore ante praedicationem, ut episcopus possit inquirere de moribus et qualitatibus electi; quod tempus generatim ad bimestre determinatum est a sacra Congregatione Concilii. *S. C. C. in Theanen. 19 iun. 1728, 30 apr. 1729.* Si secus fecerint, nominatio pro ea vice devolvitur ad episcopum. *S. C. C. in una nullius Terlitii 19 dec. 1671; in Theanen. 14 apr. 1685.* Nec sufficit notum facere episcopo ordinem religiosum, ad quem concionator electus adscriptus est, sed debet significari ipsum quoque nomen concionatoris. *S. C. C. in una Capuccinorum 30 mart. 1609.* Nec habentes privilegium electionis possunt in suis litteris uti verbis « eligimus et deputamus », sed adhibere tantum posssunt formulam « nominamus et praesentamus ». *S. C. C. in Sutrina 8 maii 1688.* Huic autem a privilegiatis nominato et praesentato potest episcopus dare litteras patentes cum verbis « eligimus et deputamus ». *S. C. C. in Ripana 21 maii 1707.*

1401 Stipendium vero concionatori solvendum est ordinarie ab eo, qui illum ad hoc munus eligit; attamen si exstet consuetudo, ut alius eligat, alius stipendium solvat, servanda est. *S. C. C. in Forolivien. 21 aug. 1784.* Quare, si episcopus velit uti iure suo deputandi concionatorem in cathedrali, etsi communitas quaedam ex. gr. hoc antea facerit, debet ipse solvere stipendium concionatori (*S. C. C. in Scalen. mart. 1586*), nisi consuetudo exstiterit, quod episcopus eligeret concionatorem, et communitas solveret stipendium. *S. C. C. in Neocastren. 6 octobr. 1703, 15 maii 1704, 22 ian. 1706.*

Nota etiam sequentes praescri- 1402
ptiones sacrarum Congregationum, quae ad rem faciunt. Scilicet: parochi, aliique, quibus incumbit principaliter cura animarum, quamvis alii adsint sacerdotes ad eos adiuvandos, vel certis diebus curam exercendam, tenentur praedicare et explicare catechismum per se ipsos omnibus diebus festivis, nisi sint legitime impediti. *S. C. C. 8 maii 1706; 28 apr. 1736.* Non potest parochus solitam eleemosynam praetendere, neque titulo paupertatis, quando per se ipsum in sua ecclesia, in qua praedicare solet, vellet concionem habere, quia proprium munus adimplet: nisi in casu, quo universitas vel nominator parochum deputasset, aut sponte solvere vellet. *S. C. EE. 30 iun. 1615.* Quaesitum est « an parochi, in quorum ecclesiis tempore adventus et quadragesimae habentur sacrae conciones per praecones ab ordinario approbatos soluti sint ab obligatione in missae parochialis celebratione explicandi evangelium »; et responsum

est: « Dilata, et pro nunc servetur consuetudo cuiuslibet parochiae » *S. C. C. 29 mart. 1817.*

Regulares, etiam tonsurati tantum, de licentia suorum superiorum, non tamen contradicente episcopo, concionari possunt in ecclesiis. *Constit.* Greg. XIII « Vigore privilegii » *20 nov. 1584 pro Societate Iesu data.*

Hanc facultatem concionandi simplicibus clericis etiam episcopi concedere possunt (*S. C. C. 23 iul. 1580*), quamvis regulariter presbyteris tantum vel saltem diaconis hoc munus committatur. Cfr. Ferraris *Prompta bibl. v.* « *Praedicare* » *n. 20. sqq.*

Subdiaconus vel minorista (multo magis diaconus), qui sine licentia episcopi et proinde sine missione canonica praedicaret, peccaret quidem, sed irregularitatem non incurreret, ut bene adnotat Hofmann (*Zeitschr. f. Theol. Oenip. t. 23. p. 703*) contra Hollweck (*Die kirchl. Strafgesetze § 262 n. 3*). Praedicatio enim fit vi potestatis iurisdictionis, non ordinis; irregularitas autem statuta est contra eos, qui exercent ordinem, quem non habent, non autem contra eos, qui ponunt actum iurisdictionis, qua carent. Vid. plura in *Approbatio*. Vide etiam *Praedicatio*.

1403 **Concionator.** — Concionator, qui quotidie vel fere quotidie concionem habet, a ieiunio excusatur (S. Alph. *III. 1049*); qui ex negligentia imparatus accedit ad concionandum, sperans speciale Dei auxilium, per se venialiter peccat. G. B. *I. 283.*

1404 **Conclave.** — Dicitur conclave coadunatio cardinalium ad romanum Pontificem eligendum. In praesenti etenim disciplina ecclesiae ad cardinales exclusive spectat ius eligendi romanum Pontificem. Quod ius tribus prioribus seculis fuit apud clerum romanum, qui una cum vicinis episcopis, populo romano de eligendi dignitate testificante, romanum Pontificem, quemadmodum et clerus aliarum dioecesium suum, eligebat. Progressu temporis reges gothi et postea Germaniae reges in electiones romani Pontificis suam auctoritatem interponere, seseque huic negotio immiscere voluerunt. Haec intromissio imperatorum et regum pro variis temporibus varia fuit, modo maior, modo minor. Maxima viguit ab Othone I ad Henricum IV imperatores, quo tempore imperatores ipsi nominabant r. Pontificem, cuius electio canonica ad illusoriam quamdam ceremoniam redacta erat. Nicolaus II seculo XI statuit potiorem partem in electione romani Pontificis habituros cardinales episcopos, quamvis eorum electioni accedere deberet consensus aliorum cardinalium, cleri et populi romani, nec non imperatoris. Paulatim postea sublatum est privilegium cleri et populi romani, imo ipsius imperatoris; et electio reservata est solis cardinalibus sine ordinum discrimine. Alexander III seculo XII voluit, ut ad validitatem electionis requirerentur duae tertiae saltem partes cardinalium praesentium, consentientes in unum *c. 6. de elect. etc. X.* (*I. 6*). Insequenti seculo Gregorius X statuit plura ad accelerandam electionem maxime conducentia. Voluit nempe, ut cardinales praesentes in ea urbe, in qua Pontifex mortuus erat, elapsis a mor-

te Pontificis decem diebus, sese congregarent, ibique exspectarent absentes. Voluit etiam Pontifex cavere, ut electio Pontificis non turbaretur ab alienis influxibus; quare statuit cardinales sese congregare debere in loco ab omnibus ceteris secluso, in quo usque ad electionem peractam habitarent, voluitque, ut in eum locum secum non afferrent, nisi unum aut ad summum duos inservientes (*conclavistas*), ibique in cibo et potu parce admodum tractarentur. At plura erant in ea constitutione pro cardinalibus asperiora, quam quae ferre vellent. Quare Adrianus V et Ioannes XXI eam constitutionem abrogarunt, quae postea a Caelestino V redintegrata, mitigata tandem est a Clemente VI *Const.* «Licet» *6 dec. 1351.*

Interea Clemens V decreta Gregorii X iterum probaverat, statueratque ut cardinales etiam excommunicati, suspensi aut interdicti ad electionem admitterentur. *c. 2. de elect.* (*I. 3*) *inter Clem.* Posteriori vero tempore Iulius II statuit invalidam fore, nec ullo modo sanandam, electionem romani Pontificis, quae fuerit simoniaca (*Const.* Iulii II «Cum tam divino» *14 ian. 1505*): nullam pariter voluit Paulus IV electionem illius, qui antequam eligeretur, a catholica fide fuisset devius, aut inciderit in haeresim vel schisma. *Const.* Pauli IV «Quum secundum Apostolum» *16 dec. 1558;* «Quum ex Apostolatus officio» *15 febr. 1559.* In praesenti autem electio romani Pontificis, antiquioribus praetermissis, his regulis regitur, quas Leo XIII et Pius X noviter dederunt. Eas, attenta rei gravitate et novitate, hic integre subnectendas censuimus. Sunt autem:

I. — **Constitutio De Sede apostolica vacante et de romani Pontificis electione.** — 1445
Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. — Vacante sede apostolica, illud gravissimum sanctissimumque est, summum dominici gregis pastorem et caput, ad catholicam ecclesiam provide solerterque regendam, eligere, qui in beati Petri locum succedens, Christi Iesu in terris personam gerat. Quod cum intelligerent romani Pontifices decessores nostri, eo quavis aetate vigilem curam sedulamque cogitationem contulerunt, ut ille modus et ordo in eligendo adhiberetur, qui rei gravitati aptius congruentiusque responderet. Qua de causa plures ex re et tempore ab iis sapientissimae editae sunt leges ut negotium ipsum rite, legitime expediteque absolveretur: quas inter principem obtinent locum constitutiones a Pio IV, Gregorio XV et Clemente XII opportune sancitae.

Verum, decursu aetatum, factum est ut hae de romano eligendo Pontifice indictae ac promulgatae leges sensim multiplici varioque numero augerentur: nonnullae etiam temporum rationibus hominumque moribus mutatis, obsoletae evaderent: ita ut haud exigui laboris esse videatur discernere quaenam in summo Pastore eligendo servanda sint.

Nos igitur, hoc incommodum praevertere volentes, quae de romano Pontifice eligendo a decessoribus nostris decreta sunt, omnia in unam constitutionem digerere opportunum duximus, integris, quantum fieri potuit,

servatis ipsis priorum constitutionum praescriptis, quin etiam verbis (licet haud semper uniformi stilo respondentibus), quae veneranda vetustas sancivit, nonnullis tamen mutatis, prouti opportunius nobis visum est.

Itaque, re diu ac mature perpensa certa scientia et proprio motu, de Apostolicae nostrae potestatis plenitudine, hanc constitutionem, quae perpetuo in futurum vigeat, edere statuimus, qua sacrum cardinalium Collegium, romana Petri sede vacante, atque in romano Pontifice eligendo unice utatur, eamque vim legis habere solam decernimus, abrogatis constitutionibus ac decretis omnibus et singulis a romanis Pontificibus hac de re editis, etiam in conciliis generalibus promulgatis et in corpore iuris conclusis: excepta tamen nostra constitutione « *Commissum nobis* », die 20 mensis ianuarii labentis anni, de civili *Veto* seu *Exclusiva,* uti vocant, in electione summi Pontificis, et constitutione « *Praedecessores nostri* » cum instructione (vulgo *Regolamento*) adiecta, a fel. rec. Leone XIII die 24 mensis maii MDCCCLXXXII data pro extraordinariis perturbatisque temporum adiunctis, quam in futurum quoque, ubi in iisdem sedes apostolica conditionibus versetur, praeter ea quibus hac constitutione derogatum est, vigere integram volumus.

TITULUS I. — **De Sede apostolica vacante.** — CAPUT I. — *De potestate s. Collegii cardinalium, Sede apostolica vacante.* — 1. Sedis apostolicae vacatione durante, s. Collegium cardinalium in iis, quae ad Pontificem maximum dum viveret pertinebant, nullam omnino potestatem, aut iurisdictionem habeat, neque gratiam, neque iustitiam faciendi, aut factam per Pontificem mortuum exsecutioni demandandi; sed ea omnia futuro Pontifici reservare teneatur.[1] Itaque irritum et inane esse decernimus quidquid potestatis aut iurisdictionis ad romanum, dum vivit, Pontificem pertinentis (nisi quatenus in hac nostra constitutione expresse permittatur) coetus ipse cardinalium duxerit (eadem vacante ecclesia) exercendum.[2]

2. Item praecipimus, ne s. cardinalium collegium de iuribus Sedis apostolicae romanaeque ecclesiae quomodolibet disponere valeat, neque in quopiam iuribus eiusdem sive directe detrahere attentet, sive indirecte per conniventiae speciem, seu per dissimulationem facinorum adversus eadem iura, etiam post obitum Pontificis seu vacationis tempore, perpetratorum, attentare videatur; immo volumus ut omnium virium contentione eadem custodire et defendere debeat.[3]

3. Leges a romanis Pontificibus latae, per coetum cardinalium romanae ecclesiae, ipsa vacante, corrigi, vel immutari nullo modo possunt, nec quidquam eis detrahi sive addi, vel dispensari quomodolibet circa ipsas seu aliquam earum partem. Quod potissimum valet de constitutionibus pontificiis,

[1] Pii IV const. « *In eligendis* », VII idus oct. 1562, § 6; Clem. XII Const. « *Apostolatus officium* », IV non. oct. 1732, § 6.

[2] Clem. V in conc. Viennensi, cap. 2 « *Ne Romani* » in pr. *de elect.*, I, 3 in Clem.

[3] Leonis XIII const. « *Praedecessores nostri* », 24 maii 1882.

ad ordinandum negotium electionis romani Pontificis latis. [1]

4. Si quae tamen dubia exoriantur circa sensum praescriptionum, quae hac nostra constitutione continentur, vel etiam circa rationem, iuxta quam ad usum ea traduci debeat, sive super quovis alio nostrae huius constitutionis capite, edicimus ac decernimus unice penes sacrum cardinalium collegium potestatem esse super his ferendi sententiam; quam in rem eidem s. cardinalium collegio plenam tribuimus facultatem, qua hanc nostram constitutionem interpretari ac dubia declarare valeant. Qua quidem in re, quemadmodum in reliquis, de quibus ad nostrae huius constitutionis tramites, excepto ipso electionis actu, deliberari contingat, satis omnino erit si maior congregatorum cardinalium pars in eamdem sententiam consentiat. [2]

5. Pariter in casu urgentis negotii, quod ex voto maioris congregatorum cardinalium partis, in aliud tempus differri non valeat, s. collegium, item iuxta maioris partis sententiam, de opportuno remedio disponere potest et debet. [3]

Caput II. — *De cardinalium Congregationibus.*

6. Tempore Sedis vacantis duplex habeatur cardinalium congregatio, altera *generalis,* sive totius collegii, altera *particularis,* constans tribus cardinalibus antiquioribus, uno ex quoque ordine cum camerario, quorum officium tertia die post conclavis ingressum omnino exspirat, in eorumque locum tres alii sequentes in ordine quolibet tertio die una cum eodem camerario succedunt. [1]

7. Volumus ut in dictis congregationibus particularibus, quae sive ante, sive post coeptum conclave haberi poterunt, levioris dumtaxat momenti, ac in dies seu passim occurrentia negotia expediantur. Si quid vero gravioris momenti atque indaginis fuerit, id omne ad congregationem generalem, seu ad s. collegium cardinalium deferatur. Ac ulterius, quae in una congregatione particulari decreta, resoluta, vel denegata fuerint, in alia revocari, mutari, aut concedi nequeant, sed id faciendi ius habeat ipsa tantum congregatio generalis per pluralitatem suffragiorum. [2]

8. Suffragia in cardinalium congregationibus, cum de rebus gravioris momenti agatur, non ore, sed suffragiis secretis dentur.

9. Inter generales congregationes singulari mentione dignae sunt, quae ante ingressum in conclave habentur, eaedemque congregationes praeparatoriae appellari possunt.

10. Congregationes generales praeparatoriae quotidie omnino locum habere debent a die obitus Pontificis us-

[1] Clem. V cap. 2 « *Ne Romani* » in pr. *de elect.* I, 3 in Clem.; Greg. XV const. « *Aeterni Patris* », xvii kal. decembr. 1621, § 20.

[2] Leonis XIII const. « *Praedecessores nostri* ».

[3] Greg. X in gener. conc. Lugdun. cap. 3 « *Ubi periculum* » § 1 *de elect.,* I, 6 in Sext.; Pii IV const. « *In eligendis* » § 6.

[1] Clem. XII, const. « *Apostolatus officium* » § 7; Pii IV const. « *In eligendis* », §§ 7 et 8.

[2] Clem. XII, const. « *Apostolatus officium* », § 7;

que ad diem, quo conclave cardinales ingrediuntur, etiam diebus, quibus exsequiae defuncti Pontificis persolvuntur, idque eo consilio fiat ut liberum sit tum cardinali camerario sententiam s. collegii exquirere, atque cum ipso, quae necessaria vel opportuna iudicaverit, communicare, tum singulis cardinalibus sententiam suam circa occurrentia negotia aperire, in rebus dubiis explicationes sciscitari, et opportuna proponere.

11. In memoratis congregationibus generalibus haec praecipue negotia expedienda sunt.[1]

a) In primis congregationibus integre legendae erunt tum praesens haec, quum superius memoratae constitutiones « *Commissum nobis* » de civili *veto* seu *exclusiva*, uti vocant, in electione summi Pontificis, a nobis edita, et Leonis XIII « *Praedecessores nostri* » cum adiecta instructione: iisdemque perlectis, iusiurandum ab omnibus cardinalibus praesentibus iuxta praescriptam formulam[2] praestandum. Quod iusiurandum pariter emittere tenentur omnes alii cardinales, qui serius ad locum electionis pervenerint, sive nondum sive iam inceptis comitiis.

b) Cardinales quam cito ea omnia decernere ac disponere debent, quae ad conclave inchoandum urgentiora sunt.

c) Constituendus est dies, hora ac modus, quo corpus defuncti Pontificis transferatur.

d) Item cardinales omnia opportune paranda curabunt, ut diebus statutis pontificiae exsequiae solvantur.

e) Deputentur duo viri ecclesiastici, qui orationes « *De Pontifice defuncto* » et « *De eligendo Pontifice* » recitare debeant.

f) Constituatur dies, quo, si ab ipsis petatur, tum legatis civilium regiminum tum equitibus ordinis Hierosolymitani s. collegium conveniendi aditus detur. Praedicti autem legati nonnisi simul congregati admit-

[1] Clem. XII, *Chirografo* « *Avendo noi* », 34 dec. 1732, n. 17.

[2] Formula iurisiurandi ab emis. ac rmis. S. R. C. cardinalibus praestandi:

« Nos episcopi, presbyteri et Diaconi S. R. E. cardinales promittimus, vovemus et iuramus, inviolabiliter et ad unguem omnes et singulos nos esse observaturos contenta omnia in constitutione summi Pontificis Pii decimi *De Sede apostolica vacante et de romani Pontificis electione*, quae incipit « *Vacante Sede apostolica* », data die vigesima quinta decembris anno millesimo nongentesimo quarto ; necnon in constitutionibus « *Commissum nobis* » de civili *veto* seu *exclusiva*, uti vocant, in electione summi Pontificis, ab eodem Pio decimo data die vigesima ianuarii eiusdem anni millesimi nongentesimi quarti, ac Leonis XIII « *Praedecessoris nostri* » cum adiecta Instructione, data die vigesima quarta maii anno millesimo octingentesimo octogesimo secundo. Item promittimus, vovemus, et iuramus, quod quilibet ex nobis in romanum Pontificem, Deo sic disponente, erit assumptus, iura etiam temporalia, praesertim de civili romani Pontificis principatu, libertatemque sanctae Sedis integre ac strenue adserere et vindicare nunquam desistet, atque eandem hanc promissionem et iusiurandum, post eius ad summi Pontificatus fastigium assumptionem, rursus praestabit.

tantur, neque singulis facultas in posterum concedatur s. collegium adeundi.

g) Nominentur singulares duorum vel trium cardinalium coetus, vulgo *Commissiones*: *a*) pro inquisitione de qualitatibus conclavistarum eorumque approbatione, [1] itemque pro eorum designatione, qui conclavi inservire debeant; *b*) pro constructione et clausura conclavis, ac pro cellarum dispositione. [2]

h) Proponantur atque approbentur expensae conclavis.

i) Epistolae imperatorum, regum aliorumque civitatum moderatorum, item nuntiorum relationes, omniaque alia, quae s. collegii interesse possint, cum ipso communicentur.

k) Perlegantur, si quae sint, documenta a defuncto Pontifice sacro cardinalium collegio relicta.

l) Frangantur annulus piscatoris et plumbum Cancellariae apostolicae. Pro-datarius autem vel sub-datarius, et secretarius brevium vel eius substitutus supplicationes gratiarum, quae penes ipsos sunt, sub sigillo clausas sacro collegio tradant.

m) Cellae conclavis cardinalibus sorte distribuantur. [3]

Caput III. — *De nonnullis peculiaribus officiis, Sede apostolica vacante.*

12. S. R. E. camerarii et penitentiarii maioris officia non cessant per obitum Pontificis. [4]

13. Si autem contingat alterius vel

« Praecipue autem promittimus et iuramus, sub poenis in praedicta Pii decimi constitutione « *Vacante Sede apostolica* » statutis, nos accuratissime et quoad omnes, etiam familiares seu conclavistas nostros, secretum esse servaturos in iis omnibus, quae ad electionem romani Pontificis quomodolibet pertinent, et in iis quae in conclavi seu in loco electionis aguntur, neque secretum praefatum quoquomodo violaturso, sive ipso conclavi durante, sive etiam post novi Pontificis electionem, nisi peculiaris facultas aut expressa dispensatio ab eodem futuro Pontifice nobis tributa fuerit; itemque nullo modo a quavis civili potestate, quovis praetextu, munus proponendi *veto* sive *exclusivam*, etiam sub forma simplicis desiderii, esse recepturos, ipsumve hoc *veto* qualibet ratione nobis cognitum, patefacturos, sive universo cardinalium collegio simul congregato, sive singulis purpuratis patribus, sive scripto, sive ore, sive directo ac proxime, sive oblique ac per alios, sive ante conclave sive ipso perdurante; nullique interventui, intercessioni, aliive cuilibet modo, quo laicae potestates cuiuslibet gradus et ordinis voluerint sese in Pontificis electione immiscere, auxilium vel favorem praestituros ».

Hanc formulam cardinalis decanus coram omnibus cardinalibus iubeat a praefecto caeremoniarum elata voce legi. Deinde singuli cardinales dicent:

« Et ego N. cardinalis N. spondeo, voveo, ac iuro ».

Et imponentes utramque manum super evangelium, adiungent:

« Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia ».

[1] Pii IV, const. « *In eligendis* », § 17.

[2] Pii IV, « *In eligendis* », § 15; Clem. XII Const. « *Apostolatus officium* », § 10.

[3] Pii IV Const. « *In eligendis* », § 13.

[4] Clem. V cap. 2 « *Ne Romani* » § 1 *de elect.* I, 3 in Clem.; Pii IV Const. « *In eligendis* », § 9; Clem. XII const. « *Apostolatus officium* », § 15.

etiam utriusque officii vacatio ante novi Pontificis electionem, tunc congregatio generalis triduo post secutam vacationem alterutrius ex praefatis officiis habeatur, ac vota seu suffragia cardinalium simul congregatorum pro deputatione illius, qui camerarii vel poenitentiarii maioris vices suppleat usque ad electionem novi pontificis, exquirantur, denturque per schedulas secretas, a magistris caeremoniarum etiam ab infirmis cardinalibus colligendas, ac coram tribus cardinalibus eo tempore in ordine prioribus, praesentibus eisdem caeremoniarum magistris atque s. collegii secretario, aperiendas; isque deputatus habeatur, in quem pars relative maior votorum seu suffragiorum praefatorum convenerit, ac sic deputato facultates omnes, quas ipse camerarius vel poenitentiarius maior exercere poterat, quamdiu sedes vacaverit, attribuimus. [1] Quod si forsan vota paria fuerint; ille deputatus habeatur, qui fuerit ordine dignior, vel, si eiusdem ordinis, senior.

14. Cardinali *camerario*, vacante Sede apostolica, incumbit cura et administratio bonorum ac iurium temporalium ipsius s. Sedis, adsistentibus ei in suo officio cardinalibus eo tempore in ordine prioribus seu capitibus ordinum, et praehabitis semel pro levioribus, ac semper pro gravioribus negotiis suffragiis s. collegii. Hinc cardinalis camerarius, statim ac a sacri palatii apostolici praefecto nuncium de Pontificis obitu acceperit, ad apostolicum palatium perget, ut ipsius possessionem capiat ac eius regimen exerceat. Eiusdem camerarii erit Pontificis mortem iure recognoscere atque authenticum mortis actum conficere; statuere, auditis cardinalibus capitibus ordinum, modum ad conservationem corporis defuncti pontificis pro temporum conditionibus magis convenientem et aptum (nisi forte Pontifex ipse vivens suam hac de re voluntatem manifestaverit); privatis eiusdem Pontificis aedibus sigilla apponere; ipsius obitum cum cardinali in urbe vicario communicare, qui de re populum romanum singulari edicto edocebit; eaque omnia, nomine et consensu s. collegii, curare, quae ad iura apostolicae Sedis tuenda et ad ipsius administrationem recte gerendam rerum temporumque adiuncta suadebunt. [1]

15. Cardinalis autem sacri collegii *decani* erit, vix dum ab eodem sacri palatii apostolici praefecto de Pontificis morte fuerit edoctus, ceteris cardinalibus vacationem Sedis apostolicae significare, eosque ad palatium apostolicum advocare. [2]

16. *Poenitentiarius maior* eiusque officiales, sede vacante, ea facere et expedire valeat, quae a fel. rec. Benedicto XIV constituta ac definita sunt. [3]

[1] Clem. V, cap. 2 « *Ne Romani* » § 1 *de elect.* I, 3 in Clem.; Clem. XII const. « *Apostolatus officium* », § 15; Bened. XIV Const. « *In Apostolicae* » idibus Apr. 1744, § 4.

[1] Cfr. « *Regolamento* », Leonis XIII, nn. 3-6.

[2] Cfr. « *Regolamento* », Leonis XIII, nn. 2-8.

[3] Const. « *Pastor bonus* », idibus apr. 1744. §§ 51-55.

17. *Vicecancellarii S. R. E., prodatarii,* [1] *secretarii brevium* officia per obitum r. Pontificis omnino expirant.

18. Item per obitum Pontificis cessat munus cardinalis *secretarii Status,* eoque munere, sede vacante, fungitur praelatus *s. Collegii secretarius.* Quod si hoc officium vacare contingat, eiusdem s. Collegii erit, aliquem ad illud, quamdiu scilicet sedes Apostolica vacaverit, per pluralitatem suffragiorum deputare.

19. E contra *cardinalis in urbe vicarii* officium et iurisdictio non expirant morte romani Pontificis. Quod si ipsum vicarium urbis sede vacante, e vivis decedere contigerit, ne christifideles urbis eiusque districtus aliquod inde accipiant in spiritualibus detrimentum, tunc exsistens vicesgerens dicti vicarii, quamdiu sedes vacaverit, omnes et singulas habebit facultates, auctoritatem et potestatem quae eidem vicario pro exercitio officii vicariatus quomodolibet competebant, quasque Pontifex ipse, occurrente vacatione vicariatus sede plena, vicesgerenti praedicto quandoque per aliquod tempus, donec scilicet successorem vicarium deputaverit, attribuere solet. [2]

20. Item *legatorum, nuntiorum* ac *delegatorum apostolicorum* officium et potestas non cessant Sede vacante.

21. Probe autem scientes eo maxime tempore, cum de creando Pontifice agitur, divinam opem per assiduas preces, aliaque christianae pietatis et caritatis opera impensius expetendam, ac promereri satagendum esse; ideo, sicuti magnopere commendamus, ita quoque retineri volumus laudabilem morem huc usque observatum, ut defuncti *Pontificis eleemosynarius* id muneris exercere pergat cum debita s. Collegii cardinalium subiectione et ab eo dependentia, donec novus Pontifex eligatur, utque eadem pecuniae vis in subventionem eorumdem pauperum et egenorum Sede vacante per ipsum eleemosynarium dispensetur ac erogetur, quae vivente Pontifice distribui solet, ad quem effectum consueta mandata a tribus cardinalibus eo tempore in ordine prioribus, seu deputatis expediantur. [1]

Caput IV. — *De sacris romanis Congregationibus earumque facultatibus Sede apostolica vacante.*

22. Circa facultates sacrarum romanarum Congregationum, Sede vacante, hae, quae sequuntur, normae ab omnibus servandae sunt, non obstantibus privilegiis quibusvis.

23. Sacrae Congregationes, eadem Sede vacante, nullam potestatem habent in iis, quae Sede plena facere et expedire non possunt nisi *facto verbo cum Ssmo.,* vel *ex audientia Ssmi.,* vel *vigore specialium et extraordinariarum facultatum,* quae a romano Pontifice earundem Congregationum praefectis vel secretariis concedi solent.

24. Facultates vero quae ipsis per litteras apostolicas attributae sunt,

[1] Pi IV const. « *In eligendis* », § 11.

[2] Clem. XII const. « *Apostolatus officium* », § 17.

[1] Clem. XII const. « *Apostolatus officium* », § 25.

et proinde tamquam ordinariae atque ipsarum Congregationum propriae censentur, eae morte romani Pontificis non exstinguuntur.

25. Volumus tamen ut his facultatibus ordinariis sacrae Congregationes solummodo in iis gratiis concedendis, quae minoris momenti sunt, libere, pro rei opportunitate, utantur. In iis vero expediendis definiendisque negotiis, quae graviora vel controversa esse videntur, illud statuimus, ut, si res talis sit, quae in aliud tempus differri valeat, futuro Pontifici reservetur omnino: sin autem nullam admittat moram, tunc sacro collegio concedimus ut committere possit negotium praefecto et aliquot aliis cardinalibus eius Congregationis, ad quam Pontifex illud examinandum verisimiliter commisisset, qui, negotio accurate discusso, ea desuper decernere possint, per modum tamen provisionis, donec eligatur Pontifex, quae, iuxta datam sibi a Domino prudentiam, iuribus et rationibus ecclesiasticis custodiendis ac tuendis apta et consentanea censuerint. [1]

CAPUT V. — *De exsequiis romani Pontificis.*

26. Romano Pontifice vita functo, cardinales exsequias pro eius anima de more per novem continuos dies persolvent, nisi forte in illis novem diebus aliquod festum ex praecipuis et magnis incidat, propter cuius observantiam exsequiae intermittendae videantur; tunc enim in numero quidem novem dierum exsequiarum intermissarum dies computantur. [1]

Tribus vero postremis diebus solemniori ritu exsequias celebrabunt; et ultima earundem exsequiarum die a viro ecclesiastico ad hoc deputato habebitur oratio « *de Pontifice defuncto* ».

TITULUS II. — **De electione Romani Pontificis.** — CAPUT I. — *De electoribus romani Pontificis.*

27. Ius eligendi romanum Pontificem ad S. R. E. cardinales unice et privative pertinet, excluso prorsus atque remoto quolibet cuiuspiam alterius ecclesiasticae dignitatis, aut laicae potestatis cuiuslibet gradus et ordinis interventu. [2]

28. Si quando contingat ut romanus Pontifex decedat, perdurante celebratione alicuius concilii generalis, sive Romae illud habeatur, sive in alio quovis orbis terrarum loco, electio novi Pontificis ab uno S. R. E. cardinalium Collegio semper et exclusive fieri debet, minime vero ab ipso concilio, atque etiam omnino exclusis ab eadem electione peragenda quibuslibet aliis personis cuiusvis, licet ipsius concilii, auctoritate forte deputandis, praeter cardinales praedictos. Quin imo, ut in eiusmodi electione memorati cardinales, omni prorsus impedimento submoto et quavis perturbationum et dissidiorum

[1] Clem. XII, const. « *Apostolatus officium* », § 18.

[1] Cfr. Caeremoniale Greg. XV « *Decet Romanum* », IV idus, mart. 1621.

[2] Pii IX, Const. « *In hac sublimi* », X kal. septembr. 1871 et « *Consulturi* » 10 oct. 1877; Leonis XII, const. « *Praedecessores nostri* »

occasione sublata, liberius et expeditius procedere queant, ipsum concilium in quibuslibet statu et terminis exsistat, statim ab accepto certo nuntio demortui Pontificis, suspensum ipso iure intelligi debet, adeo ut, nulla prorsus interiecta mora, cessare statim debeat a quibuslibet conventibus, congregationibus et sessionibus, et a quibusvis decretis seu canonibus conficiendis, nec ob quamlibet causam etiamsi gravissima et speciali mentione digna videatur, ulterius progredi, donec novus Pontifex canonice electus illud reassumi et continuari iusserit [1]

29. Nullus cardinalium, cuiuslibet excommunicationis, suspensionis, interdicti aut alius ecclesiastici impedimenti praetextu vel causa a summi Pontificis electione activa et passiva excludi ullo modo potest; quas quidem censuras et excommunicationes ad effectum huiusmodi electionis tantum, illis alias in suo robore permansuris, suspendimus. [2]

30. Postquam aliquis S. R. E. cardinalis in consistorio creatus fuit, is statim vocem et ius eligendi Pontificem habet, et consequenter etiamsi cardinalitius galerus nondum illi traditus sit, neque os clausum, vel si clausum fuerit, nondum tamen apertum sit. Etenim huiusmodi claudendi oris ritus ad precipuam cardinalium facultatem, quae circa summi Pontificis electionem versatur, non pertinet, sed caeremonia quaedam est, ea de causa introducta, ut cardinales, antequam in consistoriis et Congregationibus suffragium ferant, de modestia, quae ab ipsis in his et aliis actibus adhiberi debet, quodammodo admoneantur. [1]

31. Cardinales canonice depositi, vel qui dignitati cardinalitiae, consentiente romano Pontifice, renuntiaverunt, nullum ius ad electionem habent. Immo, Sede vacante, nec potest s. Collegium restituere et habilitare cardinales per Papam privatos seu depositos, ne quidem ad vocem. [2]

32. Statuimus etiam et declaramus, quod si forte aliquis cardinalis saltem in diaconatus ordine constitutus non fuerit, is nullatenus ad eligendum admitti debeat, [3] nisi certo et indubitato privilegio pontificio munitus sit. [4]

33. Item statuimus, ut cum Pontificem de hac vita migrare contigerit, praesentes cardinales exspectare debeant absentes per decem tantummodo dies, quibus exsequiae defuncti Pontificis celebrantur; quibus elapsis, statim conclave ingredi et ad electionis negotium procedere tenentur. [5]

[1] Pii IX, Const. « *Cum Romanis Pontificibus* », pridie nonas dec. 1869.

[2] Clem. V, cap. 2 « *Ne Romani* » § 4, *de elect.* I, 3, in Clem.; Pii IV, Const. « *In eligendis* », § 29; Greg. XV, Const. « *Aeterni Patris* », § 22.

[1] Pii V, decretum die 26 ianuarii 1571; Caeremoniale Gregor. XV, § *Porro.*

[2] Bonif. VIII, cap. un. *de schismatic.*, V, 3 in Sext.; Pii IX, Litt. « *Quamquam* », 29 sept. 1867.

[3] Pii IV, const. « *In eligendis* », § 25; Sixt. V, const. « *Postquam verus* », III non. decembr. 1586, § 6.

[4] Cfr. Caeremoniale Greg. XV, § *Porro.*

[5] Leonis XIII const. « *Praedecessores nostri* ».

34. Si tamen cardinales absentes supervenirint, re integra, id est antequam eidem Ecclesiae sit de pastore provisum, in eodem negotio, in illo statu, in quo ipsum invenerint, admittantur. [1]

35. Omnibus autem cardinalibus in virtute sanctae obedientae praecipimus et mandamus, ut, postquam per cardinalem decanum, vel ipso impedito, per alium cardinalem, de vacatione Sedis apostolicae certiores facti, atque ad novi Pontificis electionem advocati fuerint, nisi legitimo impedimento detineantur, indictionis litteris obtemperare, et ad locum eisdem designatum pro perficienda Pontificis electione statim se conferre debeant. [2]

36. Si quis vero forte conclave intrare noluerit, vel ingressus, absque manifesta infirmitatis causa, iuramento medicorum et a maiori parte cardinalium approbata exiverit; tunc, ipso minime requisito, nec in eiusdem electionis negotio ulterius admittendo, per alios ad eligendum summum Pontificem libere procedatur. Si vero, infirmitate superveniente, aliquem eorum e conclavi exire contingat, ipsa etiam infirmitate durante, poterit, eius suffragio non requisito, ad electionem procedi; sed si ad conclave, post sanitatem sibi redditam, seu ante, redire voluerit, rursus admittatur. [3]

37. Cardinales omnes et singuli, valetudine non impediti, cum tertio pulsata per loca solita conclavis campanula fuerit, ad scrutinium convenire debent; cui legi si quis non obtemperaverit, latae sententiae excommunicationis poenam incurrat. [1]

CAPUT II. — *De conclavistis ac de aliis in Conclavi partem habentibus.*

38. Quilibet cardinalis in conclavi duobus servientibus clericis, vel laicis, vel uno clerico et uno laico contentus sit; infirmis autem et graviter affectis, a maiori parte s. Collegii, vel a cardinali camerario una simul cum cardinalibus capitibus ordinum, de consensu maioris partis s. Collegii, tertius indulgeri potest. [2]

39. Conclavistae praelati esse non possunt, neque consanguinei vel affines in primo et secundo gradu cardinalium, etiamsi expensis eorum viverent, aut eiusdem ordinis seu congregationis religiosae. Et de qualitatibus conclavistarum, cardinales deputati ante conclavis ingressum diligenter inquisitionem habere, et eos approbare, ac post ingressum denuo diligenter inquirere debent. [3]

40. Conclavistae iusiurandum, quod ab ipsis iuxta statutam formam [4] edi debet, serio ac religiose, pro rei gravitate, praestent. Quam ob rem S. R. E. camerarii erit cavere, ut ab ipsis praedictum iusiurandum saltem una vel altera die ante ingressum in

[1] Greg. X cap. 3 « *Ubi periculum,* » § 1 *de elect.* I, 6 in Sext., Pii IV const. « *In eligendis* », §§ 2, 3, 5.

[2] Greg. X cap. 3 « *Ubi periculum* », § 1 *de elect.* I, 6 in Sext.

[3] Greg X cap. 3 « *Ubi periculum* », § 1 *de elect.* I, 6 in Sext.; Pii IV const. « *In eligendis* », § 4.

[1] Greg. XV const. « *Aeterni Patris* », § 17.

[2] Pii IV const. « *In eligendis* », § 16.

[3] Pii IV const. « *In eligendis* », § 17.

[4] Formula iurisiurandi a magistris caere-

conclave emittatur, postquam unusquisque eorum eiusdem iurisiurandi momentum ac formulae sententiam probe intellexerit.

41. Conclavistae vero, et quicumque alii servientes, e conclavi, ex causa infirmitatis manifestae et notabilis a medicis iuramento probatae, et de consensu deputatorum, quorum etiam conscientiam oneramus, et non aliter exituri, nullo modo reverti possunt; sed eorum loco, alii eodem prorsus tempore quo infirmi exibunt, ingrediantur. [1]

42. Item si aliquem cardinalem in conclavi vita fungi accidat, ipsius conclavistae statim e conclavi exire debent, neque ad alterius cardinalis famulatum in eodem conclavi assumi poterunt. [2]

43. Sacri palatii apostolici sacrista quoque cum uno vel pluribus (ad s. Collegii arbitrium) clericis coadiutoribus in officio sacristiae, itemque

moniarum atque ab omnibus aliis conclavistis ecclesiasticis praestandi, una vel altera die ante ingressum in conclave, coram caeremoniarum praefecto vel s. Collegii secretario ad rem deputatis:

« Ego .....
« constitutus coram te .....
« tactis per me SS. Dei Evangeliis coram me
« positis, iuro et promitto me inviolabile ser-
« vaturum esse secretum in omnibus et sin-
« gulis, quae de novi Pontificis electione de-
« que iis, quae in conclavi seu in loco elec-
« tionis aguntur, quovis modo cognoverim,
« adeo ut nec directe, nec indirecte, neque nutu
« neque verbo, neque scriptis, vel alias quomo-
« dolibet, ipsum mihi violare liceat, et hoc ne-
« dum sub poena excommunicationis latae
« sententiae, futuro Pontifici speciali modo
« reservatae, privative etiam quoad s. Poe-
« nitentiariam, sed etiam sub poena priva-
« tionis cuiuscumque beneficii, pensionis, of-
« ficii vel muneris ipso facto incurrendae in
« casu transgressionis. Quod secretum ac-
« curatissime ac religiose servabo etiam post
« peractam novi Pontificis electionem, nisi
« ab eodem Pontifice peculiaris facultas aut
« expressa dispensatio mihi concessa fuerit.
« Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei
« Evangelia, quae propriis manibus tango ».

Formola del giuramento per i conclavisti ed altri inservienti laici:

« Io .....
« stando dinanzi a .....
« toccando colle mie proprie mani i santi
« Evangeli, giuro e prometto che osserverò
« un inviolabile e rigoroso segreto su tutte
« e singole quelle cose, le quali in qualun-
« que modo venissi a conoscere, riguardanti
« la elezione del nuovo Pontefice e ciò che
« avverrà nel conclave o nel luogo della ele-
« zione, e che non violerò in alcun modo
« questo segreto, nè direttamente, nè indi-
« rettamente, nè con parole, nè con scritti,
« nè con segni, o in altra qualsiasi guisa;
« e ciò non solo sotto pena di scomunica,
« riservata in modo speciale al futuro Pon-
« tefice, ad esclusione anche della sacra Pe-
« nitenzieria, e da incorrersi senz'altra di-
« chiarazione col solo fatto della violazione
« del giurato segreto, ma anche sotto altre
« pene anche gravissime da infliggermisi
« dalla stessa Santità Sua in caso di tra-
« sgressione. Il segreto io giuro e prometto
« che manterrò coscienziosamente anche
« dopo avvenuta l'elezione del nuovo Pon-
« tefice, a meno che non mi venga su ciò
« concessa dal medesimo Pontefice un'espres-
« sa e speciale facoltà.

« Così Dio mi aiuti e questi santi Evan-
« geli, che tocco colle mie mani ».

[1] Pii IV const. « *In eligendis* », § 24.

[2] Clem. XII Chirogr. « *Avendonoi* », n. 16.

magistri caeremoniarum non plures quam sex conclave ingrediantur, muneribus quae ad ipsos pertinent vacaturi. Adsit praeterea unus s. Collegii secretarius tantum, unus religiosus pro confessionibus excipiendis, duo medici, unus chirurgus, unus aromatarius cum uno aut duobus servientibus, qui omnes a maiori parte cardinalium vel a cardinali camerario una simul cum cardinalibus capitibus ordinum, de consensu maioris partis cardinalium, erunt eligendi; aliique conclavis utilitati atque commoditati servientes qui tamen plures esse non debent quod quam necessitas postulaverit. [1]

Caput III. — *De ingressu in conclave.* [2]

44. Exsequiis defuncti pontificis (ut supra) persolutis, et interim conclavi opportune praeparato, cardinales in basilicam sancti Petri, vel alio pro temporis et loci opportunitate conveniunt, ubi per decanum sacri Collegii, vel eo impedito per alium ex antiquioribus cardinalibus, missa de Spiritu sancto celebratur, et in fine per aliquem praelatum aut alium virum ecclesiasticum doctum habeatur oratio, qua moneantur, ut, sepositis omnibus privatis affectibus, solum Deum prae oculis habentes, sanctae romanae et universali Ecclesiae de Pastore sufficiente et idoneo providere, omni qua possunt brevitate et diligentia curent.

45. Re divina peracta, statim, vel si patribus potius libuerit, vespere, fit ingressus in conclave. Clericus caeremoniarum capit crucem papalem, et procedit: quem cardinales sequuntur, episcopi primum, deinde presbyteri, postremo diaconi cum suis cappis violaceis: crucem praecedunt familiares cardinalium, et immediate cantores hymnum *Veni creator Spiritus* cantantes: post cardinales sequuntur praelati, atque ita ordine procedentes, conclave ingrediuntur, et cum ad cappellam pervenerint, cardinalium decanus apud altare dicit orationem *Deus qui corda fidelium;* qua finita, tum praesens quum etiam memoratae constitutiones « *Commissum nobis* » de civili *veto*, et Leonis XIII « *Praedecessores nostri* » (praetermissis iis, quae nonnisi res iam peractas respiciunt) iterum leguntur; ac iusiurandum, iuxta superius praescriptam formam, ab omnibus cardinalibus rursus emittitur. Deinde cardinales post brevem sermonem habitum per decanum, quo eos convenientibus verbis ad electionis negotium rite et recte peragendum hortatur, ad cellas sorte inter eos distributas divertunt.

Interim officiales conclavis et alii in conclavi servientes iuramenta iuxta praescriptas formulas praestant coram caeremoniarum praefecto vel S. Collegii secretario, ad rem deputatis a cardinali camerario, coram quo antea et ab ipsis iusiurandum emittendum est. Pariter hac eadem die, qua fit ingressus in conclave, praelatus pontificiae domui praepositus et marescallus conclavis iusiurandum emittere debent iuxta statutas formulas coram cardinali decano,

[1] Pii IV const. « *In eligendis* », § 18; Clem. XII const. « *Apostolatus officium* », § 13.

[2] Cfr. Caeremoniale Greg. XV.

praesentibus omnibus cardinalibus, idemque praestant praelati, quibus conclavis, custodia concreditur.

46. Tandem, postquam ter, iussu cardinalis decani, campanula personata fuerit, exclusis omnibus, qui in conclavi remanere non debent, ipsum conclave intus et extra claudatur, et claves S. R. E. camerario ac magistro caeremoniarum et praelatis custodibus conclavis iuxta solitum assignentur.

Deinde accensis fanalibus, tres cardinales capita ordinum et camerarius, una cum magistro caeremoniarum latebras et angulos omnes conclavis diligenter perquirant, ne quis ex iis, qui esse in conclavi prohibentur intus remanserit.

In conclavi autem esse possunt familiares cardinalium et alii officiales et ministri conclavis, quos superius recensuimus; omnium autem istorum conclavistarum recognitio fieri debet, ne quis inter illos forte sit ex iis, qui in conclavi esse non possunt: quae recognitio, ut certius fiat, iubentur conclavistae omnes intrare cappellam, et postea singillatim recensentur.

Caput IV. — *De clausura conclavis, ac de secreto servando in iis omnibus, quae in conclavi aguntur.*

47. Electio summi Pontificis fieri debet in conclavi, et eo clauso, [1] sublata tamen nullitate electionis a Gregorio XV (vel alio quovis decreto pontificio) hac de re statuta.

[1] Greg. X cap. 3 « *Ubi periculum* » § 1 *de elect.* I, 6, in Sext.; Greg. XV const. « *Aeterni Patris* », § 1.

48. Tenentur quoque cardinales pro tempore deputati, per se vel per alios, cellas cardinalium et alia conclavis loca saepius visitare et diligenter perquirere, ne conclavis clausura ullo modo violetur. Et si quid tale deprehensum fuerit, auctores e conclavi expellantur et gravibus poenis futuri Pontificis arbitrio plectantur. [1]

49. Clauso conclavi, nulli ad colloquium cum cardinalibus vel aliis in conclavi partem habentibus admittantur, nisi praesentibus praelatis, quibus conclavis custodia concreditur, et nisi voce et idiomate intelligibili loquantur. Et si quis forte (quod absit) clam ipsum conclave ingrediatur, omni honore, gradu, atque officio et beneficio ipso facto privatus exsistat. [2]

50. Volumus item ut epistolae, aut cuiusvis generis scripta, etiam typis edita, tum ad eos, qui in conclavi sunt (non exceptis ipsis S. R. E. cardinalibus), tum praesertim e conclavi ad eos, qui foris sunt, mitti nullatenus possint, nisi prius omnia et singula s. Collegii secretarii, ac simul praelatorum, qui ad custodiam conclavis deputati sunt, examini atque inspectioni subiiciantur. Absolute autem omnibus interdicimus, ne ephemerides quotidianae vel periodicae extra conclave mittantur. Qui vero contra fecerint, poenae excommunicationis latae sententiae subiaceant. [3]

[1] Pii IV Const. « *In eligendis* », § 15.

[2] Greg. X, cap. 3 « *Ubi periculum* » § 1 *de elect.* I, 6 in Sext.; Pii IV const. « *In eligendis* », § 19.

[3] Greg. X cap. 3 « *Ubi periculum* », § 1 *de elect.* I, 6 in Sext.; Pii IV const. « *In eli-*

51. Praeterea, uti iam in supra relatis, tam pro S. R. E. cardinalibus quam pro conclavistis, iurisiurandi formulis expressum est, severe praecipimus et mandamus ut ab omnibus in conclavi partem habentibus secretum religiosissime servetur in iis omnibus, quae ad electionem romani Pontificis pertineant, et in iis quae in conclavi, seu in loco electionis agantur. Hinc quaecumque directe vel indirecte secretum violare quomodolibet poterunt, sive verba, sive scripta, sive signa, aut alia quaevis, omnia vitare et cavere omnino tenentur;[1] ita ut hanc legem violantes excommunicationem ipso facto incurrant, a qua, sicut ab alia quavis et contra quoslibet in hac constitutione imposita et irrogata, seu infra imponenda et irroganda poena excommunicationis, a nullo, ne a maiori quidem poenitentiario, cuiuslibet facultatis vigore, praeterquam a romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi possint.[2]

52. Specialiter autem, sub eiusdem excommunicationis poena, cardinales prohibemus, ne suis familiaribus seu conclavistis vel aliis quibusvis ea pandant, quae scrutinium directe vel indirecte respiciant, itemque quae in cardinalium congregationibus sive ante conclave sive ipso durante habitis acta vel decreta sint.

53. Insuper praecipimus, graviter onerata ipsorum conscientia, S. R. E. cardinalibus ut secretum huiusmodi servetur etiam post peractam novi Pontificis electionem, neque ullo modo ipsum violari liceat, nisi ab eodem Pontifice peculiaris ad hoc facultas aut expressa dispensatio concessa fuerit. Quod praeceptum extendi volumus ad alios omnes, qui in conclavi partem habuerunt, si quid forte, bona vel mala fide, de iis, quae in conclavi gesta sint, cognoverint.

Caput V. — *De forma electionis.*[1]

54. Mane sequenti, post clausum praecedenti nocte conclave, ac post soeitum campanulae sonum, conveniunt cardinales in eo praesentes, qui infirmitate non sunt impediti, induti super vestem crocea aut *mozzeta* violacea (quibus vestibus uti debent quandocumque aliquid collegialiter agendum est), ad designatum sacellum, et ibi celebrata consueta missa, et facta cardinalium communione, ac postea recitato hymno *Veni Creator Spiritus* cum oratione de Spiritu sancto, statim ad negotium electionis procedere debent, quod quidem uno tantum ex tribus, qui infra exponuntur, modis sive formis peragendum est, alioquin electio nullitatis vitio subiacet.

55. Primus modus est, qui quasi *per inspirationem* vocatur, quando scilicet omnes cardinales, quasi afflati Spiritu sancto, aliquem unanimiter et viva voce summum Pontificem proclamant; circa quem modum infrascripta notanda sunt.

Primum, haec forma electionis adhiberi potest solum in conclavi, et eo

gendis », § 20; Clem. XII Const. « *Apostolatus officium* », § 11.

[1] Greg. XV const. « *Aeterni Patris* », § 20.

[2] Greg. XV const. « *Aeterni Patris* », § 19.

[1] Cfr. Caeremoniale Greg. XV.

clauso. Secundo, debet fieri electio secundum hanc formam ab omnibus et singulis cardinalibus in conclavi praesentibus, etiam iis, qui ob infirmitatem in cellis detinentur. Tertio, communiter, et nemine eorum dissentiente. Quarto, nullo praecedente de persona speciali tractatu, per verbum « *eligo* » intelligibili voce prolatum, aut scripto expressum, si voce non possit proferri. Exemplum autem huius, potest esse huiusmodi. Si quis e patribus clauso conclavi, nullo, ut praefertur, praecedente speciali tractatu, diceret: « Reverendissimi domini, perspecta singulari virtute et probitate reverendissimi D. N. iudicarem illum eligendum esse in summum Pontificem, et ex nunc ego ipsum eligo in Papam » Deinde, hoc audito, si ceteri patres, nemine excepto, sequentes primi sententiam eodem verbo « *eligo* » intelligibili voce prolato, aut si non potest, in scriptis expresso, eundem N., de quo nullus specialis tractatus praecessit, communiter eligerent, ipse N. esset canonice electus et verus Papa secundum hanc electionis formam, quae dicitur *per inspirationem.*

56. Secundus modus est *per compromissum,* quando scilicet cardinales ad electionem per hanc formam seu viam procedere volentes, committerent aliquibus ex patribus eligendi potestatem, ut vice omnium Ecclesiae catholicae provideant de Pastore, cuius formae praxis debet esse huiusmodi. Primo omnes et singuli cardinales in conclavi clauso praesentes, nemine eorum dissentiente, in aliquos ex patribus (i. e. in tres vel quinque vel septem, non in minorem vel maiorem numerum) compromissum faciunt, exempli gratia in hanc formam: « In nomine Domini Amen. Anno etc. mense etc. die etc. Nos episcopi, presbyteri et diaconi S. R. E. cardinales omnes et singuli in conclavi existentes, videlicet N. N. (et singillatim omnes nominentur cardinales) elegimus, et eligimus per viam procedere compromissi, et unanimiter et concorditer, nemine discrepante, eligimus compromissarios N. N. et N. cardinales etc., quibus damus plenariam facultatem et potestatem providendi S. R. E. de Pastore sub hac forma videlicet ». (Hic necesse erit, ut cardinales compromittentes exprimant modum et formam, secundum quam compromissarii debent eligere, et secundum quam electus debet censeri verus et legitimus Papa, ut puta si electi sint tres compromissarii declarandum est an ad hoc ut electio sit valida, prius proponere debeant sacro Collegio personam ab ipsis nominandam ad pontificatum, an vero absolute debeant electionem peragere; an omnes tres debeant convenire in unam personam; an vero sufficiat, quod duo in unam concordent, et an debeant nominare aliquem de collegio, vel etiam aliquem extra Collegium, et alia his similia). His autem, vel aliis similibus expressis, addi compromisso debet tempus, ad quod usque volunt cardinales, potestatem compromissarios habere eligendi, et postea subiunguntur haec verba: « Et promittimus nos illum pro romano Pontifice habituros, quem DD. compromissarii secundum formam praedictam duxerint

eligendum », vel alia ad forma commpromissariis praescriptam accommodata.

Secundo, completo huiusmodi mandato, compromissarii ad partem in aliquo loco separato et clauso se conferunt, et de electione facienda tractant, et debet inter eos praemitti protestatio, quod per quamcumque prolationem verborum suum dare consensum non intelligunt, nisi in scriptis illum expresse ponant. Et haec protestatio necessaria est inter compromissarios, ut verbis humanis et reverentialibus inter se, sine praeiudicio, uti possint.

Tertio, facta per compromissarios electione secundum formam eis praescriptam, et in conclavi promulgatam, electus per huiusmodi viam compromissi, est canonicus et verus Papa.

57. Tertius et ordinarius modus, seu forma electionis romani Pontificis est, quae vocatur *per scrutinium*. Qua in re plenissime confirmamus et renovamus legem iam a Praedecessoribus nostris sapienter inductam ac per plura deinde saecula semper religiosissime servatam, qua nempe statutum est ut ille tantummodo romanus Pontifex habendus sit, in quem duae saltem ex tribus partibus cardinalium in conclavi praesentium per secreta schedularum suffragia convenerint.[1]

Numerus autem suffragiorum duarum ex tribus partibus cardinalium in conclavi praesentium, ut electio per viam scrutinii valida sit, ita est censendus ut in duabus tertiis partibus suffragium electi non numeretur, nec quisquam, sive scrutinii sive compromissi via procedatur, seipsum eligere seu suffragium sibi dare ullatenus possit: electi tamen persona, si in conclavi sit, debeat in numerum cardinalium computari.[1]

58. Scrutinii autem ritus continet tres actiones: alteram, quae *antescrutinium*, alteram, quae *scrutinium*, et tertiam, quae *postscrutinium* appellari potest.

59. *Antescrutinii* actus sunt quinque, videlicet: praeparatio schedularum; extractio scrutatorum, deputatorum pro votis infirmorum et recognitorum per sortem: scriptio schedularum; earum complicatio; obsignatio earumdem.

60. Schedularum praeparatio et distributio ad magistros caeremoniarum pertinet, qui eas impressas, ubi fieri poterit, alioquin unius manu scriptas secundum formam inferius describendam accipient, et singulis cardinalibus saltem duas vel tres distribuent.

61. Forma autem schedulae, quoad eius figuram attinet, erit altera parte longior, hoc est plus longa, quam lata. Circa ea vero, quae in eisdem schedulis contenta sunt, in anteriori eius parte, quae brevitatis gratia facies nominari potest, tria comprehendi debent. Primo in superiori parte, secundum eius latitudinem, duo haec verba *Ego Card.* cum tanta ad invicem distantia ut inter ipsa, nomen proprium cardinalis eligentis scribi possit, et paulo inferius bina signa,

[1] Alex. III in Concil. Later. cap. 6 « *Licet de vitanda* » *de elect.*, I. 6; Greg. XV const. « *Aeterni Patris* », § 1.

[1] Greg. XV const. « *Aeterni Patris* », § 2.

parvorum hemicyclorum instar confecta, ad loca sigillorum indicanda.

Secundo, in medio continere debet haec verba:

« *Eligo in summum Pontificem reverendissimum dominum meum D. cardinalem...* »

Tertio, in parte inferiori, alia bina signa, uti supra hemicyclorum instar confecta, ad loca sigillorum similiter demonstranda.

In exteriori autem parte schedularum, quae tergum nominari potest, duo sunt imprimendi limbi ex illis, quos ad ornatum librorum impressores adhibent, et vulgari vocabulo *fregi* nuncupant, quorum primum circa sui medium continet hoc verbum, *nomen,* impressum secundum longitudinem ipsius limbi; alterum vero continet hoc verbum *signa,* similiter impressum, ut praecedens. Hi autem limbi excogitati sunt ad obscurandum diaphanum paginarum, ne scilicet ad lumen, nomina et signa elegentium conspici possint; ubi vero impressoris copia non fuerit, limborum defectus lineis suppleri poterit. Sed haec fient clariora per infra positas figuras schedularum.

EXEMPLUM FACIEI

Schedulae scrutinii.

Ego **Card.** .....

. . . . . (*locus primae plicaturae*).

. . . . . (*locus secundae plicaturae*).

Eligo in Summum Pontificem R. D. meum D. Card. .....

. . . . . (*locus secundae plicaturae*).

. . . . . (*locus primae plicaturae*).

EXEMPLUM TERGI

Schedulae scrutinii.



62. Secundus actus antescrutinii est extractio scrutatorum, deputatorum pro votis infirmorum, et recognitorum: quae extractio, antequam ad scrutinium procedatur, sorte facienda est, hoc modo. In uno sacculo, aut vase, publice ponantur tot schedulae, vel si magis placet, spherulae ligneae palam numeratae, quot sunt cardinales praesentes in conclavi, cum eorum nominibus: deinde per ultimum diaconum extrahantur, primo scrutatores tres, postea tres deputati pro votis infirmorum, qui brevitatis gratia infirmarii appellari possunt, ac tandem recognitores, de quorum omnium officio inferius suo loco scribetur. Quod si in extractione scrutatorum, infirmariorum et recognitorum extracti fuerint cardinales, qui ob infirmitatem aliudve impedimentum muneribus praedictis satisfacere non possint, alii non impediti, loco illorum, extrahantur. Peracta vero extractione, schedulae, seu spherulae eorum, qui extracti fuerunt, in sacculum, seu in vas iterum coniiciantur.

63. Tertius actus antescrutinii est schedularum scriptio, quae ab unoquoque cardinali fiet hoc modo. Pri-

mo in superiori parte, in spatio inter verba: *Ego Card.* scribet proprium nomen; deinde in secunda parte nomen illius, quem eligit, charactere tamen, quantum fieri potest, alterato, ne manus scribentis cognosci possit; et caveat ne plura nomina in schedula scribat; quia suffragium esset nullum. In tertia vero parte signa, videlicet numerum aliquem, et dictum aliquod scripturae, seu verbum, aut aliquid huiusmodi, ut in exemplo pro faciliori intelligentia oculis subiecto, videre est.

EXEMPLUM

Schedulae scrutinii scriptae.

Ego Bonifacius Card. Caietanus

. . . . . (*locus primae plicaturae*)

. . . . . (*locus secundae plicaturae*)

Eligo in Summum Pontificem R. D. meum D. Card. Baronium.

. . . . . (*locus secundae plicaturae*)

. . . . . (*locus primae plicaturae*)

18 Gloria in excelsis Deo.

64. Quartus actus antescrutinii est schedularum complicatio, quae ut expeditius peragi a cardinalibus valeat, poterit a caeremoniarum magistris, cum eas praeparant, fieri in hunc, qui sequitur modum. Binae fient plicaturae ex utraque parte cuiusque schedulae, ita ut nomen eligentis et signa cum fuerint scripta, maneant tecta ex utraqu eparte a limbis: deinde quod reliquum est ita complicetur ut schedula fere ad latitudinem pollicis redigatur, prout ex complicata schedula, quae hic exempli gratia ponitur, conspici potest.

EXEMPLUM

Schedulae plicatae.



Ceterum magistri caeremoniarum schedulas, non complicatas ut supra, sed explicatas, cardinalibus distribuent, et cardinales easdem, postquam ut supra scripserint, complicabunt iuxta plicaturas a magistris caeremoniarum paratas.

Secretarius autem s. Collegii et magistri caeremoniarum debent ab aula discedere, antequam cardinales nomen eligendi in schedulis scribere coeperint, ita ut tempore scrutinii cardinales soli in cappella remaneant.

Porro, post eorum egressum ex aula, ultimi cardinalis ordinis diaconorum erit ostium cappellae claudere: ac generatim ipsum, quotiescumque opus fuerit, aperire et claudere, exempli gratia, quum cardinales infirmarii ad vota infirmorum colligenda pergunt ac postea quum ad cappellam redeunt, vel ob quamcumque aliam necessitatem.

65. Quintus et postremus actus antescrutinii est schedularum obsignatio, quae ab unoquoque cardinali facienda erit in tergo schedularum cum cera rubra et sigillo ad hoc parato. Porro sigillum non debet esse solitum cardinalis, sed aliud, et secrete habitum, et ita simplex ut facile notari possit, veluti si in sigillo sculpantur aut tres numeri, aut tres litterae et numeri, vel una tantum imago.

Haec de antescrutinio sufficiant; ceterum, quod attinet ad cardinales infirmos, aut aliter impeditos, inferius suo loco dicetur.

66. Sequitur secunda actio, quae nomine *scrutinii* appellata fuit. Octo sunt huius actionis actus, videlicet: delatio schedulae, iuramenti praestatio, positio schedulae in calicem, schedularum mixtio, earum numeratio, scrutinii publicatio, schedularum in filum insertio, earum depositio seorsum.

67. Delatio schedulae, et duo sequentes actus, qui melius simul describuntur ob eorum connexionem, hoc modo fient. Quilibet cardinalis propriam schedulam, postquam illam scripserit, obsignaverit et complicaverit, duobus primis digitis sumet, ac elevata manu palam deferet ad altare, penes quod stant scrutatores, et in quo est calix magnus ad recipiendas schedulas paratus et patena coopertus; ibique genuflectens, aliquantulum orabit: deinde surgens, alta et intelligibili voce, iurabit in hanc formam, quae in tabella super altari posita descripta habetur:

« *Testor Christum Dominum, qui me iudicaturus est, me eligere quem secundum Deum iudico eligi debere* ».

Post haec schedulam in patenam ponet, et per patenam mittet in calicem; quo facto inclinabit se ad altare, et ad suum locum revertetur.

68. Haec servanda erunt, si cardinalis ad altare pergere possit: nam si ob infirmam valetudinem non possit, et praesens in cappella sit, ultimus scrutator ad eum accedet; et cardinalis infirmus, postquam schedulam in loco suo secreto, ut supra dictum est, confecerit, praevio iuramento praedicto, ipsam obsignatam et complicatam eidem scrutatori tradet, qui eam palam deferet ad altare, et sine oratione et iuramento in patenam ponet, et per eam in calicem mittet.

69. Si vero aliqui cardinales infirmi sint in suis cellis, tres cardinales infirmarii, ut supra extracti, ad eos accedent cum capsula altitudine unius palmi, in cuius superiori parte sit rima, seu foramen, eius magnitudinis, ut per illud schedula complicata possit per suam latitudinem intus capsulam transmitti; quam capsulam antequam scrutatores infirmariis tradant, palam aperient, ut ceteri cardinales possint eam inanem et vacuam conspicere, deinde claudent, et clavem ponent super altare; deinde infirmarii cum capsula clausa, et cum parvo disco sufficientes schedulas continentes, ad unumquemque eorum accedent; et infirmi acceptas ex disco schedulas secrete scribent, obsignabunt et complicabunt, et praevio iam dicto iuramento in capsulam per rimam mittent; quod si infirmi scri-

bere non possint, sive aliquis ex tribus cardinalibus infirmariis, sive alius ex ordine tamen clericali, eorum arbitrio deligendus, praestito de secreto servando in manibus infirmariorum iuramento, praedicta faciet: atque hi advertere debent quod non solum iuramenti vinculo tenentur servare secretum, sed etiam in excommunicationem latae sententiae, si contrafecerint, incurrent. His peractis, infirmarii ad cappellam revertentur cum capsula, quam scrutatores aperient, et schedulas in ea contentas palam numerabunt: et tot repertas, quot sunt infirmi, ponent singillatim in patenam, et per patenam simul omnes in calicem.

Ne autem nimis in longum protrahatur scrutinii actio, infirmarii poterunt proprias schedulas post decanum conficere et in calicem ponere, deinde dum ceteri cardinales scrutinium agunt, ad infirmos pergere ad accipienda eorum suffragia eo modo, quo proxime ante dictum est.

70. Quartus actus scrutinii est schedularum permixtio, quae fiet per primum scrutatorem, calice in quo ipsae schedulae positae fuerunt, patena cooperto, pluries agitato.

71. Quintus actus est numeratio schedularum, quae palam fiet per ultimum scrutatorem, capiendo singillatim unamquamque schedulam ex calice, eamque ponendo in alium, qui ad hoc paratus sit, calicem vacuum. Quod si numerus schedularum non respondeat numero cardinalium, omnes comburendae sunt, et iterum, id est secunda vice, ad suffragia statim est deveniendum. Si vero numerus schedularum numero cardinalium respondeat, prosequendi sunt alii actus scrutinii.

72. Sextus actus est publicatio scrutinii, quae per scrutatores, qui sedent ad mensam ante altare positam, fiet hoc modo. Primus scrutator accipiet unam schedulam, eamque intacti s si gillis explicabit, et viso in ea schedula electi nomine, eam tradet secundo scrutatori, qui pariter, eodem electi nomine perspecto, eandem tradet tertio, qui illam alta et intelligibili voce perleget, ut omnes cardinales praesentes notare possint suffragium in folio impresso, quod penes se habebunt cum nominibus omnium cardinalium: notabit autem iuxta nomen cardinalis ex schedula recitati. Idem faciendum erit de ceteris schedulis in calice positis, usque ad ultimam.

Quod si in scrutinii publicatione inveniant scrutatores duas schedulas ita complicatas ut ab uno tantum datas fuisse appareat, si quidem unus et idem in utraque electus fuerit, schedulae praedictae habebuntur et notabuntur pro uno suffragio, si vero diversi fuerint nominati, neutrum suffragium validum erit; scrutinium tamen neutro casu vitiatur. Ceterum suffragia praedicta, finita scrutinii publicatione, a scrutatoribus iuxta nomina cardinalium, qui ea obtinuerunt, in unam summam redigentur, vel in separato folio notabuntur, hoc modo: *Reverendissimus d. cardinalis A. habet suffragia 20, et reverendissimus d. cardinalis B habet suffragia 15,* et sic de aliis; quod fit ne cardinales, cum opus est, cogantur semper nu-

merare suffragia, quae iuxta nomina cardinalium notarunt.

73. Septimus actus scrutinii est schedularum in filum insertio, quae ut schedulae ipsae cautius conservari possint excogitata fuit. Haec autem insertio fiet per ultimum scrutatorem, inserendo schedulam unamquamque, postquam eam perlegerit, acu cum filo ad hunc effectum parato, in loco, ubi est verbum *Eligo*.

74. Octavus et postremus scrutinii actus est depositio schedularum seorsum, quae similiter fiet per ultimum scrutatorem, qui, finita insertione omnium schedularum in filum, capita fili modo iunget, et schedulas omnes ita colligatas in alium calicem vacuum, vel in mensa seorsum ponet.

75. Sequitur tertia et postrema actio, quae *postscrutinium* appellata fuit, cuius actus tres sunt, videlicet: numeratio suffragiorum, eorum recognitio, et schedularum combustio. Primus itaque actus est numeratio suffragiorum, quae fiet per scrutatores semper, sive secuta sit electio, sive non: et si quidem secuta non sit electio, ut sciatur, quod in eo scrutinio non habetur Papa; si vero secuta sit, ut constet de canonica Pontificis electione. Fiet autem haec numeratio suffragiorum hoc modo. Scrutatores in unam summam redigent suffragia, quae quilibet nominatus in Pontificem obtinuit, et si invenerint nullum ex nominatis ad duas tertias partes suffragiorum pervenisse, non habetur papa in illo scrutinio; si vero invenerint aliquem ex nominatis duas tantum partes suffragiorum obtinuisse, aperient electi schedulam (quam ex sigillis et signis ab ipso electo hoc in casu manifestandis cognoscent), etiam in ea parte, in qua est nomen eligentis; et si quidem ex ea apparuerit electum alii suffragatum fuisse, electio eius erit canonica; si vero constiterit sibi suffragium dedisse, eius electio nulla erit ob defectum unius suffragii.

Secundus actus postscrutinii est recognitio, quae per recognitores, sive secuta sit electio, sive non, fiet inspiciendo tam schedulas scrutinii, quam suffragiorum annotationes factas per scrutatores, ut per huiusmodi recognitionem constare possit an scrutatores sincere et fideliter muneri suo satisfecerint.

Tertius, et postremus actus postscrutinii est combustio omnium schedularum, quae semper et palam per scrutatores, adiuvantibus magistris caeremoniarum, fiet, ac statim post recognitionem, sive electio sit secuta, sive non. Si tamen secundum scrutinium, iuxta ea quae inferius praescribentur, peragendum sit, tunc combustio schedularum primi scrutinii nonnisi in fine una cum schedulis secundi scrutinii facienda erit.

76. In Praedecessorum nostrorum, ac praecipue Gregorii XV, constitutionibus ad expeditiorem electionem habendam statutum fuerat ut, scrutinio publicato, si electio per consensum duarum partium in eo facta non fuerit, statim antequam ad alios actus deveniretur, cardinales possent, semel in quolibet scrutinio, accedere alicui ex illis, qui in eodem scrutinio saltem unum suffragium validum obtinuissent, dummodo is non esset

qui ab ipsomet cardinali fuerat in scrutinio nominatus. Cum tamen huiusmodi forma *accessus* non parum esset ad exsequendum difficilis, praesertim quoad ea, quae schedularum inspectionem, aperitionem et collationem spectabant, nos et huic incommodo occurrere et nihilominus optatae electionis accelerationi nullimode offiere cupientes, statuimus ac praescri bimus ut loco ipsius accessus, semel tam mane quam vespere, post completum iuxta huc usque exposita scrutinium, si quidem in eo secuta non sit electio, cardinales statim ad novum scrutinium peragendum procedere debeant, in quo rursus suffragia sua ferant, iis, quae in primo scrutinio lata sunt, minime computatis. Volumus autem ut in hoc secundo scrutinio iidem ac in primo ritus serventur, ita tamen ut cardinales non teneantur novum emittere iusiurandum, neque novos eligere scrutatores, infirmarios et recognitores, sed quae in primo scrutinio quoad haec praestita sunt, sine renovatione valeant etiam pro secundo.

77. Et haec omnia, quae de scrutinii ritibus sunt exposita, servanda erunt diligenter a cardinalibus in omnibus scrutiniis, quae singulis diebus peragi debent mane post solitam missam, et hymnum *Veni Creator Spiritus* cum oratione de Spiritu sancto, et prima quidem tantum die post cardinalium sacram peractam communionem; et post meridiem hora opportuna, pariter post hymnum *Veni Creator Spiritus* et orationem de Spiritu sancto. [1]

[1] Greg. XV const. « *Aeterni Patris* », § 17.

78. Quod si electio aliter celebrata fuerit, quam in *scrutinio* per secreta schedularum suffragia duarum ex tribus partibus cardinalium in conclavi praesentium, electi suffragio non computato; vel per viam *compromissi* ab omnibus cardinalibus similiter in conclavi praesentibus, nemine dissentiente, initi et ita ut nemo seipsum elegerit; vel quasi per *inspirationem*, nulla praecedente de persona speciali tractatu, omnium pariter cardinalium praesentium in conclavi, communiter, nemine itidem dissentiente, per verbum « *eligo* » intelligibili voce prolatum aut scripto, si voce non potuerit, expressum; nulla sit et invalida eo ipso absque ulla declaratione, et ita electo nullum ius tribuat. [1]

CAPUT VI. — *De iis, quae servanda vel vitanda sunt in electione romani Pontificis.*

79. Simoniae crimen, tam divino quam humano iure detestabile, in electione romani Pontificis omnino sicut reprobatum esse constat, ita et nos reprobamus atque damnamus, [2] huiusque criminis reos poena excommunicationis latae sententiae innodamus; sublata tamen irritatione electionis simoniacae, quam Deus avertat, a Iulio II (vel alio qualicumque decreto pontificio) statuta, ut praetextus amputetur impugnandi valorem electionis romanis Pontificis.

80. Item sub excommunicationis poena prohibemus ne quis, etiamsi cardinalatus honore fulgeat, vivente

[1] Greg. XV const. « *Aeterni Patris* », § 19.

[2] Iulii II const. « *Cum tam divino* », XIX kal. febr. 1505.

romano Pontifice et eo inconsulto tractare de ipsius successoris electione, aut aliquod suffragium polliceri, vel hac de causa privatis conventiculis, factis aliquid deliberare et decernere praesumat.[1]

81. Quae autem in memorata nostra constitutione « *Commissum nobis* » de civili *veto* seu *exclusiva,* uti vocant, in electione summi Pontificis ediximus et sanximus, hic omni ex parte atque integre renovantes, confirmata esse volumus. Quamobrem iterum in virtute sanctae obedientiae, sub interminatione divini iudicii et poena excommunicationis latae sententiae, omnes et singulos S. R. E. cardinales, tam praesentes quam futuros, pariterque secretarium s. Collegii cardinalium aliosque omnes in conclavi partem habentes, prohibemus ne, quovis praetextu, a quavis civili potestate munus recipiant *veto* sive *exclusivam,* etiam sub forma simplicis desiderii, proponendi, ipsumve hoc *veto,* qualibet ratione sibi cognitum, patefaciant sive universo cardinalium Collegio simul congregato sive singulis purpuratis patribus, sive scripto, sive ore, sive directe ac proxime, sive oblique ac per alios, sive ante conclave sive ipso perdurante. Quam prohibitionem extendi volumus ad omnes interventus, intercessiones aliosque modos quoslibet, quibus laicae potestates cuiuslibet gradus et ordinis voluerint sese in Pontificis electione immiscere.

[1] Symmachus papa in Synod. rom. c. 2, D. 79; Pauli IV const. « *Cum secundum apostolum* », XVII kal. ianuar. 1558.

82. Cardinales praeterea abstineant ab omnibus pactionibus, conventionibus, promissionibus aliisque quibuscumque obligationibus, quibus adstringi possint ad suffragium alicui vel aliquibus dandum vel non dandum; quae omnia et singula, si de facto intervenerint, etiam iuramento adiecto, nulla et irrita, neque ad eorum observantiam quemquam teneri decernimus, et contra facientes ex nunc excommunicationis poena innodamus. Tractatus tamen pro electione habendos, Sede vacante, vetare non intelligimus.[1]

83. Pariter interdicimus ne cardinales antequam ad electionem deveniant, capitula conficiant, seu quaedam communi consensu statuant, ad quorum observantiam sese adstringant, si ad pontificatum assumantur; quae item, si de facto intervenerint, etiam iuramento adiecto, nulla et irrita declaramus.[2]

84. Iisdem denique, quibus Decessores nostri, vocibus, S. R. E. cardinales vehementer hortamur ut in eligendo Pontifice, nulla propensione animi vel aversione ducti, nullius inclinati gratia aut obsequio, non intercessione in saeculo potentium, non vi vel metu vel aura populari moti, sed unice Dei gloriam et Ecclesiae bonum prae oculis habentes, in eum sua vota conferant, quem universali

[1] Greg. X, cap. 3 « *Ubi periculum* » § 4. *de elect.* I, 6, in Sext.; Pii IV const. « *In eligendis* », § 26; Greg. XV const. « *Aeterni Patris* » § 18.

[2] Pii IV const. « *In eligendis* » § 3; Gregorius XV const. « *Aeterni Patris* », § 18.

Ecclesiae fructuose utiliterque gubernandae prae ceteris idoneum in Domino iudicaverint. [1]

85. Cum vero fideles non tam humanae industriae subsidiis, etsi sollicitae, inniti debeant, quam in humilis devotaeque orationis instantia sperare, huic adiicimus sanctioni, ut in omnibus civitatibus, ceterisque locis saltem insignioribus, ubi primum de Pontificis obitu nuncium pervenerit, a clero et populo, solemnibus pro eo exsequiis celebratis, singulis diebus (donec romanae Ecclesiae de suo Pastore fuerit provisum) humiles assiduaeque preces fundantur ad Dominum, ut ipse, qui concordiam facit in sublimibus suis, sic efficiat eorumdem cardinalium corda in eligendo concordia, ut provisio celeris, unanimis et utilis (prout animarum salus exigit, et totius orbis requirit utilitas) ex ipsorum unanimitate sequatur. Et ne tam salubre praesentis sanctionis edictum, ignorantiae negligi praetextu contingat, praecipimus ut patriarchae, archiepiscopi, episcopi et alii ecclesiarum praelati, ceterique, quibus officium est enuntiare verbum Dei, clerum et populum, propter hoc specialiter frequentius congregandos, in suis sermonibus ad supplicum precum suffragia pro celeri et felici exitu tanti negotii frequentanda solerter excitent, et ipsis eadem auctoritate non solum orationum frequentiam, sed observantiam (prout circumstantiae pensandae suaserint) ieiuniorum hortentur. [1]

86. Electum vero haeredem et Successorem nostrum rogamus, ne muneris arduitate deterritus ab eodem subeundo se retrahat, at potius divinae voluntatis consilio humiliter se subiiciat: nam Deus qui imponit onus, manum etiam Ipse supponet, ne ei ferendo sit impar; is enim qui oneris est auctor, Ipse est administrationis adiutor; et ne sub magnitudine gratiae succumbat infirmus, dabit virtutem qui contulit dignitatem. [2]

Caput VII. — *De acceptatione et proclamatione electionis, nec non de consecratione et coronatione novi Pontificis.*

87. Post electionem canonice factam consensus electi per cardinalem decanum nomine totius s. Collegii requiratur. [3]

88. Hoc consensu praestito intra terminum, quatenus opus sit, prudenti arbitrio cardinalium per maiorem votorum numerum determinandum, illico electus est verus Papa, atque actu plenam absolutamque iurisdictionem supra totum orbem acquirit et exercere potest. Hinc, si quis litteras super negotiis quibuscumque confectas,

[1] Greg. X, cap. 3 « *Ubi periculum* » § 4, *de elect.* I, 6, in Sext.; Pii IV const. « *In eligendis* » § 26; Greg. XV const. « *Aeterni Patris* », § 23; Clem. XII const. « *Apostolatus officium* », § 5; Pii IX const. « *Licet per Apostolicas* », VI idus septembr. 1874; Leonis XIII const. « *Praedecessores Nostri* »; Pii X const. « *Commissum nobis* ».

[1] Greg. X, cap. 3 « *Ubi periculum* », § 5, *de elect.* I, 6, in Sext.

[2] Leonis XIII, const. « *Praedecessores Nostri* ».

[3] Caeremoniale Rom., lib. I, tit. I, *De conclavi et electione Papae*, § 34.

quae a romano Pontifice ante coronationem suam emanaverint, audeat impugnare, excommunicationis sententia innodamus. [1]

89. Deinde populo exspectanti novus romanus Pontifex a priore diaconorum publicatur. [2]

90. Quod si electus nondum sit presbyter vel episcopus, a decano Collegii cardinalium ordinabitur et consecrabitur. [3]

91. Tandem per decanum cardinalem diaconum coronatur. [4]

Haec igitur, tota rei causa graviter considerata, atque etiam Decessorum nostrorum exemplis permoti, statuimus et praescribimus, decernentes praesentes has litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis ius vel interesse habentes, vel habere praetendentes quomodolibet illis non consenserint, nec ad ea vocati sive auditi fuerint, aut ex quibuslibet aliis causis, impugnari minime posse, sed easdem semper ac perpetuo firmas, validas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis ad quos spectat et pro tempore spectabit suffragari, et ab eis respective et inviolabiliter observari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Volumus etiam nostras has litteras legi coram omnibus in primis congregationibus post obitum Pontificis haberi solitis, ut supra (n. 11, *a*); rursus post ingressum in conclave, ut supra (n. 45); item cum quis ad purpurae honorem fuerit evectus, interposito sacramento de religiose retinendis iis, quae in praesenti constitutione decreta sunt.

Non obstantibus, quatenus opus sit, per romanos Pontifices praedecessores nostros editis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, quas omnes et singulas abrogatas, ut supra, declaramus, ceterisque etiam individua ac specialissima mentione et derogatione dignis contrariis quibuscumque.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, ordinationis, abrogationis, mandati, innodationis, admonitionis, inhibitionis, praecepti, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo quarto, die vigesima quinta decembris, Christo Iesu in terris nascenti sacra, pontificatus nostri anno secundo. PIUS P. X.

II. — **Constitutio De civili "veto" seu "exclusiva," uti vocant, in electione summi Pontificis.** — *Pius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.* 1406

[1] Clem. V, cap. 4, *De sent. excomm.*, V, 10 in Extravag. comm.

[2] Caeremoniale Rom., lib. I, tit. I, *De conclavi et electione Papae*, § 35.

[3] Caerem. Rom., lib. tit. II, *De ordin. et consecrat. novi Pontificis*, § 13.

[4] Caerem. Rom., lib. I, tit. II, *De ordin. et consecrat. novi Pontificis*, § 18.

Commissum nobis, Deo sic disponente, universae Ecclesiae regendae munus serio admonet ut pro viribus caveamus, ne ex alienae potestatis incursu ea libertas quidquam detrimenti capiat, qua Christus in commune bonum ipsam donavit, quamque tot evangelii praecones, tot sanctissimi antistites, tot illustres Decessores nostri verbo, scriptis, effuso etiam sanguine propugnarunt. Quorum exemplis et auctoritate permoti, ubi primum hanc Petri cathedram, licet impares, ascendimus, apostolici officii nostri esse duximus in id maxime incumbere, ut vita Ecclesiae libere omnino explicetur, omni externo interventu remoto, prout ipsam evolvi divinus Institutor voluit, atque excelsa eius missio omnino requirit.

Iam, si qua est in Ecclesiae vita functio quae huiusmodi libertatem postulet maxime, illa profecto censenda talis, quae in romani Pontificis electione versatur; siquidem *salus, non unius membri, sed totius corporis agitur, cum de capite consulitur.* [1]

Huic plenae libertati in summo Pastore eligendo opponitur in primis civile illud *veto*, a supremis nonnullarum civitatum rectoribus haud semel prolatum, quo tentatur aditum ad supremum Pontificatum alicui praecludere. Id si aliquoties accidit, apostolicae tamen Sedi probatum est numquam. Quin etiam romani Pontifices, in iis quae de habendo conclavi constituerunt, nihil paene maiore contentione studiove conati sunt, quam ut externae cuiusvis potestatis interventum a sacro cardinalium senatu ad Pontificem eligendum vocato propulsarent. Rem plane declarant constitutiones « *In eligendis* » Pii IV; – « *Aeterni Patris* » Gregorii XV; – « *Apostolatus officium* » Clementis XII; – in primisque Pii IX, « *In hac sublimi* » – « *Licet per apostolicas* » et « *Consulturi* ».

Verum, quandoquidem et experientia docuerit, hactenus constituta ad impediendum civile *veto*, seu *exclusivam* non ita votis respondisse, et ob mutata temporum adiuncta huiusmodi civilis potestatis immixtio nostra aetate multo videatur magis omni rationis et aequitatis fundamento destituta, idcirco nos, pro apostolico nobis commisso munere, et Praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, re mature deliberata, certa scientia et proprio motu, civile *veto*, sive *exclusivam*, quam dicunt, etiam sub forma simplicis desiderii, itemque omnes interventus, intercessiones quaslibet omnino reprobamus, edicentes licere nemini, ne supremis quidem civitatum moderatoribus, quovis praetextu se imponere aut ingerere in gravi negotio electionis romani Pontificis.

Quamobrem in virtute sanctae obedientiae, sub interminatione divini iudicii et poena excommunicationis latae sententiae speciali modo reservatae futuro Pontifici, omnes et singulos S. R. E. cardinales, tam praesentes quam futuros, pariterque secretarium s. collegii cardinalium aliosque omnes in conclavi partem

[1] Greg. XV constit. « *Aeterni Patris* » in prooem.

habentes, prohibemus, ne, quovis praetextu, a quavis civili potestate munus recipiant *veto,* sive *exclusivam,* etiam sub forma simplicis desiderii, proponendi, ipsumve hoc *veto*, qualibet ratione sibi cognitum, patefaciant sive universo cardinalium collegio simul congregato, sive singulis purpuratis patribus sive scripto, sive ore, sive directe ac proxime, sive oblique ac per alios. Quam prohibitionem extendi volumus ad memoratos omnes interventus, intercessiones aliosque modos quoslibet, quibus laicae potestates cuiuslibet gradus et ordinis voluerint sese in Pontificis electione immiscere.

Iisdem denique, quibus Decessores nostri, vocibus, S. R. E. cardinales vehementer hortamur, ut in eligendo Pontifice, *principum saecularium intercessionibus ceterisque mundanis respectibus minime attentis*, [1] sed unice Dei gloriam et ecclesiae bonum prae oculis habentes, in eum sua vota conferant quem universali ecclesiae fructuose utiliterque gubernandae prae ceteris idoneum in Domino iudicaverint. Volumus etiam nostras has litteras una cum aliis id genus constitutionibus legi coram omnibus in prima congregatione post obitum Pontificis haberi solita; rursus post ingressum in conclave; item cum quis ad purpurae honorem fuerit evectus, interposito sacramento de religiose retinendis iis, quae in praesenti constitutione decreta sunt.

[1] Pii Constit. « *In eligendis* », § 26; Clementis XII Constit. « *Apostolatus officium* », § 5.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali vel specialissima mentione dignis, minime obstantibus.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae inhibitionis, mandati, declarationis, innodationis, voluntatis, admonitionis, hortationis, praecepti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et sanctorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo quarto, die 20 ianuarii, pontificatus nostri anno primo. — PIUS PP. X.

III. — **Constitutio De iis, quae pro casuum varietate in electione Pontificum servari debent.** — *Leo episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.* 1407

Praedecessores nostri pro supremi apostolatus officio sollicita cura et singulari studio continenter prospexerunt, ut Romanorum Pontificum electiones, a quibus pax, unitas et status ecclesiae tantopere pendet, ordinatim et regulariter fierent; et plura pro temporum adiunctis, ut eae celeriter, libere et expedite ad exitum deducerentur, sapienter invenerunt et decreverunt. Haec autem sollicitudo et vigilans eorum cura praecipue enituit cum bellorum motus, aut perturbati rerum publicarum ordines suspicionem iniicerent, ne quae pro romano Pontifice eligendo sacra comitia haberi deberent, vel per apertam vim libertate destituerentur, vel alia quavis ratione electio deturba-

retur; aut distineretur, aut alia eidem expediendae impedimenta obiicerentur. Siquidem tunc consentaneum visum diiudicatumque est impendenti malo extraordinariis occurrere remediis, quae adiunctorum gravitas e re magis esse suaderet, ut pericula propulsarentur, quibus pax et unitas ipsa ecclesiae in discrimen adducebatur. Huius vero peculiaris sollicitudinis monumenta praecipue suppetunt romani Pontifices, qui inde a superiore seculo ecclesiae clavum tenuere in tam misera rerum conversione ac perturbatione, qua haec praesertim apostolica Sedes oppugnata est, tum hostilium copiarum irruptione, tum internarum seditionum motibus, tum etiam usurpatione civilis principatus, qui ad liberum et independens spirituale ecclesiae regimen, Deo sic providente, constitutus fuit; quo tempore sanctae romanae ecclesiae cardinales aut urbe expulsi, aut in diversa loca deportati sunt; ipsi autem romani Pontifices impio ausu a propria sede abrepti, in exilium acti, aut etiam in carcerem detrusi ac detenti sunt. Ipsi enim quamvis tot tantisque iactarentur tempestatum fluctibus, nihil tamen antiquius habuere, quam, ut futuri Pontificis electionem in tuto ponerent, tum iis quae in eam rem romanorum Pontificum constitutionibus sancita aut consuetudinibus invecta fuerant opportune derogando, cum alia pro rerum adiunctis sapienter constituendo quibus electio celerius et facilius expediri absolvique posset.

At vero ut pro sua aetate Praedecessores nostri, ita nos immo vero eo magis devinctos et obstrictos ipsi sentimus debito consulendi certae et expeditae Successoris nostri electioni, quo saeviores perspicimus ingruere adversus Christi ecclesiam tempestatum aestus et acriores hostium in dies experimur conatus et impetus adversus hanc sanctam Sedem; quo magis sub deque omnia versa et perturbatos videmus publicos rerum ordines, ita ut anxius haereat animus et pavida mens incerta maneat quid demum futura tempora portendant. Quamvis itaque Dei promissionibus confisi, cuius in humilitate cordis nostri nunquam desistimus implorare opem, certa fulciamur spe fore ut etiam in praesenti discrimine suo omnipotenti praesidio ecclesiae sponsae suae ipse adsit; nihilominus perpendentes hinc caducum et labilem humanae vitae fluxum, inde autem multiplices obices qui aut electioni nostri Successoris intercedere, aut eidem moram afferre queant, sive nos supremum diem hic Romae claudere contingat in eadem, in qua nunc versamur conditione, sub hostili conditione constitutos et undique innumeris impeditos insidiis; sive tum nobis, tum sacro cardinalium collegio graviora adhuc experiri ac perpeti accidat: sive demum exilii iter arripere cogamur, ibique ex mortalis huius vitae aerumnis ad aeternam pacem nos vocare Deo libuerit; conveniens et necessarium iudicavimus ea constituere quae pro casuum varietate, quibus praevertere humano consilio licuit in electione nostri successoris servari deberent. Inhaerentes itaque Praedecessorum nostrorum vestigiis, implorato prius coelesti lu-

mine et exquisito consilio peculiaris congregationis sanctae romanae ecclesiae cardinalium, certa scientia et proprio motu de plenitudine Apostolicae potestatis haec, quae sequuntur, decernimus.

Ius iamdiu firmatum et praescriptum eligendi romanum Pontificem successorem nostrum ad sanctae romanae ecclesiae cardinales unice et privative pertinere declaramus et edicimus et, quatenus opus sit, hac nostra constitutione approbamus et confirmamus, excluso prorsus atque remoto quolibet cuiuspiam alterius ecclesiasticae dignitatis, aut laicae potestatis cuiuslibet gradus et ordinis interventu, quovis quaesito colore aut praetextu etiam supplendi munus et vices cardinalium, casu quo iidem per orbem dispersi aut deportati aut alio quolibet obstaculo praepediantur comitia habere pro canonica successoris nostri electione. Quam in rem constitutionem f. r. Pii IX decessoris nostri quae incipit: « *Cum romanis Pontificibus* » die IV decembris MDCCCLXIX datam confirmamus et renovamus. Ut autem magis adhuc cautum sit, ne alienus quis electioni, quamvis extrinsece tantum, sese interponat et immisceat, nominatim derogamus constitutionibus Gregorii X in concilio Lugdunensi « *Ubi periculum* », Clementis V in concilio Vienensi « *Ne Romani* » et Pii IV « *In eligendis* » pro ea parte qua civilibus aut politicis magistratibus civitatis, in qua romani Pontificis electio sit celebranda, vel etiam praelatis, rectoribus, officialibus urbis, principum oratoribus aliis quibusvis potestatem tribuunt, ut praescriptiones pro electione praefata faciant observari.

Derogamus etiam iis regulis et praescriptionibus, quae per apostolicas romanorum Pontificum constitutiones, etiam in generalibus conciliis editas, aut alioquin speciali mentione dignas, praefinitae sunt circa electionis tempus et locum, circa conclave eiusque clausuram aliasque minoris momenti res, ut sunt sollemnitates et caeremoniae, quae adhiberi consueverunt, nominatim circa custodiam conclavis, circa suppeditationem rerum ad victumalios quevitae usus pertinentium, item circa personarum, quas in conclave suscipi oporteat, qualitates et numerum, qui tamen consuetum non excedat, aliaque huiusmodi; quas utrum omnes vel aliquas servari aut missas fieri oporteat, quod maior pars congregatorum cardinalium suffragium tulerit, ius erit. Maioris item partis congregatorum cardinalium erit decernere utrum, nulla interiecta mora, et ante nonum a nostro obitu diem electio celebrari, aut etiam si publicae rei status perturbatio, vel alia gravis causa intercedat, comitiorum tempus in longius protrahi oporteat; quo postremo in casu penes eosdem cardinales erit pari modo potestas leges circa clausuram conclavis aliasque praescriptiones, ut supra, moderandi aut etiam relaxandi. Qua ex re cardinales omnes a iurisiurandi religione, qua supradictas Praedecessorum nostrorum constitutiones servare promittunt, absolvimus et absolutos fore declaramus, non solum in supradictis illarum praescriptionibus ad comitiorum tempus et locum at-

que ad conclave eiusque clausuram spectantibus, verum etiam in aliis minoris momenti caeremoniis et sollemnitatibus, si quae harum observatio rei exitum retardare possit. In ceteris tamen quae celeri, quam summopere optamus, novi Pontificis electioni non officiant, maxime autem in rebus cum clausula electionem aliter factam irritante praescriptis, praeter ea scilicet quibus a nobis derogatum est, constitutiones ipsas observandas mandamus.

Etsi vero amplam illam facultatem collegio cardinalium concesserimus, praesertim quoad tempus et locum electionis futuri romani Pontificis, nihil tamen innovatum esse declaramus, sive quantum ad generalem canonum sanctionem, ne Sede vacante aliquid innovetur; sive quantum ad speciales constitutiones quibus cautum est, ne in collegium cardinalium ea potestas et iurisdictio transeat, quae ad Pontificem dum viveret pertinebat; ne collegium de iuribus sedis apostolicae romanaeque ecclesiae quomodolibet disponere valeat, neque in quopiam iuribus eiusdem sive directe detrahere attentet, sive indirecte per conniventiae speciem, seu per dissimulationem facinorum adversus ea iura perpetratorum, attentare videatur, immo omnium virium contentione eadem custodire et defendere debeat.

Dum autem ad propositum finem expeditius assequendum, materialem conclavis seu loci clausuram relaxari permittimus, obligationem tamen secreti servandi in iis omnibus, quae ad electionem romani Pontificis pertinent, et in iis quae in conclavi, seu in loco electionis aguntur, haudquaquam relaxamus. Itaque eo modo et forma, ac sub poenis a Decessorum nostrorum constitutionibus indictis, praecipimus iterum et mandamus, ut secretum istud accuratissime servetur atque ab aliis servari curetur, et quidem eo cautius et arctius, quo gravior se prodit temporum difficultas.

Quolibet item loco et quibusvis in adiunctis electionem celebrari contigerit, non aliter legitima et valida ea erit, quam si numerus cardinalium, qui ad eam convenerint, dimidium cardinalium omnium pro tempore exsistentium, plus uno saltem, excedat; quem tamen numerum si deinceps minui accidat, sive quod aliquem ex cardinalibus, qui ad comitia convenerint, mors praeveniat, aut morbus opprimat, sive alia qualibet ex causa, impedimento id minime esse debebit, quominus cardinales reliqui inceptum opus prosequi et electionem legitime et valide absolvere queant. Electum vero legitimum beati Petri successorem et nostrum verumque romanum Pontificem agnosci haberique decernimus in quem secretis per schedulas suffragiis duae ex tribus congregatorum cardinalium partes in scrutinio, sive in scrutinio et accessu convenerint; sin autem per inspirationem vel per compromissum electio fiat, eadem per cardinales, ut supra, congregatos, servata consueta forma canonica, perfici debebit.

His universim praestitutis, quae in nostri successoris electione, quovis loco et quibusvis in adiunctis eadem celebretur, servari oporteat, necessa-

rium duximus quaedam speciatim adiicere, quae pro casuum, qui occurrant, varietate servari debeant. Mandamus itaque et decernimus, si nos in hac urbe Roma vita fungi accidat, ut cardinales, qui tum praesentes in curia erunt, vix dum nos diem contigerit clausisse supremum, antequam vel ipsae exsequiae in suffragium animae nostrae persolvantur (aliis cardinalibus etiam de latere legatis aut ex alia qualibet causa, etiam cum venia vel mandato nostro absentibus, per praescriptum decem dierum spatium minime exspectatis) huius urbis, rerum ac temporum circumstantiis serio perpensis, deliberent an in eadem urbe, vel extra eam comitia pro novo Pontifice eligendo haberi debeant. Ea autem deliberatio plenum effectum sortiatur, in quam maior cardinalium tunc praesentium pars consenserit. Quod si cardinalibus congregatis insuper visum fuerit, nulla interiecta mora, novi Pontificis electionem ad exitum adduci praesente, ut aiunt, cadavere, liberum erit, servatis quae servanda supra praecipimus, electionem novi Pontificis vel in primo ipso conventu perficere. Insuper, ut omnis amoveatur cunctationis et perturbationum occasio, quoad Pontificias exsequias praecipimus consuetum praetermitti apparatum a constitutionibus et consuetudine invectum, easque a cardinalibus peragi modesto ritu ac forma in palatii Vaticani cappella, si nos extremum diem ibi claudere contigerit. Volumus tamen omnino et mandamus, si cardinales comitia pro electione hic in urbe aut alibi in Italia habenda esse duxerint, ut in casu cuiusvis iniuriae conclavis loco vel personis illatae, quae maioris partis congregatorum cardinalium iudicio electioni libertatem adimat, omne illico abrumpatur electionis incoeptum, comitia dissolvantur et ad tutiorem sedem transferantur extra Italiam. Demum animo perpendentes afflictum statum, in quem res sanctae Sedis adductae sunt hostilis dominationis causa, sub qua eiusdem civilis principatus et ipsa haec urbs Roma constituta reperitur, ne vacationis tempore dignitas et rationes eiusdem sanctae huius Sedis adhuc detrimenta ulterius capiant, et etiam ut sacro cardinalium collegio certa suppetat via, qua tricis et difficultatibus, quas casus ferat, sese expedire queat, peculiari instructione, quam huic constitutioni adiicimus, normam et regulam praefinire sategimus, ad cuius praescriptum se conformare, prout casus tulerit, cardinales debeant.

Cum autem ea sit temporum iniquitas, ut merito timendum sit, ne invalescens hostium nostrorum in dies oppressio et audacia, vel in deterius ruens rerum publicarum status, nos ex hac urbe exulatum abire cogat, vel etiam hinc abducamur vi, et extra romanam curiam exinde mors nos praeveniat; decernimus atque mandamus, ut in hoc casu ex eo extra curiam loco, ubi nos omnipotens Deus ex hac vita migrare voluerit, cardinalis quicumque adsit, aut si plures erunt, eorum dignior, nempe non qui creatione, sed iure ceteris anteit, aut iis omnibus absentibus, nuntius apostolicus et, in eius defectu, loci ordinarius, aut praelatus, vel alius quispiam [ec.

clesiastica dignitate insignitus, quam celeriter de pontificis morte cardinalem sacri collegii decanum aliosque cardinales, de quorum sede sit edoctus, certiores faciat, ut statim ad comitia peragenda se praeparent. Cardinalis decanus, vel ipso impedito, cardinalis dignitate potior, vix dum huiusmodi nuncium acceperit, vel quovis alio modo apostolicae Sedis vacationem certo exploratam habuerit, una cum tribus antiquioribus cardinalibus ex unoquoque ordine et cum cardinali sanctae romanae ecclesiae camerario, si una simul erunt, vel, ipsis absentibus, cum aliis quibusvis cardinalibus, vel demum ipse solus, si reliqui omnino absint, locum alicuius regionis, quaecumque demum ea sit, eligant, qui ad habenda comitia magis opportunus videbitur. Hinc nulla interiecta mora, idem cardinalis decanus, vel, ipso impedito, alius cardinalis, ut supra, ceteris cardinalibus vacationem Sedis apostolicae significet, eosque ad novi Pontificis electionem advocet, ac de loco certiores faciat, in quo illam peragi deliberatum fuit. Omnibus autem cardinalibus in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ut, nisi legitimo impedimento detenti fuerint, indictionis litteris obtemperare, atque ad locum eisdem designatum pro perficienda pontificis electione statim se conferre debeant. Ceterum in quemcumque locum cardinales, ut supra, convenerint, omnino legitima, canonica atque valida erit habenda novi pontificis electio, dummodo ea impleta fuerint, quae ad validam electionem efficiendam requiruntur, iis exceptis quibus nos expresse derogavimus. Quae quidem omnia, proportione servata, etiam ad casum accommodari transferrique debebunt quo, quamvis nos hic Romae accidat diem supremum obire, sacro tamen cardinalium collegio, invalescente seditionum publicaeque perturbationis tumultu, hostium oppressione et insectationibus hac illac per orbem violenter disperso, comitia pro novi Pontificis electione Romae haberi nequeant.

Quoniam vero Christus beatum Petrum dispensatione mirabili in dominam gentium Romam direxit, qui ibi, sicut doctrinae virtute sublimis emicuit, ita sanguinis gloriosa effusione decoratus conquiescit,[1] praecipimus et mandamus ut cardinales in primo, quem habituri fuerint generali conventu pro novi Pontificis electione, iureiurando spondeant sese omne studium et omnem diligentiam collaturos ut pontificia Sedes Romam restituatur, vix dum obices et impedimenta amota fuerint, quae illam alio transferre coegerint.

Etsi autem in bonam spem erigamur fore, ut successor noster melioribus fruatur temporibus et in suprema hac Petri cathedra diu sedeat, tamen ut contrario etiam provideamus eventui, motu item proprio ac de apostolicae potestatis plenitudine omnia, quae in hisce litteris sancita et constituta sunt pro comitiis prima post mortem nostram vice futuris, extendimus, ac pari modo decernimus pro altera electione post successoris no-

[1] S. Gelasius I, *Ep. 14*.

stri obitum perficienda, si nimirum, nulla de his nova lege edita, successor noster decesserit.

Si quae vero dubia exoriantur circa sensum praescriptionum, quae hac nostra constitutione continentur, vel etiam utrum, aut qua ratione ad usum et praxim eadem deduci debeat, sive super quocumque alio Nostrae huius constitutionis capite, edicimus et decernimus unice penes sacrum cardinalium collegium potestatem esse super his ferre sententiam; quam in rem ipsis cardinalibus plenam tribuimus facultatem, qua hanc nostram constitutionem interpretari ac dubia declarare valeant. Qua quidem in re, quemadmodum in reliquis, de quibus ad nostrae huius constitutionis tramites, excepto ipso electionis actu, deliberare contingat, satis omnino erit, si maior congregatorum cardinalium pars, ut supra declaratum est, in eamdem sententiam consentiat. Mandamus autem ut hae apostolicae litterae voluntatis nostrae testes quamprimum post mortem nostram, et, si per adiuncta liceat, ipso etiam obitus Nostri die, in prima generali praesentium cardinalium congregatione e vestigio et extra ordinem indicenda, per integrum recitentur. Id autem impedimento minime erit quominus antea, si per tempus licuerit, nec aliae intercedant difficultates, earumdem lectio peragatur in congregatione capitum ordinum, quum haec locum habebit.

Nos interim Deo et Patri per Unigenitum Filium eius Iesum Christum redemptorem hominum animam nostram commendantes, ut ex huius vitae aerumnis ereptam in caelestem patriam suscipiat, venerabiles fratres nostros sanctae romanae ecclesiae cardinales, quibus, nobis corpore solutis erit vita superstes, per viscera misericordiae Iesu Christi obsecramus et obtestamur, ut mutua animorum concordia et voluntatum conspiratione in hoc omnia sua studia, omnia consilia conferant, ne Petri navis tot tantisque iactata fluctibus gubernatore diu careat. Cogitent animoque perpendant, vacante apostolica Sede, tunc maxime nutare ecclesiae statum; nam si gregi pastoris cura defuerit, facile laqueos insidiatoris occurrit. [1] Cogitent Ecclesiae hostibus vix quidpiam optabilius et opportunius accidere posse, quam romani Pontificis electionem in longius distrahi, aut etiam perturbari. Nam si Papa urbis vocatur in dubium, episcopatus iam videbitur, non episcopus vacillare. [2] Iterum vero obsecramus et obtestamur fratres nostros cardinales, ut nulla propensione animi vel aversione commoti, nullius inclinati gratia aut obsequio, non intercessione in seculo potentium moti, sed unice Dei gloriam et ecclesiae bonum prae oculis habentes in eum sua vota conferant, quem animi praestantia et religionis zelo eminere prospexerint, quique mysticae navis fortiter sapienterque clavum regere et ingruentium hostium impetus sit frangere potens; alioquin sciant districtissimo Dei iudicio poenas laturos, si sua culpa et

[1] S. Gregorius M. *lib. I, Ep. 80.*

[2] S. Avitus Viennensis, *Ep. 31 ad Symmachum.*

negligentia in tanto rerum discrimine et celeri et optima novi Pontificis electione afflicto ecclesiae statui consulere neglexerint. Electum vero heredem et successorem nostrum, cui toto cordis affectu precamur a Domino, ut locum nostrum felicius occupet, rogamus ne muneris arduitate deterritus ab eodem subeundo se retrahat, at potius divinae voluntatis consilio humiliter se subiiciat, nam Deus qui imponit onus, manum etiam Ipse supponet, ne ei ferendo sit impar; is enim qui oneris est auctor, Ipse est administrationis adiutor; et ne sub magnitudine gratiae succumbat infirmus, dabit virtutem qui contulit dignitatem [1].

Haec igitur periculis nostrorum temporum totaque rei causa graviter considerata, ac etiam Decessorum nostrorum Pii VI, Pii VII, Gregorii XVI et Pii IX exemplis permoti statuimus, praescribimus, indulgemus, decernentes presentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis ius vel interesse habentes, seu habere praetendentes quomodolibet illis non consenserint, nec ad ea vocati sive auditi fuerint, aut ex quibuslibet aliis causis, impugnari minime posse, sed easdem semper ac perpetuo firmas, validas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac iis, ad quos spectat et pro tempore spectabit suffragari et ab eis respective et invio labiliter observari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, de iure quaesito non tollendo aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis, itemque tam per Alexandrum III, Gregorium X, Clementem V, Pium IV, Gregorium XV, Clementem XII, aliosque romanos Pontifices Praedecessores nostros, quam etiam per nos de romani Pontificis electione editis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, quarum tenores praesentibus, tamquam plene et sufficienter ac de verbo ad verbum insertos habentes, iisdem omnibus et singulis ad praemissorum dumtaxat effectum, illis quoad reliqua in iis contenta in suo valore permansuris, latissime et plenissime derogamus, ceterisque etiam individua ac specialissima mentione et derogatione dignis contrariis quibuscumque. Volumus insuper ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii apostolici subscriptis et sigillo munitis personae in ecclesiastica dignitate constitutae eadem prorsus fides habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae permissionis, dispensationis, facultatis, ordinationis, decreti, mandati, voluntatis, derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud s. Petrum anno

[1] S. Leo Magnus, *Serm. 2, de Natali eiusdem N. 1.*

Incarnationis Dominicae 1882 die 24 maii, pontificatus nostri anno quinto. — LEO PP. XIII.

1408 **INSTRUCTIO a Sacro Cardinalium collegio observanda, vacante Sede apostolica, donec extraordinaria conditio perduret in qua nunc ipsa versatur.** - (*Versio latina*).

1. Vacante apostolica Sede, sacrum cardinalium Collegium eodem modo se gerat, quo se exhibuit eo ipso die, quum Roma occupata est. Quapropter *a*) cardinales sive singillatim, sive collective ab omni communicatione cum quavis civili auctoritate abstineant; *b*) privato more se vestiant et incedant, veluti huc usque ab iis servatum est; *c*) sacra munera, quae eorum dignitatis sunt, haud publice obeant.

2. Sacri palatii apostolici praefectus cardinalem S. R. E. camerarium opportune moneat ut ipse se ad Vaticanas aedes conferat.

3. Cardinalis camerarius, statim ac ab eodem sacri palatii apostolici praefecto nuncium de Pontificis obitu acceperit, eo pergit ut summi imperii actu ipsius palatii possessionem capiat, illudque numquam derelinquat, ibique omnes officii sui partes expleat.

4. Cum cardinalis camerarius unica auctoritas sit, quae legitime obitum Pontificis cognoscere possit, de obitu ipso authenticam attestationem exarabit.

5. Sigilla aedibus privatis defuncti Pontificis unice a cardinali camerario apponentur, idque ad servanda iura tum sanctae Sedis, cum cuiuslibet privati hominis. Quaevis huius praecepti violatio haberi debebit tamquam vis contra s. Collegii libertatem et summam sanctae romanae Ecclesiae potestatem illata.

6. Idem cardinalis camerarius mortem Pontificis cardinali vicario significabit, ut hic de re populum Romanum edoceat publico edicto, quo ipsemet cardinalis vicarius enunciabit rem sibi a legitima auctoritate fuisse communicatam, scilicet a cardinali S. R. E. camerario, et iusta funebria in basilica Vaticana esse persolvenda a capitulo s. Petri.

7. Pariter opportune sacri palatii apostolici praefectus moneat sacri Collegii cardinalem decanum, qui collegas ad Vaticanas aedes advocet.

8. Cardinalis decanus in hoc advocationis nuncio, quod ex aedibus Vaticanis expresse dabitur, sacro Collegio significabit ut accedant iuxta praescripta articuli primi harum regularum.

9. Statim ac sancta Sedes vacaverit, illico apostolici palatii portae claudantur. Nemo ingredi poterit nisi ex venia cardinalis camerarii. Verum novendialibus peractis, exterior accessus ad musaea et bibliothecam iterum pateat, ut omnes ea loca visitare possint, veluti huc usque factum est: claudatur tamen si s. Sedis hostes hac concessione uti velint tamquam praetextu, quo sibi aperiant aditum in alias aedium Vaticanarum partes.

10. Si quis ad Vaticanarum aedium portas armatus ipse aut cum manu hominum armis instructorum accedat eo consilio ut s. palatium invadat portae non aperiantur, sed potius sinatur ut ab invasore evertantur.

11. Si contigerit ut aliquis a guber-

nio aut a municipio missus ad s. palatium accedat, satelles, qui tunc in statione erit, petet ab eo quisnam sit et qua de causa venerit: responsio autem accepta ad cardinalem camerarium deferetur, qui pro temporis adiunctis rem aget.

12. Si aliqua auctoritas vel politica vel civilis expetiverit loqui cum cardinali decano aut cardinali camerario, is petenti satisfaciet. Verum in loco iam antea ad rem expresse constituto personam illam excipiat: locus tamen distinctus erit a ceteris cardinalium habitationibus, neque ulla apostolici palatii in parte situs, ubi excipere solet ceteros omnes, quibus quolibet titulo ius competit ut ad eius praesentiam admittantur. Ad praedictum locum exteriori musaeorum via accedetur. At camerarius aut quivis alius eum excipere recusabit, qui forte declarasset se eo consilio velle in apostolicum palatium ingredi ut summae potestatis et imperii actus ederet, aut Vaticanarum aedium quavis parte potiretur aut quolibet modo sanctae Sedis iura violaret.

13. Si forte contingat ut italicum gubernium opem et auxilium suum sacro Collegio offerat, distinguendum est an haec auxilii oblatio scriptis vel potius ore fiat, scilicet accessione cuiusdam legati ab eodem gubernio missi, ad cardinalem decanum aut ad cardinalem camerarium.

In priori casu, cardinalis decanus nihil respondebit praedictae communicationi, sed diplomaticum coetum legatorum, qui apud apostolicam Sedem sunt, litteris opportune datis exorabit ut gubernio Romam nunc occupanti nunciet *a*) sacrum Collegium, iuramentorum, quibus adstrictum est, memor nullam mutationem inducere posse illi rerum conditioni, quam defunctus Pontifex reliquit atque ipsum s. Collegium integram successori eius transmittere debet; *b*) itaque nullam communionem sacrum Collegium cum gubernio habere posse, quocum defunctus Pontifex minime communicabat; *c*) ceterum in iis, quae spectant interiorem s. palatii partem, nullum auxilium opus esse: in iis vero, quae ad tranquillitatem exteriorem pertinent, quoniam s. Collegium urbem non regit, nihil respondere posse.

In altero casu autem, si quis ab italico gubernio missus peteret loqui cum cardinali camerario aut cum cardinali decano, hic eodem modo excipiet eum ac supra ostensum est ad articulum 12, atque oblata occasione utetur ut easdem declarationes et protestationes edat, de quibus supra in priori casu dictum est, ubi dirigendae essent protestationis litterae ad coetum diplomaticum.

In quolibet casu vero nulli alteri e s. Collegii membris has visitationes et communicationes licebit excipere nomine eorum qui nunc gubernant, sed eas deferet ad cardinales ordinis capita aut ad cardinalem camerarium: idque eo consilio fiat ut in illis difficilibus rerum adiunctis integra servetur unitas auctoritatis, actionis et directionis.

14. Si foris violentiae actus fiant ea mente ut perturbationes excitentur atque hinc praetextus sumantur in s. palatium penetrandi, s. Collegium necessarias cautiones adhibebit, ac

de re diplomaticum coetum certiorem faciet, ut tranquillitas componatur et cardinalibus restituatur libertas.

15. Si quis conetur bibliotheca potiri, musaeis, archivis aut qualibet alia s. palatii parte, claudantur portae, sinatur ut evertantur ac, debita protestatione a cardinali camerario emissa, solemnibus litteris de re diplomaticus coetus certior fiat.

16. Debitae protestationes pariter edantur si quis conetur armis exuere s. palatii excubias, atque earum loco italicos milites ponere.

17. Omnes congregationes tum particulares capitum ordinis, cum generales totius s. Collegii, haberi debebunt in palatio Vaticano.

18. Cardinales in coetum collecti ut primam congregationem habeant, opportune consulant conclavi celebrando.

19. S. Collegium, attentis locis quae in promptu fuerint, expensisque adhibitis quo minori mensura possibile erit, de conclavistarum admissione deliberabit, ac simul de numero caeremoniarum magistrorum, famulorum aliorumque qui ad conclave admitti solent.

20. Quum constituta iuramenta s. Collegium praestiturum erit, tunc ipsum omnes protestationes iterabit a defuncto Pontifice pro iuribus, legibus et bonis s. Sedis et Ecclesiae tuendis editas, quin tamen omittat de re diplomaticum coetum certiorem facere.

21. Pontificis mors tum pontificiis legatis, cum cardinalibus, qui Romae non adfuerint quando ipse Pontifex obiit, subito nunciabitur telegrammate, quo, post significatam mortem, adiicientur haec verba: « *reliqua per epistolas* ». Prima congregatione habita, idem nuncium iterum dabitur per commendatas litteras, sigillisque munitas, ut iisdem locus et tempus significentur, quibus conclave habebitur.

22. In prima congregatione quam ordinis capita cum cardinali camerario habebunt, omnes communicationes ex more ad gubernia mittentur, idest mittentur ad omnia gubernia, etiam ad ea quibuscum s. Sedes diplomaticas communicationes forte non habeat, etsi hae communicationes vel numquam intercesserint vel interruptae fuerint, dummodo haec gubernia recognita iam sint a summo Pontifice defuncto. Hac via et ratione impedietur quominus nuncium ab apostolica Sede iis omnibus principibus detur, quos ipsa nunc haud rite cognoscit.

23. Cum nihil a s. Collegio (veluti supra ad articulum *primum* harum instructionum constitutum fuit) vacante apostolica Sede innovandum sit in ea rerum conditione, quam Pontifex moriens reliquit, nullo modo eorum statuum legatos ei excipere fas erit, qui diplomaticas relationes cum apostolica Sede disruperint, etsi hi status excipi ultro petant.

24. Defuncti Pontificis corpus pontificalibus vestibus, quo citius fieri potest, induatur, ac privatim scala interiori ad s. Petri basilicam deferatur in ssmi Sacramenti sacellum. Ibi, absolutione data, exponetur, quatuor e pontificia militum nobilium cohorte

cadaver custodientibus, cancelloque clauso.

25. S. Collegium, nisi aliter pontificiis singularibus placitis circa sepulcri locum et sepeliendi morem fuerit constitutum, rem aget iuxta opportunas normas et consuetudines, quae semper in vigore fuerunt, quantum temporum adiuncta permittant. Tumulatio praesentibus cardinalibus fiet, clausis ianuis.

26. Praeter exsequias, quae publice in basilica s. Petri peragentur, alias privatim cardinales persolvent in Syxtino sacello, praelatorum conventu eorumque, qui iure ad sacella pontificia et cardinalitia invitandi sunt.

27. Acta, vacante apostolica Sede, exaranda unus e clericis camerae (qui tunc etiam protonotarii apostolici munere fungetur) et notarius camerae apostolicae simul scriptis consignent.

28. Cardinalis camerarii erit eas omnes innovationes inducere, quae pro re nata necessariae fuerint, ut congruenter apteque nonnullas administrationis partes custodire ac tueri possit, quae iam singulis camerae praelatis concredi solent.

29. Pariter cardinali camerario curae erit ut victus cardinalibus provideatur et ministretur in ipsis Vaticanis aedibus.

Idem cardinalis invigilabit ne in hac et omni alia occasione, quae communicationes cum personis ad conclave non pertinentibus spectet, ullo umquam modo sanctiones rigidissimae frangantur, quae constitutae fuerunt, ne quis a conclavi cum externis communicet.

30. Quod si in prima congregatione generali s. Collegium constituerit conclave extra Italiam celebrare, id cardinalibus, qui in curia non adsint, subito nuncietur.

31. In eodem nuncio certus locus, et tempus, quo simul conveniant, significetur.

32. Pariter cardinales ordinis capita rem diplomatico coetui nuncient, eumque invitent ut sequatur s. Collegium in locum pergens, quem ipsum s. Collegium elegerit: quo cum pervenerit, eas rationes et consilia in agendo adhibebit, quas magis idoneas utilioresque reputaverit.

c. 1. D. 23; c. 31 D. 63; cc. 3. 4. 5 D. 79; c. 6 de elect. etc. X. (I. 6); c. 3 de elect. etc. (I. 6) in 6°; c. 2 de elect. etc. (I. 3) in Clem.; Const. Clem. VI « Licet » 6 dec. 1351; Const. Iul. II « Cum tam divino » 14 ian. 1506; Const. Pauli IV « Quum secundum Apostolum » 16 dec. 1558; Const. Pauli IV « Quum ex apostolatus officio » 15 febr. 1559; Const. Pii IV « In eligendis » 9 oct. 1562; Const. Greg. XV « Aeterni Patris » 15 nov. 1621; Const. Greg. XV « Decet Rom. Pontificem » (in initio Ceremonialis) 12 mart. 1622; Const. Urb. VIII « Ad Rom. Pontificis » 28 ian. 1626; Const. Clem. XII « Apostolatus officium » 4 oct. 1732; Chirogr. Clem. XII « Avendo noi » 24 dec. 1732; Const. Pii IX « Cum Rom. Pontificibus » 4 dec. 1869; Const. Pii IX « In hoc sublimi » 23 aug. 1871; Const. « Licet per apost. litteras » 8 sept. 1874; Const. Pii IX « Consulturi » 10 oct. 1877; Pii IX Regolamento da osservarsi dal S. Collegio in occasione della vacanza della Apostolica Sede 10 ian. 1878; Const. Leonis XIII « Praedecessores nostri » 24 maii 1882; Const. Pii X « Commissum nobis » 20 ian. 1904; Const. Pii X « Vacante Sede Apostolica » 25 dec. 1904; *Angelini N.* Discorso curiosissimo intorno alla mutazione dei nomi dei Papi nella

loro creatione; *Bignon H.* Traité sommaire de l'élection des Papes; *Lottini I. F.* Diss. de sacris cardinalium comitiis sive de conclavi; *Ingoli F.* Caeremoniale continens ritus electionis Romani Pontificis; *Lavorius I.* Variae lucubrationes canonicae (ubi etiam de conclavi, conclavistis et eorum privilegiis et de his quae fiunt sede vacante). *Bonacina M.* De legitima summi electione Pontificis; *Lunadoro H.* Relazione della corte di Roma (ubi in primo volumine habetur quidquid ad funus Rom. Pontificis novique electionem spectat); *Passerini P.* De electione summi Pontificis; *Busenelli P.* De summi Pontificis eligendi forma historica dissertatio; *Suaresius I.* De crocea veste cardinalium in conclavi; *Krausius I. F.* De mutatione nominum in professione religiosa et Pontificum Rom. inauguratione schediasma; *Marangoni I.* Chronologia RR. PP. superstes pariete australi basilicae S. Pauli viae Ostiensis (ubi de nominis mutatione in electione RR. PP. de eorum vestibus etc.); Cerimonial del conclave o esposizione di ciò che si suol praticare per l'elezione del sommo Pontefice; *Novaes I.* Il sacro rito antico e moderno della elezione, coronazione e solenne possesso del sommo Pontefice; *Brancaccio F. M.* Dissertatio de pactionibus cardinalium, quae vocantur conclavis capitula; *Fueslinus* Conclavia romana reserata; *Camarda A.* Constitutionum apostolicarum una cum ceremoniali greg. de pertinentibus ad electionem Papae; *Thomassin* Vet. et nov. eccl. disc. p. II lib. 2. c. 1 sqq.; *De Geisau A.* Historica narratio iuris quod imperatores in appr. Pont. Romanis habuerunt; *Fagnanus* Comm. ad cap. « Licet de vitanda » 6 X. de elect. n. 77 sqq.; *Meuschen* Caeremonialia electionis et coronationis Pontificis Rom.; *Häberlein F. D.* Römisches Conclave; *Schoenemann* De electione romani Pontificis, Roma non libera, iuxta constitutiones apost. valide peragenda; *Cancellieri F.* Storia dei solenni possessi dei sommi Pontefici; *Cancellieri F.* Notizie istoriche delle stagioni e dei siti diversi, in cui sono stati tenuti i conclavi; *Adler I.* Ceremonien und Feierlichkeiten bei der Wahl u. Krönung eines Papstes; *Massarelli A.* De modis seu formis per diversa tempora observatis in electione Pontif. maxim. a divo Petro usque ad Iulium III; *Berardi C. S.* Comm. in ius eccl. univ. tom. I. pag. 91 sqq.; *Devoti* Ius can. univ. in tit. 6. lib. I Decr. n. 32 sqq.; *Floss* Die Papstwahl unter den Ottonen; *Petruccelli della Gattina* Hist. diplomat. des conclaves; *Saur H.* De statuto Nicolai II; *Cartwright* On papal conclaves; *Mejer C.* Die Wahl Alexander's III und Vict. IV; *Zöpffel G.* Die Papstwahlen u. die m. ihnen i. nächsten Zusammenhang stehend. Zeremonien in ihr. Entwichl. v. 11-14 Jahrhund.; *Cartwright W. C.* De la constitution des conclaves pontificaux; *Barbier de Montault X.* Le conclave et le Pape; *Lorenz O.* Papstwahl u. Kaisertum; *Granderath Th.* Die Papstwahl; *Mayer* Die Papstwahl Innocenz' III nach Originalquellen; *Zöpffel* Bis in welches Jahrh. hinaus lässt sich d. Zeremonie d. Papstkrönung verfolgen? *Weizsäcker* Die Papstwahl von 1059 bis 1130; *Scheffer-Boichhorst* Die Neuordnung der Papstwahl durch Nicolaus II; *Niehnes* Die Wahldecrete Stephans III und Stephans IV; *Vering* Lehrb. d. kath. orient. u. prot. KR. § 125; *Bayet* Les élections pontificales sous les Carolingiens; *Martens* Die Besetzung d. päpstl. Stuhles unter Kais. Heinrich III u. IV; *Souchon M.* Die Papstwahlen v. Bonifaz VIII b. Urban VI; *Wahrmund L.* Das Ausschliessungsrecht (ius exclusivae) d. kath. Staaten Oesterr. Frankr. u. Span. b. d. Papstwahlen; *Heimbucher* Die Papstwahlen unt. d. Karolingern; *Dopffel H.* Kaisertum u. Papstwahl unt. d. Karolingern; *Lamprecht K.* Die röm. Frage v. König Pipin b. aus Kaiser Ludwig d. Fr.; *Sägmüller* Das Recht d. Exclusive; *Russo F.* La curia romana nella sua organizzazione ecc.; *Wahrmund L.* Beiträge z. Gesch. d. Exclusionsrechtes b. d. Papst-

wahlen aus röm. Archiven; *Sägmüller* Die Papstwahlen u. d. Staaten v. 1447-1555; *Berhelet* La elezione del Papa; *Wahrmund L.* Zur Gesch. d. Exclusionsrechtes b. d. Papstwahlen i. 18 Jahrh.; *Sägmüller* Die Papstwahlbullen u. d. staatl. Recht d. Exclusive; *Lector L.* Le conclave; *Wahrmund L.* Die bulle « Aeterni Patris Filius » u. d. staatl. Einfl. auf d. Papstwahlen; *Sägmüller* Der Anfang d. Ausschliessungsrechtes i. d. Papstwahl; *Hollweck* Kann d. Papst s. Nachfolger bestimmen?; *Sägmüller* Das Recht d. Exklusive i. d. Papstwahl; *Wurm* Papstwahl; *Holder H.* Die Designation d. Nachfolg. durch. d. Päpste; *Péries* L'intervention du Pape dans l'élection de son successeur; *Casacca* Se il Papa possa eleggere il suo successore; *Lector L.* L'élection papale; *Sägmüller* Ein angebliches Dekret Pius'IV üb. d. Designation d. Nachfolgers durch d. Papst; *Sägmüller* Neueste Lösungsversuche i. d. Frage u. d. staatl. Recht d. Exklusive; *Penningtón* The papal conclaves; *Knöpfler A.* Die Namensänderung d. Päpste; *Grauert H.* Nikolaus' II Papstwahldecret u. Simonieverbot; *Souchon M.* Die Papstwahlen i. d. Zeit d. grossen Schismas; *Michael E.* Hat Nikolaus II jede simonist. Neubesetzung d. Heil. Stuhles f. ungültig erklärt?: *Grauert H.* Papstwahlstudien; *Ceccaroni A.* Il conclave: storia, costituzione, cerimonie; *Giobbio* Esercizio del veto d'esclusione nel conclave; *Berthelet* Conclavi, pontefici e cardinali nel secolo XIX; *Grabinski* Il conclave; *Hinschius-Sehling* Papstwahl; *Gaugusch* D. Rechtsinstitut d. Papstwahl; *Eisler A.* Das Veto der kath. Staaten b. d. Papstwahl seit d. Ende d. 16 Jahrhunderts; *Evrard* Le droit de veto dans les conclaves.

1409 Quum, ut ex dictis patet et melius patebit ex dicendis, *camera apostolica* et munus cardinalis camerarii strictam habeant relationem cum vacatione Sedis apostolicae et cum conclavi, hic de eadem camera aliquid est dicendum iuxta ea, quae in constitutione « Sapienti consilio » noviter praescripta sunt. Nihil de camera apostolica sub sua propria sede dixi, quia constitutio piana quando ea typis mandabam, nondum edita fuerat. Sit igitur hic de camera apostolica.

Camera apostolica constituitur cardinali camerario, vicecamerario, auditore generali, thesaurario generali, quibus accedit collegium clericorum de camera.

Antiquitus camera multa habuit munera et officia. Camerario enim concredita erat cura omnium negotiorum respicientium iura pontificii aerarii et temporalis gubernationis statum ecclesiae romanae. Quare ea omnia, quae respiciebant titulos nobilitatis, taxas, annonam, spolia ecclesiarum vacantium, vias, aquas, nundinas, collegia artium et studiorum, militiam omnemque administrationem ad eius spectabant competentiam. Exinde habebat etiam praefecturam romanae universitatis, vulgo Sapientia. Habuit etiam camerarius exercitium auctoritatis seu iurisdictionis forensis et contentiosae, quam prius ipse per auditorem suum, postea auditor independenter exercuit a cardinali camerario. Hanc iurisdictionem pro sua quisque negotiorum provincia exercuerunt etiam vicecamerarius et thesaurarius generalis, a cuius sententiis appellari poterat ad plenam cameram. Tribunal autem plenae camerae constituebatur a clericis camerae; et omnia haec tribunalia ordinaria erant. Tribunal autem

auditoris camerae non solum ordinarium erat sed competens erat pro universa ecclesia. (Cfr. Petra *Comm. in const. Ap. ad const. Ap. Urb. V tom. 4 n. 4.*).

Clerici camerae, quos, post varias immutationes, duodecim esse voluit Pius V, constituebant collegium et tribunal, cuius caput de iure erat cardinalis camerarius, de facto autem decanus clericorum. Hi sacerdotes necessario non erant, sed clerici dumtaxat.

In praesenti, quamvis constitutio camerae non fuerit immutata, competentia tamen eius fere ad nihilum est redacta. In constitutione enim piana haec quoad cameram Apostolicam aperte sanciuntur:

« Huic officio cura est atque administratio bonorum ac iurium temporalium sanctae Sedis, quo tempore praesertim haec vacua habeatur. Ei officio praeest S. R. E. cardinalis camerarius, qui in suo munere, Sede ipsa vacua, exercendo se geret ad normas exhibitas a const. *Vacante Sede Apostolica* XXV Dec. MDCCCVI ».

Notandum autem est pro ordinaria administratione bonorum sanctae Sedis, quorum maxima pars in obolo S. Petri consistit, specialem cardinalium commissionem institutam esse.

Conclavistae. — De his agitur in constitutione Pii X « Vacante Sede Apostolica » quam supra retulimus; quibus hic nihil addendum est.

1410 **Conclusio orationum.** — Conclusio orationum duplex est, altera longior, brevior altera. In longiori conclusione hic mos servatur:

a) si oratio dirigitur ad Patrem et in ea nulla fit mentio Filii, dicitur: *Per Dnum. nostrum I. Ch. filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia secula seculorum;* si vero in principio aut medio fit mentio Filii, dicitur: *Per eumdem Dnum. nostrum* etc.; si autem in fine: *Qui tecum vivit et regnat* etc.

b) si oratio dirigitur ad Filium, et in ea nulla fit mentio Patris, dicitur: *Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia secula seculorum;* si vero fit mentio Patris: *Qui vivis et regnas cum eodem Deo Patre* etc.

c) Quando vero fit mentio Spiritus Sancti, in conclusione ponitur: *in unitate eiusdem Spiritus Sancti.* etc. — Cfr. Rubr. gen. miss. *IX. 17.*

Brevior conclusio haec est:

a) si oratio dirigitur ad Patrem, et nulla fit mentio Filii: *Per Christum Dominum nostrum;* si fit mentio Filii: *per eumdem Christum Dominum nostrum; b*) si vero oratio dirigitur ad ipsum Filium: *Qui vivis et regnas in secula seculorum.*

Longiori conclusione utendum est in missa et horis canonicis tantum, extra quas semper brevior conclusio est adhibenda; etiam in oratione sanctissimi Sacramenti, antequam cum eo sacerdos populo benedicat, quae sic terminatur: *qui vivis et regnas in secula seculorum. S. R. C. in Adrien. 29 mart. 1851 ad 6.* (*2986*). Excipe conclusionem orationis ss. Sacramenti post distributionem communionis extra missam, quae sic terminatur: *Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Sp. Sancti Deus per omnia*

secula seculorum (Rit. Rom. *tit. IV. c. 2. n. 7*): item post administrationem viatici. *S. R. C. in Viglevanen. 11 iun. 1880 ad 2* (*3515*). Si quando plures orationes dici debent, conclusio, sive longior sit, sive brevior, debet concordare cum ultima oratione. Cfr. *decr. S. R. C. in Toletana 15 sept. 1736 ad 6* (*2326*); *in una ord. S. Aug. 23 maii 1835* (*2724*).

1411 **Concubinarii clerici.** — Concubinarii clerici, quo nomine non solum ii veniunt, qui solutam feminam uxoris loco detinent, sed etiam ii, qui apud se retinent mulieres suspectas (Conc. Trid. *sess. XXV c. 5 de ref.*; Thesaurus *de poenis eccl. v.* « *Concubinatus* » *n. 6*) ecclesiae dedecus sunt.

Poenae in clericos concubinarios sunt sequentes: — *a*) Si non sint beneficiati, reclusio in carcere, suspensio ab ordine (ferendae tamen sententiae), inhabilitas ad beneficia obtinenda, poenae aliae graviores ad arbitrium episcopi, Conc. Trid. *sess. XXV. c. 14 de ref.*; - *b*) Si habeant beneficium non curatum, ex Tridentino (*l. c.*) praeter poenas alias a sacris canonibus vel statutis ecclesiarum impositas (quibus quoque tales clerici ab episcopo puniri possunt, Reiffenstuel *in tit. 2 lib. III Decret. n. 50*), post primam monitionem privantur tertia parte fructuum, quae applicatur fabricae ecclesiae vel aliis piis locis ad episcopi arbitrium (quum simus in odiosis, nomine fructuum non veniunt distributiones quotidianae); post alteram, manente contumacia, privantur omnibus fructibus, et suspendendi sunt ab administratione beneficii ad arbitrum episcopi; si adhuc in crimine post haec perseveraverint, spoliandi sunt beneficio, officio, pensionibus ecclesiasticis et ad ea inhabiles reddendi; si quis autem concubinam dimissam iterum reassumpserit, vel cum aliis mulieribus concubinatum iterum foverit, excommunicandus est; - *c*) Si habeant beneficium curatum, post monitionem coercendi sunt et castigandi; et, si adhuc incorrigibiles perseverent, beneficio privari possunt ab episcopis iuxta canones (*c. 13 de vita et hon. cler. X.* [*III. 1*]; *S. C. C. in una Burgi S. Donnini 4 maii 1737*, *11 maii 1872*), exemptione et appellatione quacumque remota. Hac poena plectendi sunt parochi non solum concubinarii sed omnes qui turpiter et scandalose vivunt. Conc. Trid. *sess. XXI. c. 6 de ref.*; - *d*) Si hoc crimine rei sint episcopi, admonendi sunt a concilio provinciali, et, si se non emendaverint, post annum suspenduntur ipso iure, et deferendi sunt romano Pontifici. Conc. Trid. *sess. XXV. c. 14. de ref.*

Quaeri hic non immerito potest quae- 1412
nam sint poenae antiquorum canonum contra hos clericos a Tridentino confirmatas. Porro eae (relictis nonnullis aliis a variis doctoribus allatis, quas tamen non invenio ex iure probatas) sequentes sunt:

1. Pro clericis maiorum ordinum *suspectis* de crimine fornicationis: Excommunicatio ferendae sententiae, si post primam, secundam et tertiam admonitionem inveniantur fabulari vel aliquo modo conversari cum muliere suspecta (tunc enim habentur ut concubinarii praesumptio-

ne iuris et de iure); femina vero canonice iudicanda. Ita Eugenius Papa II in cap. 2, h. t. X.

2. Pro clericis *maiorum* ordinum *concubinariis:*

a) Privandi beneficiis, quin ulla praescribatur monitio. Ita Inn. II = c. 2. d. 28.

b) Deponendi. Ita Alexander II = c. 11. d. 32.

c) Per suspensionem et interdictum cogendi ut concubinas a se removeant. Si ad eas postea redierint vel alias acceperint, excommunicandi. Ita Alexander III in cap. 3 h. t. X.

d) Post monitionem suspendendi a beneficio usque ad satisfactionem congruam; post suspensionem, si concubinas retinuerint, privandi beneficiis. Ita Alex. III in cap. 4 h t. X.

3. Pro omnibus clericis *beneficiatis concubinariis* notoriis.

Post tertiam monitionem privandi beneficiis. Ita Alex. III in cap. 6 h. t. X.

4. Pro clericis non concubinariis, sed *fornicariis:*

a) Episcopus, presbyter aut diaconus in fornicatione... deprehensus deponitor. Ita can. 24 Apostolorum (repetitur in can. 12 d. 81).

b) Sacerdotes, si in fornicationis laqueum ceciderint, et criminis manifestus sive ostensus fuerit actus, sacerdotis non possunt habere honorem secundum canonicae institutionis auctoritatem. Ita canon 33 d. 50. Cfr. etiam can. 6 d. 81.

c) Sacerdoti fornicario, si crimen sponte fassus sit et emendatio sit secuta, decem anni poenitentiae. Ita can. 5 d. 82.

d) Clerici, qui comprehensi fuerint incontinentiae vitio laborare, prout magis vel minus peccaverint, puniendi sunt iuxta canonicas sanctiones. Si quis autem hac de causa suspensus (ergo suspendendi erant) praesumpsisset celebrare divina, non solum ecclesiasticis beneficiis spoliari, verum etiam pro duplici culpa perpetuo deponi debebat. Ita Innoc. III in cap. 13 *de vita et honest. cleric.* X.

Hae quidem sunt poenae, quas in clericos concubinarios aut fornicarios antiquum ius statuebat et Tridentinum Concilium confirmans ampliavit.

Omnes autem clerici concubinarii 1413
efficiuntur infames ex Conc. Lat. V. *sess. IX*, et inhabiles ad beneficia et dignitates obtinendas.

Ad probationem concubinatus nota, 1414
nullo accusatore vel teste opus esse, si crimen sit notorium, secus legitimis probationibus esse procedendum; si vero suspicio scandalum populo afferat, inquisitorium iudicium esse instituendum et supplendas probationes; in hoc solum episcopum esse iudicem, et posse etiam summarie procedere. Conc. Trid. *l. c.* Cfr. causas superius citatas apud S. C. C.

Cum clericis concubinariis in sacris 1415
constitutis, qui tamen non sint presbyteri (et etiam cum religiosis solemniter professis ab impedimento professionis religiosae) ex facultate delegata a SSmo. Dno. per decretum S. U. I. *20 febr. 1888* possunt episcopi dispensare super impedimento ordinis quantumvis publico ad effectum contrahendi cum concubina, quando aegroti sint in gravissimo vitae periculo constituti, vel quando

in huiusmodi gravibus circumstantiis puella inveniatur, clerico bene valente. *S. U. I. 1 iun. 1891.* Hanc facultatem possunt episcopi subdelegare pro casibus, in quibus non patet recursus ad ordinarium, habitualiter parochis tantum (*S. U. I. 9 ian. 1889*), idest iis, qui actu curam animarum exercent, exceptis vice parochis et cappellanis. *S. U. I. 23 apr. 1890.*

Bibliographiam quaere sub *Cohabitatio.*

1416 **Concubinatus.** — Concubinatus est commercium carnale *habituale* soluti cum soluta. - Eius circumstantia per se non est declaranda in confessione; declaranda tamen saepe est per accidens ad occasionem proximam manifestandam, vel ratione scandali, si nempe sit publicus. S. Alph. *III. 432.* Generatim loquendo nec concubinarius, non dimissa concubina, nec concubina, non discedens e domo concubinarii, absolvi possunt. Dantur tamen casus, in quibus concubinarius vel concubina aliunde dispositi, quin statim separentur, absolvi possunt, ut puta si secus gravi infamia pro ipsis, vel pro aliis magnum eveniret scandalum. S. Alph. *l. c. n. 435 sqq.* - Referenda hic est sequens propositio ab Alexandro VII (*decr. 18 mart. 1666. sub n. 41*) damnata: « Non est obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo *regalo*, dum, deficiente illa, nimis aegre ageret vitam, et aliae epulae taedio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur ».

Chouerony B. Tract. de publicis concubinariis; *Hauemanni M.* Gamalogia synoptica seu de iure connubiorum etc.; *Sharrock R.* Iudicia de variis inconscientiae speciebus (ubi etiam de concubinatu).

Concupiscentia. — Concupiscentia 1417 est motus appetitivae virtutis sensibilis, qui est ex imaginatione boni vel mali. S. Th. *in III. dist. 26. q. 1. a. 1.* Strictiori vero sensu, concupiscentia dicitur appetitus concupiscibilis impellens nos in ea, quae secundum sensum bona sunt, re autem ipsa sunt mala. Strictissimo autem sensu hic, seu a moralistis, accipitur pro ipsis motibus appetitus concupiscibilis. Sic autem distinguitur in antecedentem et consequentem. Antecedenter quidem appetitus sensitivus se habet ad liberum arbitrium, secundum quod passio appetitus sensitivi trahit vel inclinat rationem vel voluntatem; consequenter vero, secundum quod motus superiorum virium, si sint vehementes, redundant in inferiores. S. Th. *1. 2. q. 77. a. 6.*

Concupiscentia antecedens minuit 1418 vel etiam impedit iudicium rationis, ac proinde voluntarium et peccatum (S. Th. *1. 2. q. 73. a. 6; q. 77. a. 2. 6. et 7*), quod eo magis minuit, quo passio est vehementior. S. Th. *QQ. DD. de malo q. III. a. 11 ad 3.* Imo, si passio sit tanta, ut totaliter auferat usum rationis, sicut accidit in his, qui propter amorem vel iram insaniunt, aufert totaliter voluntarium, et proinde peccatum. S. Th. *1. 2. q. 77. a. 7.* Nota tamen, quod passio aliquando a principio potuit esse voluntaria directe vel indirecte; tunc actus ex passione

proveniens imputatur agenti ad peccatum, grave nempe vel leve, pro gravitate culpae in causa ponenda, quia fuit voluntarius in causa. S. Th. *loc. nuper cit.*

Concupiscentia autem consequens (quae est voluntaria) est signum maioris vel minoris motus voluntatis, ac proinde peccati. S. Th. *1. 2. q. 77. a. 6; QQ. DD. de malo q. 3. a. 11.*

Hinc motus concupiscentiae distinguuntur in primos et in secundos. Illi sunt motus concupiscentiae antecedentis, quia non consequuntur deliberationem rationis, et proinde habere non possunt rationem peccati, nisi in quantum semel apprehensi impediri possunt a voluntate, et de facto non impediuntur; attamen tunc peccatum levissimum est et veniale. Motus concupiscentiae consequentis, quum sint deliberati, rationi adscribuntur, et proinde sunt graviter vel leviter mali, prout de re graviter vel leviter mala sunt. - S. Alphonsus (*lib. V. tr. de act. hum. XXV*) distinguit motus primos in primo primos et secundo primos. Primo primos eos vocat, qui omnem prorsus voluntatis consensum et libertatem antevertunt; secundo primos vero eos appellat, qui saltem supponunt semiplenum consensum voluntatis. Concupiscentia ut fomes peccati, non est peccatum, sed inclinatio ad illud. Conc. Trid. *sess. V. decr. de pecc. orig.*

1419 Motibus concupiscentiae, praesertim contra castitatem, resistendum est, non quidem necessario directe, sed saltem indirecte: nec tamen sufficit iuxta plures negative se habere, quod tamen non esset, nisi veniale, si abesset periculum consensus. Cfr. s. Alphons. *V. 9*; B. P. *I. 595.* Hinc ait D'Annibale (*Th. mor. I. 277. 32*): « Scilicet motibus huiusmodi (concupiscentiae) voluntas aut obsequitur, aut resistit, aut negative se habet; in primo peccatum, in secundo meritum inest. In tertio quidam putant semper inesse peccatum letale, quidam numquam; utrumque extremum ». Et addit: « Nihilominus sufficit ei (concupiscentiae) resistere *negative* tantum: 1° si experimento dideris eam compescendo irritari potius (*S. Alph. V. 6. 7*); 2° si motus concupiscentiae *durent diu et nimis molestum foret eis positive resistere* (*Salm. 20. 13. 16*); 3° si ortum habeant ex causa necessaria vel utili et non facile negotium sit eos repellere (*Salm. n. 20. V. c.*) ».

Concursus. — Ad conferenda beneficia curata Concilium Tridentinum (*sess. XXIV. c. 18 de ref.*) statuit concursum, cuius formam ampliarunt et declararunt Pius V const. « In conferendis » *18 mart. 1567*, Clemens XI instr. *per S. C. C. data 10 ian. 1721* « Quo parochiales », et Bened. XIV const. « Cum illud » *14 dec. 1742.* Ex const. Ben. XIV circa hunc concursum haec sunt servanda: 1420

a) indici debet concursus per edictum episcopi (etiamsi ad alium pertineat collatio, Conc. Trid. *l. c.*; Bened. XIV. *de Syn. lib. II. c. 11. n. 6*) intra decem (ita Concilium Tridentinum) vel ad summum viginti dies (hoc concessum est constitutione citata S. Pii V), determinatis die, loco et hora;

b) designandi sunt examinatores ab

episcopo, assentiente synodo dioe. cesana (synodales); vel, si inter unam et aliam synodum deputandi sint, debent eligi ab episcopo de consensu capituli (pro-synodales);

c) forma examinis, ad doctrinam quod spectat, tum quaestiones dogmaticas quasdam, tum casus morales, tum conciunculam de aliquo evangelii textu debet complecti; et haec omnia eadem debent esse pro omnibus concurrentibus;

d) examen circa alia requisita, uti sunt aetas, mores, prudentia, praeclara merita, munera iam obita, versari debet;

e) iudicium aptitudinis, (quod cumulativum esse debet de doctrina scilicet et de aliis) examinatorum est; iudicium vero definitivum est episcopi, qui ex requisitis omnibus rite perpensis inter aptos digniorem eligit, et statim in parochum instituit. Hoc, nisi beneficium sit reservatum S. Sedi; quia tunc, si ratio reservationis est, quod vacatio contigerit in mensibus reservatis, episcopus digniorem eligit et praesentat Datariae apostolicae; si vero reservatum est ex alia causa, dignior eligitur ab ipsa Dataria, ad quam ab episcopo transmittendi sunt actus concursus.

Quoad praxim exsequendi scrutinium, seu votationem faciendi, confer Honorante *Praxis Secret. Trib. Card. Urbis Vicarii cap. 19*; Monitore ecclesiastico *vol. XV pag. 318 sqq.*

Nota tamen, episcopum non teneri eligere illum, quem in concursu examinatores digniorem et magis idoneum renuntiarunt, sed posse alium eligere, quem ipse inter approbatos digniorem iudicat. *S. C. C. 21 dec. 1829, 3 mart. 1877.*

Concurrentes posthabiti ius habent 1421
appellandi intra decem dies ad metropolitanum, vel ad episcopum viciniorem, vel ad S. Sedem. Cfr. *S. C. C. 4 maii 1889, 22 febr. 1890.* Sed effectus illius appellationis est devolutivus tantum, non suspensivus. *Const. cit.* Pii V § *7 sq.* Appellatione interposita, iudex *ad quem* pronunciare non debet, nisi secundum acta, reiectis omnibus aliis documentis tempore utili non praesentatis. Si ordinarius reiecerit aliquem ex informata conscientia significare debet causam iudici appellationis per litteras familiares sub inviolabili secreto. Si vero episcopo sit suspectus iudex *ad quem*, nec ei revelare voluerit causas reiectionis sibi tantum notas, tunc debet scribere ad S. Congr. Concilii. Si sententia iudicis appellationis sit conformis sententiae episcopi, nullus patet novae appellationi aditus. Si vero iudex appellationis aliter iudicaverit, tunc licet appellare ad alium iudicem, non suspensa interim possessione. Demum post sententiam tertii iudicis, ius regendae ecclesiae est inappellabiliter illius, cui duae conformes sententiae favent. *Const. cit.* Ben. XIV; cfr. *causam Laquedonien. agit. apud S. C. C. 20 maii 1905.*

Nota hic ea, quae S. Congr. Concilii respondit ad duo sequentia dubia, scilicet: « 3. An ante concessionem novi examinis appellans a male relatione examinatorum vel ab irrationabili iudicio episcopi in eo, quod attinet ad litteraturam, debeat in posterum docere de gravamine ex actis

primi concursus, in quo tam suam quam concurrentium responsiones proprio charactere una cum concionibus conscriptae invenientur. – 4. An ante appellationis admissionem appellans ab irrationabili iudicio episcopi non ex capite litteraturae sed aliarum qualitatum teneantur docere de gravamine aut ex actis primi concursus aut ex aliis documentis, saltem extraiudicialibus, ab ipso exhibendis ». Responsio autem fuit: « Ad 3. Affirmative, et doceatur de gravamine ex actibus originalibus concursus vel ex copia authentica collationata ad formam iuris. Ad 4. - Affirmative ». *S. C. C. 16 nov. 1720.*

1422 Concursus et modus illum peragendi habent clausulam irritantem in iis, quae statuit Conc. Tridentinum et Pius V in sua constitutione superius citata; non vero in iis, quae a Clemente XI commendata et a Benedicto XIV praecepta sunt. Hinc S. Congr. Concilii *in una S. Pauli in Brasilia 3 aug. 1889* ad dubium: « An pro forma substantiali absoluta habenda sint ea omnia, quae in Benedictina constitutione " Cum illud ' praescripta sunt quoad concursus ad beneficia ecclesiastica, ita ut nullum reddant concursum, in quo non serventur », respondit: « Non esse interloquendum ».

1423 Dignior hic dicitur relative, scilicet ille eligendus est, qui magis utilis censetur huic determinatae parochiae (Schmalzgr. *in tit. 14 lib. I. Decr. nn. 36 et 44*); inter qualitates positivas pro collatione recenseri debent etiam leges fundationis. In genere eligens minus dignum, probabilius tenetur ad restitutionem, si collatio beneficii facienda sit per concursum; secus non. Eligens tamen indignum, tenetur de damnis erga societatem. Cfr. S. Alph. *IV. 106 sqq.* Vid. *Dignus.*

In aliquibus dioecesibus viget con- 1424
suetudo separandi examen super doctrina ab examine super aliis canonicis requisitis. Istud remittitur ad tempus vacationis paroeciae, illud fit bis in anno. Qui autem in eo approbati fuerint, ius habent concurrendi ad quodcumque parochiale beneficium intra sex proxime sequentes annos vacaturum; completo sexennio, si beneficium parochiale obtinere velint, novo examini se subiicere tenentur, nisi ab episcopo, audita examinatorum sententia, dispensentur a novo examine, illi scilicet tantum, qui inter synodales vel pro-synodales examinatores assumpti sunt, aut qui propter muneris vel beneficii, quo fruuntur, dignitatem, vel propter diuturnam operam, qua ecclesiae cum laude servierunt, scientiae testimonium abunde praestant. Examen vero super aliis canonicis requisitis fit eo tempore, quo aliqua paroecia vacaverit, et novo rectore donanda est. Haec praxis ab apostolica Sede approbari solet ad tempus. Cfr. *Instr. S. C. P. F. 10 oct. 1884; S. C. C. in Tergestina a. 1898, in Moguntina et Viennen. a. 1901.*

Ita etiam emus. card. arch. Mediolanensis quum petierit a S. Congregatione Concilii ut sibi ius fieret: « 1° providendi beneficiis curatis, quae post concursum vacantia manent sive sine novo examine per illos sacer-

dotes, qui in ipso concursu idonei habiti sunt ad curam animarum quin beneficia, quae appetiverant, sint consecuti; sive per alios sacerdotes, qui extra concursum idonei ad curam animarum probentur per periculum oretenus subeundum coram tribus examinatoribus synodalibus; - 2° conferendi item sine novo concursu et examine iis sacerdotibus, qui in ultimo concursu habiti sunt idonei ad curam animarum, quin tamen ullum beneficium sint consecuti, beneficia curata, quae per ipsum concursum vacant, idest propter nominationem et promotionem titularium dictorum beneficiorum ad alia beneficia curata »; obtinuit ad hoc indultum ad triennium. *S. C. C. in Mediolanen. 17 dec. 1904.* Notandum autem est in archidioecesi Mediolanensi consuetudinem esse ut concursus ad beneficia curata vacantia ter quaterve in anno habeantur, in quibus tamen sacerdotes concurrunt ad certum quoddam beneficium vacans. Hinc nonnulli sacerdotes concurrentes licet idonei ad curam animarum in concursu probentur, nullum tamen beneficium consequuntur.

1425 Semper autem, si plures paroeciae simul vacaverint, potest episcopus ad iis providendum unicum concursum collective indicere, et, servatis servandis, celebrare, sibi vel cui de iure reservans eas distribuere, et conferre inter concurrentes ab examinatoribus in concursu approbatos, qui magis idonei pro unaquaque paroecia iudicantur. *S. C. C. in Caietana 20 iul. 1889.*

1426 Eximuntur a lege concursus paroeciae exigui reditus (idest 20 aur. de camera seu libell. circiter 170); novae, sed pro prima vice tantum (Monacelli *tit. II. form. 2. n. 9*); semel et iterum concursui expositae, nemine concurrente vel approbato (De Luca Card. *de parochis n. 35*); imo etiam semel tantum expositae (*S. C. C. in Ripana 7 mart. 1885*); beneficia curata patronatus laici (Conc. Trid. *l. c.*), vel etiam mixti (*S. C. C. 5 febr. 1628*); nec non ea, quae secus factionibus et rixis essent exposita. Conc. Trid. *l. c.* Cfr. hic etiam causam in una nullius Mont. Cassini agitatam apud *S. C. C. 16 iul. 1904.*

Attamen etiam tunc ex eiusdem concilii praescriptione debet ordinarius privatum examen instituere; quantum fieri poterit, ad normam eorum, quae pro concursu statuta sunt. Hoc idem fieri debet et servari in locis, ubi difficile admodum vel impossibile sit servare formam concursus a Tridentino statutam pro collatione beneficiorum parochialium. Cfr. *Instr. S. C. P. F. ad arch. Hiberniae 22 iun. 1791*; cfr. Mon. eccl. *vol. XX. pag. 232 sqq.*

Nota autem hic indultum, quod ad 1427
decennium obtinuerunt episcopi Americae latinae a S. Congr. Concilii vigore facultatum eidem a SS. Domino concessarum. Petierant scilicet episcopi: « Ut stante difficultate celebrationis concursuum, omnes paroeciae titulo amovibili conferri possint ». Et sacra Congregatio respondit: « Designatis, ubicumque fieri poterit, a singulis ordinariis in propria dioecesi nonnullis paroeciis principalioribus, quae sacerdotibus maturae aetatis,

probatae vitae, non communi scientia et pietate praeditis, in titulum ad tramitem iuris de regula ordinaria conferantur, pro gratia ad decennium ut ceterae omnes paroeciae, imo et superius recensitae, si adiuncta (prudenti ordinarii iudicio aestimanda) id exigant, conferri possint absque concursu et ad nutum, salvis tamen privilegiis ab apostolica Sede concessis, et cauto ut facultate transferendi aut removendi paroeciarum rectores episcopi nonnisi moderate et ex iusta causa utantur; onerata super hoc eorumdem episcoporum conscientia». *S. C. C. 4 maii 1900.*

Quoad concursum ad peccatum et damnum, vid. *Cooperatio.*

Const. Ben. XII « Quoniam nonnulli » a. 1339; Const. Pauli IV « Inter ceteras » a. 1557; Conc. Trid. sess. XXIV. c. 18 de ref.; Const. Pii V « In conferendis » 18 mart. 1567; Const. Pii V « Apostolatus officium » 19 aug. 1567; Instr. Clem. XI « Quo parochiales » 10 ian. 1721; Const. Ben. XIV « Quum illud » 14 dec. 1742; Const. Ben. XIV « Redditae nobis » 9 apr. 1746; *Massobrius I. A.* Praxis habendi concursum ad vacantes parochiales ecclesias; *Ginzel* Die Pfarrconcursprüfung nach Staats- und Kirchengesetzen; *Moy Kurse* Darstellung der Praxis des Concurses; *Diendorfer* art. Concurs in Kirchenlex.; *Bouix* De parocho p. 3. sect. 3; *Ferraris* Prompta bibl. v. « Concursus »; *Phillips* KR. VII. §§ 408 sqq; *Mühlbauer* Th. res. S. C. C. tom. IV. v. « Concursus »; *Werns* Ius Decr. II. 827; *Duballet* Traité des paroisses et des curés II. 554 sqq.; *Pelletier M.* Du concours pour les cures; *Turinaz* De l'étude et de la pratique du droit canon en France à l'heure présente; *Lingg M.* Geschichte des tridentinischen Pfarrconcurses. Confer etiam omnes canonistas post Conc. Trid., quando de beneficiis vel de parochiis.

Condimenta. — Lex generalis est, 1428
ea adhiberi posse ad condimentum, quae ea die edi possunt. Attamen saepe indulgetur, ut, quamvis quaedam ad modum cibi sumi nequeant, ea tamen ad modum condimenti adhiberi possint. Quid autem singulis diebus et singulis in locis liceat quoad hoc, quid non liceat, desumendum ex consuetudine et ex particularibus indultis. Nota autem, condimenta in indulto permissa tempore ieiuniorum licite adhiberi posse in serotina etiam refectione, quia, vi indulti, olei locum tenent; dummodo, ut patet, in indulto non sit posita restrictio, quod ea condimenta adhiberi tantum possint in unica comestione. *S. Poen. 16 ian. 1834.* Quum autem in indulto conceduntur condimenta « ex adipe », ea formula intelliguntur concessa condimenta ex adipe cuiuscumque animalis (*S. U. I. 25 mart. 1895*), et tunc etiam butyro uti licet (vid. *Butyrum*), imo etiam margarina (vid. *Margarina*).

Si quando autem in indulto adhibetur formula « *condimenti di grasso* », non comprehenditur ea formula iusculum carnis coctae. *S. Poen. 30 ian. 1866.* Inquietandi vero non sunt ii, qui diebus, quibus condimenta ex adipe seu « *condimenti di grasso* » non permittuntur, adhibent tamen oleum, quo caro fricta est; et hoc multo magis valet pro diebus abstinentiae. *S. Poen. 17 nov. 1897.* Diebus vero, quibus condimenta ex adipe permittuntur, potest quis eodem adipe uti ad

condienda obsonia, et potest etiam frustulis adipis, quae manent, vesci, dummodo ea pergant esse pars condimenti. *S. Poen. decr. nuper cit.*

1429 **Conditio.** - ***De natura et divisionibus conditionis.*** — **De natura conditionis.** - Late sumpta conditio est circumstantia negotio iuris ita adiecta, ut ab eius eventu pendeat valor actus legitimi. Stricte vero sumpta conditio est adiectio quaedam negotio iuris apposita valorem actus suspendens in tempus vel in eventum futurum.

Improprie dicitur conditio ea circumstantia, quae negotio iuris apponitur, ut illud dependenter ab ea resolvatur, etsi hoc aliquando nomine tenus, seu verborum tantum forma fiat. Hinc improprie dicuntur conditiones omnes conditiones de praeterito seu de praesenti, quae nullo modo suspendunt valorem actus, cui apponuntur, qui e contra statim valet prout factum, de quo agitur, exstitit vel exstat, aut non; ut ecce si quis dicat: contraho tecum, si sacr. confirmationis recepisti, aut, si virgo es. Eodem modo improprie dicitur conditio, etiam conditio de futuro necessario; ut ecce: promitto matrimonium, si hodie sol occidet. Inst. Iust. *de verb. oblig.* (*III. 15*) § *6; l. 9 de novat. etc. D.* (*XLVI. 2*).

1430 **De divisionibus conditionum.** — Conditiones autem, sumptae prout comprehendunt etiam conditiones improprie tales, dividuntur:

a) in conditiones de *praeterito,* de *praesenti* et de *futuro,* prout circumstantia, quae apponitur, respicit tempus praeteritum aut praesens aut futurum;

b) in conditiones *possibiles* et *impossibiles,* prout circumstantia, quae apponitur talis est, ut iuxta naturalem rerum ordinem exstare possit, aut vires agentis physice vel moraliter superet, ut ecce: promitto tibi matrimonium, si digito coelum tetigeris. Conditio autem possibilis subdivitur in *necessariam* (si sol cras orietur) et *contingentem* (si navis ex Asia hodie appulerit); haec autem distinguitur in *potestativam* seu *arbitrariam,* quae pendet a sola voluntate libera (si venenum Titio dederis), in *casualem,* quae omnino pendet ab eventu futuro et incerto (si hodie pluet), et in *mixtam,* quae partim pendet a libera voluntate, partim ab incerto et futuro eventu (si in quinquennio proximo Titio filius natus fuerit), cfr. *l. 4 de condit. etc. D.* (*XXXV. 1*);

c) in *suspensivam,* quae actus valorem suspendit, quousque eventus compleatur, necne; et *resolutivam,* quae, non suspenso valore actus, efficit, ut, verificato eventu, actus resolvi possit (vendo tibi hanc domum, nisi intra annum melior conditio mihi offeratur);

d) in *honestam,* quae non est difformis legibus naturalibus et positivis; atque in *turpem,* quae alicui ex iis contradicit;

e) in *expressam* (si hoc facies) et *tacitam* (dono tibi fructus huius agri, nempe si nascantur);

f) in *affirmativam* (si Titius Romam cras veniet) et *negativam* (si Capitolium non ascenderis).

De conditionibus in contracti- 1431

bus. — In contractibus conditiones de praeterito, vel de praesenti, vel statim contractum firmant, si verae sunt, vel statim infirmant, si falsae.

Conditiones de futuro necessario contractum statim firmant (*l. 9 cit. tit. cit. D.* [*XLVI. 1*]), nisi verbis quidem conditio fuerit apposita, sed re agatur de tempore explendae obligationis, ut ecce: contraham, si pater meus morietur, idest quando pater meus mortuus fuerit. - Conditio vero de futuro contingente, quae vere facit contractum conditionatum, suspendit obligationem, scilicet differt illam in aliquem casum (cfr. Inst. Iust. *tit. cit.* [*III. 15*] § *4*); attamen sic contrahens tenetur exspectare eventum, nec potest, invito altero, revocare fidem datam. Imo contractus sub conditione transit ad heredes sub eadem conditione (Inst. Iust. *loc. nuper cit.*), nisi conditio debuerit ab ispa defuncti persona verificari. Nota autem hic dispositionem quamdam iuris romani, scilicet: « In iure civili receptum est, quoties per eum, cuius interest conditionem non impleri, fiat, quominus impleatur, perinde haberi, ac si impleta conditio fuisset » *l. 161 de diversis reg. iur. ant. D.* (*L. 17*).

Conditio de re impossibili, quae a contrahente ut talis cognoscatur (Inst. Iust. *de inutil. stip.* [*III 19*] § *11*), aut conditio de re turpi contractum per se reddunt nullum; nisi scilicet lege positiva cautum fuerit, ut eae conditiones pro non adiectis habeantur (attamen et tunc in foro conscientiae, si quis vere tali conditioni consensum suum ligaverit, contractus nullus est). Hinc iure gallico donationes inter vivos et testamenta, in quibus huiusmodi conditiones fuerint appositae, valent omnino, quia in iis eae conditiones habentur pro non adiectis. *C. G. a. 900.* Ex iure italico tamen donatio inter vivos sub huiusmodi conditione est nulla. *C. C. art. 1065.*

De Mantua Thesens quo explicantur leges et tituli de annuis legatis, de..., de conditionibus et demonstrationibus et similia; *Gentilis A.* Conditionum liber; *Galganetti L.* Tract. de conditionibus et demonstrationibus, modo, causa et poena; *Duran P.* Tract. de conditionibus et modis impossibilibus ac iure prohibitis conctractibus et testamentis adscriptis; *Brusselii Ph.* De contractibus et conditionibus; *Ruggieri* De obligationibus cap. II. § 13; *Bartin* Théorie des conditions impossibles, illicites ou contraires aux mœurs.

De conditionibns in matrimo- 1432
nio. - **Conditio de praesenti vel de praeterito.** — In matrimonio conditio honesta de praesenti vel de praeterito, aeque ac in aliis contractibus, aut statim firmat matrimonium, aut statim infirmat, prout vera est vel falsa. Sanchez *de matr. lib. V. d. 6. n. 1; Instr. Card. Rauscher* § *52; reg. iur. 85 in 6°;* cfr. *l. 37 de rebus creditis etc. D.* (*XII. 1*). Idem dicendum de conditione turpi (etiam contra substantiam matrimonii) de praesenti vel de praeterito, ut ecce: si fratrem tuum occidisti, si eucharistiam non credis, quae non vitiat contractum, sed, ut aiunt, ipsa vitiatur; quod enim tradit Gregorius IX, ut mox videbimus, de conditionibus turpibus habendis pro non adiectis in contractu matrimoniali, aut, si fuerint contra substantiam matrimonii

vitiantibus ipsum, intelligendum est iuxta communiorem et veriorem sententiam de veri nominis conditionibus, idest de conditionibus de futuro.

1483 **Conditio de futuro contingente. – Conditio honesta et possibilis.** — Conditio honesta et possibilis de futuro contingente valori futuro non obstat, impedit autem seu suspendit valorem praesentem (Reiffenstuel *in tit. 5 lib. IV. Decr. n. 15 sqq.; cc. 5. 6. 7 de conditionibus etc. X.* [*IV. 5*]); sed qui sic contraherent, tenerentur exspectare eventum, et, si interim aliud matrimonium contraherent, quamvis generatim hoc valide facerent, peccarent tamen graviter, quemadmodum graviter etiam peccarent agentes invicem, ut vir et mulier, ex. gr. copulam admittentes. Vere enim sunt adhuc soluti.

Verificata conditione, quaestio est, utrum statim matrimonium consistat, an ad hoc renovandus sit consensus. Et sententia negans, quae omnium fere canonistarum est contra non paucos theologos, verissima est. Nihil enim in iure habetur, quod matrimonium excludat a regula generali, quae pro aliis contractibus circa hoc traditur. Fagnanus *in caput 5 tit. 5 libri IV Decr.;* De Lugo *de iust. et iure disput. XXII n. 387;* S. Alph. *VI. 895.* Idque valere etiam videtur omnino, etsi apposita conditio fuerit: si Papa dispensaverit; neque videntur admittendae cavillationes, quas affert Lugo (*de sacr. in gen. VIII. n. 98*) ad contrariam sententiam adstruendam, et quas sequitur Gasparri *de matr. II. 994.* Vid. *Sponsalia.*

Nota autem, conditionem semel positam actum statim firmare, nec post ea retractatam actum semel firmatum infirmare posse, ut ecce, si quis contraxerit sub conditione: si parentes consentiant, statim ac parentes consenserunt, matrimonium indissolubiliter firmatur, nec obstat eius valori, si post consensum parentes dissentiant. Imo notandum quoque est, hic, prout in aliis materiis, verba conditionis sumenda esse sensu obvio et iuxta intentionem dicentis ex circumstantiis plerumque manifestatam; quare in casu conditionis nuper allatae: si parentes consenserint, plerumque sufficiet, quod non dissenserint, quum sciverint, quia hic est ordinarie sensus illis verbis intentus

Supposito autem valore huius matrimonii, post verificatam conditionem, sine novo consensu, quaeritur, an quoad loca Tridentino subiecta (vel quoad loca et matrimonia non exempta a decreto *Ne temere*) idem dicendum sit. Et certum est, idem dicendum, si conditio secreto prius fuisset apposita, quam consensus matrimonialis coram parocho in forma tridentina celebraretur, qui postea pure datus est. Si autem conditio adfuit in ipso actu matrimonii contrahendi coram parocho et testibus, quaestio est inter doctores; at etiam in hoc casu non videtur recedendum a priore resolutione. Ratio est, quia lex ecclesiastica ad validum matrimonium non praescribit, nisi hoc, scilicet quod contrahentes exprimant suum consensum coram parocho et testibus. Porro in casu consensus ita est manifestatus, et consensus, etsi sub conditione da-

tus, quamvis non sit purus, est tamen verus, et purus fit, impleta conditione. Quare nihil cogit ad concludendum in casu pro invaliditate. Cui sententiae in tertia editione adhaeret quoque doctissimus Gasparri *de matr. II. 991.* Si quando autem coniuges vellent, matrimonium conditionate contractum ante expletam conditionem firmare, et conditionem publice apposuerint in ipsa celebratione matrimonii iuxta formam tridentinam, vel decreti *Ne temere,* debent iterum iuxta eamdem formam contrahere. Si vero conditio secreto apposita fuerit, vel agatur de locis formae substantiali non subiectis, possunt matrimonium firmare etiam per consensum inconditionatum secreto datum, quamvis illicite hoc facerent.

1434 **Conditio de futuro contingente turpis.** — Conditio de futuro contingente turpis, sed non contraria substantiae matrimonii, in foro externo habetur pro non adiecta (*c. 7. tit. cit. X.* [*IV. 5*]); in foro interno videndum quid voluerint contrahentes. Conditio vero, quae sit de futuro contingente, et sit contra substantiam matrimonii, in utroque foro, idest et in externo et interno, matrimonium invalidat. *c. 7 nuper. cit.; S. U. I. 2 oct. 1680, 1 aug. 1748.*

Conditiones vero contra substantiam matrimonii eae dicuntur, quae sunt:

a) contra bonum prolis physicum (non vero spirituale, ut communius tradunt doctores; quare conditio educandae prolis in infidelitate, vel alia huiusmodi, non est contra substantiam matrimonii, cfr. Reiffenstuel *in tit. 1 lib. IV Decr. n. 371;* Maschat *Inst. can eod. tit. n. 76;* Gasparri *de matr. II. 1013 etc.*), ut ecce: si prolem futuram eneces, si debitum non tenear reddere etc.;

b) contra bonum fidei coniugalis, ut ecce: si pro quaestu adulterandam te tradas etc.;

c) contra bonum sacramenti, idest contra essentiales proprietates matrimonii, ut ecce: si non (seu donec) invenero aliam ditiorem, si (idest donec) fidèlitatem servaveris, dummodo mihi liceat aliam assumere etc. *c. 7 tit. cit. X.* (*IV. 5*).

Utrum et quando huiusmodi conditiones tamquam verae conditiones appositae fuerint, et in pactum deductae, an non, diiudicandum est ex adiunctis et circumstantiis casus. Ad hoc autem Ballerini-Palmieri *VI. 287* tradit optimas regulas pro casu eorum, qui erronee existimantes, quibusdam in casibus licere repudium uxoris, aut divortium quoad vinculum, connubia ineunt. Quae regulae ad alios etiam casus extendi possunt et applicari; sunt autem sequentes: 1° quando contrahunt cum pacto expresso, ut possint uti repudio in casibus permissis, matrimonium est nullum; 2° quando contrahens eo animo contrahit, ut liceat sibi uti repudio, licet id non deducat in pactum externum, matrimonium etiam est nullum; 3° si coniuges sciant in republica sua licere repudium, et praecise propter hoc contraxerunt, non contracturi, si contrarium scivissent, in nullitatem matrimonii declinandum est iudicium; 4° si contrahentes ignorabant, an vinculum foret perpetuum

vel, si putabant etiam esse dissolubile, non limitarunt tamen suam intentionem tempore contractus ad eam existimationem, sed habuerunt generalem intentionem contrahendi matrimonium validum, ita ut illa ignorantia vel existimatio se habuerit tantum concomitanter, tunc matrimonium videtur omnino validum.

Porro probe notandum est, in his omnibus discrimen esse quoad forum internum et externum. Scilicet in foro interno, ad diiudicandam invaliditatem matrimonii, sufficit, ut unus contrahentium serio et indubitanter asserat, se habuisse animum se obligandi alteri parti sub conditione tantum substantiae matrimonii repugnante. In foro externo necesse est, ut is animus cogentibus argumentis probetur, inter quae adnumeranda est etiam confessio iurata amborum coniugum cum alia semiplena probatione, quae in casu haberetur, si lex civilis seu religiosa sectae, cui erant adscripti, divortium statueret certis in casibus; et inter coniuges non haberetur collusionis periculum aut praesumptio. B. P. *VI. 287.* Cfr. etiam *Instr. S. U. I. ad vic. ap. Oceaniae 6 apr. 1843; ad episc. S. Alberti in Canada 4 dec. 1874; ad ep. Nesquall. in St. Unit. Am. sept. ann. 1877; ad vic. ap. Victoriae Nyanzae 3 apr. 1889.*

1435 **De conditione servandae castitatis.** — Quaestio autem hic fit, utrum conditio de servanda castitate sit contra substantiam matrimonii. Et affirmative respondendum est iuxta omnes, si contrahentes non intendant invicem sibi dare mutuum ius in corpus; si vero hoc ius transferentes invicem intendant tantum renunciare licito usui iuris, negative respondendum videtur omnino, quamvis nonnulli aliud sentiant. Clericatus *de matr. decis. 3. n. 21, decis. 20. n. 21:* Bened. XIV *de Syn. lib. XIII. c. 22. n. 11;* B. P. *VI. 231* (*a*); Palmieri *de matr. thes. III.* In praxi retinendum illud, quod sapienter monet Gasparri (*de matr. II. 1011*): « Stante hac controversia, in praxi, si agatur de matrimonio contrahendo, non permittatur cum illa conditione; si de contracto, interim matrimonio favendum, donec S. Sedes aliud declaraverit ». *Cfr. S. C. C. in Elboren. 27 iul. 1907*

Conditio de futuro necessario aut impossibili. — Conditio de eventu futuro necessario aut impossibili consensum non suspendit, et habetur pro non adiecta; quare matrimonium statim valet. *c. 7. tit. cit. X.* (*IV. 5*). Hoc quidem regulariter loquendo; nam si vere contrahentes noluerint se obligare, nisi exspectato eventu necessario; aut in altero casu, si vere nolint se obligare, nisi in casu verificatae conditionis, et proinde de facto non consentirent, sed dissentirent, matrimonium in foro interno esset nullum, et pariter nullum iudicandum esset in foro externo, si internus ille animus probari posset. Quod facilius accidere potest in primo casu ex ignorantia contrahentium, qui non putant necessario eventurum id, quod de facto necessario eveniet. Confer Lugo *de iust. et iur. disp. XXII. n. 336.* 1436

An licitum sit matrimonium sub conditione contrahere. — Nota tandem, quod, quamvis conditiones pleraeque non obstent valori matrimonii, 1437

contrahere tamen conditionate, sine urgentissima causa ab episcopo approbanda, grave est. Cfr. Santi *in tit. 5. lib. IV. Decr. n. 8.*

1438 **De matrimonio sub causa, demonstratione, modo.** — Huic quaestioni de matrimonio sub conditione contracto affinis est quaestio de matrimonio inito sub causa, demonstratione, modo (vide haec suis locis). Quoad haec omnia expedita res est. Matrimonium in his casibus semper valet, etsi causa, demonstratio, vel modus sint contra substantiam coniugii, nisi transeant in veri nominis conditionem. Quoad causam et demonstrationem assertio est obvia; quoad modum ratio brevis; quia modo voluntas non alligatur, quum modus sit quid extrinsecum consensui. Patet autem, modum, si sit inhonestus, non esse servandum. Reiffenstuel *in tit. 5 lib. IV Decret. n. 64;* Schmalzgrueber *in eumd. tit. n. 143 sqq.;* B. P. *VI. 302. sqq.;* D'Ann. *III. 449.* Alii tamen doctores (Sanchez *de matr. lib. 5 disp. 19. n. 5 sqq.;* Pirhing *in tit. 5 lib. IV Decr. n. 2;* Santi *in eumd. tit. n. 39*) contrarium tenent quoad modum contrarium substantiae matrimonii; qui tamen non videntur in hoc sequendi

1439 **De matrimonio inito cum adiectione diei.** — Quoad matrimonium autem initum cum adiectione diei, haec habe ex D'Annibale *III. 450:* « Si matrimonium in *diem* initum fuit, nihil erit actum, et planum est. Sin, *ex die,* v. gr. duco te post ferias, verba pugnantia sunt; ideoque, ex rigore verborum, neque matrimonium neque sponsalia intelliguntur; itaque, si his verbis usus fueris sciens volens, reor nihil actum esse; sin, ut vulgo usurpari solent, sponsalia sunt ».

De conditionibus in sponsalibus (*remissive*). — Quae spectant ad conditiones *in sponsalibus* dicentur sub *Sponsalia,* ubi etiam de sponsalibus sub causa, demonstratione, modo initis.

Decr. Grat. C. XXVII. q. 2; C. XXXII. q. 2; tit. de conditionibus appositis in desponsatione vel in aliis contractibus X. (IV. 5); Instr. Card. Rauscher § 51 sqq.; Comm. Decretalium in tit. cit.; *Hostiensis* Summa in h. t.; *S. Raymundi* Summa de poen. et matr. lib. IV tit. de impedimento conditionis; *Garand* De matrimonii, cui impossibilis conditio adiecta est, valore; *Sanchez* De matrimonio lib. V; *Janke* De conditionibus matrimonio appositis dissertatio; *Phillips G. I.* Quid ius catholicum et protestanticum statuerint de impedimento, quod vocatur deficientis conditionis, dissertatio; *Phillips G. I.* Das Ehehinderniss d. beigefügt. Bedingungen n. kath. u. s. spätere Entwicklung i. prot. KR.; *Manenti C.* Della inapponibilità delle condizioni ai negozi giuridici ed in ispecie delle condizioni opposte al matrimonio; *Scheurl A.* Bemerkungen üb. d. kan. Ehehindern. d. beigefügt. Bedingung.; *Kreutzwald* Josephsehe; *Flunk M.* Die Vermählung Mariä m. Joseph; *Riedler F. I.* Bedingte Eheschliessung; *Hussarck v. Heinlein M.* Die bedingte Eheschliessung; *Bardenhever O.* Zur Geschichte d. Auslegung d. Worte: Wie soll dies geschehen, da ich keinen Mann erkenne? Luk. II. 34; *Freisen* Gesch. des can. Eherechts § 25; *Esmein* Le mariage I. 171 sqq.; II. 216 sqq.; *Sägmüller* Lehrb. des k. KR. § 133; *Hergenröther-Hollweck* Lehrb. des k. KR. n. 871. 915 sqq.; *Leitner* Eherecht § 23; *Aichner* Comp. iur. eccl. § 169; *Scherer* KR. § 110. IV, § 112. VIII; *Rosset* De Sacr. matr. I. 170 sqq.; *Wernz* Ius Decr. IV. 290 sqq.; *Gasparri* de matr. II. 977 sqq.

Confr. alios quoque tractatistas de matrimonio.

Conditiones ad legem; ad consuetudinem praeter vel contra ius; ad peccatum mortale; ad correctionem fraternam; ad iuramentum; ad votum; ad praescriptionem; ad testamentum; ad validam et licitam sacramentorum susceptionem; ad eucharistiam dispensandam; ad eam recipiendam; ad contritionem; ad confessionem; ad propositum; appositae in sacramentis, in absolutione; ut peccatum reservetur; pro absolvendo complice; pro dissolutione matrimonii infidelium; ad dispensationem ab impedimento disparitatis cultus; ad acquirendum quasi domicilium; ad censuras, vide suis locis.

1440 **Conditio servilis.** — Conditio servilis proprie dicta, a libera altera parte ignorata, est impedimentum matrimonii. Cfr. *tit. 9. l. IV. Decret.* Scilicet pars ingenua, quae ex errore sive vincibili sive invincibili, sive culpabili, sive inculpabili, inducto cum fraude vel non, contrahit matrimonium cum altera parte vere serva (vera scilicet et stricte dicta servitute, qua servi sunt mancipia, quae vendi et locari a domino possunt, Feije *de imp. et disp. matr. n. 120*), quam ipsa ingenuam putat, nulliter contrahit, et, errore detecto, nullitas non sanatur, nisi ex consensu postea renovato. *c. 4. tit. nuper cit.* Pars ingenua, errore detecto, ius habet exclusivum accusandi matrimonium et petendi declarationem nullitatis. *cc. 2. 3. 4 tit. cit. X.* (*IV. 9*). Interim debet se separare a toro; at a cohabitatione publice inita separari nequit sine interventu iudicis ecclesiastici. *c. 3 de divort. X.* (*IV. 19*).

Hoc vero impedimentum iure apud nos adhuc viget, non autem de facto, quia communiter deest occasio.

Nota autem, conditionem servilem, ut talem, non dirimere matrimonium, quum et servi coire nuptias possint, etiam invitis dominis (*c. 1. tit. cit. X.* [*IV. 9*]), sed errorem, ut diximus.

Impedimentum autem istud non est iuris naturae (S. Th. *Suppl. q. 52. a. 1. ad 3*), sed iuris ecclesiastici tantum, quum agatur de errore accidentali. *cc. 2. 3. 4 tit. cit. X.* (*IV. 9*); D'Ann. *III. 444* (*15*).

Condonatio. — Condonatio debiti 1441
expresse, vel tacite facta (ex. gr. si creditor laceraverit tuam obligationem, vel tibi reddiderit) ex parte creditoris, qui dominium et administrationem rei debitae habeat, et libere condonet, excusat debitorem in perpetuum. S. Alph. *III. 700.*

Quoad condonationem poenae peccati, vid. *Indulgentia.*

Conductio. — Vid. *Locatio.*

Confessarius. — ***Generalia.*** — Con- 1442
fessarius est solus sacerdos, cui ad hoc necessaria est et iurisdictio et approbatio, tum ad liceitatem, tum ad validitatem.

De approbatione. — **Quid approba-** 1443
tio. — Approbatio confessarii est ordinarii iuridicum iudicium de alicuius sacerdotis ad audiendas confessiones idoneitate. Quum autem sit iudicium iuridicum, patet valere externam approbationem, etiam in casu, quo internum iudicium episcopi decerneret potius pro inidoneitate, quam pro ido-

neitate sacerdotis, quem externo actu approbat. S. Alph. *VI. 545.*

Neque ad iudicium istud ferendum, tum si quaestio est de validitate, tum si quaestio est de liceitate, necessarium est, ut episcopus approbandum prius examinet. Potest enim episcopus iudicium authenticum proferre de idoneitate alicuius, etiamsi ea ipsi non constet ex examine, sed aliunde.

Ea in ecclesiis ritu latino utentibus, non item in orientalibus, omnes egent, (etiam regulares quoad confessiones secularium), ad confessiones, tum licite, tum valide excipiendas. Concil. Trid. *sess. XXIII. c. 15 de ref.*

Episcopus etiam sacerdotem extraneum approbare potest. Regularis in aliqua dioecesi approbatus, ab ea discedens et ad eamdem rediens, gaudet eadem approbatione. Lugo *loc. cit. n. 44.*

1444 **Qui ordinarius approbationem dare debet.** — Ordinarius hic est ordinarius loci, ubi excipiuntur confessiones (quo nomine veniunt non solum episcopi, sed omnes praelati habentes iurisdictionem episcopalem, ut quidam abbates, et capitulum, seu vicarius capitularis, sede vacante, non vero provinciales aut generales ordinum religiosorum, S. Alphons. *VI. 547*), qui approbare potest etiam per alium. *Const.* Clem. X « Superna » *21 iun. 1670; Const.* Inn. XII « Cum sicut » *19 aprilis 1700; Const.* Benedicti XIV « Apostolica indulta » *5 aug. 1744.*

Quoad approbationem pro excipiendis confessionibus navigantium, vid. *Navigantes.*

1445 **De approbatione praesumpta.** — Non sufficit approbatio praesumpta. Lugo *de poen. disp. XIX. s. 2;* G. B. *II. 353; et alii communiter.*

An aliquando approbatio non requiratur. — 1446 Sine approbatione absolvere potest subditum habens (actu, idest non habitu tantum ut sunt ex. gr. canonici, qui constituunt capitulum, quod est parochus habitualis, *S. C. C. 1 apr. 1876*) iurisdictionem ordinariam in illum; hinc parochus vel episcopus, extra dioecesim, valide absolvunt suos parochianos vel dioecesanos. *S. C. C. 3 dec. 1707.* Habens vero iurisdictionem delegatam tantum, valide, sine approbatione, non absolvit.

De negatione et revocatione approbationis. — 1447 Potest approbatio ab episcopo, vel omnino negari (scilicet quoad validitatem etiam sine causa, quoad liceitatem tantum ex iusta causa, cfr. *Constit.* Bened. XIV « Apostolica indulta » *6 aug. 1744*), vel limitari ad certum tempus, locum et personas (cfr. *Constit. cit.* Innoc. XII; *prop. 13 ab Alex. VII damnatam;* Lugo *de poen. disp. 21 n. 51*); imo et revocari valide sine causa, licite ex causa iusta. S. Alph. *VI. 551.*

Nota tamen non deesse, qui existiment, non posse episcopum nec licite nec valide approbationem, praevio examine, concessam revocare, quia, aiunt, huiusmodi approbatio non est actus gratiosus et merae liberalitatis, sed est actus iustitiae et ius in approbato acquisitum ex iuridica sententia. Ita Suarez *de poen. dist. XXVIII. s. 8. n. 4;* Castropalao *Theol. moral. tr. XXIII. p. 18.* § *4. n. 6,* etc.; quam sententiam valde probabilem dicit

Casajoana in adnotationibus ad Gury *n. 543* (*ed. 2. hispana*). Quod referens Bucceroni (*Th. mor. II. 763*) addit: « sed vix in praxi probabilem (eam sententiam) censet S. Alphonsus (*VI. 551*), qui vero eamdem implicite censet probabilem, ubi evidens esset iniustitia, et quodcumque abesset allucinationis periculum. Sed et illud addendum est quoad praxim, quod nullum adsit scandalum. Unde praestat appellare ad metropolitanum vel ad S. Congregationem ». Quod et a Ballerini-Palmieri (*V. 358*) iure inculcatur.

Quoad hanc autem revocationem approbationis, nota posse quidem capitulum seu vicarium capitularem, sede vacante, suspendere facultatem audiendi confessiones confessariis secularibus, qui a defuncto episcopo approbati fuerant *ad beneplacitum* et sine tempore definito; hoc tamen non posse quoad regulares, qui approbati fuerunt, praevio examine et sine temporis limite, vel etiam *ad beneplacitum nostrum* ab episcopo defuncto; et, si ex hoc potestatis defectu in vicario capitulari, gravia exsurgerent inconvenientia, recurrendum ipsi esset ad sacram congregationem religiosorum. *S. C. Episcop. et Regularium 19 iun. 1866.* Hoc quidem in casu, quo regulares approbati fuerint, praevio examine; quod si sine examine fuerint approbati, iique sint ita imperiti, ut plura scandala ex eorum ministerio proveniant, potest vicarius capitularis eos ad examen vocare, et quos idoneos repererit approbare, quos inhabiles prohibere. *S. C. C. 5 febr. 1688.*

Episcopus autem successor potest confessarios tam seculares quam regulares iterum examinare. *Const.* Pii V « Romani Pontificis » *6 aug. 1571: Const.* Urbani VIII « Quum sicut » *9 oct. 1626; Const. cit. Clementis X.*

De approbatione quoad venialia aut mortalia remissa. — Quaestio instituta est, an sine approbatione possit quis excipere confessionem venialium aut mortalium, quae quis alias rite confessus est. Et forte theoretice non immerito quis pro affirmativa staret; verum in praxi hoc faciendum nullo modo est, quum Innocentius XI (*decr. 12 febr. 1679*) iusserit, ut episcopi non permitterent, venialium confessionem fieri sacerdoti non approbato ab episcopo aut ordinario. 1448

De approbatione quoad articulum mortis. — In articulo mortis non est necessaria approbatio; quod hodie certum est ex sequenti responsione S. Congr. Inquis. (*29 iul. 1891*): « Non sunt inquietandi, qui tenent validam esse absolutionem in articulo mortis concessam a sacerdote non approbato, etiam quando facile advocari seu adesse potuisset sacerdos approbatus; et qui tenent validam esse absolutionem in eodem articulo mortis concessam a peccatis reservatis, sive simpliciter, sive cum censura, per sacerdotem non habentem iurisdictionem in reservata, etiamsi advocari seu adesse facile potuisset sacerdos habens praedictam iurisdictionem ».

De approbatione in ecclesiis orientalibus. — Diximus, in ecclesiis ritu orientali utentibus non esse necessariam approbationem. Attamen nota, 1449

hoc non excludere, necesse esse, ut is, qui alicui confessario dare debet iurisdictionem ad confessiones excipiendas, scire debeat, ipsum esse capacem huic muneri adimplendo. Quare pro Chaldaeis rescripsit s. congreg. de Prop. Fide: « nemini tribuatur facultas excipiendi sacramentales fidelium confessiones, nisi prius, diligenti examine instituto, de sufficienti peritia sua in rebus moralibus plane constiterit ». *S. C. P. F. 13 apr. 1807.*

Imo ex ipso officio confessarii patet, ubique necessarium esse, ut is, qui confessiones audit, sufficienter instructus sit idiomate, quo fideles audiendi utuntur. *S. C. P. F. 17 mart. 1760, 2 aug. 1762.*

1450 ***De iurisdictione.*** — **De necessitate iurisdictionis.** — Iurisdictio praeterea in confessario necessario requiritur ad ipsam validitatem sacramenti. Conc. Trid. *sess. XIV. de poen. c. 7.* Quid ea sit vide sub *Iurisdictio.* Breviter hic definiri potest: potestas solvendi et ligandi in foro sacramentali. D'Ann. *III. 318.*

1451 **Cui competit ordinaria.** — Ordinaria competit R. P. pro tota ecclesia; episcopo pro sua dioecesi (et vicario generali, qui cum episcopo unum constituit tribunal, nec non canonico poenitentiario vi muneris); parochis pro suis parochianis (cum parochis eodem iure censentur oeconomi seu vicarii etiam ad nutum amovibiles, qui in parochiis vacantibus ab episcopis constituuntur, D'Annibale *loc. cit.* [3]): praelatis regularium pro subditis. Et nota, hos omnes, qui iurisdictionem habent ordinariam, non indigere approbatione, ut eruitur ex superius dictis.

De delegata iurisdictione. — Potest iurisdictio ab habentibus ordinariam iurisdictionem aliis delegari. In casu extremae necessitatis et in articulo mortis delegata est omnibus sacerdotibus. Conc. Trid. *l. c.; resp. S. U. I. 29 iul. 1891.* 1451

Delegata exspirat exspirato tempore praefixo, mortuo delegante, etc. (S. Alph. *VI. 558. sq.*), nisi data sit « *ad beneplacitum Sedis* », quia tunc illimitate concessa semper perdurat, donec positive revocetur. Bened. XIV *const. cit.* § *3.* Si vero data fuerit *ad beneplacitum*, per se ex generalibus iuris principiis dici deberet, eam cessare, desinente vivere eo, qui concessit. Cessat enim beneplacitum alicuius, eius morte interveniente. Vid. *Beneplacitum.* Attamen haec formula in casu sumitur pro alia: *donec revocavero;* quare, mortuo delegante, manet potestas. Hoc autem patet ex responsione superius citata S. Congr. Episcoporum et Regularium *19 iun. 1866.* Cfr. B. P. *V. 355.* Nunc in praxi cum approbatione semper ab episcopis confertur iurisdictio.

Quando suppletur iurisdictio. — Iurisdictionem supplet ecclesia in illis, qui habent titulum coloratum (S. Alph. *VI 572*), et iuxta quosdam etiam existimatum (B. P. *V. 402;* G. B. *II. 360*), quando agitur de errore communi (vid. *Titulus*); attamen quoad hoc ultimum de titulo existimato sacra congr. Concilii videtur adhaerere sententiae contrariae. Nam interrogata, an pp. Capucini, qui in patavina dioecesi confessiones exce- 1453

perant sine licentia episcopi illius dioecesis, valide absolvissent, quia aliqui ex his erant in aliena dioecesi approbati, alii vero ab episcopo patavino ad annum, sed iam elapsum, respondit: « illicite et invalide confessiones excepisse, sed non esse inquietandos illos, qui bona fide confessi sunt. Attamen, si ipsi confessi hoc resciverint vel de invaliditate confessionis dubitaverint, eosdem teneri reiterare confessionem ». *S. C. C. 11 dec. 1683.* — Verius ecclesia supplet etiam iurisdictionem probabilem, si forte absit iurisdictio. S. Alph. *VI. 573.* Quod non solum intelligendum est, quum subest opinio probabilis iurisdictionis in dubio iuris (ex. gr. quod error communis cum titulo tantum existimato conferat iurisdictionem), sed etiam in dubio facti (ut ecce, an praeterierit tempus, ad quod mihi data est iurisdictio). D'Ann. *I. 80 (78) ed. 4ª* contra id, quod docuerat in 3ª editione *III. 321.* Ratio autem est, quia, quod cum probabili iurisdictione liceat absolvere, consuetudine introductum est, quae etiam pro probabilitate in dubio facti dicenda est militare. Attamen alii plures negant, si agatur de dubio facti. Cfr. Croix *Th. mor. lib. VI. p. 1. n. 118 sqq.*; Lugo *de poen. disp. XIX. n. 20 seqq.* — De iurisdictione et approbatione regularium, vid. *Religiosus.* De iurisdictione respectu monialium, vid. *Monialis.* De confessariis militum, vid. *Milites.* De reservatione casuum, vid. *Reservatio.*

Nota tandem hic, Romae fas esse confessariis ibidem approbatis absolvere ab omnibus censuris ordinario a iure reservatis. *S. U. I. 1 dec. 1875 decr. appr. a Sanctissimo Domino.*

De muneribus confessarii. — Munera confessarii sunt plura. Est enim pater, medicus, doctor, iudex. G. B. *II. 411.* Cfr. S. Alph. *Hom. ap. tr. 21.* 1454

Ut *pater*, debet igitur esse caritate plenus in toto confessionis decursu, tum benigne omnes excipiendo, tum eos adiuvando ut salutarem faciant confessionem, tum benigne dimittendo etiam eos, quibus absolutionem impertiri non potest. (Quos autem inabsolutos dimettere debeat, dicemus postea, et vide etiam *Recidivus*). Cfr. *const.* Leonis XII *pro iubilaeo ann. 1825.*

Circa hoc iuverit recolere ea, quae S. Congr. de Prop. Fide rescripsit vicario apostolico Chan-si in Sinis, praescribens ut omnes missionarii in administrando sacramento poenitentiae se gererent iuxta praescripta Synodi Sutchuensis anni 1803 *cap. 6. n. 5*, cuius haec sunt verba: « Neminem quantumvis flagitiosum ac scandalosum et incorrigibilem, qui aliquo, licet exiguo, poenitentiae stimulo excitatus ad tribunal accedit pro confessione suarum culparum umquam praesumant repellere, nisi nominatim et publice sit excommunicatus, aut sit iis criminibus implicatus, quibus a iure adiuncta est excommunicationis poena, et crimen, propter quod in excommunicationem incidit, ita notorium ac manifestum sit, ut nulla possit tergiversatione celari aut iuris suffragio excusari (quod de his neophytis plerumque rudibus et imperitis facile diiudicari nequit). Et quidem in hoc postremo

casu, si huiusmodi criminosus paratus sit scandalum reparare et ecclesiae satisfacere, cito admittatur. *Absolutionem enim sacramentalem*, inquit sacra Congregatio de Propaganda Fide in instructione ad hanc rem specialiter pro hac missione data ann. 1784, *immerentibus denegare in potestate sacerdotis est: at criminum confessionem non audire, flagitium esset non ferendum*».

1455 Ut *medicus*, debet causas mali cognoscere, illud sanare, relapsum praecavere. Vid. *Occasio, Recidivus.*

1456 Ut *doctor,* debet sub gravi scire ea omnia, quae ad validam et licitam huius sacramenti administrationem pertinent, casus communiores solvere, et de difficilioribus nosse dubitare. S. Alph. *VI. 627;* Lugo *de poen. d. 21 n. 70.* Secus peccat graviter, etiamsi confessiones ex sola caritate aut obedientia excipiat, vel ab episcopo fuerit approbatus; imo et superior hoc munus illi attribuens, vel confessionum excipiendarum ei veniam faciens, graviter peccat, nisi forte aliquando ex urgentissima necessitate excusetur, ut si quando neminem, praeter indoctum, ad aliquod exiguum et remotum oppidum mittere posset. Lugo *de poen. d. 21. n. 74;* S. Alph. *VI. 628.* - Tenetur etiam confessarius poenitentes ignaros ea docere, quae hic et nunc requiruntur ad rite suscipiendum sacramentum, et ea, quae ad salutem necessaria scitu sunt necessitate medii. S. Alph. *VI. 607 sq.* Attamen ex eo, quod doctor est, non potest poenitenti suas opiniones imponere. Quare non potest inabsolutum dimittere illum, qui adhaeret sententiae probabili contrariae illi, cui adhaeret confessarius, etsi confessarius putet, ut clarum est, suam esse probabiliorem. B. P. *V. 522.* Et ad hoc confessarium teneri sub gravi docet S. Alphonsus *VI. 604.* Ratio autem est, tum quia confessarius non est legislator, tum quia poenitens sufficienter dispositus ius habet ad absolutionem. — An et quando confessarius monere debeat poenitentem, vid. *Admonitio.*

Ut *iudex,* tenetur poenitentem in- 1457
terrogare ordinaria tantum cum diligentia de peccatorum specie, numero et occasionibus proximis, quoties prudenter dubitat, ista non sufficienter declarari. S. Alph. *Prax. conf. n. 19 sqq.* Interrogatio autem debet esse moderata, discreta (et in materia luxuriae tenenda est regula: «multo melius esse in pluribus deficere, quam in uno superabundare»), opportuna. Rit. Rom. *tit. III. c. I. n. 15. 16;* S. Alph. *VI. 607, Prax. conf. n. 21.*

Debet autem confessarius credere poenitenti, tam pro se, quam contra se dicenti, nisi evidenter sciat illum mentiri. Cfr. S. Alph. *VI. 630. seqq.;* Bucc. *II. 823.* Quae exceptio locum generatim non haberet, quum confessarius sciret peccatum poenitentis ex confessione alterius, tum quia alter potuit mendacium admittere, tum quia potuit falli, tum quia poenitens potuit iam alteri confessionem de eo peccato fecisse. Et hoc ultimum valet etiam ordinarie in casu, quo ipse confessarius vidisset poenitentem peccantem. At si vere in aliquo casu certo evidenter constat confessario, poenitentem et peccatum admisisse, quod

nunc non confitetur, et eum illius peccati nondum confessum fuisse, tunc confessarius non tenetur ita stare dictis poenitentis, ut non possit uti scientia sua ad convincendum et redarguendum ipsum poenitentem. Suarez *de poeniten. disp. 32 s. 3. n. 9.* Praecipue autem in praxi curare debet confessarius, ut, si quando peccatum, quod iure ipse suspicatur reticeri a poenitente, cognovit ex confessione alterius, memor sit obligationis suae, seu sacramentalis sigilli, et proinde generatim tantum interroget, sicut alias fecisset aut facere debuisset. Poterit tantummodo, si omne suspicionis periculum abesset, hortari poenitentem, ut animum addat, et conscientiam suam sine difficultate aperiat. Bucc. *II. 824.*

Poenitenti rite confesso et disposito absolutionem ex iustitia dare, certe indisposito semper negari debet, etiam in casu extremae necessitatis; generatim vero huiusmodi sunt ii omnes et soli, qui gravem aliquam obligationem implere renuunt. Aliquando forte absolutio differri potest, sed nonnisi rarissime. – Ad absolvendum non requiritur certitudo absoluta de dispositione poenitentis; sed sufficit moralis lata, seu prudens probabilitas. Quid requiratur, ut confessarius hanc sibi moralem certitudinem efformet, vid. *Absolutio.*

1458 ***De correctione defectus admissi.*** — Tenetur praeterea confessarius corrigere defectus in confessione admissos, et quidem defectum circa valorem sacramenti ex gravi culpa vel negligentia commissum, supposito gravi damno poenitentis (ut esset, si ipsum confessarius in mortali reliquisset, quia ex. gr. absolutionem non dedit, praesertim si ageretur de mortis periculo) reparare debet etiam cum proprio gravi incommodo (S. Alph. *VI. 619*), nisi aliunde iam fuerit reparatum (ut esset in casu superius facto, si poenitens iam iterum esset confessus, D'Ann. *III. 355*); defectum vero circa accidentalia sacramenti, ex. gr. integritatem confessionis, extra confessionem reparare non tenetur, si in hoc ipse negative tantum, etsi culpabiliter, se habuerit (Suarez *de poen. d. 32. s. 6. n, 8*); secus, si ex gravi culpa et positiva eum commiserit, et reparari possit sine scandalo, et gravi ipsius incommodo. Lugo *de poen. d. 22. n. 73;* Ball. *in Gury II. 455 (4).* Confessarius, qui ex malitia, vel ex ignorantia vincibili, vel ex gravi negligentia restitutionem poenitenti, vel a poenitente faciendam, impediverit (positive scilicet, idest persuadendo eam ipsi vel ab ipso non deberi; nam, si tantummodo deberi non admonuerit, caritatem laesit, et tenetur postea admonere, si poterit absque incommodo gravi, sed damni non tenetur, D'Ann. *III. 356*) debet errorem corrigere, et, si iam corrigi nequit, debet ipse restituere illi, quem laesit (Lugo *l. c. n. 61;* S. Alph. *VI. 621*), saltem, si dolus adfuit. D'Ann. *loc. cit.*

Notandum tamen est, confessarium extra confessionem sine poenitentis licentia cum eo loqui non posse de defectu in confessione admisso; quare confessarius, si quando debet corrigere aliquem defectum in confessione admissum, idque facere nequit, quin

de re in confessione audita loquatur, debet semper prius a suo poenitente licentiam loquendi exquirere.

De sigillo, quo confessarius tenetur, vid. *Sigillum sacramentale.*

Megalii M. Institutio confessariorum; *Augustini I.* Brevis notitia eorum, quae scitu necessaria sunt confessariis; *De Friburgo I.* Summa confessorum; *Azpilcueta M.* Manuale confessariorum et poenitentium; *De Sesse F.* In manuale confessariorum et poenitentium Azpilcuetae; *Fornari M.* Institutio confessariorum; *De Ariostis A.* Compendium confessorum; *A Spiritu Sancto Ant.* Directorium confessariorum; *Reginaldi Val.* De prudentia et ceteris in confessario requisitis; *De Graffiis I.* Tract. de arbitrariis confessariorum, quae attinent ad casus conscientiae; *Reginaldi V.* Praxis fori poenitentialis ad directionem confessariorum; *Solerii A.* Tractatus de confessariorum iuridica potestate; *Ab Angelo B.* Examen confessariorum; *Sa E.* Aphorismi confessariorum; *A Grana* Explicatio eorum, quae ad poenitentes et confessarios spectant; *Loarte G.* Institutio confessariorum; *Ligorius S. Alph.* Homo apostolicus.

1459 **Confessio.** - De necessitate confessionis. — Confessio de iure divino est omnibus lapsis necessaria ad salutem. Conc. Trid. *sess. XIV can. 7. de poen.* Etiam de iure ecclesiastico fidelibus in gravem culpam lapsis est necessaria saltem semel quotannis. Praeceptum divinum confessionis urget per se in periculo mortis et aliquando in vita; aliquando etiam per accidens, ut exsistentibus in letali quum eucharistia, vel, si solummodo attriti sint, aliquod aliud sacramentum vivorum suscipiendum est.

1460 **De electione confessarii.** — In primis autem hic notandum est, ecclesiam summopore urgere, eique maxime cordi esse, ut fideles liberi omnino sint, peccata sua sacerdoti inter approbatos confiteri, cui maxime velint. Quare restrictio quoad hoc, nisi aliquando ab auctoritate ecclesiastica iustas ob causas inducatur, est maxime improbanda et animarum tyrannis iudicanda. Hinc ecclesia nullam umquam fecit distinctionem ritus in confessionibus excipiendis, semperque voluit, ut fidelibus cuiuscumque ritus liceret omnino confessariis approbatis cuiuscumque ritus, etiam diversi, peccata sua confiteri. Et si quando episcopi alicuius ritus inhibuerunt suis fidelibus, ne ad alterius ritus sacerdotes pergerent, ut confessionem suam instituerent, hoc improbavit vehementer. *S. C. P. F. ad archiep. Alepp. Graeco-Melchit. 2 iun. 1835, 11 dec. 1838; ad deleg. Ap. Aegypti 30 apr. 1862.* Ob eamdem rationem S. Congr. de Prop. Fide declaravit, « tolerari non posse obligationem impositam parochianis sese sacramentaliter confitendi proprio parocho, aut alii presbytero, de eius tamen licentia, tempore paschali ». *S. C. P. F. 11 sept. 1792.*

Quaedam vero particularis exceptio 1461
circa hoc, sed in bonum poenitentis et in reverentiam sacramenti, Romae praecepta est. Districte enim prohibitum est, ne ullus cuiusquam religiosae communitatis aut seminarii aut collegii superior, sive maior, sive minor, Romae (excepto raro necessitatis casu, de quo eius conscientia oneratur) suorum alumnorum in eadem domo manentium sacramentales confessiones audire ullo pacto audeat.

S. U. I. 5 iul. 1899. Per hoc autem decretum nihil derogatum fuisse constitutionibus apostolicis quoad ordines religiosos declaravit eadem S. Congregatio. *S. U. I. 23 aug. 1899.* Haec tamen ultima declaratio non comprehendit religiosas congregationes votorum simplicium, quae decreto 5 iul. 1899 tenentur et ligantur. *S. U. I. 20 dec. 1899.* Restrictio haec, ut ex ipsis decreti verbis patet, est praeceptiva tantum in urbe Roma, alibi vero est directiva. Patet autem, iure hanc restrictionem fuisse inductam, quum ex usu, quod superiores audiant confessiones subditorum, ex una parte minuatur subditorum peccata confitendi libertas, et ipsa confessionis integritas periclitetur; ex alia vero superiores minus liberi esse possint in regimine communitatis, ac suspicioni exponantur, aut se notitiis in confessione habitis uti, aut benevolentiores se praebere erga alumnos, quorum confessiones excipiunt. Attamen convenire non possumus cum auctore ephemeridis Monitore ecclesiastico (*vol. XI pag. 202 in nota.*) decretum, qua directivum est, respicere etiam episcopos quoad confessiones suorum fidelium, quum episcopis ius divinum sit regere ecclesiam Dei, suosque fideles pascere, quod praecipue a superioribus ecclesiasticis per sacramenta fit; et praeterea in confessione episcopo facta non verificantur ea incommoda, quae habentur in excipiendis confessionibus alumnorum *in eadem domo manentium;* insuper, quo iure tunc episcopi reservarent sibi quosdam casus? Discordes etiam sumus a Monitore ecclesiastico (*vol. XIII. pag. 378*) asserente, nomine superiorum venire etiam professores seminarii quoad suos alumnos. Neque enim decretum videtur respexisse eam umbram auctoritatis, quae in professoribus est relate ad suos alumnos, sed veram illam auctoritatem disciplinarem, quae in seminariis exclusive est penes rectorem, vice rectorem, ministrum, vice ministrum, praefectos et alios huiusmodi, quaeque in professoribus, qua professores sunt, nullo pacto inest.

De dotibus confessionis. — Confes- 1462
sio debet esse integra, simplex, humilis, discreta, fidelis, vocalis (G. B. *II. 279*); quamvis scripto facta sit valida, non item si absolutio daretur per litteras (Clem. VIII. *20 iul. 1602* cum decl. Pauli V. *die 14 iul. 1605 in Congr. S. U. I.*); praeterea moerens, pura, parere parata. Integritas, quae requiritur, est formalis, non materialis, quae interdum est moraliter impossibilis; propter quam diligens de peccatis examen praerequiritur. Conc. Trid. *sess. XIV de poen. c. 5 et can. 7.* Vid. *Examen conscientiae.* Accusandae autem sunt species infimae peccatorum, quoad fieri potest, et numerus certus vel saltem certo approximans. Mendacium in confessione, circa res ad confessionem seu conscientiam poenitentis non pertinentes, vel quae, etsi pertinentes, non sint tamen de re necessaria, non est per se mortale. S. Alph. *Hom. ap. n. 28*; B. P. *V. 266.* Vid. *Integritas.*

De aliis dotibus confessionis nihil est in particulari dicendum, quia res plana est. Nota tantum quoad eam conditionem, quod sit vocalis, hoc

non posse colligi ex institutione sacramenti, aut etiam ex aliquo positivo praecepto ecclesiae, quod non datur, sed colligi ex constanti consuetudine ecclesiae, quae ad manifestanda peccata assumpsit hoc medium prae omnibus magis naturale et magis alienum a periculo divulgationis. Quare valida est confessio scripto facta, imo et licita, si sufficiens sit ratio sic confitendi; haec autem sufficiens ratio est quaevis gravis difficultas aut nimia verecundia (Suarez *de poen. disp. XXI sect. 3*); imo quaecumque verecundia aut maior quies poenitentis mihi videtur sufficere; neque enim de hoc praeceptum aliquod certum adest, quod potius videntur sibi finxisse moralistae. Cfr. B. P. *V. 262.* Quoad mutos pro confessione, vid. *Surdus;* quoad confessionem per interpretem, vid. *Interpres.*

De confessione requisita ad lucrandas indulgentias, vid. *Indulgentia.*

Petau D. De la pénitence publique et de la préparation à la communion; *Morinus* Com. hist. de disciplina in administr. poenitent.; *Boileau* Historia confess. auricularis; *De St. Marthe D.* Traité de la confession contre les erreurs des Calvinistes; *Canus M.* Recollectio de poenit. pars 6; *Bellarminus* Controversiae de poenit. lib. 3; *Francolini* Clericus romanus contra nimium rigorem munitus; *Francolini* De disciplina poenitentiae; *Orsi* Diss. hist. de capital. crim. absolutione; *Bingham* Origin. eccles. lib. XIV; *Juenin* Com. hist. dogm. de sacramentis t. 2. diss. 6; *Sirmond* Hist. poenitentiae publicae; *Muzzarelli* Confessione auricolare opusc. 13; *Klee* Die Beichte; *Siemers* Die sacramentalische Beichte; *Binterim* Die vorzüglichsten Denkwürdigkeiten d. kath. Kirche V. Theil 2. 3; *Funk* Bussdisciplin; *Knopp* Ueber den sacerdos proprius u. s. f.; *Steitz* Das römische Busssacrament; *Kliefoth* Die Beichte und Absolution; *Kellner* Buss- und Strafverfahren gegen Cleriker in den sechs ersten Jahrhunderten; *Frank* Die Bussdisciplin der Kirche von den Apostelzeiten bis zum siebenten Jahrh.; *Probst* Sacramente und Sacramentalien; *Bickell* Zur Geschichte der Beicht im Orient; *Kober* Die Geldstrafen in Kirchenrecht; *Jungmann* Dissertationes selectae in historiam eccl. II. 137 sqq.; *Lorinser* Die Lehre von d. Verwaltung d. heiligen Busssacramentes; *Müller* Der Umschwung in d. Lehre von d. Busse während d. 12 Jahrhunderts; *Lea H. Ch.* A history of auricular confession and indulgences in the latin Church; *Palmieri D.* Tract. de poenitentia; *Minges P.* Die angebliche laxe Busslehre des Duns Scotus; *Rütten W.* Studien zur mittelalterl. Busslehre mit besonder. Berücksichtigung d. älteren Franziskanerschule; *Vacandard* La pénitence publique dans l'église primitive; *Paulus N.* Zur angeblichen Veräusserlichung d. mittelalterl. Bussinstitutes; *Pignataro F.* De disciplina poenitentiali priorum ecclesiae seculorum commentarius; *Mattiussi G.* Della penitenza nei primi secoli; *Pruner* Kath. Moraltheologie II. 1073 ff.; *Simar* Lehrb. der Moraltheologie § 165: *Koch* Lehrb. der Moraltheologie § 59.

Confessio annua. — Confessio annua praescribitur cuique fideli, qui ad annos discretionis pervenerit. *c. 12 de poenitentiis etc. X. (V. 38) desumpt. ex Conc. Lat. IV.* Censentur autem ad eos pervenisse pueri capaces peccati mortalis. Pueri, etiam nulla mortali labe inquinati, absolvendi sunt. Cfr. Frassinetti *Manuale del parroco novello p. II c. 3 § 6.* 1463

Praecepto annuae confessionis non tenentur, qui venialia tantum admise-

runt. S. Alph. *VI. 767.* Non item qui ea tantum admisit, quae in praesens non cogitur confiteri, vel quia potest de eis celare confessarium, vel quia sunt reservata, ut putat D'Annibale *III. 378.* Ratio autem est, quia is potest de anteactis se accusare et absolutionem recipere, vel, si nihil aliud letalis umquam admisit, confiteri se generaliter peccatorum et recipere absolutionem. Ad recipiendam autem absolutionem, non ad manifestanda peccata, praeceptum hoc est inductum. Qui integro anno non est confessus, tenetur confiteri quam primum; terminus enim anni non ad finiendam, sed ad urgendam obligationem ab ecclesia positus est. S. Alph. *VI. 668.*

1464 Consuetudo confitendi in Paschate non est obligatoria (Salmanticenses *Th. mor. tr. VI. c. 7. n. 36 sqq., etc.*), sed introducta tantum est devotionis vel commoditatis causa. Lugo *de poen. disp. XV. n. 158.* Certum autem est, saltem ex legitima consuetudine, eum huic praecepto satisfacere, qui confessionem instituit tempore paschali, etiamsi intra Pascha huius anni et Pascha anni insequentis plus temporis intercesserit, quam unius anni naturalis. Imo nonnulli sunt doctores, ut Suarez, Salmanticenses, et ipse S. Alphonsus, qui putant praeceptum *annuae* confessionis intelligendum sic esse, a dominica Palmarum huius anni ad dominicam Palmarum anni insequentis.

Nota tamen, probabilem etiam esse aliam sententiam, ut quis debeat confiteri intra annum, et annus computandus sit a die prima ianuarii ad diem ultimam anni inclusive. Ex quo sequeretur, eum, qui confessus est primis diebus istius anni, et postea confessionem differt usque ad diem 31 decembris anni insequentis, non violare hoc praeceptum. B. P. *V. 695.*

Qui vero praevidet, se posthac toto 1465
anno copiam confessarii non habiturum, is debet confessionem anticipare. D'Ann. *III. 378 (8).*

Neque assentiendum videtur D'Annibale (*loc. cit.*) asserenti, eum confiteri intra annum iterum debere, qui in confessione eo anno iam facta, in qua sola venialia confessus fuit, vel letalia fuerit oblitus, vel ea omiserit iure suo, vel in ea inciderit postea, etiamsi hoc ei acciderit in ipsa novissima anni die. Nam bene dicit Ballerini-Palmieri (*loc. cit.*) has confessiones, in quibus ponendis D'Annibale praeivit Lugo (*de poen. disp. XV. n. 154. sqq.*), longe abesse a fidelium sensu; multo magis, quod sic melioris esset conditionis ille, qui peccata mortalia prius confessus eodem anno est, quam qui solum venialia.

Imo dissentiendum a Lugone videtur, etiam quoad aliud, quod idem Lugo tradit (*loc. cit. n. 168*), et refert approbans Ballerini-Palmieri (*V. 697. n. 3*), scilicet, eum confessionem intra annum iterum debere instituere, qui propter necessitatem confessus sit alicui non habenti facultatem absolvendi a reservatis, quae ipse habet, quum is *proprio sacerdoti,* ut lex postulat, non sit confessus; quippe proprius sacerdos ille est, qui habet potestatem ordinariam aut delegatam absolvendi poenitentem a *suis peccatis.* Nam bene Croix (*lib. VI.*

n. 2030), quem refert et approbat D'Annibale (*loc. cit.*), dicit, proprium sacerdotem eum dici, qui potest omnia absolvere, quae necesse est ei confiteri.

1466 **Confessio generalis.** — Confessio generalis est repetitio plurium vel omnium confessionum. Aliquando est necessaria, aliquando utilis et etiam inutilis et damnosa. Necessaria, quoties praeteritae confessiones quaedam, vel omnes, moraliter certo invalidae aut sacrilegae fuerunt. An utilis vel damnosa ex circumstantiis metiendum. Confer Bucc. *II. 722. sqq.*

1467 **Confessus.** - ***De confessione iudiciali.*** - **De natura et divisionibus confessionis.** — Confessio hic est asseveratio illius, quod ab adversario intenditur, sive est asseveratio unius ex litigatoribus verum esse factum sibi contrarium et adversario favorabile.

Confessio alia est *iudicialis,* quae fit in iudicio et coram iudice competente, alia *extraiudicialis,* quae datur extra iudicium vel coram iudice non competente; alia *spontanea,* sive libere facta, alia *non spontanea,* quae errore nititur aut elicitur dolo, vi vel metu ; alia *expressa*, quae disertis verbis aut scriptura etc. continetur alia *praesumpta*, quae secundum ea, quae communiter fiunt, exsistere supponitur; alia *simplex,* qua quis pure et sine limitatione factum fatetur, alia *qualificata,* quae fit cum clausula modificante et restringente; alia tandem *iurata*, alia *non iurata*

1468 **De conditionibus requisitis ad confessionem iudicialem.**

1° ex parte *subiecti* requiritur, ut fiat a persona habili, quae iure praedita est standi in iudicio iuxta sanctiones canonicas: quare debet emitti a maiorenni, quia minorennis absque tutoris adsistentia nequit sibi nocere in iudiciis. - In foro ecclesiastico nihil obstat quominus quis possit per alium confiteri aliquod factum in iudicio, sed ad hoc confitens debet esse munitus speciali mandato. Krimer *Quaest. can. lib. II n. 1403.*

2° ex parte *obiecti* requiritur, ut fiat de facto, quod nec rerum naturae nec iuri repugnat (ut si quis confiteretur se emisisse professionem ante 16 annum); debet esse praeterea obiectum certum et determinatum quoad substantiam et quantitatem, et litigiosum, et contra ipsum confitentem.

3° ex parte *ipsius confessionis* requiritur, ut fiat scienter et sine errore, sponte, clare, in iudicio coram iudice competenti. In foro ecclesiastico non requiritur tamen praesentia adversarii et multo minus acceptatio confessionis per alteram partem, ut in iure romano.

De vi atque effectibus confessionis iudicialis. — Confessio iudicialis rite facta efficit: *a*) ut habeatur optima et plenissima probatio quae infringat omnes alias probationes in contrarium; *b*) ut adversarius relevetur ab onere probandi; *c*) ut elidat praesumptionem etiam violentam; *d*) ut admittatur etiam post conclusionem in causa; *e*) ut inducat notorium; *f*) ut post se trahat sententiam iudicis, quae necessaria est tum in civilibus (in iure rom. non requirebatur, sed sufficiebat mandatum iudicis exsecutivum), tum in criminalibus in foro ecclesia- 1469

stico, non obstante confessione; *g*) ut sanet defectus commissos in processu conficiendo propter ordinem iudicialem non servatum; *h*) ut viam appellationi praecludat.

1470 **De scissione et revocatione confessionis iudicialis.** — Scissio confessionis habetur, quum fit confessio qualificata (nisi qualitas adiecta totam destruat confessionem factam), seu partialis, cui nempe addita est partialis negatio seu exceptio. Scinditur autem a iudice vel ab adversario, qui confessionem admittant in ea parte, quae confitenti contraria est, in alia reiiciant. Quandonam haec scissio admittatur in iudicio vel non, longum nimis esset hic quaerere.

Confessio ab uno ex litigatoribus in iudicio facta revocari potest in continenti i. e. antequam a iudicio recedat, etsi error probatus non sit; at si revocatio fiat ex intervallo, sed negotio nondum finito, saltem post litem contestatam requiritur ut doceatur de errore.

1471 ***De confessione extraiudiciali.*** — Confessio extraiudicialis est asseveratio unius ex litigatoribus extra iudicium facta verum esse factum ab adversario intentum.

Confessio extraiudicialis *in criminalibus* plenam vim probandi non habet, ideoque sola non sufficit ad pronuntiandam condemnationem.

Confessio extraiudicialis *in civilibus*, postquam plene probata sit in iudicio (quum factum sit, quod non praesumitur), modo plenam modo semiplenam probationem subministrat. – Probat plene, si fiat praesente adversario et cum expressione causae obligationis, si sit scripta, si cum iuramento fiat et ad causam piam, si facta sit publice vel a moribundo exonerandae conscientiae causa etc. – Fatendum tamen est in hac materia non omnia comprobari posse claris textibus iuris; quare ubi leges silent a prudenti iudicis arbitrio pendet decisio.

Tit. de confessis X. (II. 18); idem tit. (II. 9) in 6°; *Suarez R.* De iurisiurandi et confessionis viribus in iudicio; *Mancini V.* Tract. de confessione, ubi de confessione iudiciali vel extraiudiciali tam in criminalibus quam in civilibus; *De Guido H.* Tract. de viribus confessionis tam iudicialis quam extraiudicialis et tam in causis civilibus quam in criminalibus; *Brunner I. S.* De confessione iudiciali; *De Angelis F.* Tract. absolutissimus de confessionibus iudicialibus et extraiudicialibus; *Garofolo* Sulla confessione dei rei; *Mattei I.* Sulla confessione giudiziale; *Angiolini A.* La falsa confessione.

Confirmatio. – **De natura confirmationis.** — Est sacramentum N. L., quo per chrismatis unctionem sub certa verborum forma datur baptizatis plenitudo Spiritus sancti, ad firmiter credendum et ad fidem intrepide confitendam. Constat esse verum sacramentum, non autem quo tempore fuerit institutum. Cfr. *c. 125. dist. 4 de cons.;* Conc. Trid. *sess. VII can. 1 de confirm.* 1472

De materia confirmationis. — Materia remota est chrisma (quidam episcopus, postquam plures pueros chrismate confirmaverat, alios ex errore confirmavit oleo catechumenorum; petiit, utrum et quomodo error corrigendus; responsum ei est; *sileat* [*S. U. I. 22 nov. 1889*]; ex qua ta- 1473

men responsione non posset argui, validam fuisse confirmationem oleo catechumenorum collatam); proxima unctio chrismatis per manus impositionem. *Ep. encycl.* Ben. XIV « Ex quo primum » *1 mart. 1756.* Ad valorem sacramenti necessario requiritur oleum olivarum benedictum (iuxta quosdam requiritur etiam balsamum) et benedictio episcopalis. Vid. *Balsamum.* - Unctio facienda est per modum crucis in fronte confirmati, pro validitate quocumque digito manus ministri, pro liceitate pollice dextero, nec valeret sacramentum, peracta unctione medio instrumento.

1474 **De forma confirmationis.** — Forma confirmationis apud nos est: « N., signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris etc. » Eug. IV *Decr. pro Armenis.* Plerique docent, omnia haec verba esse prorsus necessaria ad validitatem; alii, inter quos D'Annibale (*III. 280*), sola necessaria esse: « confirmo te chrismate salutis ». Apud graecos forma haec est: « Signaculum doni Spiritus sancti ». Cfr. *Ep. encycl. cit.* Ben. XIV. *1 mart. 1756.*

1475 **De ministro confirmationis.** — Minister ordinarius est episcopus (Conc. Trid. *sess. VII can. 3 de confirm.*); extraordinarius sacerdos ex delegatione speciali romani Pontificis. *Const.* Bened. XIV « Eo quamvis tempore » *4 maii 1745; Instruct. S. C. P. F. 21 mart. 1774; Instr. S. U. I. mens. iul. 1888.*

Episcopus valide omnes confirmat, sed, si hoc facit extra suum territorium, graviter peccat; in eo tamen licite et extraneos confirmat ex consuetudine. S. Alph. *VI. 171 sqq.*

Diximus, ministrum extraordina- 1476
rium confirmationis esse presbyterum ex delegatione speciali romani Pontificis. Et ante omnia notandum est, delegationem hanc concedi semper cum praescriptione, ut sacerdos delegatus utatur chrismate ab episcopo benedicto. B. P. *IV. 789.* Quaeri autem potest, num haec delegatio habitualiter exstet quoad quosdam presbyteros. Et certe, si agatur de sacerdotibus latini ritus nulla generalis huiusmodi delegatio adest.

Verum quoad sacerdotes rituum orientalium distinguendum est in praesenti; antiquitus enim omnes eam habuisse videntur. Plures autem nunc sunt, quibus haec delegatio habitualiter data est, sed non omnes. Scilicet sacerdotes bulgari (quibus a Nicolao I adempta est), sacerdotes, qui sunt in regno Cypri (quibus adempta est ab Innocentio IV), sacerdotes italograeci (quibus adempta est a Clemente VIII *Instr. sua ad ep. Latinos, in quorum civitatibus Graeci vel Albanenses graeco ritu viventes degunt 31 aug. 1595;* cfr. etiam *Const.* Benedicti XIV « Etsi pastoralis » *26 mai 1742; Const. eiusd.* « Eo quamvis tempore » *4 maii 1745*), hanc delegationem non habent; idem dicendum de maronitis libanensibus (*S. U. I. 3 iul. 1853*); quare ad iudicandum, utrum confirmatio a graeco presbytero collata fuerit valida, haec est regula, quam tradit Benedictus XIV (*de Syn. lib. VII. c. 9. n. 5*): diligenter scilicet inquirendum, num in hoc vel illo loco, eiusmodi graecorum usus,

conferendi confirmationem a presbyteris simul cum baptismate, umquam ab apostolica Sede expresse fuerit improbatus; an potius ab eiusdem Sedis conniventia et lenitate toleratus. Si primum, confirmatio irrita pronuntianda est, si alterum confirmatio rata habenda. Quod, si res dubia sit, nec posset certo diiudicari, num alicuius regionis sacerdotibus aut expresse aut saltem tacite, data sit ab apostolica Sede haec facultas, abstinendum est a proferenda sententia, eaque exspectanda a romano Pontifice, cui decet adeo grave negotium significari.

Vicariis apostolicis in missionibus generatim conceditur facultas subdelegandi sacerdotes ad confirmationem ministrandam; attamen pro-vicarius sede vacante, vi muneris pro-vicarii, hanc facultatem non habet, quare multo minus potest alios sacerdotes subdelegare (*S. C. P. F. ad vicar. apost. Sutchuensem 12 sept. 1821*); concessum tamen postea est pro remotissimis missionum Sinarum ac finitimorum regnorum regionibus, ut praesule episcopali charactere insignito, cui unaquaeque illarum credita est, vita functo, superior interinus, vel vicarius generalis, cui iuxta constitut. Benedicti XIV «Ex sublimi» ecclesiastica iurisdictio devoluta est, vel electus vicarius apostolicus nondum consecratus, confirmationis sacramentum administrare, eamdemque facultatem uni vel alteri ex sacerdotibus vacantis vicariatus aut dioecesis subdelegare possint. *S. C. P. F. 29 iul. 1841.* Facultas vero, quae vicariis apostolicis fit subdelegandi simplices presbyteros ad dandam confirmationem, nec pro omnibus intelligenda est presbyteris facta, sed pro uno tantum alterove ipsis beneviso, neque tribuenda, ubi facile a vicario ipso apostolico frequenter missionis perlustratio seu visitatio peragi et sacramentum administrari valet. *S. C. P. F. ad vic. ap. Kouytcheou 21 martii 1851.*

Si quando vero aliquis baptizatus et confirmatus esset a sacerdote graeco-schismatico, non expediret, ut iterum ab episcopo catholico inungeretur, nisi ad tonsuram et ordines esset promovendus, vel ipse, aut eius parentes id peterent; quo in casu confirmationis sacramentum secreto conferendum esset et sub conditione. *S. U. I. ad patr. Hieros. 16 mart. 1872; ad vic. ap. patr. Constant. 1 apr. 1879; ad patr. Hieros. 14 ian. 1885; S. C. P. F. 5 iul. 1886.*

Quoad privilegium, quod quidam abbates habent, confirmandi fideles, vid. *Abbas.*

Sacerdos, qui habet delegationem 1477
ad administrandum sacr. confirmationis, debet initio ceremoniae monere adstantes, ministrum ordinarium illius sacramenti esse episcopum, se vero illud conferre iure ab apostolica Sede delegato. *Instruct. cit. S. C. P. F. 4 maii 1774; Instr. cit. S. U. I. iul. 1888.* Hoc autem ad validitatem non requiritur. *S. C. P. F. ad vic. ap. Coreae 11 sept. 1841.* Imo S. Congr. Un. Inquisitionis permisit, ut obligatio haec admonendi singulis vicibus adesset solummodo, quum sacerdos solemniter confert hoc sacramentum, non vero in privata administratione;

pro qua sufficeret debita instructio fidelibus alias facta et lectio testimonii delegationis semel quolibet anno in singulis christianitatibus. *S. U. I. pro Sin. 25 aug. 1880.*

1478 **De subiecto confirmationis.** — Subiectum est omnis et solus homo baptizatus et nondum confirmatus. Recipere hoc sacramentum non est necessarium de necessitate medii; an sit de necessitate praecepti controvertitur. Cfr. G. B. *II. 81. sqq.;* D'Ann. *III. 283.* Potest confirmandus ad verba episcopi: *N. signo te,* etc. praeter nomen suum baptismale aliud nomen sancti sibi imponi curare. *S. R. C. in Iaurinen. 20 sept. 1749 ad 7* (*2404*). Requiritur autem in confirmandis character baptismalis (et hoc ad validitatem), status gratiae et aliqua scientia catechismi.

1479 Quoad aetatem in confirmandis nihil est in iure determinate statutum. Attamen mos est a romana Ecclesia serio inculcatus, ut confirmatio conferatur in ea solum aetate, in qua fideles, evacuatis quae erant parvuli, intelligant tantum inter se differre baptismum et confirmationem, quantum in naturali vita distat generatio ab incremento (*Const. Ben. XIV. cit. 4 maii 1745*), hinc non ante septimum aetatis annum, nisi infantes periculose decumbant, aut ob distantiam locorum, amissa praesente occasione, aliam vix sint habituri (*S. U. I. ad vic. ap. Sandwich 11 dec. 1850; S. C. P. F. ad vic. ap. Kouytcheou 21 mart. 1851*); maxime vero laudabilis est praxis, ut ea conferatur pueris, antequam ad primam communionem admittantur. *S. C. C. ad ep. s. Dionysii 19 nov. 1854; Litt.* Leonis XIII *ad ep. Massiliensem 22 iun. 1897.*

De patrinis in confirmatione. — Patrinus etiam requiritur, qui sit iam confirmatus et alter a patrino baptismi. *c. 102 dist. 4 de cons.* Hoc tamen negligere leve esset. S. Alph. *VI. 187.* Quare sicubi consuetudo haberetur ut patrinus confirmationis idem sit ac patrinus baptismi, consuetudo haec posset tolerari. Episcopus tamen curare deberet ut pedetentim abusum evelleret. Ita respondit S. Congr. Concilii in Anconitana *16 febr. 1884.*

Per se ad munus patrini habilis est quicumque fidelis confirmatus, qui habeat usum rationis. Attamen rituale romanum (*de baptismo n. 24*) dicit, maxime convenire, ut patrini sint puberes. Sacra autem Congregatio de Prop. Fide in instructione data pro simplici sacerdote sacramentum confirmationis ex Sedis apostolicae delegatione administrante *4 maii 1774* expresse dicit, excludendos esse a munere patrini, qui minores sint annis quatuordecim; in quo eidem Congregationi praeiverat eminentissimus almae urbis vicarius in sua instructione pro susceptione sacramenti confirmationis *ann. 1773.*

Instructionem praedictam S. Congregationis de Prop. Fide confirmavit, et extendit etiam ad sacerdotes administrantes hoc sacramentum extra loca missionum, Sacra Congr. Un. Inquisitionis *mense iulio a. 1888.*

In locis missionum, si quando contingat, ut nullus adsit iam confirmatus, permittitur, ut aliqui sine patrino confirmentur, qui postea ceterorum

patrini esse poterunt. *Instr. cit. S. C. P. F.*

1483 Non est probandus usus, ut vir unus pro maribus, et una mulier pro feminis ab episcopo vel parocho deputetur omnibus ad patrini matrinaeve munus obeundum; sed tolerandum in casu necessitatis, ab episcopo iudicandae, iuxta formam pontificalis romani. *S. C. C. 14 iun., 12 iul. 1823; S. U. I. ad ep. Burlingtonen. 28 nov. 1873, ad vic. ap. Verapolens. 16 iun. 1884.* Patrinus vero in confirmatione adhibendus debet esse eiusdem sexus confirmandi, ita ut viri virorum, feminae feminarum sint patrini aut matrinae. *Pont. Rom.*

1484 Arcendi autem sunt a munere patrini, diversis de causis, non compotes sui, infideles seu non baptizati (*c. 102 dist. 4. de cons.*), non confirmati, ut diximus; et hi omnes, etiamsi actum patrini ponerent, invalide agerent, nec patrini essent, ideoque nec cognationem spiritualem contraherent, ut pro non confirmatis expresse declaratum est a S. Congr. Concilii *16 iun. 1654.* Praeterea arcendi quoque sunt excommunicati vitandi (cfr. Mon. eccl. *vol. XIV pag. 225 sqq.*), haeretici, criminosi, infames, parentes confirmandi, iique omnes, qui patrini munus et officium adimplere non poterunt, ut muti, regulares (*c. 103 dist. 4 de Cons.*), etc. Attamen regularis, qui factus fuerit episcopus (S. Alph. *VI. 156*), potest esse patrinus. Idem dic de regulari, qui deberet esse patrinus alterius regularis. Croix *VI. I. 397;* D'Ann. *III. 287 (13).* Confer plura de patrinis sub *Baptismus.*

Episcopus confirmans, volens agere patrinum, debet munus illud exercere per procuratorem. *S. R. C. in Policastren. 14 iun. 1873 ad 3 (3305).*

Confirmatio inducit impedimentum 1485
dirimens cognationis spiritualis. Quid ad hoc requiratur, et inter quas personas inducatur, vide sub *Cognatio.*

Sufficit, ut patrinus in confirmatione 1486
ponat manum suam dexteram super humerum dexterum confirmandi. *S. R. C. decr. cit. 20 sept. 1749 ad 6; S. U. I. ad vicar. ap. Sandwich 11 dec. 1850.*

De ceremoniis in confirmatione ad- 1487
hibendis. — Confirmatio ab episcopo per se conferri debet cum mitra et pluviali; adstante tamen causa potest conferri, adhibita tantum stola. *S. C. P. F. 22 mart. 1669; S. U. I. ad vic. ap. Coreae 12 febr. 1851.*

Consuetudo recitandi in administratione sacr. confirmationis ab episcopo simul et ab adstantibus *Credo*, *Pater* et *Ave*, utpote laudabilis servanda est. *S. R. C. in Conversanen. 15 iul. 1883 ad 3 (3582).*

In confirmatione albis vittis constringenda sunt capita confirmatorum; ubi tamen vittae comparari difficile possunt, toleranda praxis, ut sufficiat abstergere frontem confirmati (*S. U. I. ad vic. ap. Sandwich 11 dec. 1850*); quam abstersionem committere acolythis, in defectu sacerdotis aut alterius in sacris ordinibus constituti, nihil obstat. *S. C. P. F. ad vic. ap. Tunk. Orient. 20 maii 1786.* Sacerdos ex speciali delegatione confirmans, qui non habet usum pontificalium, non debet uti indumentis pontificalibus (*S. C. P. F. 23 apr. 1774*), sed vestibus sacerdotalibus, aut saltem alba et sto-

la; quando autem sacramentum hoc administrat in privatis domibus vel extra ecclesiam seu oratorium, non debet omittere uti saltem stola, si superpelliceum habere non possit. *Instr. cit. S. C. P. F. 4 maii 1774.*

c. 1. D. CXV; c. 1 sqq. D. V. de cons.; Const. Inn. IV «Sub catholicae» 6 mart. 1254; Instr. Clem. VIII. 31 aug. 1595; Const. Inn. XIII «Quum ad» 13 sept. 1721; Const. Ben. XIV «Etsi pastoralis» 26 maii 1742; Const. Ben. XIV «Eo quamvis» 4 maii 1745; Const. Ben. XIV «Suprema» 16 apr. 1749; Const. Ben. XIV «Anno vertente» 9 iun. 1750; Conc. Trid. sess. VII can. de confirm.; sess. XXIII can. 7 de sacr. ordinis; Instr. S. C. P. F. pro simplici sacerdote sacram. confirmationis ex Sedis Ap. delegatione administrante 4 maii 1774; *Vicecomes* Observationes eccles. (vol. 2, quo veteres confirmationis ceremoniae indicantur); *Scacchus* Sacrorum elaeochrysmaton myrothecium; *Beyer G.* De sacr. confirmationis; *Dallaeus* De duobus Latinorum ex unctione sacramentis, confirmatione et extrema unctione; *Bellarminus R.* Controv. De sacr. confirmationis; *Holstenius L.* Dissertatio duplex de forma et ministro sacramenti confirmationis apud Graecos; *De Sainte-Beuve I.* Tract. de sacramento confirmationis et unctionis extremae; *Amatus M.* De opobalsami specie ad sacrum chrisma conficiendum requisita; *Orsi I. A.* Diss. historico-theologica de chrismate confirmatorio; *Gerbert M.* De eo, quod est iuris divini et ecclesiastici in sacramentis, praesertim confirmationis; *Trombelli I. Ch.* Tract. de sacramentis, tom. 6. 7 de confirmatione; *Ziegler* Die Feier d. heilig. Firmung; *Gau De Valon* Manuum impositionis atque unctionis in confirmationis sacram. dissertatio; *Weltz* Das Sacrament der Firmung; *Nepefny B.* Die Firmung; *Lehmkuhl* Zur Frage üb. d. Priester als ausserordentl. Spender d. Firmung; *Praxmarer I. N.* Der einfache Priester als Spender d. Sakr. der Firmung; *Ianssens L.* La confirmation; *Heimbucher M.* Die heilige Firmung; *Blunt* Confirmation, its hystory and meaning; *Sheepshanks* Confirmation aud unction of the sick; *Nägle A.* Die kirchliche Patenschaft bei Taufe und Firmung; *Schanz P.* Die Lehre von den heiligen Sakramenten 282 ff.; *Koch* Lehrb. des Moraltheologie § 54; *Sägmuller* Lehrb. des k. RR. § 114; *Scherer* RR. § 105; *Simar* Lehrb. der Moraltheologie § 163; *Patissier* De la confirmation. Çonfr. etiam theologos dogmaticos.

Confirmatio electionis. — Confir- 1488
matio est etiam actus, quo superior ecclesiasticus ratam habet, et firmam facit electionem praelati, ab inferiore quadam persona singulari vel morali, electi. Omnes autem praelati post electionem suam petere debent specialem suae electionis confirmationem a superiore ecclesiastico competente (*c. 3 de elect. et electi pot. X.*]*I. 6*]); nisi confirmatio vel ex natura rei haberi non possit, ut est in electione rom. Pontificis, aut ex speciali iure vel privilegio non exigatur, ut est in deputatione vicarii capitularis aut in electione praepositorum generalium complurium ordinum religiosorum. Wernz *Ius Decr. II. 382.*

Ii, qui praeficiuntur ecclesiis cathe- 1489
dralibus aut archiepiscopalibus seu patriarchalibus, omnes, etiam S. R. E. Cardinales, si non recipiunt munus consecrationis intra tres menses a die acceptae notitiae de obtenta confirmatione, tenentur ad restitutionem omnium fructuum receptorum, etiam ante omnem sententiam declaratoriam. Si postea per alios tres menses conse-

crationem recipere neglexerint, ecclesiis suis ipso iure privantur, sed tunc requiritur sententia declaratoria. Wernz *Ius. Decr. II. 387.*

1490 Dicitur praesertim de rata habenda electione episcopi. Ad hoc debet superior negotium quasi de novo expendere (*cap. 7 et 44 tit. cit. X.* [*I. 6*]), ut nempe cognoscat, an electus dignus sit, qui confirmetur. Quoad episcopos hodie hoc fit per processum informativum, qui publicationi electi in consistorio praemittitur. Cfr. *Const.* Gregor. XIV «Onus» *15 maii 1591; Const.* Ben. XIV «Gravissimum» *18 ian. 1757.* Iure decretalium confirmatio spectabat ad superiorem proximum et immediatum (cfr. *c. 21 tit. cit. X.* [*I. 6*]); nunc episcoporum confirmatio, etiam quando capitulum habet privilegium eligendi suum episcopum, uni romano Pontifici reservatur. Multo magis id dicendum est de casu, in quo Gubernium aliquod per quoddam concordatum privilegium habet nominandi suos episcopos. Cfr. Nussi *Convent. p. 29 sqq. 38 sqq.* Confirmationem petere electionis spectat ad ipsum electum, qui hoc praestare debet intra tres menses a die acceptatae electionis, sive per se, sive per procuratorem. Si vero intra hoc tempus idipsum non praestiterit, amittit omne ius ex electione quaesitum. *c. 44 tit. cit. X.* (*I. 6*); *cc. 6. 16 eiusd. tit.* (*I. 6*) *in 6.°* Per confirmationem antiquitus electus (non autem archiepiscopus, qui debebat prius obtinere pallium, *c. 28 tit. cit. X.*) consequebatur plenam iurisdictionem et administrationem dioeceseos, exceptis iis, quae requirebant characterem episcopalem. *c. 15 tit. cit. X.* At nunc episcopus, etiam confirmatus, non potest iurisdictionem exercere, quin prius praesentaverit bullam promotionis capitulo ecclesiae cathedralis. *c. 1 de elect.* (*I. 3*) *in Xvag. comm.*; *Const.* Iul. II «Rom. Pontifex» *5 iul. 1505; Const.* Pii IX «Romanus Pont.» *28 aug. 1873*, etc. Per confirmationem praeterea acquirit quis ius in re, et quasi dominium in praelatura; vere est promotus et praefectus ecclesiae, ad quam fuerat electus; contrahit vinculum spiritualis matrimonii rati cum sua ecclesia. *c. 2 de transl. ep. X.* (*I. 7*).

Assequitur etiam privilegia episcoporum propria, iis tantum exceptis, quae ad solum episcopum consecratum spectant. Quare acquirit ius celebrandi in altari portatili, titulum episcopi electi et confirmati, etc.

Bibliographiam quaere sub *Electio.*

Confirmatio legis. — Confirmatio 1491
est etiam Pontificis corroboratio circa legem seu statutum latum ab inferiore auctoritate. Cfr. *tit. de confirmat. etc. X.* (*II. 30*).

Distinguitur confirmatio in forma communi et in forma specifica.

Confirmatio in forma communi est 1492
simplex et ordinaria, quae nempe supponit, non facit, actum validum (quare, si invalidus forte est, invalidus manet), eumque relinquit in sua natura, addens tantum maiorem quamdam dignitatem seu valorem moralem. Datur generatim sub conditionali forma, his aut similibus verbis: «Si iuste aut canonice facta sint, et sacris canonibus, Tridentini Concilii decretis et constitutionibus apostolicis non

adversantur ». Quae confirmatio, quum sit conditionata, non repugnat dari antecedenter statutis et legibus non conditis, sed condendis: et de facto aliquando ita data est.

1493 *Confirmatio in forma specifica* est talis confirmatio, quae actum etiam invalidum (praeter nonnullos casus necessario excipiendos, ut sunt ex. gr. si actus laborat defectu indispensabili a confirmante, quemadmodum accideret, si esset contra ius divinum; vel etsi defectus non sit indispensabilis a confirmante, talis tamen est, in quo dispensari non solet; si defectus non possit suppleri sine praeiudicio alterius; in his enim duobus postremis casibus non censetur Pontifex sanare defectum, nisi id expresse exprimat, idque possit, Schmalzgrueber *in tit. 30. lib. 2. Decr. n. 7*) validum reddit, mutans ipsius actus naturam; reddit enim legem pontificiam eam, quae nonnisi lex inferioris legislatoris erat. Datur sub formula: « motu proprio atque ex certa scientia ». Hinc suas leges priori modo confirmatas iudex inferior abrogare potest; leges posteriori modo confirmatas abrogare omnino non potest. Cfr. *c. 1. et 2. tit. cit. X.*; Santi *in tit. cit. Decr. n. 2. sqq.*; vid. *Concilium provinciale.* Quoad confirmationem privilegiorum, vid. *Privilegium.*

Bibliographiam quaere sub *Lex.*

1494 **Confiteor.** — Confiteor in missa dicendum est pure et simpliciter, prout habetur in missali romano, absque additione alicuius sancti etiam patroni (aut fundatoris, et in hoc non datur communicatio privilegiorum, *S. R. C. decr. gen. 20 mart. 1706 ad 2* [*2166*]), nisi adsit speciale indultum apostolicae Sedis. *S. R. C. in Florentina 3 mart. 1731* (*2297*). In missa solemni, dum dicunt *tibi Pater* et *te Pater,* diaconus et subdiaconus ad sacerdotem aliquantulum se convertunt; similiter sacerdos, dum dicit *vobis fratres,* aliquantulum se convertit prius ad diaconum, deinde ad subdiaconum, non vero in missa privata ad ministrum.

Celebrans ante cardinalem ubique terrarum, vel nuntium et legatum Sedis apostolicae in loco suae legationis, vel patriarcham in suo patriarchatu, vel archiepiscopum in sua provincia, vel episcopum in sua dioecesi, etiam in ecclesiis regularium quomodolibet exemptis, nisi illi sint incogniti vel sine habitu dignitatis assistant, dicit *Confiteor* (sicut et psalmum *Iudica* et alia usque ad introitum) in cornu evangelii, et loco *vobis fratres* et *vos fratres* dicit *tibi Pater* et *te Pater*, convertens se ad episcopum. Ritus celebr. miss. *tit. III. nn. 2. 8.* Nullo autem modo licet sacerdoti facere confessionem a cornu epistolae, praesente rege vel alio simili supremo principe loci, absente episcopo vel archiepiscopo. *S. R. C. in Ianuen. 18 apr. 1643* (*835*).

In horis autem canonicis, etiam quando assistit episcopus, *Confiteor* dici debet, prout est in breviario, nec immutandum *vobis fratres* in *tibi Pater,* etc. *S. R. C. in Lauden. 20 sept. 1687 ad 3* (*1787*); *in Lucen. 25 maii 1878* (*3452*). - Quando aliquis solus recitat officium, ad primam et ad completorium semel tantum dicit *Confiteor*, omissis illis verbis *tibi Pater*

vel *vobis fratres* et *te Pater* vel *vos fratres*, et similiter dicit *Misereatur nostri... peccatis nostris, perducat nos*. Rub. gen. brev. *tit. XV n. 2.* - Quum vero duo vel plures officium divinum privatim recitant, quoad recitationem *Confiteor* ad primam et ad completorium, possunt ita se gerere, ut si quis solus officium recitaret, sed ad hoc non tenentur, et possunt etiam alternatim confessionem facere. *S. R. C. in una Marsorum 12 nov. 1831 ad 39* (*2682*). - Moniales *Confiteor* recitare debent ut in breviario, dicendo *tibi Pater, vobis fratres* etc., non autem *tibi mater, vobis sorores*. *S. R. C. 18 aug. 1629* (*512*); *13 feb. 1666* (*1334*).

In sacra ordinatione *Confiteor*, ante communionem diaconorum et subdiaconorum dicendum, recitandum est post communionem presbyterorum. *S. R. C. decr. cit. 12 nov. 1831 ad 10.*

Sacerdos, qui celebraret sine ministro, non deberet dicere *Confiteor* bis, sed semel. *S. R. C. in Erien. 4 sept. 1875 ad 1* (*3368*).

In missis pontificalibus, quando habita est homilia, statim finito sermone diaconus, qui cantavit evangelium, stans ante infimum gradum solii, si episcopus celebrat, vel ante infimum aut in supremo gradu altaris, si episcopus tantum assistit, debet cantare confessionem (Cer. ep. *lib. I. c. XXV. § 1; lib. II. c. XXXIX § 1; S. R. C. decr. cit. 12 nov. 1831 ad 14*); quae convenientius cantatur memoriter; si tamen aliquis ex diaconis non potest eam memoriter cantare, potest ei concedi aliquis clericus, qui librum sustineat, donec cantet. *S. R. C. in Alexandrina 15 mart. 1608 ad 5* (*248*). Attamen, si consuetudo adesset, quod etiam in missis pontificalibus confessio non cantaretur, sed alta voce tantum diceretur, servari posset; et in missis solemnibus sive cantatis de requie, si distribuenda sit communio, diaconus dicit Confiteor tantum alta voce. *S. R. C. 28 nov. 1902.*

Confraternitas. — **De natura confraternitatis.** — 1495 Nomen confraternitatis in iure non semper eodem modo, sed aliquando latius, aliquando strictius sumitur. Hinc est, quod saepe in iure promiscue adhibentur sequentia vocabula: confraternitas, pia unio, consociatio, sodalitium et alia huiusmodi.

Latissime igitur sumpta confraternitas est associatio fidelium ad quaedam pietatis aut caritatis opera exercenda. Hoc in sensu etiam piae uniones confraternitates dici possunt.

Minus late sumpta confraternitas dicit associationem fidelium ad quaedam pietatis aut caritatis opera exercenda ad modum veri cuiusdam collegii institutam. In hoc sensu confraternitas distinguitur a piis unionibus, piis aggregationibus et aliis huiusmodi sodalitiis, quae laxiori tantum modo sociali vinculo colligantur, nec possunt vere dici ad modum organici corporis constitutae.

Stricte vero sumpta confraternitas est laicorum associatio ecclesiae auctoritate constituta ad quaedam pietatis aut caritatis opera exercenda et in augmentum publici cultus ad modum organici corporis constituta.

Est igitur stricte sumpta confraternitas associatio laicorum, quia, quamvis clerici a confraternitatibus non excludantur, si tamen in iis partem habent, non ut clerici habent. Debet praeterea confraternitas institui ab auctoritate ecclesiastica, quia est corpus morale in ecclesia; corpora autem moralia in aliqua societate legitime non coeunt nisi ex permissione auctoritatis socialis. Quamvis autem haec nota necessaria sit ad habendam confraternitatem, non bene tamen recensetur tamquam eius nota characteristica et specifica, quemadmodum fit a nonnullis. Cfr. Wernz *Ius. Decr. III. 704.* Nam etiam piae uniones erigi auctoritate ecclesiastica possunt, imo debent quoties aggregari velint alicui archiconfraternitati vel primariae associationi. Melata *De erectione confraternitatum in monialium monasteriis pag. 8 not. 1.* Nota igitur vere characteristica et specifica confraternitatis stricte sumptae in eo est, ut notat Melata (*Manuale de indulgentiis part. 2 sect. 2 cap. 2 art. 1* § *1*) ut sit instituta in augmentum publici cultus; quibus verbis, ut ipse ait ibidem «indicatur finis communis omnium confraternitatum stricte sumptarum et ratione cuius eiusmodi associationes differre videntur a ceteris omnibus, etsi ad formam organici corporis institutae. Nimirum ex praxi Curiae ut confraternitates stricte dictae habentur eae solummodo, quae partem aliquam habent in cultu publico, quaeque proinde proprium cappellanum habent, particulares vestes seu saccos induunt, vexilla deferunt, etc.» Quae omnia desumpta sunt ab eximio auctore ex Ursaya *tom. VIII part. 1 disc. 13 n. 9.* Et confirmari possunt ex decreto S. Congr. Indulg. 25 aug. 1897, quod vide sub *Uniones piae.*

De erectione confraternitatum. — 1496
Confraternitates eriguntur vel ab episcopis vel a superioribus ordinum regularium, quibus hoc concessum est. Vicarius generalis ad eas erigendas indiget speciali delegatione (*S. C. C. 18 aug. 1861*); imo etiam vicarius capitularius debet ab iis erigendis abstinere. *S. C. C. 23 nov. 1878.*

Ad erigendas confraternitates, sub 1497
poena nullitatis, servari debent normae praescriptae a Clemente VIII constitutione sua «Quaecumque» *7 dec. 1604*, innovata a Pio IX per decretum S. Congr. Indulgentiarum *8 ian. 1861.* Cfr. etiam *S. C. C. in Meliten. 29 iul. 1904*, quae hae potissimum sunt:

a) una tantum confraternitas eiusdem generis institui potest in ecclesiis tam secularium quam regularium; imo necesse est (nisi ex privilegio aliud concessum fuerit), ut nulla alia similis confraternitas in propinquo quodam loco, seu non ultra tria milliaria, fuerit erecta. *S. C. Ind. decr. cit.* (Hoc decretum vide sub *Archiconfraternitas*). Sufficit imo distantia unius leucae. *S. C. Indulg. 13 ian. 1893.* Sed in magnis civitatibus ordinariis a Leone XIII concessa est facultas erigendi plures confraternitates eiusdem nominis et instituti, servata tamen in eiusmodi erectionibus convenienti, eorum iudicio, distantia. *S. C. Indulg. 20 maii 1896.* Imo nota, quod prohibitio ista Clementina non

extenditur aut ad confraternitatem ss. Sacramenti aut ad sodalitates Doctrinae christianae, quae erigi deberent in unaquaque paroecia. *S. C. EE. RR. in Vercellen. 3 febr. 1610;* Lucidi *de Visit. sacr. lim. II. c. 7. § 2. n. 126.*

Pariter permissum est ut in una eademque ecclesia plures erigantur confraternitates seu sodalitates tertii ordinis secularis s. Francisci pro diversis sodalium nationibus ita ut unaquaeque habeat suos ad invicem independentes officiales, proprios coetus et proprium directorem spiritualem; et simul gaudeat indulgentiis aliisque gratiis et privilegiis ipsis concessis. *S. C. Indulg. in una Brasiliae 8 mart. 1905.*

b) erigi debet de consensu ordinarii (idest episcopi, nam vicarius capitularis debet ab iis erigendis se abstinere, ut diximus [*S. C. Indulg. 23 nov. 1878*], et vicarius generalis non potest eas erigere, nisi ut delegatus ab episcopo, qui habuerit privilegium delegandi [*S. C. Indulg. 20 iul. 1868*]), etiamsi erigatur a regularibus et in ipsorum ecclesiis (nisi regulares habeant quoad hoc peculiare apostolicum privilegium, Lucidi *de Vis. sacr. liminum II. c. 7. n. 130*); imo ad hoc requiruntur litterae testimoniales episcopi, postquam ipse reviderit et approbaverit statuta. Sufficiunt tamen ordinarii litterae, quibus consensum in erectionem vel aggregationem confraternitatum significet, et instituti pietatem ac religionem commendet; nec sunt necessarii duo actus distincti, unus quo detur consensus, et praeterea litterae testimoniales. *S. C. Indulg. 5 mart., 20 maii 1896.*

c) statuta confraternitatis examinari et approbari debent ab ordinario loci, a quo et corrigi possunt.

d) eleemosynas et alia caritatis subsidia excipere debet confraternitas iuxta formam ab episcopo praescribendam, easque ad arbitrium ipsius episcopi in utilitatem ecclesiae vel in alios pios usus erogare.

e) formula aggregationis praescripta in hac constitutione Clementis VIII servanda est; Pius IX decreto supracitato voluit, quod sufficeret, si in substantialibus servaretur. Hoc tamen pertinet tantum ad sodalitates seu confraternitates a regularibus erigendas, non ad eas, quae eriguntur ab episcopis. *S. C. Indulg. 25 ian. 1842, 22 aug. 1842, 18 nov. 1842.*

Et ab hac conditione servanda exempta est congregatio Prima primaria B. V. in collegio romano erecta quoad institutiones et aggregationes ab ea fieri solitas. *S. C. Indulg. 29 aug. 1864.*

f) litterae erectionis et aggregationis gratis omnino ac nulla prorsus mercede, etiam a sponte dantibus, sub praetextu quoque merae eleemosynae accepta expediri et concedi *possunt*; et solummodo titulo expensarum pro pergamena, scriptura, vel impressionis stipendio, sigillorum expensis, chordulis, cera, secretarii notariique labore vel mercede, aliisque omnibus eam quantitatem, quae non excedat summam scutatorum sex monetae romanae in Italia, et extra non excedat summam

libellarum, vulgo *francs*, triginta, pro singula institutione vel aggregatione vel confirmatione recipere licet.

1498 Erigi autem possunt confraternitates, etiam in ecclesiis non solemniter benedictis. *S. C. P. F. pro Sin. 16 ian. 1804.*

Prohibitum contra est eas erigere in ecclesiis religiosarum sive votorum solemnium (*S. C. EE. RR. in Tirasonen. 6 nov. 1595; 15 mart. 1599*) sive votorum simplicium. *S. C. EE. RR. in Romana 18 ian. 1907.* In his autem ecclesiis nihil obstat, quominus, servatis servandis, erigantur piae associationes, quae mulieribus tantum constant; imo quoad erectionem in his ecclesiis faciendam piarum associationum utriusque sexus, res remissa est arbitrio ordinariorum, quorum est assidue advigilare ut omnia rite recteque procedant. *S. C. EE. RR. decr. nuper cit.*

1499 Confraternitates ss. Rosarii (*S. C. Indulg. 19 aug. 1747, 11 apr. 1864*), Trinitatis, Carmelitarum et Servorum B. M. Virginis erigi non possunt, nisi de licentia superioris generalium uniuscuiusque ordinis respective, ita ut, si contingat, non obtenta prius ab eorumdem supremis moderatoribus venia, praedictas sodalitates constitui sub quovis praetextu cuiuscumque facultatis specialis, in qua nulla fiat expressa derogatio privilegii hac super re dictis ordinibus concessi, sodalitatum erectio nullius sit roboris, adeoque indulgentiis minime perfruatur. *S. C. Indulg. 16 iul. 1887.* Verum S. Congr. de Prop. Fide potest continuare in usu earumdem facultatum, quas circa erectionem confraternitatum habebat ante promulgationem decreti nuper citati; imo potest etiam quoad loca sibi subiecta, erigere confraternitates ss. Rosarii, ita tamen, ut fideles iis adscripti non lucrentur, nisi indulgentias communiter concessas omnibus in genere confraternitatibus canonice erectis; quod si vellent eas gaudere omnibus quoque indulgentiis, quibus gaudent confraternitates erectae a magistro generali ordinis Praedicatorum, moderatores missionum debent ad eumdem recurrere. *S. C. P. F. 30 iun. 1889.*

Confer quoad hoc etiam responsionem *S. C. Indulg. 25 aug. 1897*, quam invenies integram sub *Unio-nes Piae.*

De aggregatione confraternitatum. 1500 — Confraternitas *aggregari* potest archiconfraternitati, et per istam aggregationem consequitur ea privilegia, facultates et alias spirituales gratias ac indulta, quae archiconfraternitati aggreganti (aut ordini sive instituenti sive aggreganti) nominatim et in specie statuta sunt (non ea, quibus per privilegium communicationis forte gaudet), et quae archiconfraternitas confraternitati expresse et in specie communicaverit. Gratiae et indulgentiae confraternitati communicatae, tantummodo praevia cognitione ordinarii, promulgandae sunt. *S. C. Indulg. 8 ian. 1861.* Formula aggregationis confraternitatum archiconfraternitatibus, saltem quoad substantialia servanda, determinata est per cit. decr. S. C. Ind. et per aliud eiusdem S. Congr. decretum *19 oct. 1866.*

Confraternitas, quae alicui archiconfraternitati aggregatur, non potest recipere ipsius statuta, nisi approbante episcopo (*S. C. Indulg. 14 sept. 1872*), praeter casum, quo statuta archiconfraternitatis confirmata essent a s. Sede.

1501 **De adscriptione et de requisitis ad indulgentias lucrandas.** — Ad lucrandas has indulgentias necessaria est legitima adscriptio sodalium in confraternitate, quae nempe fiat ab eo, qui habet facultatem adscribendi sodales; quam facultatem si quis habeat indiscriminatim et non taxative, potest et seipsum adscribere. *S. C. Indulg. 16 iun. 1887.* – Generatim non possunt adscribi absentes (*S. C. Indulg. 13 apr. 1878*); verum non temere nec turmatim collectis nominibus, sed *discrete* hanc vel illam personam absentem aggregare licet, dummodo quaestio non sit de iis sodalitiis, quae strictiori sensu collegia dici possunt, et constituta sunt strictiori quadam ratione ad modum corporis organici. *S. C. Indulg. 26 nov. 1880.* Multo autem minus adscribi possunt mortui. *S. U. I. 6 dec. 1875; S. C. Indulg. 14 aug. 1889, 25 aug. 1897.*

Quoad indulgentias lucrandas praeterea nota, quod, dummodo sodalitates sint canonice erectae, et sodales adimpleant opera iniuncta a summis Pontificibus pro lucrandis indulgentiis suae respective confraternitati adnexis, ipsique sodales legitime descripti fuerint in confraternitatem, inobservantia partialis seu generalis statutorum non obstat acquisitioni indulgentiarum, ex eo quod statuta sunt potius ad regimen et ad rectam sodalitatis administrationem data, minime vero tamquam iniuncta opera ad indulgentias acquirendas. *S. C. Indulg. 25 ian. 1842.*

Nomina fidelium, confraternitatibus allectorum, recensenda sunt in albo confraternitatum, et haec conditio omnino requiritur, ut indulgentias confraternitatibus adnexas lucrari possint fideles; inscriptio tamen haec materialis a quocumque fieri potest, dummodo ab habente facultatem tantum christifidelis sit rite receptus. *S. C. Indulg. 25 sept. 1845.* Quapropter ab ea lege derogari nequit, nisi per peculiaria indulta, quae solum determinatos casus et certa loca respiciunt (*S. C. P. F. 30 iun. 1889*), ut factum est pro quibusdam Orientis missionibus, et pro missionibus in genere concessum etiam fuit aliquibus ordinibus aut congregationibus religiosis. Cfr. *S. C. P. F. 8 iun. 1845.*

De designatione officialium. — 1502 Episcopus autem potest designare directorem uniuscuiusque confraternitatis (etiamsi erectae a generali alicuius ordinis regularis, Beringer *Les indulgences II. 1. § 4. n. 6*) suae dioecesis, sive iam exsistentis, sive ab ipso ex speciali apostolica facultate erectae. *S. C. Indulg. 18 nov. 1842.* Imo potest etiam designare ad adscribendos sodales alium praeter directorem, ex. gr. parochum, in cuius ecclesia confraternitas instituta est (*S. C. Indulg. 25 ian. 1842*), vel etiam designare in rectorem seu moderatorem confraternitatis etc. parochum pro tempore. *S. C. Indulg. 8 ian. 1861.*

Quamvis in confraternitatibus apud

confratres sit ius admittendi novos confratres et eligendi suos officiales, hos tamen potest ordinarius suspendere ab officio, ad quod fuerant electi, ne detrimenti aliquid pia causa patiatur. *S. C. C. 15 iun. 1878.*

Imo in discordia confratrum potest episcopus iure devolutionis ipse officiales eligere, scilicet si in tertio scrutinio confratres non convenerint, vel electionem de indigno peregerint. *S. C. C. in una Civit. Pleb. 26 ian. 1760.*

1503 **De dependentia confraternitatum ab episcopo et a parocho.** — Confraternitates habent administrationem suorum bonorum temporalium, et in hoc non dependent a parocho (*S. C. C. 12 ian. 1704; in Iuvenacen. 2 iun. 7 iul. 1736; in Comen. 27 iul. 1737*); sed episcopus potest inquirere in administratores, et compellere administratores ad sibi reddendam rationem et ad impendenda bona confraternitatis in usus pios confraternitatis proprios.

Confraternitates erectae in aliqua parochia vel in aliquo oratorio sive publico sive privato, quod ecclesiae parochiali sit adnexum, subiacent parocho in omnibus functionibus ecclesiasticis etiam non parochialibus; quae vero erectae sunt in ecclesiis publicis, seiunctis a parochia, non subiacent parocho in iis, quae spectant ad functiones mere ecclesiasticas, et quae non reputantur munia parochialia. Si dubium circa hoc exoriretur, standum esset pro parocho.

Haec quidem breviter; sed non abs re erit integrum dare decretum universale S. Congr. Rituum, quo determinantur plura circa reciproca iura et obligationes inter parochos et confraternitates laicorum earumque cappellanos et officiales. Est autem sequens:

Ad debitum imponendum finem controversiis, quae inter parochos et confraternitates seculares earumque cappellanos et officiales super iuribus parochialibus et functionibus ecclesiasticis, nonnullisque praeeminentiis seu praerogativis frequenter exoriri solent, in S. R. C. ab emo. et rmo. D. Card. Colloredo propositis infrascriptis dubiis, videlicet:

1. An confraternitates laicorum legitime erectae in ecclesiis parochialibus habeant dependentiam a parocho in explendis functionibus ecclesiasticis non parochialibus. Resp. est: *Affirmative.*

2. An dictae confraternitates erectae in cappellis vel oratoriis tam publicis quam privatis, adnexis parochialibus ecclesiis et ab eis dependentibus, habeant dictam dependentiam a parocho quoad dictas functiones. Resp. *Affirmative.*

3. An confraternitates erectae in aliis ecclesiis publicis habeant quoad easdem functiones aliquam dependentiam a parocho, intra cuius parochiae limites sitae sunt ecclesiae. Resp. *Negative.*

4. An confraternitates erectae in oratoriis tum publicis tum privatis seiunctis ab ecclesiis parochialibus, quoad dictas functiones ecclesiasticas habeant dictam dependentiam a parocho. Resp. *Negative.*

5. An benedictiones et distributiones candelarum, cinerum et palmarum

sint de iuribus mere parochialibus. Resp. *Negative.*

6. An benedictiones mulierum post partum, fontis baptismalis, ignis, seminis, ovorum et similium sint de iuribus mere parochialibus. Resp. *Negative, sed benedictionem fontis baptismalis fieri debere a parochis.*

7. An functiones omnes hebdomadae sanctae sint de iuribus mere parochialibus. Resp. *Negative prout iacet.*

8. An celebratio missae solemnis feria V in coena Domini sit de dictis iuribus parochialibus. Resp. *Negative prout iacet, sed spectare ad parochos.*

9. An prima pulsatio campanarum in sabbato sancto sit de dictis iuribus parochialibus. Resp. *Negative, prout iacet, sed spectare ad ecclesiam digniorem ad formam constitutionis Leonis X n. 22, § 14.*

10. An celebratio missarum solemnium per annum, sive pro vivis sive pro defunctis, sit de dictis iuribus parochialibus. Resp. *Negative, prout iacet, sed spectare ad ecclesiam digniorem ad formam constitutionis Leonis X n. 23, § 14.*

11. An expositio quadraginta horarum et benedictio, quae fit super populo, sit de dictis iuribus mere parochialibus? Resp. *Negative*

12. An expositio, quae fit cum reliquiis et sacris imaginibus, et benedictio, quae cum eis fit super populo, sit de dictis iuribus parochialibus. Resp. *Negative, et quoad benedictiones cum reliquiis et imaginibus serventur decreta.*

13. An functiones in praecedentibus octo dubiis, videlicet a dubio 5 ad 12 expressae, peragi possint in oratoriis privatis, contradicente parocho. Resp. *Satis provisum in superioribus.*

14. An in dictis oratoriis privatis confraternitatum per confratres statis horis recitari possint horae canonicae cum cantu vel sine cantu, absque alia licentia parochi. Resp. *Affirmative, nisi aliter ordinarius statuat ex rationabili causa.*

15. An in dictis oratoriis privatis sit licita celebratio missae privatae, assentiente ordinario loci, et contradicente parocho. Resp. *Affirmative.*

16. An cappellani confraternitatum possint populo denunciare festivitates et vigilias occurrentes in hebdomada, absque licentia parochi. Resp. *Affirmative.*

17. An parochus, invitis confratribus, docere possit doctrinam christianam in praedictis ecclesiis et oratoriis publicis vel privatis, a parochiali divisis et separatis. Resp. *Negative.*

18. An in dictis ecclesiis publicis confraternitatum possint haberi publicae conciones, etiam per totum cursum quadragesimae vel adventus, cum licentia ordinarii et absque licentia parochi. Resp. *Affirmative.*

19. An in eisdem ecclesiis possit celebrari missa sive lecta sive cantata, ante missam parochialem sive lectam sive cantatam. Resp. *Negative, nisi aliter episcopus disponat.*

20. An ad parochum spectet facere officium funebre super cadaveribus sepeliendis in dictis ecclesiis et oratoriis publicis confraternitatum. Resp. *Affirmative, quando tumulandus est subiectus parocho, intra cuius fines est ecclesia vel oratorium.*

21. An intra ambitum earumdem ecclesiarum fieri possint processiones, iuxta cuiusque confraternitatis institutum, absque interventu vel licentia parochi. Resp. *Affirmative.*

22. An eaedem processiones fieri possint extra ambitum dictarum ecclesiarum, absque licentia illorum parochorum, per quorum territorium transeundum est. Resp. *Negative, nisi adesset licentia episcopi.*

23. An in dictis processionibus cappellani confraternitatum possint deferre stolam. Resp. *Negative extra propriam ecclesiam.*

24. An episcopo accedenti ad ecclesias publicas confraternitatum, quae non sint regularium, neque proprium rectorem beneficiatum habeant, porrigendum sit aspersorium a parocho, in cuius territorio sunt sitae dictae ecclesiae. Resp. *Negative.*

25. An earumdem ecclesiarum et confraternitatum rectores et cappellanos possit parochus, cessante speciali ac legitimo titulo et ex solo iure parochiali, compellere invitos ad assistendum functionibus ecclesiae parochialis. Resp. *Negative.*

26. An in dictis ecclesiis confraternitatum, neque parochialibus neque regularibus, retineri possit ss. eucharistiae sacramentum sine speciali indulto Sedis apostolicae. Resp. *Negative.*

27. Praesupposita facultate retinendi, an possit infra annum publice exponi sine licentia ordinarii. Resp. *Negative.*

28. An possit parochus se ingerere in administratione oblationum, eleemosynarum in dictis ecclesiis collectarum, vel capsulae pro illis recipiendis expositae clavem retinere Resp. *Negative.*

29. An in ecclesia parochiali confratres vel eorum cappellani immiscere se valeant, invito parocho, in eiusdem ecclesiae functionibus, sive parochialibus sive non parochialibus. Resp. *Negative.*

30. An confraternitates, sive sint erectae in ecclesia parochiali sive extra illam, possint pro libitu et iuxta uniuscuiusque peculiaria statuta congregationes suas facere, absque interventu vel licentia parochi. Resp. *Affirmative, dummodo non impediant functiones et divina officia.*

31. An possint propria bona administrare ac de illis disponere, absque ulla dependentia a parocho. Resp. *Affirmative.*

32. Quando parochus eisdem congregationibus intersit de mandato ordinarii, et tamquam eius delegatus, an possit suffragium decisivum ferre; et quatenus affirmative; Resp. *Negative.*

33. An etiam suffragium duplex. Resp. *Negative.*

Ita resolvit S. Congr. *die 10 dec. 1703* eiusque resolutionem approbavit summus Pontifex *die 12 ian. 1704* (*2123*).

Circa hoc autem decretum nota 1504
tria sequentia dubia, quae sacrae Congr. Concilii proposita fuerunt a vicario generali dioecesis Theatinae, scilicet:

1° Utrum responsio ad 10 in decreto S. C. Rituum *diei 12 ian. 1704* circa iura parochorum et confraternitatum respiciat tantum missas *paratas,* eas

scilicet, quae celebrantur cum assistentia ministrorum, quemadmodum deduci videtur ex adiectivo *solemnium,* quae apponitur voci missarum, an potius respiciat etiam missas simplices cum cantu, quemadmodum volunt parochi?

2° Utrum responsio ad 20 in eodem decreto respiciat omnes omnino parochi subditos, an eos tantum, qui confraternitatibus adscripti sunt.

3° Utrum cappellani possint libere celebrare triduanas preces vel novendialia in ecclesiis confraternitatum iis etiam diebus, qui in statutis non contemplantur.

Et sacra Congregatio respondit *24 mart. 1906*:

Ad 1. Per se et generatim loquendo affirmative ad primam partem, negative ad secundam et ad mentem. Quae est ut quoties missa solemnis cum ministris in aliquo loco habitualiter haberi non possit ob cleri defectum, et missa cum cantu sine ministris ordinario stet loco missae sólemnis, archiepiscopus opportunis ordinationibus caveat, ne ex hoc rerum statu spiritus legis seu decreti anni 1703 frustretur, et abusus subrepant.

Ad 2. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad 3. Affirmative, sub dependentia episcopi.

1505 Confratres possunt sese libere coadunare ad negotia confraternitatis pertractanda, absque speciali episcopi facultate (*S. C. C. in Assisien. 10 sept. 1785*); attamen episcopus potest sive per se sive per alium his comitiis interesse, etsi haec fiant in ecclesiis et oratoriis regularium, in quibus sodalitates sunt erectae (*S. C. C. in cit. Assisien.; S. C. EE. RR. in Caesenaten. 24 nov. 1690*); votum tamen ipse ferre non potest. *S. C. C. in Senogallien. 4 iun. 1701.*

Ordinarii possunt visitare confra- 1506
ternitates laicorum erectas in ecclesiis regularium aliarumque personarum exemptarum, non solum quoad bona et introitus, sed etiam quoad cappellas ipsas, in quantum *concernit* administrationem et alias personales obligationes, quae confraternitati et confratribus incumbunt, ut scilicet certior reddatur, utrum introitus et eleemosynae, quae ad ornatum et manutentionem cappellae aut ad augmentum dantur divini cultus, fideliter in eos usus impendantur; quoad ea vero, quae iurisdictionem exemptorum in cappellis huiusmodi pertinent, ut essent altaria, imagines et alia huiusmodi, non potest episcopus ullatenus sese ingerere. Conc. Trid. *sess. XXII. c. 8 de ref., S. C. EE. RR in Alifen. 1637, in una Conventualium 16 nov. 1646, in Fanen. 10 apr. 1693; S. C. C. in Nucerina Pag. 23 iun. 1629, in Urbanien. 23 sept. 1690.*

Quaedam alia confratribus prohi- 1507
bita vel permissa. — Confratres sine habitu non possunt deferre crucem, nec accedere possunt ad funeralia mortuorum, nisi expresse vocentur (*S. R. C. in Bononien. 9 dec. 1617.* [*359*]), et, si vocentur, debent convenire in ecclesiam parochialem, unde cum parocho et clero sese conferant ad domum defuncti, nec possunt ex sua ecclesia aut cappella recta ad defuncti domum pergere. *S. R. C. in Reatina 8 apr. 1854* (*3020*). Con-

fraternitatibus, quae sunt in regularium ecclesiis, permissum est in eorum regularium ecclesia et claustro tantum processiones facere, et non extra; si vero ecclesia claustro careat, licet ipsis processiones facere intra ambitum dumtaxat earumdem ecclesiarum, hoc est prope muros ecclesiae, et non extra dictum ambitum, nisi de licentia et consensu ordinarii aut cum cruce parochi, non obstantibus quibuscumque consuetudinibus et praescriptionibus etiam immemorabilibus (exceptis tantum privilegiis apostolicis). *S. R. C. in Savonen. 19 dec. 1671 ad 1* (*1440*). Confraternitates cogi possunt ab episcopo ad interessendum processionibus. *S. R. C. in Sulmonen. 4 sept. 1694* (*1913*). In processionibus autem cum ssmo. Sacramento confraternitatum sodales incedere omnino debent nudo capite. *S. R. C. 23 iul. 1897* (*3961*). - Non licet confratribus sive in eorum ecclesia sive in ecclesiis aliarum confraternitatum aut regularium elevare sedile magistratus. *S. R. C. in Senogallien. 23 sept. 1713 ad 1 et 2* (*2222*).

Quoad confraternitates Rosarii vid. *Rosarium;* quoad praecedentiam confraternitatum vid. *Praecedentia.*

Tit. de religiosis domibus ut episcopo sint subiectae X. (III. 36); idem tit. (III. 17) in 6°; idem tit. (III. 11) in Clem.; idem tit. (tit. 7) in Xvag. Ioannis XXII; idem tit. (III. 9) in Xvag. comm.; Const. Greg. XIII « Expos cit » 25 iul. 1583; Const. Clem. VIII « Quaecumque » 7 dec. 1604; Const. Pii IX « Exortae » 29 apr. 1876; Conc. Trid. sess. XXII. c. 8 de ref.; *Ritterus P.* De confraternitate; *Bassi* Tract. de sodalitiis seu confraternitatibus ecclesiasticis et laicalibus; *Thomassin* Vet. et nov. eccl. disc. p. 1. lib. 3. c. 42 sq. 51. 63 sq.; *Muratori* De piis laicorum confraternitatibus (diss. 75 Antiquit. italic. VI); *Bouvier* Der Ablass, d. Bruderschaften u. d. Jubiläum; *Huber* Bruderschaft; *Gelcich* Le confraternite laiche in Dalmazia e specialmente quelle di marinai; *Scaduto* Confraternite; *Tamassia* L'affratellamento; *Beringer* Die Ablässe 4 Absch.; *Ferreres I.* Las cofradias y congregaciones ecclesiásticas según la disciplina vigente; *Schanzer C.* La trasformazione delle confraternite nel diritto pubblico italiano; *Boudinhon* Des confréries; *Tachy* Traité des confréries; *Mocchegiani* Collectio indulgentiarum; *Melata B.* De discrimine inter aliquot pia opera et confraternitates ac pias uniones; *B. P.* Opus morale IV. 494; *Aichner* Comp. iur. eccl. § 140; *Bargilliat* Prael. iur. can. n. 1062 sqq.; *Melata B.* De erectione confraternitatum in monialium monasteriis; *Melata B.* Manuale de indulgentiis p. 2, sect. 2 cap. 2; *Wernz* Ius Decr. III. 704 sqq.; *Scherer* KR. II. § 150; *Sägmüller* Lehrb. des k. KR. § 190; *Hergenröther-Hollweck* Lehrb. des kath. KR. n. 505 sqq.; *Zumbo G.* Delle confraternite ecclesiastiche.

Congregationes B. M. V. - De erectione congregationum. — Congregationes B. M. V. erigit, et Primae Primariae aggregat, tam in domibus et ecclesiis Societatis, quam extra eas, praepositus generalis, vel vicarius generalis Soc. Iesu, ex facultate sibi facta ab apostolica Sede, idest a summis pontificibus Gregorio XIII, Sixto V, Clemente VIII, Gregorio XV, Benedicto XIV, Leone XII et Leone XIII. 1508

Congregationes B. M. V. in omnibus ecclesiis, oratoriis, collegiis, se-

minariis aliisve locis piis erigi possunt pro scholaribus aliisque christifidelibus, non solum maribus, sed etiam feminis, aut pro maribus et feminis simul; nec tantum unam congregationem, sed etiam plures in singulis ecclesiis, oratoriis etc. constituere fas est pro personarum frequentia vel qualitate; non obstante Const. Clementis XIII « Quaecumque » *7 dec. 1604* et decr. S. C. Indulg. *8 ian. 1861*, a quorum praescriptionibus congregationes B. M. V. omnes sunt exemptae ex apostolico privilegio concesso a Gregorio XV, Benedicto XIV, Leone XIII. Cfr. etiam *S. C. Ind. 29 aug. 1864, 23 iun. 1885.* Vid. *Confraternitas.*

Antiquitus a praescriptionibus Clementinis non erant exemptae eae congregationes, quae licet per Patres Societatis erectae, a sacerdotibus tamen secularibus per episcopum designatis dirigebantur. *S. C. Indulg. 22 febr. 1847.* Verum Leo XIII exemptionem a legibus Clementinis « ad externas quoque omnes congregationes B. M. Virginis iam erectas et ad quascumque societates, confraternitates seu congregationes Primariae aggregatas sive cum consensu ordinarii erigendas et aggregandas » eodem modo extendit « quo antea pro congregationibus vel confraternitatibus constitutis in Societatis ecclesiis et domibus vel eiusdem curae commissis fuerat concessa »; simulque sanavit « omnes quarumcumque congregationum sive B. M. Virginis sive bonae mortis erectiones et aggregationes quascumque ad primarias hasce congregationes romanas, hucusque cum quolibet defectu peractas ». *S. C. Indulg. 23 iun. 1885.*

Si non agatur de congregationibus convictorum Societatis, ad erectionem et aggregationem impetrandus antea est consensus ordinarii, qui tamen consensus ad validitatem necessarius non est, si erectio fiat in Societatis domibus aut ecclesiis. Episcopi quoque ordinaria, et eorum vicarii generales de speciali mandato extraordinaria gaudent potestate erigendi in suis dioecesibus extra domos et ecclesias Societatis Congregationes B. V.; at eas aggregare Primae Primariae, ut indulgentiae lucrentur congregati, nullo modo possunt.

De deputatione praesidis. — Si congregatio instituitur in ecclesiis Societatis, praesidem congregationis constituit praepositus provincialis; et superior localis illius domus seu ecclesiae, in qua congregatio instituta est, habet easdem facultates, ac praeses ipse congregationis, imo potest etiam iustis de causis alium ad tempus subdelegare in locum ordinarii praesidis. 1509

De receptione in congregationibus. — Ad validam receptionem alicuius in congregatione, duo necessaria omnino sunt, scilicet actus externus manifestans intentionem recipiendi ex parte habentis facultatem, et actus externus manifestans ex parte illius, qui debet recipi, intentionem, ut in congregatione admittatur; quare sufficeret petitio ex parte admittendi et inscriptio nominis in albo congregatorum ex parte recipientis, dummodo tamen inscriptio haec ab ipso fiat, non autem si ab alio peragatur. In- 1510

scriptio nominum in albo congregatorum nullo modo videtur necessaria ad hoc, ut quis lucrari possit indulgentias. Nam ad sequens dubium: « IV. Utrum in iis sodalitiis, quae solemnem aliquem receptionis ritum adhibent (ut congregationes B. M. Virginis) confratres hoc solemni modo a legitimo sodalitatis praeside recepti lucrari possint indulgentias, licet in libro sodalitatis non inscribantur » sacra Congregatio indulgentiarum respondit: « Ad IV negative, si agatur de confraternitatibus proprie dictis ». *S. C. Indulg. 16 iul. 1887.* Porro congregationes B. M. Virginis non sunt confraternitates proprie dictae nec reguntur, ut diximus, regulis et statutis Clementinis. *S. C. Indulg. 26 iul. 1887.* Modus solemnis receptionis, qui ordinarie adhibetur, non est posthabendus, sed ad validitatem non est necessarius. Receptio sodalium ordinarie fieri debet a praeside ipso congregationis, sed Leo XIII rescripto S. C. Indulg. *23 iun. 1885* benigne permisit, ut ex rationabili causa (v. gr. maioris solemnitatis causa) huiusmodi praesides alium sibi sacerdotem substituere possent ad recipiendos fideles, qui adscribi desiderant, ad benedicenda numismata et alia praesidum munia exercenda.

1511 **De indulgentiis concessis.** — Congregationes B. Virginis aggregatae congregationi primae primariae multis gaudent indulgentiis.

Quoad indulgentias autem lucrandas nota responsionem Sacrae Cong. Indulg. *31 ian. 1848.* Propositum fuerat hoc dubium: « An quaedam speciales preces quotidianae sint necessario recitandae ad obtinendas indulgentias, quae a summis Pontificibus fuerunt concessae solidalibus Congregationum B. M V. rite institutarum in collegiis et aliis locis etc. Romanae congregationi aggregatarum? Ratio dubii in eo statuitur, quod huiusmodi preces non videantur requirere decreta de indulgentiis, quae sunt congregationis apostolica auctoritate concessae ». Responsum vero est: « Ubi nullae sunt praescriptae preces quotidianae ad effectum lucrandi indulgentias, non tenentur christifideles ad aliquas determinatas recitandas ».

Const. Greg. XIII « Omnipotentis Dei » non. dec. 1584; Const. Sixti V « Superna dispositione » non. ian. 1586; Const. Sixti V « Romanum decet » III kal. oct. 1587; Brev. Clem. VIII « Cum sicut » 30 aug. 1602; Const. Greg. XV « Alias pro parte » 15 apr. 1621; Brev. Ben. XIV « Praeclaris Rom. Pontificum » 24 apr. 1748; Bulla aurea Ben. XIV « Gloriosae Dominae » V kal. oct. 1748; Brev. Ben. XIV « Quemadmodum presbyteri » 15 iul. 1749; Brev. Ben. XIV « Quo tibi » 8 sept. 1751; Brev. Ben. XIV « Laudabili » 15 febr. 1758; Const. Clem. XIII « Apostolicum pascendi » VII id. ian 1764; Brev. Leonis XII « Quum multa » 17 maii 1824; Brev. Leonis XIII « Nihil adeo » 8 ian. 1886; *Rodriguez F.* Lettere... nelle quali si tratta dell'istituto ed esercizi di essa congregatione (dell'Assunta nella casa professa della Comp. di Gesù in Roma); Leges et statuta Congregationum B. Virginis, quae in collegiis Soc. Iesu institutae... sunt; *Rodriguez F.* Tratado del origen y progreso de las congregaciones de Nuestra Señora que hay en las casas y colegios de la Comp. de Jesús; (*Baiole I. H*) Annales Congregationum B. V. Mariae; Abregé des faveurs

illustres de la Mère de Dieu et des actions heroïques et charitables de ses grands et devots serviteurs congregés aux collèges et maisons de la Compagnie de Jésus etc.; Des congrégations de Notre-Dame érigées dans les maisons des Pères de la Comp. de Jésus par l'autorité du st. Siège; *Prola G. M.* Guida ai congregati di Maria; Ssmi in Chr. Patris et Dni Nri, Dni Benedicti div. prov. PP. XIV litterae apostolicae, quibus motu proprio sub Bulla aurea confirmantur et ampliantur indulgentiae... concessae congregationi B. Mariae Virginis ab Angelo salutatae in Coll. Rom. S. I. et aliis congregationibus illi aggregatis et aggregandis; Regole della Congr. Prima Primaria nel Collegio Romano; *Corayon A.* Histoire abrégée des congrégations de la très sainte Vierge; *Sattler M. V.* Geschichte d. marianisch. Kongregationen in Bayern; *Niedereggер* Der Studentenbund der marianischen Sodalitäten; *Löffler Ph.* Die marian. Kongregationen oder Sodalitäten. *Beringer F.* De congregationibus marianis documenta et leges.

1512 **Congregationes religiosae.** — Congregationes religiosae proprie sunt ea instituta, in quibus salvatur ratio status religiosi, sed nonnisi simplicia vota emittuntur. - Improprie dicuntur congregationes religiosae eae quoque, in quibus non salvatur essentia status religiosi, sed aliquid status religiosi habent, ex. gr. vota temporaria, vel unum tantum votum.

Huiusmodi congregationes in praesenti disciplina ecclesiae inchoari possunt et propagari cum sola approbatione ordinarii, nec necessaria est approbatio sedis Apostolicae (cfr. Bouix de *Iure Regul. part. II. s. 1. cap. 2.* § *3*); imo sancta Sedes non solet praevie approbare aliquam novam congregationem, sed congregationes iam inchoatas post aliquod temporis experimentum laudat prius et commendat, postea ordinarie ad tempus approbat, deinde tamen approbat definitive.

Ad haec autem usque tempora episcopi poterant suam approbationem ad condendum novum aliquod Institutum cuicumque vellent concedere. Nunc autem, quum exploratum esset ex hoc non pauca oriri inconvenientia, quae a Summo Pontifice in suo motu proprio mox citando recensentur, SSmus. Dominus Pius X haec statuit:

« 1. Nullus episcopus aut cuiusvis loci ordinarius, nisi habita apostolicae Sedis per litteras licentia, novam alterutrius sexus sodalitatem condat aut in sua dioecesi condi permittat.

2. Ordinarius huius licentiae impetrandae gratia, sacrum Consilium Episcoporum et Regularium (ex recentissimo iure sacram Congr. religiosorum) adeat per libellum supplicem, quo haec docebit: quis qualisque sit novae sodalitatis auctor et qua is causa ad eam instituendam ducatur; quibus verbis conceptum sit sodalitatis condendae nomen sive titulus; quae sit forma, color, materia, partes habitus a novitiis et professis gestandi; quot et quaenam sibi opera sodalitas assumptura sit; quibus opibus tuitio eiusdem contineatur; an similia in dioecesi sint instituta et quibus illa operibus insistant.

3. Accepta sacri Consilii venia, nihil iam obstabit, quominus ordinarius novam sodalitatem instituat aut institui permittat, eo tamen titulo,

habitu, proposito, ceterisque rebus ab ipso sacro Consilio recognitis, probatis designatisve: quae numquam deinceps, nisi eodem consentiente, immutari licebit.

4. Conditae sodalitatis constitutiones ordinarius recognoscat; verum ne prius approbet quam eas ad normam eorum, quae sacrum Consilium in hac causa decrevit, exigendas curaverit.

5. Instituta sodalitas, quamvis decursu temporis in plures dioeceses diffusa, usque tamen dum pontificiae approbationis aut laudis testimonio caruerit, ordinariorum iurisdictioni subiaceat, ut decessoris nostri constitutione - Conditae - sancitum est ». *Mot. propr. Pii X « Dei providentia » 16 iul. 1906.*

Duplex ut ex dictis facile eruitur, est harum congregationum ratio; aliae, quae episcoporum solummodo approbationem nactae, ob eam rem *dioecesanae* appellantur; aliae vero, de quibus praeterea rom. Pontificis sententia intercessit, seu quod ipsarum leges ac statuta recognoverit, seu quod insuper commendationem ipsis approbationemve impertiverit. *Const.* Leonis XIII « Conditae a Christo » *VI. Id. decr. a. 1900.* Et haec recens constitutio Leonis XIII plura statuit, eaque sapientissima, ad statuendum, quaenam sint episcoporum iura in has congregationes, quaenam congregationum officia in episcopos. Haec statuta, quum hodiernum et recentissimum ius constituant, integre damus. Porro constitutio post statutam duplicem congregationum rationem, de qua supra locuti sumus, quaedam disponit pro congregationibus, quae commendationem aut approbationem Sedis apostolicae nondum assecutae sunt, quaedam pro illis quae hanc commendationem vel approbationem iam habuerunt.

1°. *Pro congregationibus nondum commendatis vel approbatis.* 1513

« I. Episcopi est quamlibet recens natam sodalitatem non prius in dioecesim recipere, quam leges eius constitutionesque cognoverit itemque probaverit; si videlicet neque fidei honestative morum, neque sacris canonibus et Pontificum decretis adversentur, et si apte statuto fini conveniant.

« II. Domus nulla novarum sodalitatum iusto iure fundabitur, nisi annuente probante episcopo. Episcopus vero fundandi veniam ne impertiat, nisi inquisitione diligenter acta, quales sint, qui id poscant: an recte probeque sentiant, an prudentia praediti, an studio divinae gloriae, suaeque et alienae salutis praecipue ducti.

« III. Episcopi, quoad fieri possit, potius quam novam in aliquo genere sodalitatem condant vel approbent, utilius unam quamdam adsciscent de iam approbatis, quae actionis institutum profiteatur adsimile. - Nullae fere, ni forte in *Missionum* regionibus, probentur sodalitates, quae, certo proprioque fine non praestituto, quaevis universe pietatis ac beneficentiae opera, etiamsi penitus inter se disiuncta, exercenda amplectantur.

Episcopi sodalitatem condi ullam ne siverint, quae reditibus careat ad sodalium victum necessariis. - Sodalitia, quae stipe collaticia vivant;

item muliebres familias, quae aegrotis, domi ipsorum, interdiu noctuque adsint, cautissime, quin etiam difficulter comprobent. - Si quae autem nova feminarum sodalitas eo spectet, ut suis in aedibus valetudinaria aperiat viris promiscue mulieribusve excipiendis; vel similes domos excipiendis sacerdotibus, qui sororum cura atque opera aegrotantes leventur; eiusmodi proposita episcopi ne probent, nisi maturo adhibito severoque consilio. - Praeterea episcopi religiosarum domus, ubi viris feminisve peregre advenientibus hospitium victusque, accepto pretio, suppeditetur, nequaquam permittant.

« IV. Sodalitas quaevis dioecesana ad dioeceses alias ne transgrediatur, nisi consentiente utroque episcopo, tum loci, unde excedat, tum loci, quo velit commigrare.

« V. Sodalitatem dioecesanam si ad dioeceses alias propagari accidat, nihil de ipsius natura et legibus mutari liceat, nisi singulorum episcoporum consensu, quorum id dioecesibus aedes habeat.

« VI. Semel approbatae sodalitates ne extinguantur, nisi gravibus de causis, et consentientibus episcopis, quorum in ditione fuerint. Singulares tamen domos episcopis, in sua cuique dioecesi, tollere fas est.

« VII. De puellis habitum religiosum petentibus, item de iis, quae, probatione expleta, emissurae sint vota, episcopus singulatim certior fiat: eiusdem erit illas et de more explorare et, nihil si obstet, admittere.

« VIII. Episcopo alumnas sodalitatum dioecesanarum professas dimittendi potestas est, votis perpetuis aeque ac temporariis remissis, uno dempto (ex auctoritate saltem propria) colendae perpetuo castitatis. Cavendum tamen, ne istiusmodi remissione ius alienum laedatur; laedetur autem, si insciis moderatoribus id fiat iusteque dissentientibus.

« IX. Antistitae, ex constitutionum iure, a sororibus eligantur. Episcopus tamen, vel ipse vel delegato munere, suffragiis ferendis praeerit: peractam electionem confirmare vel rescindere integrum ipsi est pro conscientiae officio.

« X. Dioecesanae cuiusvis sodalitatis domos episcopus invisendi ius habet, itemque de virtutum studio, de disciplina, de oeconomicis rationibus cognoscendi.

« XI. Sacerdotes a sacris, a confessionibus, a concionibus designare, item de sacramentorum dispensatione statuere munus episcoporum est, pro sodalitatibus dioecesanis pariter ac pro ceteris; id quod in capite consequenti (nempe ubi de Congregationibus commendatis vel approbatis a S. Sede, num. VIII) explicate praefinitur ».

2°. *Pro congregationibus, quarum apostolica Sedes vel leges recognovit, vel institutum commendavit aut approbavit.* 1514

« I. Candidatos cooptare, eosdem ad sacrum habitum vel ad profitenda vota admittere, partes sunt praesidum sodalitatum; integrâ tamen episcopi facultate, a synodo Tridentina (*sess. XXV. c. 17 de reg. et mon.*) tributa, ut quum de feminis agitur, eas et ante suscipiendum habitum et ante

professionem emittendam ex officio exploret. Praesidum similiter est familias singulas ordinare, tirones ac professos dimittere, iis tamen servatis, quaecumque ex instituti legibus pontificiisque decretis servari oportet. - Demandandi munera et procurationes, tum quae ad universam sodalitatem pertinent, tum quae in domibus singulis exercentur, conventus seu *capitula,* et consilia propria ius habent. In muliebrium autem sodalitatum conventibus ad munerum assignationem, episcopus, cuius in dioecesi habentur, per se vel per alium praeerit, ut Sedis apostolicae delegatus.

« II. Condonare vota, sive ea temporaria sint sive perpetua, unius est romani Pontificis. Immutandi constitutiones, utpote quae probatae a Sede apostolica, nemini episcoporum ius datur. Item regimen, quod penes moderatores est sive sodalitatis universae sive familiarum singularum ad constitutionum normam, episcopis mutare, temperare ne liceat.

« III. Episcoporum sunt iura, in dioecesi cuiusque sua, permittere vel prohibere novas domos sodalitatum condi; item nova ab illis templa excitari, oratoria seu publica seu semipublica aperiri, sacrum fieri in domesticis sacellis, sacramentum proponi palam venerationi fidelium. Episcoporum similiter est solemnia et supplicationes, quae publica sint, ordinare.

« IV. Domus sodalitatum huiusmodi si *clausura episcopali* utantur, episcopis iura manent integra, quae de hac re a pontificiis legibus tribuuntur. Si quae autem *clausura,* ut inquiunt, *partiali,* utantur, episcopi erit curare, ut rite servetur, et quidquid in eam irrepat vitii cohibere.

« V. Alumni alumnaeve sodalitatum harum, ad *forum internum* quod attinet, episcopi potestati subsunt. In *foro* autem *externo,* eidem subsunt quod spectat ad censuras, reservationem casuum, votorum relaxationem quae non sint uni summo Pontifici reservata, publicarum precum indictionem, dispensationes, concessionesque ceteras, quas antistites sacrorum fidelibus suis impertire queant.

« VI. Si qui vero ad sacros ordines promoveri postulent, eos episcopus, etsi in dioecesi degentes, initiare caveat, nisi hisce conditionibus: ut a moderatoribus quisque suis proponantur; ut quae a iure sacro sancita sunt de *litteris dimissorialibus* vel *testimonialibus*, sint rite impleta; ut *titulo sacrae ordinationis* ne careant, vel certe eo legitime eximantur; ut theologiae studiis operam dederint, secundum decretum *Auctis admodum,* die datum IV novembris anno MDCCCXCII.

« VII. In sodalitates, quae mendicato vivunt, ea episcopis stent iura, quae habet decretum *Singulare quidem*, a sacro concilio episcopis et religiosorum ordinibus praeposito promulgatum die XXVII martii anno MDCCCXCVI.

« VIII. In iis, quae ad spiritualia pertinent, subduntur sodalitates episcopis dioecesium, in quibus versantur. Horum igitur erit sacerdotes ipsis et a sacris designare et a con-

cionibus probare. Quod si sodalitates muliebres sint, designabit item episcopus sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extra ordinem, ad normam constitutionis *Pastoralis curae*, a Benedicto XIV, decessore Nostro editae, ac decreti *Quemadmodum*, dati a sacro Consilio episcopis et religiosorum ordinibus praeposito, die XVII decembris anno MDCCCXC; quod quidem decretum ad virorum etiam consociationes pertinet, qui sacris minime initiantur.

« IX. Bonorum, quibus sodalitia singula potiuntur, administratio penes moderatorem supremum maximamve antistitam eorumque consilia esse debet: singularum vero familiarum reditus a praesidibus singulis administrari oportet, pro instituti cuiusque legibus. De iis nullam episcopus rationem potest exigere. Qui vero fundi certae domui tributi legative sint ad Dei cultum beneficentiamve eo ipso loco impendendam; horum administrationem moderator quidem domus gerat, referat tamen ad episcopum, eique se omnino praebeat obnoxium: ita nimirum, ut neque praeposito neque antistitae sodalitii universi liceat quidquam ex iis bonis episcopo occultare, distrahere, vel in alienos usus convertere. Talium igitur bonorum episcopus rationes accepti impensique, quoties videbitur, expendet; idem ne sortes minuantur, reditus ne perperam erogentur, curabit.

« X. Sicubi sodalitatum aedibus instituta curanda adiecta sint, uti gynaecea, orphanotrophia, valetudinaria, scholae, asyla pueris erudiendis; episcopali vigilantiae ea omnia subsint, quod spectat ad religionis magisteria, honestatem morum, exercitationes pietatis, sacrorum administrationem, integris tamen privilegiis, quae collegiis, scholis, institutisve eiusmodi a sede Apostolica sint tributa.

« XI. In quarumlibet sodalitatum domibus vota simplicia profitentium episcopis cuiusque dioecesis ius est invisendi templa, sacraria, oratoria publica, sedes ad sacramentum poenitentiae, de iisque opportune statuendi iubendi. – In presbyterorum sodalitiis, de conscientia ac disciplina, item de re oeconomica uni praesides cognoscent. In consociationibus vero feminarum, aeque ac virorum, qui sacerdotio abstinent, episcopi erit inquirere, num disciplina ad legum normam vigeat, num quid sana doctrina morumve probitas detrimenti ceperit, num contra clausuram peccatum, num sacramenta aequa stataque frequentia suscipiantur. – Reprehensione dignum si quid episcopus forte offenderit, ne decernat illico: moderatores uti prospiciant, moneat; qui si neglexerint, ipse per se consulat. Si quae tamen maioris momenti occurrant, quae moram non exspectent, decernat statim; decretum vero ad sacrum Consilium deferat episcopis ac religiosorum ordinibus praepositum.

« Episcopus, in visitatione potissimum, iuribus, quae supra diximus, utatur suis, quod spectat ad scholas, asyla ceteraque memorata instituta. – Ad rem vero oeconomicam quod attinet, muliebrium sodalitatum itemque virorum sacerdotio carentium,

episcopus ne cognoscat, nisi de fundorum legatorumve administratione, quae sacris sint attributa, vel loci aut dioecesis incolis iuvandis ».

1515 Post haec, Constitutio cavet, ne his legibus existimetur derogatum privilegiis pontificiis iam concessis, aut iis, quae immemorabili vel seculari consuetudine confirmata sunt, aut etiam iis, quae in alicuius sodalitatis legibus a rom. Pontifice approbatis continentur.

Congregationes virorum a s. Sede approbatae, quae extendantur ultra unam alteramve dioecesim, non raro sunt omnino exemptae a iurisdictione, visitatione, correctione ordinarii, et superiores earum habent iurisdictionem in utroque foro uni r. Pontifici subordinatam. Aliquando etiam congregationes mulierum longe lateque diffusae eximuntur a iurisdictione ordinariorum, et subduntur alicui cardinali protectori in Urbe. Semper vero, ut ex supracitata Constitutione patet, congregationes tum virorum, tum mulierum, in multas regiones dispersae, eximuntur, auctoritate sacrae Congr. EE. et RR., a iurisdictione ordinariorum in his, quae spectant ad regimen totius congregationis.

Nota autem hic, dispensationem votorum quoad instituta mere diocesana pro sororibus domorum filialium in dioecesi exsistentium diversa ab illa, in qua degit domus princeps, competere ordinario domus filialis, non autem ordinario domus principis. *S. C. EE. RR. 21 apr. 1903.*

1516 Quoad administrationem haec notanda sunt; administratores bonorum monialium stricte dictarum debent rationem reddere singulis annis episcopis localibus cum interventu praelati regularis, si illum habeant moniales; sorores vero institutorum seu congregationum recentiorum rationem administrationis reddunt non episcopis localibus, sed superiorissae generali, quae postea eam submittit pro approbatione ordinario domus matricis, et approbatam transmittit de triennio ad triennium ad S. Sedem. *S. C. EE. RR. 26 mart. 1896.*

Instituta praeterea omnia votorum simplicium a s. Sede approbata seu commendata debent tertio quoque anno ad eam transmittere relationem de suo statu personali, disciplinari, materiali et oeconomico. Circa quod recens quoddam datum est decretum a s. Congr. episcoporum et regularium, quod hic transcribendum est. Est autem sequens: « In approbandis seu commendandis novis institutis votorum simplicium iampridem praescribi consuevit ut a moderatoribus seu moderatricibus generalibus tertio anno ad s. Sedem apostolicam transmittatur relatio de statu personali, disciplinari, materiali et oeconomico propriae cuiusque congregationis. Huiusmodi enim relatione singula instituta, quorum domus in variis exstant dioecesibus dissitisque locis, explorata perspectaque fiunt eidem s. Sedi; quae idcirco continua providentia ea prosequi, et, si quando a legibus deflectere videantur, sive cohortationibus sive correctionibus mandatisque ad pristinam observantiam revocare potest.

Cum vero perspicuum sit parum vel nihil utilitatis inesse praedictae

relationi si, uti non raro factum est, fusius expositis quibusdam ad rem minus facientibus, vix innuantur aut plane reticeantur ea, quae potissimum cognoscere oportet; hinc ad optatum finem facilius ac tutius assequendum peropportunum visum est, ut etiam modus et ratio conficiendi relationem omnibus et singulis, ad quos spectat, communi lege praescribatur.

Itaque haec s. Congregatio negociis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita redigendum curavit elenchum quaestionum, quibus distincte indicantur ea omnia, quae in relatione utiliter seu necessario sunt exponenda, eumque, post maturum examen, in plenario eorum Patrum coetu approbatum, cum omnibus et singulis moderatoribus et moderatricibus generalibus institutorum, per modum *instructionis,* cui sese conformare oporteat, communicandum esse censuit.

His autem relatis ssmo. dno. nostro Pio divina providentia PP. X in audientia habita ab infrascripto cardinali eiusdem s, Congregationis praefecto die 17 iunii 1906, *Sanctitas Sua* rem ultro probavit, iussitque per hanc ipsam s. Congregationem omnibus et singulis moderatoribus et moderatricibus institutorum vota simplicia profitentium apostolica auctoritate mandari, prout praesentis decreti tenore mandatur, ut in triennali relatione proprii cuiusque instituti ad singulas quaestiones in elencho hisce litteris adiuncto conscriptas et ab *eadem Sanctitate Sua* approbatas confirmatasque, memores rationis quam Deo, cordium scrutatori, reddituri erunt, fideliter atque examussim respondeant: contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis non obstantibus.

Datum Romae ex secretaria praefatae s. Congregationis die 16 iulii 1906 ».

Instructio autem seu elenchus quaestionum, ad quas respondendum est a moderatoribus seu moderatricibus generalibus institutorum vota simplicia profitentium in relatione ad s. Sedem tertio quoque anno transmittenda, qui supra citato decreto fuit adiunctus, est sequens: 1517

PRAEMITTENDA.

1. Doceatur quae decreta approbationis seu commendationis et quando a s. Sede obtinuerit.
2. Quinam sit finis sive scopus peculiaris instituti.
3. Num titulus instituti ab initio assumptus aut scopus vel habitus sodalium aliquatenus postmodum immutati fuerint et quanam auctoritate.
4. * Quot sodales ab initio usque in praesens, aut saltem ultimo vicennio, habitum instituti induerint.
5. * Quot sodales a fundatione instituti usque in praesens, aut saltem ultimo vicennio, et quomodo ab eo recesserint, sive tempore novitiatus. sive post emissa vota temporanea, sive post emissa vota perpetua. Num et quot fuerint *fugitivi*.

(*) Ad interrogationes aut interrogationum partes asterisco notatas non nisi in prima, post promulgatam hanc instructionem, relatione respondendum erit.

6. Quandonam ultima relatio ad s. Sedem missa fuerit.

I. De Personis.

a) *De admissis.*

7. Quot novi sodales ab ultima relatione admissi fuerint.
8. Num omnes praescripta testimonia exhibuerint.
9. Num speciali aliquo modo seu industria ad nomen instituto dandum quis allectus fuerit; et praesertim num ephemeridum ope moderatores hunc in finem usi sunt.
10. (*In institutis religiosorum*). Num litterae testimoniales per decretum *Romani Pontifices* praescriptae in singulis casibus expetitae fuerint.
11. Quoties et super quibus impedimentis seu defectibus dispensatio necessaria fuerit et a quonam superiore ecclesiastico concessa.
12. In quanam domo et quanto tempore postulantes seu candidati commorati fuerint.

b) *De novitiis.*

13. Quot sint domus novitiatus et num unaquaeque auctoritate s. Sedis instituta sit.
14. Quot novitii post ultimam relationem habitum instituti susceperint.
15. Quot nunc in novitiatu degant.
16. Num novitii a professis rite separati exsistant.
17. Num omnes habeant integrum exemplar constitutionum.
18. Num omnes ante professionem per annum integrum et continuum in domo novitiatus sub cura magistri degerint.
19. Num quantum, et qua auctoritate, tempus novitiatus ultra terminum in constitutionibus praefinitum prorogatum vel imminutum fuerit.
20. Utrum novitii primo novitiatus anno vacaverint tantummodo exercitiis pietatis, an aliis etiam et quibus operibus addicti fuerint.
21. Num durante secundo anno novitiatus (ubi peragitur) novitii in alias domus missi fuerint.
22. (*In institutis sororum*). Num ante admissionem ad habitum et ad primam professionem episcopus vel eius delegatus examen praescriptum instituerit.

c) *De professis.*

23. Quot nunc sint in instituto sodales *a*) votorum temporaneorum, *b*) votorum perpetuorum.
24. Num vota temporanea semper tempore debito fuerint renovata.
25. Num sodales tempore debito ad vota perpetua admissi fuerint post elapsum tempus votorum temporaneorum.
26. Quot sodales sive professi sive novitii post ultimam relationem obierint.

d) *De egressis et dimissis.*

27. Quot post ultimam relationem ab instituto recesserint *a*) ex novitiis, *b*) ex professis temporaneis, *c*) ex professis perpetuis.
28. Num in dimittendis sodalibus semper observatae fuerint normae in constitutionibus praescriptae.
29. Num semper et a quo superiore ecclesiastico, in casibus dimissionis, obtenta fuerit dispensatio super votis emissis.
30. (*In institutis sororum*). Num in casibus dimissionis professarum in

perpetuum accesserit confirmatio apostolica.

31. (*In institutis virorum*). Num in dimittendis sodalibus semper et in omnibus observatum fuerit Decretum « *Auctis admodum* »; et nominatim num in casu professi perpetui, vel professi votorum temporaneorum quidem, sed constituti in ordine sacro, moderatores instituti:

a) praemiserint trinam monitionem;

b) admiserint, concesso congruo tempore, legitimam rei defensionem, eiusque rationem debitam habuerint;

c) an, quoties et qua facultate processerint summario modo.

32. (*In institutis sororum*). Num egressis quacumque de causa dos, quomodolibet constituta, integre tradita fuerit, una cum supellectili quam ad institutum attulerant, in eo statu in quo tempore egressus reperiebatur.

33. Num iis, quae propriis bonis destitutae erant, in casu egressus ex instituto, necessaria suppeditata fuerint, quibus tuto et decenter in propriam familiam reverti potuerint.

II. De rebus.

a) *De domibus.*

34. Quot domos institutum habeat, et in quibusnam dioecesibus: an et quot habeat provincias.

35. An et quot novae domus post ultimam relationem apertae fuerint: et an in omnibus intercesserit legitima auctoritas et servata fuerit ratio in constitutionibus praescripta.

36. Quot sodales diversarum classium in singulis domibus commorentur, et (si diversa opera ab instituto exerceantur) quibusnam operibus addicti sint.

37. Num post ultimam relationem domus aliqua suppressa fuerit et cuiusnam auctoritate.

38. Utrum singuli sodales proprias cellas habeant, an saltem in communi dormitorio suum quisque cubile convenienter ab omnibus aliis separatum.

39. Num infirmis curandis separatus locus undequaque aptus addictus sit.

40. Num pro recipiendis hospitibus adsint in domo cubicula sufficienter, ut decet, a communitate religiosa separata.

41. (*In institutis sororum*). Num habitatio capellani sive confessarii ingressum separatum, et nullam cum sororum habitatione communicationem habeat.

b) *De bonis.*

42. Quinam fuerint ab ultima relatione annui reditus et expensae *a*) tum instituti in communi, *b*) tum uniuscuiusque domus.

43. Num ab ultima relatione sive institutum in communi, sive certae domus in particulari nova bona mobilia vel immobilia et cuius valoris obtinuerint.

44. Num pecuniam semper utili foenore et honesto ac tuto collocaverint.

45. Utrum et quam iacturam bonorum suorum, post ultimam relationem, fecerint, vel damna subierint, et qua de causa.

46. Num et quae bona sive immobilia

sive mobilia pretiosa abalienaverint, et qua facultate.

47. Num illorum bonorum, quae *capitalia* vocantur, partem aliquam consumpserint.

48. Num arca communis vel domus aliqua particularis aere alieno gravetur, et quanto.

49. Num ab ultima relatione nova debita contraxerint; quaenam et qua auctoritate.

50. Num unaquaeque domus procuratorem sive oeconomum, distinctum a superiore domus et ab oeconomo generali, habeat.

51. Num procuratores, sive generalis sive locales, rationem suarum administrationum praescriptis temporibus reddiderint; et an huiusmodi rationes modo praescripto examinatae et approbatae fuerint.

52. Num lites de bonis habeant.

53. Num in omnibus domibus adsit arca tribus clavibus clausa; et an serventur leges ad rem latae.

54. Num et quo pacto pecuniam sive res pretiosas, a saecularibus depositas, custodiendas acceptaverint.

55. (*In institutis sororum*). Utrum dotes sororum iuxta leges canonicas in tuto ac fructifero investimento collocatae fuerint; an et quae earum pars, quo modo et cuius permissu in expensas faciendas insumpta fuerit.

56. Num et quaenam legata pia seu fundationes in instituto, sive pro missis celebrandis, sive pro operibus caritatis exercendis, exsistant.

57. Num huiusmodi onera fideliter adimpleta fuerint.

58. Num pecunia, qua huiusmodi fundationes factae fuerunt, rite collocata et seorsim ab aliis quibuslibet administrata fuerit.

59. Num episcopo iuxta constitutionem « Conditae » de huiusmodi fundationibus ratio reddita fuerit.

60. Quantum superfluae pecuniae in fine cuiuslibet anni a singulis domibus in arcam communem collatum fuerit.

61. Utrum sponte an invite huiusmodi pecuniae collatio ab omnibus facta fuerit.

62. An superiorissa vel oeconoma habeat pecunias, de quibus libere, etsi pro bono instituti, disponat, quin ullam rationem reddat.

III. De disciplina.

a) *De vita religiosa.*

63. Num in unaquaque domo exercitia spiritualia pro singulis diebus, mensibus, annis vel aliis temporibus statuta accurate peragantur.

64. Num omnes sodales quotidie missae sacrificio assistant.

65. Utrum omnes sodales exercitiis communibus interesse possint, et an illis, qui quandoque pro negotiis domesticis ab aliquo exercitio communi eximuntur, saltem concedatur tempus privatim illud peragendi.

66. Num observetur Decretum *Quemadmodum a*) quantum ad conscientiae manifestationem non exigendam, *b*) quoad sacramentalem confessionem: num pariter servetur decretum *Sacra Tridentina* circa communionem eucharisticam; et an utrumque Decretum statis temporibus lingua vernacula in communi legatur.

67. Num in institutis sororum ubique quovis triennio confessarius ordinarius mutetur, vel debita auctoritate confirmetur.

68. Num praescriptiones de clausura servanda in parte domus religiosis reservata fideliter observentur.

69. Num religiosis frequenter permittatur locutorium adire et an constitutiones in hac re serventur.

70. Num religiosis e domo egredientibus semper a superioribus socius addatur.

71. Num, qua ratione et quibus temporibus habeantur institutiones catechisticae et piae exhortationes ad conversos aliosque alumnos nec non ad famulos seu convictores.

72. Num scripta circa pietatem, religionem, etc. etiam ad usum instituti tantum, typis edantur absque episcopi licentia.

73. Num et quibus libris, sive antiquis sive recentioribus, etiam manu scriptis, sola moderatorum instituti licentia editis sodales utantur.

b) *De observantia quarumdam specialium legum.*

74. Num omnia circa capitulum generale praescripta diligenter observata fuerint, *a*) quoad litteras convocatorias; *b*) quoad electionem delegatorum; *c*) quoad electionem scrutatorum et secretarii; *d*) quoad electionem moderatoris generalis; *e*) quoad electionem consiliariorum, oeconomi et secretarii generalium.

75. Num omnino liberum fuerit sodalibus litteras, quae ab inspectione superiorum exemptae sunt, sive scribere sive recipere.

76. Num lex de mutandis superioribus post statutum tempus fideliter observetur. Num, quot dispensationes et a quo super hac lege impetratae fuerint.

77. Num moderator generalis et superiores provinciales praescriptam domorum visitationem rite peregerint.

78. Num moderator generalis et superiores sive provinciales sive locales praefinitis temporibus consiliarios suos convocent, ut cum eis agant de negotiis sive instituti sive provinciae sive domus.

79. Num in deliberationibus debita libertas consiliariis servata fuerit.

80. Num in consilio generali electiones libere et iuxta normas praescriptas factae fuerint.

81. Utrum omnibus sodalibus necessaria, praecipue quoad victum et vestitum, a superioribus ea, qua decet, caritate paterna suppeditentur, et an forte sint qui haec sibi ab extraneis procurent.

82. An alicubi sodales sint numero insufficientes ita ut nimis graventur laboribus cum gravi valetudinis discrimine.

83. Num provideatur ne quid desit infirmis ex iis, quibus iuxta propriam cuiusque conditionem indigent, atque ut in corporalibus et spiritualibus necessitatibus, qua par est caritate, subleventur.

84. (*In institutis clericorum*). Quot annis clerici vacent studiis, *a*) litterarum humaniorum, *q*) philosophiae, et *c*) theologiae.

Quatenus autem studia domi peragantur, quot professores singulis disciplinis tradendis sint addicti.

85. Num omnes studentes:

a) integrum cursum studiorum perfecerint antequam e domo studiis destinata exierint;

b) ante promotionem ad sacros ordines studia per pontificium decretum *Auctis admodum* respective praescripta rite perfecerint;

c) caetera omnia a sacris canonibus pro admissione ad ordines requisita (circa titulum ordinationis, litteras dimissorias etc.) religiose observaverint.

86. Num pontificia decreta statis temporibus publice legenda, reipsa lecta fuerint.

c) *De operibus instituti.*

87. Quot personis (vel classibus personarum) beneficia contulerint sodales iis operibus, quibus iuxta scopum sui instituti sese devovent.

88. Si numerus istarum personarum post ultimam relationem alicubi imminutus fuerit, indicentur rationes.

89. (*Pro institutis, quae stipem ostiatim colligunt*).

a) an ex constitutionibus clare et certo constet de iure seu officio stipem ostiatim colligendi;

b) num decretum « *Singulari* » d. d. 27 mart. 1896 ipsis constitutionibus insertum sit;

c) num illud decretum in omnibus religiose observetur.

90. Num ab institutis sororum habeantur in suis domibus diversoria aut valetudinaria pro personis quibuscumque, etiam diversi sexus; et quatenus affirmative, cuius licentia et quibus cautelis.

91. Num et quomodo sorores in seminariis vel collegiis vel quibuscumque ecclesiasticorum virorum domibus rem domesticam gerendam assumpserint.

92. Num sorores opera quaedam caritatis exerceant (v. g. erga infantes aut parturientes aut chirurgi cultro incisos), quae virgines Deo dicatas et habitu religioso indutas dedecere videntur.

93. Num sorores, quae infirmis in privatorum domiciliis inserviunt, praescriptas a constitutionibus cautelas semper adhibeant.

94. Num superiores permiserint commorationem sodalium in domibus saecularium, et quanto tempore.

95. (*Pro institutis religiosorum*). Num aliquod institutum sororum quasi ab ipsis dependens, sibique aggregatum, directe, vel indirecte retineant vel dirigant et quanam auctoritate.

96. Num post ultimam relationem aliquod novum opus, vel potius nova species operum aliis iam exsistentibus adiuncta fuerit, et quanam auctoritate.

97. Num in instituto vel in aliquibus domibus irrepserint abusus et qui?

98. Num querelae vel difficultates exsistant *a*) cum ordinariis locorum, *b*) cum confessariis, *c*) cum capellanis.

Responsa autem ad suprascriptas quaestiones non solum a moderatore seu moderatrice generali, sed etiam a singulis consiliariis seu assistentibus generalibus, praevio maturo examine, signanda erunt.

Quod si quis ex iisdem consiliariis seu assistentibus aliquid magni

momenti praeterea s. Sedi significandum esse putaverit, id etiam per privatas atque secretas litteras praestare poterit. Verumtamen memor ipse sit conditionis suae et sciat conscientiam suam graviter oneratum iri, si quid a veritate alienum secretis eiusmodi litteris exponere audeat ».

Const. Leonis XIII « Conditae » 8 dec. 1900; Mot. propr. Pii X « Dei providentia » 16 iul. 1906; decr. S. C. EE. RR. « Quem admodum 17 dec. 1890; decr. S. C. EE. RR. « Auctis admodum » 4 nov. 1892; Normae secundum quas Sacra Congr. Episc. et Regul. procedere solet in approbandis novis institutis votorum simplicium 28 iun. 1901; *Brentano Cl.* Die barmherr. Schwestern i. Bezug auf Armen- und Krankenpflage; *Schels B.* Die neuern religiösen Frauengenossenschaften; *De Buck V.* De l'état religieux en Belgique au XIX siècle; *Schuppe F.* Studien üb. d. relig. neuer. Frauengenossenschaften; *Schuppe F.* Die Selbstverwaltung d. neuer. relig. Frauengenossenschaften und ihr Verhältniss z. Diözesanbischof; *Schuppe F.* Die neuer. rel. Frauengenossenschaften in ihr. Beziehungen z. Ortspfarrer u. z. Beichtvater; *Daris* Quae. stiones canonico-civiles de statu religioso; *Craisson* Des communautés religieuses à vœux simples; *Meynard* Réponses canon. et pratiques sur le gouvernement et les principaux devoirs des religieuses à vœux simples; *Koher Th.* De monialium et recent. congregationum mulierum confessario; *Hervé-Bazin* Les grands ordres et congrégations relig. des femmes; *Dechamps* Instructions aux communautés religieuses des femmes du diocèse de Malines; *Adigard* Décret apostolique du 17 déc. 1890 sur le compte de conscience, la confession et la communion dans les communautés religieuses; *Pie de Langogne* L'ouverture de conscience, les confessions et communions dans les communautés; *Tyck* Notices historiques sur les congrégations et communautés relig. et les instituts de missionnaires du XIX siècle; *Meynard* Quelques réponses touchant les devoirs de l'obéissance envers le décret apostolique du 17 déc. 1890 etc.; *Keiter H.* Bedingungen f. d. Eintritt in sämtl. relig. Männerorden u. Genossenschaften Deutsch. Oesterr. u. d. Schweiz; *Arndt A.* Das Dekret « Quem admodum » (17 dec. 1890) für Ordensfrauen u. Laiengenossenschaften; *Heimbucher M.* Die Orden u. Kongregationen d. kath. Kirche; *Bouché* Du droit d'exister des congrégations religieuses non reconnues; *Joder J. Ch.* Das Beichtvateramt i. Frauenklöstern; *Battandier* Guide canonique pour les constitutions des sœurs à vœux simples; *Joder I. Ch.* Das Sammeln von Almosen durch Ordensfrauen; *Vermeersch A.* De religiosis institutis et personis; *Holn W.* Die barmherz. Schwestern v. heilig Karl Borromäus 1652-1900; *Arndt A.* Die kirchl. Rechtbestimmungen f. d. Frauenkongregationen; *Nardelli* Le congregazioni religiose di voti semplici nei rapporti con i vescovi secondo la bolla « Conditae » di Leone XIII; *Nervegna* De institutis votorum simplicium religiosorum et monialium; *Bastien P.* Constitution « Conditae a Christo »; *Viteau J.* Les lois de l'Eglise sur la confession et la communion des religieuses; *Franco-Huber* Das päpstl. Dekret « Quem admodum » von 17 dec. 1890; *Bondinhon* Les congrégations religieuses à vœux simples dans leurs rapports avec les évêques; *Touchet M.* La sécularisation des congréganistes devant le droit canon.; *Léjeune L.* La confession et la communion des religieux et des religieuses; *Carlier A.* L'incapacité de recevoir des congrégations religieuses et de leurs membres; *Bastien P.* Directoire canonique à l'usage des congrégations à vœux simples.

Congregationes romanae. — Sa- 1518

crae Congregationes ex nova constitutione duodecim numerantur, si pro una assumamus duas Congregationes de Prop. Fide, scilicet et eam, quae ita antonomastice vocatur, et eam, quae dicitur Congregatio de Prop. Fide pro negotiis rituum orientalium; secus tredecim sunt. Dum SS. Dominus Pius X pontificatum suum auspicatus est, viginti erant. Pius X motu proprio 14 apr. 1904 « Quae in Ecclesiae bonum » S. Congregationem Indulgentiarum et Sacrarum reliquiarum perpetuo coniunxerat cum Congregatione ss. Rituum; alio etiam motu proprio 26 maii 1906 « Sacrae Congregationi » suppresserat SS. Congregationes de disciplina regulari et de statu regularium, quas in ipsam S. Congregationem Episcoporum et Regularium transfuderat. Aliae quatuor, scilicet Congregatio super residentia episcoporum, super examine episcoporum, de immunitate ecclesiastica et Congregatio visitationis Apostolicae Urbis nova piana constitutione « Sapienti consilio » III Kal. iul. 1908 sublatae sunt, sive explicite ut haec ultima, sive implicite, quia de his nulla amplius fit mentio ut aliae tres. Nec immerito diceres Congregationem Episcoporum et Regularium et Congregationem Concilii sublatas fuisse, eisdem suffectis Congregatione de religiosis et nova Congregatione Concilii, quae nomen antiquum retinet sed nova quoad substantiam est. His adde novam et quoad substantiam et quoad nomen institutam fuisse Congregationem, de sacramentis scilicet.

Bibliographiam quaere sub *Curia romana*.

De Congregatione ceremoniali. 1519
— Quum, quando locus eidem fuisset, inserire nihil potuerimus de Congregatione ceremoniali, hic, ubi de romanis congregationibus in genere agimus, de ea aliquid dicendum est.

Dicunt generatim Sixtum V Congregationem ceremonialem instituisse simul cum aliis, quas constituit constitutione sua « Immensa ».

Constituitur autem Congregatio 1520
pluribus patribus cardinalibus, inter quos semper adnumeratur decanus s. Collegii, qui in eadem Congregatione semper gerit munus praefecti.

Habet praeterea Congregatio secretarium, qui saepe quidem, sed non semper, ex magistris ceremoniarum pontificiarum seu apostolicarum desumitur, et subsecretarium. Consultores habet omnes ceremoniarios supra dictos et non alios.

Ad hanc Congregationem pertinet 1521
regimen et directio liturgiae quoad omnes functiones papales aut in pontificia cappella explendas nec non quoad functiones in Urbe peragendas a patribus cardinalibus, ut debitus eis honor servetur. Ipsa statuit ceremoniale sequendum in receptione imperatorum, regum aut legatorum, qui ab ipsis ad s. Sedem mittuntur. Ipsa instructiones dat cardinalibus legatis a latere, ut missionem suam cum s. Sedis decore perficiant. Haec pariter Congregatio instruit illum ex numero nobilium militum custodiae ipsius personae Pontificis deputatorum (*guardie nobili pontificie*) et pontificium ablegatum, qui ad novos cardinales extra Urbem residentes nuncium officiale suae promotionis

et pileolum ac birretum rubrum deferre debent, quemadmodum etiam ad novum cardinalem mittit instructionem circa modum, quo excipere debet hos sibi a Pontifice missos. Instruit quoque novos cardinales de modo seu formulario, quo uti debent ad mittendas litteras (praesertim renunciatorias suae promotionis) ad reges catholicos et ad alios cardinales extra Urbem. Demum si de praecedentiis aut praeeminentiis inter cardinales aut legatos principum ad s. Sedem dubium aut contentio oriatur, ab hac Congregatione dissolvitur et componitur.

1522 Breviter huius Congregationis competentia a constitutione piana ita exponitur: « Haec Sacra Congregatio iura hactenus ipsi tributa integra servat; ideoque ad eam pertinet moderatio caeremoniarum in sacello aulaque pontificali servandarum, et sacrarum functionum, quas patres cardinales extra pontificale sacellum peragunt; itemque quaestiones cognoscit de praecedentia tum patrum cardinalium, tum legatorum, quos variae nationes ad sanctam Sedem mittunt ».

Minora negotia et ea, quae iam alias dirempta sunt, ipsa secretaria Congregationis expedit; maiora deferuntur ad plenam Congregationem, et decisio Pontifici submittitur.

1523 **Congrua parochorum.** — Fisco addictis in Italia bonis collegiatarum, detrahitur pro parocho congua. Aliquando id, quod pro congrua detractum est, est reditus maioris eo, quod parochus ante addictionem bonorum fisco percipiebat. Quaesitum est sacrae Congregationi Concilii « an parochus ius habeat omnes eorumdem bonorum reditus percipiendi, seu potius, et quomodo, teneatur ipsos reditus conferre ac dividere cum aliis capitularibus et participantibus ». Et Sacra Congregatio respondit: « Negative ad 1. partem; ad 2. affirmative, ita tamen, ut ex communi massa parocho persolvatur annua portio haud minor ea quantitate, quam ante bonorum direptionem percipiebat. Quod, si ob decrescentem in dies canonicorum numerum, reditus massae communis capitularibus distribuendi post persolutam integram parochi quotam excederent portionem, quas singuli percipere ante praedictam bonorum direptionem consueverunt, huiusmodi excessus distribuendus iterum erit, servata debita proportione, parochum inter et alios capitulares ». *S. C. C. 22 febr. 1876, in Amalphitana 27 maii 1899.*

In Italia congrua, quae a Gubernio parochis solvitur, lege *4 iun. 1899* aucta ita est, ut pro quocumque parocho perveniret, una cum reditibus casualibus, saltem ad annuum reditum 900 libellarum, ab omni onere solutum. Occasione huius augmenti congruae quaedam proposita sunt s. Poenitentiariae, ex cuius responsionibus haec colliguntur: Potest parochus accipere congruam aut supplementum congruae etiam ex bonis, quae non erant parochiae, sed aliorum corporum moralium, dummodo parochus scandalum removeat, et habeat intentionem standi mandatis ecclesiae (scandalum autem a parocho facile removetur, notam faciens hanc reso-

lutionem s. Poenitentiariae, Mon. eccl. *vol. XIV pag. 34*). Possunt etiam episcopi sive ipsi parochi per se ipsos agere cum Dicasterio cultus rebus praeposito (*Fondo per il culto*) de iis omnibus, quae congruam aut augmentum congruae respiciunt. *S. Poenit. 14 dec. 1899.*

An. L'imposta di ricchezza mobile sui redditi delle parrocchie; *An.* Congrue parrocchiali; *An.* Le parrocchie unite o incorporate ai monasteri; *An.* Spese di culto; effetti della loro fissazione stabilite fra comune e parroco; *Minella G.* L'aumento di congrua fino alle lire 800 in dipendenza della legge 30 giugno 1892 n. 312; *Ridolfi G.* Le parrocchie in giudizio; *La Monica M.* Le pensioni ecclesiastiche e l'art. 13 del regolamento 25 agosto 1899 sulle congrue parrocchiali; *La Monica M.* Contro il disegno di legge 5 maggio 1904 per l'aumento delle congrue parrocchiali; *La Monica M.* Le liquidazioni di congrua parrocchiale e la inapplicabilità della prescrizione quinquennale; *Schiappoli D.* Le congrue ed i supplementi di congrua ai parroci.

1524 **Coniugati clerici.** — Ex praescriptione Bonifacii VIII, clerici, qui cum unica eaque virgine contraxerunt, si tonsuram et vestes clericales deferant, et praeterea ex praescripto Concilii Trid. (*sess. XXIII. c. 6. de ref.*) alicuius ecclesiae servitio vel ministerio ab episcopo deputati, eidem ecclesiae serviant, vel ministrent, retinent privilegium canonis et privilegium fori (nempe pro causis tantum criminalibus, sive criminaliter sive civiliter intentatis, Wernz *Ius eccl. II. 203*); ceteris vero privilegiis clericalibus non gaudent. Ii vero, qui tonsuram et vestes clericales non deferunt, nullo omnino clericali privilegio gaudent. *c. un. de clericis coniugatis* (*III. 2*) *in 6°.*

Clerici coniugati, qui adhuc in coniugio sunt, in ecclesia latina non sunt admittendi ad ecclesiasticas dignitates, imo ad eas abdicandas, si quas habent, cogendi sunt (*c. 8 de clericis coniugatis X.* [*III. 3*]); hi vero, qui coniugati olim fuerunt, ad ecclesiastica beneficia aut sacros ordines aut administrationes ecclesiasticas admittendi non sunt, nisi perpetuam castitatem voverint, et bigami non fuerint. *c. 2. tit. cit. X.* (*III. 3*).

Clerici minorum ordinum, qui matrimonium contrahunt, valide et licite contrahunt, attamen in ecclesia latina spoliandi sunt beneficiis, si quae habeant (*cc. 1. 3. 5. tit. cit. X* [*III. 3*]); imo amittunt ipso facto, non quidem quasi in poenam alicuius delicti, sed ex defectu conditionis requisitae, omnem titulum et omnia iura quaesita, si quae habeant, in beneficium, et ad nova beneficia obtinenda fiunt ipso iure incapaces. *c. 5. tit. nuper cit.*

Super his omnibus, quum pendeant ex iure communi, a nullo episcopo, sed tantum ab ipso romano Pontifice, posse clericos coniugatos dispensari, palam est. Cfr. Wernz *l. c.*

Clerico coniugato, qui in habitu clericali incedit, licet intonare et legere antiphonas, capitula, et facere alias similes functiones. *S. R. C. in Lauretana 20 febr. 1592* (*13*).

Bibliographiam quaere sub *Coelibatus.*

Coniuges. — Coniuges tenentur ad mutuum amorem; ad alimenta (vid. *Alimenta*); ad debitum coniugale (vid. 1525

Actus coniugalis, ubi etiam quid coniuges possint, quid non possint circa usum matrimonii); ad societatem coniugalem et cohabitationem.

Debitum cohabitandi consequitur debitum reddendi, cuius est necessarium corollarium. Quare, quum debitum reddendi sit ex iustitia, etiam debitum cohabitandi ex iustitia urget. Imo cohabitationis debitum exsurgit etiam ex secundario matrimonii fine, qui est in individua vitae consuetudine: hinc est, quod, quamvis quis per accidens vel ex consensu solutus sit a debito reddendi, non ideo statim solvitur a debito cohabitandi. Cfr. Sanchez *de matr. lib. IX disp. 4. n. 2. sqq.* Attamen iure adnotat Ballerini-Palmieri (*VI. 387*) id non impedire, quominus ex rationabili causa, recreationis, valetudinis curandae, negotii gerendi, officii implendi possit alter ab altero per tempus etiam plus minus longum divertere, quum nimirum talis absentia non efficit, ut in communi hominum recte sentientium existimatione censeatur abrupta cohabitatio debita uxoris et viri; hoc autem prudentium iudicio et communi hominum sensu pensandum est. Ex dictis autem sequitur, graviter peccare eum coniugem, qui, altero invito, non ad breve tempus absque rationabili causa discedat. *c. 1 de coniugio leprosorum X.* (*IV. 8*).

1526 Possunt tamen dari plures iustae causae, ex quibus liceat interrumpere etiam ad longius tempus cohabitationem. Sunt autem ex. gr. exigentia publici boni, aut necessitas administrandae rei familiaris, seu alendae, aut tuendae familiae, damnum ab inimicis vitandum, aut causa religionis. S. Alph. *VI. 939.* Quaerunt autem hic doctores specialiter, an liceat coniugi, altero invito, peregrinari. Et iure distinguunt inter virum et uxorem. Uxor subdita est viro; quare, titulo saltem obedientiae, non potest peregrinationem, etiam ad breve tempus, marito invito, instituere. Vir non est subditus uxori; hinc illi concedunt, posse, brevem tamen, peregrinationem instituere, invita quoque uxore, quum eius consensu ad hoc vir non indigeat. Brevem tamen inquam; nam secus vir frustraret ius uxoris; quod est in habenda copula cum viro, quando ei placuerit, quum et mulier in viri corpus, aeque ac vir in corpus mulieris potestatem habeat.

Ex debito cohabitandi sequitur in 1527
muliere obligatio sequendi virum in mutatione domicilii. In muliere, inquam, non in viro, quia vir caput est mulieris: hinc ad virum pertinet domicilium figere eo loci, ubi vult. Attamen et in viro aliquando per accidens potest dari haec obligatio. Scilicet si quando vir, a negotiis omnino solutus, nullam haberet rationem figendi domicilium potius hic quam ibi, mulier autem gravi ratione, valetudinis ex. gr., cogeretur hic potius habitare, quam ibi. Et si quando uxor ex habitatione in aliquo loco exponeretur periculo probabili gravis detrimenti, etsi vir deberet et vellet eo commigrare, uxor posset maritum non sequi. S. Alph. *VI. 977;* B. P. *VI. 394.*

Quid autem, si ante matrimonium inter virum et uxorem pactum esset, ut alicubi domicilium figerent? Di-

stinguendum est, utrum ad pactum non servandum aliqua supervenerit iusta causa, vel non. Si non supervenerit causa iusta, pactum servandum est, et maritus tenetur in domicilio statuto cohabitare uxori; si vero ipse pactum non servet, reus est et pacti non servati et violatae cohabitationis. Si vero iusta causa supervenerit domicilium immutandi, posset vir illud alio transferre, et mulier teneretur maritum sequi, non obstante pacto. Ratio est, quia pactum huiusmodi non esset licitum, nisi expresse vel tacite haberet adiunctam conditionem hanc, nisi scilicet ex iusta causa maritus putaverit domicilium immutandum, maritus enim semper est et manet iure ipso naturae caput mulieris. B. P. *VI. 393.*

In casu autem, quod mulier sine gravi et iusta causa nolit sequi maritum domicilium mutantem, potest vir ad ecclesiasticum iudicem recurrere, qui mulierem coget ad cohabitandum viro. Cfr. *S. C. C. in Melevitana 18 aug. 1821.*

1528 Iure italico matrimonium imponit coniugibus obligationem mutuae cohabitationis (*C. C. a. 130; cfr. C. G. a. 214*); viro autem obligatio est retinendi uxorem apud se (*C. C. a. 132*); si vero maritus absque iusta causa certam stabilemque sedem non constituit, aut quum media ei suppetunt, renuit habitationem constituere congruam conditioni uxoris, potest uxor petere separationem. *C. C. a. 152.*

Quando cohabitatio mutua censetur convalidare matrimonium nulliter initum ex capite vis et metus, vide sub *Metus.*

Praeterea tenetur vir bona sua et 1529
uxoris cum diligentia administrare, procurare necessaria ad sustentationem familiae etc.; uxor autem debet curare rem familiarem, viro suo obedire, eumque revereri, et consuetudine amoris plena in vitae christianae exercitio servare.

An et quomodo coniuges sibi invicem donare possint, vid. *Donatio.* Cfr. G. B. *I. 378. sqq.*

Const. Leonis XIII « Arcanum » 10 febr. 1880: *A Vera Cruce A.* Speculum coniugiorum; *Fragosi I. B.* Tract. de regimine reipublicae christianae tom. 3; *Haunold Chr.* Controversiarum de iustitia et universo iure privatorum tract. decem (ubi de iuribus coniugum in tr. 4°); *Reichelm Ch. F.* De fide reciproca coniugali, etc.; *Müller P.* De osculo sancto... coniugali; *Wildvogel* De iure thalami; *Lanthere* Diss. de auctoritate mariti in personam uxoris; *Cubain* Traité des droits des femmes en matière civile et commerciale; *Jousselin* Des prélèvements et reprises de la femme mariée; *Salvandy* Essai sur l'histoire de la législation particulière aux gains de survie entre époux *Pothier M.* Tratt. della comunione dei beni con un trattato della potestà del marito sopra la persona della moglie e sopra i beni della moglie, ecc.; *Cathrein* Moralphilosophie II, pag. 418 sqq.; *Todaro della Gallia A.* I diritti del coniuge superstite; *Gontard P.* De l'effet des conventions matrimoniales sur les droits des créanciers antérieurs au mariage; *Bianchi E.* Trattato dei rapporti patrimoniali dei coniugi secondo il codice civile italiano; *Bressolles* La femme du commerçant; *Bonelli G.* Sulla opposizione di interesse fra coniugi, specialmente nella cambiale; *Borrè I.* L'art. 433 del codice penale in confronto ai coniugi uniti col solo vincolo religioso; *Degaigne* De la nature juridique des avantages entre époux.

Omnes canonistae et moralistae ubi de matrimonio. Cfr. etiam bibliographiam sub *Communio bonorum*.

1530 **Coniugicidium.** — Coniugicidium est impedimentum dirimens matrimonii, si adiungatur cum adulterio, vel fiat ex conspiratione. Vid. *Crimen*.

1531 **Conopeum.** — Conopeum est velum ad instar tentorii, quo tabernaculum cooperitur, et est obligatorium, idest tabernaculum semper est conopeo cooperiendum, neque a conopeo adhibendo excusat consuetudo contraria, quae, etsi adsit, servari proinde non potest. *S. R. C. in Briocen. 21 iul. 1855 ad 10* (*3035*); *in una S. Iac. de Chile 28 apr. 1866* (*3150*); *1 iul. 1904*; *Rit. rom. tit. IV. c. 1. n. 6.*

Potest autem conopeum confici ex panno sive gossypio sive lana sive cannabe contexto; potest esse vel coloris albi vel eiusdem coloris, cuius sunt pallium altaris et cetera paramenta pro temporis festique ratione, praeter colorem nigrum, qui mutatur in colorem violaceum in exsequiis defunctorum. *S. R. C. in Briocen. 21 iul. 1855. ad 10* (*3035*); *in una S. Iacobi de Chile 28 apr. 1866* (*3150*).

In expositione ssmi. Sacramenti conopeum et pallium altaris debent semper esse coloris albi (*S. R. C. in Taggen. 9 iul. 1678. ad 7* [*1615*]; *in Hispalen. 19 dec. 1829* [*2673*]); nisi expositio et repositio ssmi. Sacramenti fiat immediate ante vel post missam seu officium, ita ut celebrans eiusque ministri ab altari non recedant, quia tunc licet retinere conopeum et altaris paramenta illius coloris, quem exigit officium diei. *S. R. C. in Annecien. 1 dec. 1882* (*3559*). In altari vero, in quo cantatur missa de requie, conopeum debet esse coloris violacei. *S. R. C. in Nesqualien. 1 dec. 1882* (*3562*).

Ab usu conopei excusare potest gravis et legitima causa, ut si alicubi ex calore regionis accidat conopeum pollutum iri indecenter a maximo numero insectorum, quae in eodem tabernaculo stationem faciunt, quaeque in tabernaculo aperiendo ipsum tabernaculum ingrediantur. Hinc quum in utraque Guinea huiusmodi circumstantiae adessent, Sacra Congregatio Rituum (*27 iul. 1878* [*3456*]) remisit prudenti arbitrio ordinarii, qui provideret, attentis loci conditionibus, utrum conopeo tegendum esset tabernaculum, an non. Pariter a conopeo excusat, ut videtur ex praxi maiorum basilicarum Romae, pretiosum tabernaculum, quod desuper habeat baldachinum.

Loco conopei non potest apponi ad ostium tabernaculi tabula sive ex metallo, sive ex tela acu picta, sive ex charta oleographica, qua repraesententur symbola eucharistica, vel ssmum. nomen Iesu, vel alia huiusmodi. *S. R. C. in Mexicana 10 sept. 1908 ad 1* (*4000*).

1532 **Consanguinei.** — Consanguinei sibi invicem debent mutuum amorem, non eum tantum, quo omnes invicem diligere debemus, sed specialem, maiorem autem aut minorem pro maiori minorive sanguinis arctitudine. Amor autem iste debet esse efficax, si necessitas id requirat; hinc obligatio maior vel minor dandi alimenta consanguineo egenti (vid. *Alimenta*),

aliaque auxilia tum materialia tum praesertim spiritualia.

Incestus cum consanguineis, quocumque gradu tales sint, iuxta S. Thomam *2. 2. q. 154. a. 9.* speciem peccati non mutat; item probabilius dicendum inter consanguineos et affines.

1533 **Consanguinitas. – De natura consanguinitatis.** — Consanguinitas, seu cognatio naturalis, est vinculum personarum ab eodem stipite proximo per carnalem generationem descendentium, quod scilicet exsurgit ex unitate et participatione eiusdem sanguinis.

In consanguinitate tria distinguenda: stipes, gradus, linea. - Stipes dicitur persona illa, a qua tamquam a radice communi reliquae personae carnaliter descendunt; gradus est mensura distantiae, quae inter unam et aliam personam intercedit; linea est series personarum a stipite descendentium; et haec recta est (eaque est eorum, quorum unus ab altero carnalem traxit originem) et collateralis (et est eorum, quorum unus ab altero non descendit, sed uterque descendit ab uno stipite). Cfr. Feije *de imp. et disp. matr. n. 349 sqq.*

1534 **De multiplici consanguinitate.** — Multiplex etiam potest esse consanguinitas. Scilicet si qui ex propinquis ascendentibus consanguineis inter se, aut eorumdem unus vel plures ex uno stipite cum consanguineis uno vel pluribus alterius stipitis contraxerunt coniugia, aut copulam habuerunt, ex qua secuta sit generatio, habetur in descendentibus multiplex consanguinitas. Hinc in simplici consanguinitate non datur plus quam duplex series generationum usque ad communem stipitem; in multiplici consanguinitate multiplex etiam est eiusmodi generationum series. Hinc etiam patet, consanguinitatem posse esse sive ex uno stipite sive ex pluribus; quod ultimum tunc habetur, quum consanguinitas unius familiae unitur consanguinitati alterius familiae. Et hoc etiam legitime nonnisi per matrimonium fieri potest, illegitime autem per copulam, ex qua secuta sit generatio.

De computatione graduum. — Tri- 1535
plex est regula ad gradus consanguinitatis computandos in ecclesia latina (nam ecclesia graeca etiam nunc sequitur in hoc modum iuris romani, qui in computandis gradibus lineae collateralis aliquatenus differt, Cfr. Papp-Szilágyi *Ench. iur. eccl. orient. cath. p. II.* § *106;* Mansella *de imp. matr. dir. pag. 35*):

1° in *linea recta* tot numerantur gradus, quot personae, dempto stipite, Pirhing *in tit. 14. lib. IV. Decr. n. 4;*

2° in *collaterali aequali* tot sunt gradus, quot personae in una parte, dempto stipite, Sanchez *de matr. lib. VII. d. 50. n. 5;*

3° in *collaterali inaequali* tot gradus, quot personae in parte remotiori, stipite dempto. *c. 9. tit. cit. X.* (*IV. 14*).

Si quis autem in ultimo casu vult undequaque determinare consanguinitatem, indicare debet tum gradum remotiorem, tum gradum propinquiorem. Hinc, si ex. gr. debeat quoad omnia determinari consanguinitas, quae intercedit inter Carolum filium

Nerei filii Titii et Olgam filiam Mariae filiae Pauli filii Titii, dicendum esset, eos esse consanguineos in secundo et tertio gradu, seu in tertio gradu mixto attingente secundum.

Si duo vero venirent ex duplici communi stipite, consanguinitatis gradus esset duplex. Sic ex. gr. Lambertus filius Pauli filii Marii et filius Paulae filiae Caroli et Laura filia Iulii filii Caroli et filia Iuliae filiae Marii essent consanguinei in duplici secundo gradu.

Si quando autem duo consanguinei in secundo aequali gradu consanguinitatis habuissent avum et aviam et ipsos inter se coniunctos in secundo gradu consanguinitatis, colligarentur inter se in duplici quarto ex lineis in stipite intermedio coniunctis. Quare in casu haberetur triplex impedimentum, ex secundo scilicet et ex duplici quarto gradu. *S. U. I. 11 mart. 1896; 22 febr. 1899.*

Filii duorum fratrum et duarum sororum sunt inter se coniuncti duplici impedimento consanguinitatis in secundo gradu aequali. *S. U.I. 22 febr. 1899.* Cfr. *Praxis Apostol. dispensationum super imped. matr. n. 35. sqq.*

In iure romano modus computandi gradus in linea recta idem est ac in iure canonico ecclesiae occidentalis seu latinae. At in computandis gradibus lineae collateralis differentia est, ut innuimus. Scilicet ius romanum eamdem retinet regulam pro linea inaequali ac pro linea recta, seu: tot gradibus distant inter se consanguinei, quot inter ipsos intercedunt generationes; seu, quod idem est: consanguinei tot gradibus inter se distant, quot sunt in tota serie personae, stipite dempto, seu una dempta.

Ex hac computatione iuris romani in linea transversa aequali duo fratres sunt in secundo gradu; nepotes, patrueles vel consobrini sunt in quarto, quia quatuor in casu dantur generationes, dum ab uno nepote hinc ascenditur ad stipitem et a stipite descenditur ad alium nepotem: et sic eorum filii sunt in sexto etc. In linea vero transversa inaequali habemus, Titium eiusque nepotem ex fratre distare tribus gradibus; filium fratris et nepotem ex alio fratre distare quinque gradibus. Cfr. Schmalzgrueber *in tit. 14. lib. IV. Decr. n. 15 sqq.*; B. P. *VI. 660.*

Methodum hanc computandi iuris Romani sequuntur etiam iura recentiora.

De impedimento consanguinitatis. 1536 — Consanguinitas in linea recta matrimonium, iure (ecclesiastico scilicet, et quod unice est legitimum in casu), quo regimur, dirimit indefinite in quocumque gradu; in linea collaterali usque ad quartum gradum inclusive et non ultra. *cap. 8. 9. de consanguin. X.* (*IV. 14*); Feije *l. c. n. 364. sq.* Consanguinei vero sunt ii etiam, qui vel ex eodem patre vel ex eadem tantum matre nati sunt, et ii, qui illegitime sunt nati. Feije *l. c. n. 349.* Consanguinitas in primo gradu lineae rectae matrimonium iure naturae dirimit (Schmalzgr. *in tit. 14 cit. n. 20*); imo iuxta quosdam eodem iure divino et in infinitum dirimitur matrimonium inter ascendentes et descendentes Pirhing *l. c. n. 9;* Reiffenstuel *in tit. cit. n. 27;* Feije *l. c. n. 366.* In linea

collaterali ultra primum gradum ex iure naturae non irritatur (Con. Trid. *sess. XXIV. c. 5. de ref. matr.*); sed utrum in primo irritum sit iure naturali, an canonico, videant sapientes. Certum tamen est, in hoc gradu ecclesiam numquam dispensasse. Confer ad exemplum causam agitatam apud sacram Congregationem Univ. Inquis. *6 apr. 1906*, in qua, etsi ageretur de duobus qui in concubinatu vivebant et prolem iam habuerant, nec certa omnino esset inter eos fraternitas seu consanguinitas in primo gradu collaterali, quum tamen certo non constaret contrarium, sed dubium prudens maneret de exsistentia impedimenti, sacra Congregatio respondit matrimonium illud permitti non posse. Iure autem canonico in linea collaterali certo dirimitur usque ad quartum gradum inclusive et non ultra. *c. 8. tit. cit. X.* (*IV. 14*). Sed semper tenenda est regula: gradus remotior trahit ad se propinquiorem. Cfr. Feije *l. c. n. 355.*

1537 **De dispensatione ab impedimento.** — In petitione dispensationis ab impedimento consanguinitatis exprimendi sunt linea et gradus; imo ex constitutione Pii IV « Sanctissimus » *20 sept. 1565*, si in linea collaterali gradus distent inaequaliter, exprimendus est sub poena nullitatis non tantum gradus remotior, sed etiam proximior, ex multiplicatis quoque stipitibus.

S. Pius V vero constitutione sua « Sanctissimus » *20 aug. 1566* derogavit constitutioni Pii IV et ex parte antiquum ius restituit. Voluit scilicet, ut proximior etiam gradus exprimeretur hoc sensu, ut, obtenta dispensatione super gradum remotiorem, obtinerentur postea super propinquiore litterae declaratoriae. Quare ad validitatem dispensationis non est necesse exprimere, nisi gradum remotiorem; tenentur tamen petentes dispensationem super gradum propinquiorem petere litteras, quibus declaretur, proximiorem illum gradum non obstare. Hoc autem non est extendendum ad casum, in quo agatur de impedimento quocumque modo primum attingente; quia tunc etiam ad validitatem exprimendus est gradus primus propinquior, quum et super ipsum cadere debeat dispensatio. Cfr. *Const. cit. Pii V;* B. P. *VI. 662 sqq.* Si quando vero facta non fuerit declaratio gradus remotioris, semper sunt petendae novae litterae seu novum rescriptum in forma *Perinde valere.* Vid. *Perinde valere.* Quum autem ex multiplicitate consanguinitatis ex pluribus stipitibus multiplicentur etiam impedimenta, necesse est exprimere multiplicem consanguinitatem et simul declarare, an ea sit ex communibus stipitibus, vel ex uno communi stipite, vel ex uno stipite ex una et ex alio stipite ex altera parte. Pariter exprimenda est provenientia in primo et secundo gradu, ex. gr. oratorem esse patruum magnum vel avunculum magnum oratricis, vel in duplicibus primo et secundo, primo et tertio etc. Cfr. *Praxis Apost. disp. super imp. matr. n. 36.*

Episcopi, qui facultate gaudent 1538
quinquennali dispensandi in tertio et quarto consanguinitatis et affinitatis

gradu simplici et mixto tantum, et in secundo, tertio et quarto, non tamen in secundo solo, quoad futura matrimonia, possunt dispensare in tertio et tertio, in quarto et quarto, in tertio mixto cum quarto, nec non in tertio et quarto cum secundo mixtis, sive gradus oriatur ex uno, sive ex multiplici stipiti. *S. U. I. 19 iun. 1875.*

Eodem modo ad quaesitum « An ordinarius munitus apostolica facultate dispensandi, puta in 2° consanguinitatis gradu, possit dispensare etiam quum dictus gradus est multiplex, idest a duobus vel a pluribus stipitibus proveniens », s. Poenitentiariam consuevisse semper affirmative respondere, testis est ipsa s. Poenitentiaria. *S. Poen. 20 apr. 1883.*

Quando in formulis, quibus conceditur facultas aliquarum dispensationum concedendarum, tribuitur facultas dispensandi in quibusdam consanguinitatis et affinitatis gradibus, verba formulae ita accipienda sunt, ut intelligatur concessa facultas dispensandi tam ab impedimento consanguinitatis, quam ab impedimento affinitatis, seiunctim tamen, non vero quando utrumque impedimentum in uno eodemque gradu concurrunt. *S. U. I. 2 iul. 1884.*

Decr. Grat. C. XXXV; c. 19 sq. C. XXXII q. 7; tit. de consanguinitate et affinitate X. (IV. 14); c. 8 de divortiis X. (IV. 19); tit. de consanguin. et affinit. (IV. 1) in Clem.; Conc. Trid. sess. XXIV c. 5 de ref.; Const. Pii V « Sanctissimus » 20 aug. 1566; Const. Pii V « Ad Rom. Pontificem » 28 nov. 1566; Const. Ben. XIV « Etsi matrimonialis » 27 sept. 1755: Instr. S. U. I. 20 iun. 1883; Instr. Card. Rauscher § 26; Commentatores decretalium in tit. cit.; *S. Raymundi* Summa lib. IV tit. 6; *De Voerda N.* Arborum trium consanguinitatis, affinitatis cognationisque spiritualis lectura; *Marioli G.* Regulae et tabulae de arbore consanguinitatis et affinitatis; *Knaustini H.* Numeratio graduum consanguinitatis et affinitatis secundum arborem civilem et canonicam; *Petraei A.* Arbor consanguinitatis et affinitatis; *Freigi I.* De gradibus consanguit. et affinit.; *Nerutii M.* Arbor consanguinitatis; *Zechner* Explicatio utriusque arboris canonicae; *Arithmei V.* De computandorum graduum ratione iure pontificio et civili inspecto; *Schurer A.* De haeredit. et de gradibus consanguinit. et affinit.; *Zehner I.* De impedimentis matr. ex propinquitate ortis; *Ravenau I.* De gradibus consanguinitat., affinitat. et cognationis spiritualis; *Carpzovii A.* Usus practicus arboris consanguinitatis et affinitatis; *Neandri Ch.* De arbore consanguinitatis et affinitatis; *Sithmanni I.* Idea arboris consanguin. et affinitat. theorice et practice; *Schultzen P.* Arbor consanguinitatis et affinitatis; *Müller P.* De modo ac usu computandi gradus; *Sanchez* De matr. lib. VII disp. 51 sq.; *Weber* Comm. de eo, quod iustum est circa cognationes in nuptiis; *Mencken* Computatio graduum; *Kugler* De nuptiis incestuosis; *Moser* Vindiciae graduum prohibitorum; *Moser* Die Berechnung der Ehegrade; *Wiese* Comm. de imped. matrim. ob consanguinitatem et affinitatem; *Ammon* Ueber das moralische Fundament der Eheverbote unter Verwandten; *Schlegel* Kritische und systemat. Darstellung der verbotenen Grade d. Verwandtschaft u. Schwägerschaft; *Laspeyres* Diss. canonica computationis et nuptiarum propter sanguinis propinquitatem ab ecclesia christiana prohibitarum sistens historiam; *Fritz* Ueber das Verhältniss der mehrfachen Blutsverwandtschaft; *Spöndlin* Ueber das Eheverbot wegen Verwandtschaft und das Verbrechen des Incestes; *Monfang*

Ch. Das Verbot d. Ehen zwischen nah. Verwandten; *Thiersch* Das Verbot der Ehe innerhalb der nahen Verwandtschaft; *Eichhorn H.* Das Hinderniss der Blutsverwandtschaft u. d. kan. R.; *Huschke G.* Die Lehre v. d. verbotenen Verwandtschaftsgraden; *Huth* The marriage of near kin; *Müllendorf* Methode zur Auffindung der Ehehindernisse bei mehrfacher Blutsverwandtschaft; *Sebregondi-Ceriani* I matrimoni fra consanguinei in relazione alla igiene e al codice civile; *Luckock* The history of the marriage Iewish and christian in relation to divorce and certain forbidden degrees; *Rosin H.* Beiträge z. d. Lehre v. d. Parentelenordnung u. Verwandtschaftsberechnung in deutsch. österr. jüd. u. kan. R.; *Peipers F.* Consanguinität in d. Ehe u. der. Folgen f. d. Descendenz; *Vering* Lehrb. des kath. KR. § 238; *Scherer* KR. § 116; *Leitner* Lehrb. des kath. Eherechts § 30; *Wernz* Ius Decr. IV. 405 sqq.; *Sägmüller* Lehrb. des k. KR. § 142; *Hergenröther-Hollweck* Lehrb. des k. KR. n. 935 sqq; *Esmein* Le mariage tom. 1. p. 2 sect. 3. 1.; *Freisen* Geschichte des can. Eherechts § 32; *Rosset* De sacr. matr. III. 1770 sqq; *Gasparri* De matr. I. 750 sqq.; *Feije* De imp. et disp. matr. n. 347 sqq.; *Eschbach* Disputationes physiol.-theolog. cap. VII. art. 1: Alii tractatistae de matrimonio et theologi morales.

1539 **Conscientia.** — Conscientia est iudicium practicum de honestate vel inhonestate actus ponendi. S. Alph. *I. 2.* Differt a synderesi, quum haec versetur circa generaliora principia moralia, conscientia vero spectet singulares actiones et ultimas practicas conclusiones morales. S. Alph. *l. c.*

1540 Multipliciter dividitur: alia est enim *scrupulosa*, quae ex levi et inani causa de peccato formidat, ubi non est; alia *laxa*, quae e contrario levi de causa iudicat vel peccatum abesse, ubi est, vel saltem non adesse grave, ubi grave habetur (vid. *Scrupulosus*): conscientia *recta* ea est, quae iudicat licitum vel illicitum id, quod tale revera est; *erronea*, quae contra. Haec vero dispescitur in erroneam *vincibiliter* et *invincibiliter*, prout ignorantia seu error culpabilis est, vel inculpabilis. Recta et invincibiliter erronea praecipientes semper sequendae sunt; haec permittens eximit a peccato; vincibiliter erronea praecipiens aut permittens non est sequenda.

Dividunt etiam quidam conscientiam in *certam* et *dubiam*, et illam dicunt haberi, quando mens firmiter iudicat aliquid esse bonum vel malum, hanc vero, quando suspensa mens haeret circa honestatem actionis. Cfr. B. P. *I. 160 sqq.*; G. B. *I. 39* Alii putant minus apte hanc conscientiae divisionem induci, quippe conscientia ex dictis est iudicium practicum de honestate vel inhonestate actus ponendi; in dubio autem nullum habetur iudicium. Cfr. D'Ann. *I. 252 (3)*.

Attamen relicta quaestione de vo- 1541
cibus, in principiis circa hoc concordant theologi, et omnes dicunt, conscientiam certam, eamque solam, esse rectam regulam morum (nam « *omne quod non est ex fide peccatum est* » *Rom. XIV. 23*), sufficere autem conscientiam moraliter certam. Hinc iuxta omnes non licet operari cum conscientia practice dubia, et agens cum dubio practico de gravitate peccati graviter peccat. Dubium tamen negativum nihili habendum est. Vid. *Dubium*.

In casu conscientiae perplexae

(quam tunc quidam haberi, forte minus recte ex ratione superius allata, dicunt, quum quis inter duo praecepta constitutus haeret dubius, quodnam e duobus sequi debeat) vir prudens consulendus est, quod si non potes, agendum id, quod levius malum videtur, et, si utrumque aeque grave, quidvis tutus elige. S. Alph. *I. 10.*

Datur etiam conscientia *probabilis* et *improbabilis* secundum quod momenta, quibus nititur mentis iudicium, sunt probabilia vel improbabilia. Vid. *Opinio.*

Quando constat de obligatione absoluta alicuius finis determinate obtinendi, adhibendum omnino est medium tutius, nec, relicto tutiore, sequi licet opinionem tenuiter probabilem (G. B. *I. 56 sq.*); at probabilissimam, vel etiam probabiliorem, sequi, ubi de sola actionis honestate agitur, licet. G. B. *I. 59.* Opinionem autem vere et solide probabilem, relicta tutiore aeque probabili, vel etiam vere probabiliori, ubi de licito vel illicito agitur, sequi quis potest. G. B. *I. 60 sqq.*

1542 Probabilismi systema quoad rem semper in ecclesia viguit, eoque reiecto maxima esset difficultas pro confessariis et molestissimum incommodum pro fidelibus (quod patet ipsa adversariorum confessione), et sequeretur perpetua fluctuatio doctrinae. Vid. *Probabilismus.* - Confessarius tenetur absolvere poenitentem sequentem opinionem vere probabilem, sed contrariam sententiae confessarii; quod docet S. Alphonsus *VI. n. 604.* - Principium illud: « qui probabiliter agit, prudenter agit » verum est in praxi, quia habetur ut consequentia alterius principii: « Non est obligatio, nisi de ea certo constet ». Alterum vero principium: « in dubio melior est conditio possidentis » valet non solum in materia iustitiae, sed etiam in aliis. Cfr. B. P. *I. post num. 196.* II. *sqq.*; Bucc. *I. 111. sqq.*; Arendt, *Crisis.*

Quoad conscientiae discussionem, vid. *Examen.* - Quoad conscientiae manifestationem, vid. *Aperitio conscientiae.* - Quoad casus conscientiae discutiendos, vid. *Collationes.*

Lopez L. Instructorium conscientiae locupletatum per Petrum Matthaeum; *Herdesiani C.* De potestate principum in bona et conscientiam subditorum; *Polacci G.* Relectio de potestate praelatorum in foro interno; *Castropalao F.* De conscientia; *Homem M.* De conscientia; *De Champs S.* Quaestio facti. Utrum theologorum Soc. Iesu propriae sint istae sententiae duae: Prima: Ex duabus opinionibus probabilibus possumus sequi minus tutam; Secunda: Ex duabus opinionibus probabilibus licitum est amplecti minus probabilem; *Fabri H.* Pithanophilus seu dialogus vel opusculum de opinione probabili etc.; *Ferrier I.* Les sentiments des plus considérables casuistes sur la probabilité des opinions dans la morale; *Mendo A.* Statera opinionum benignarum in controversiis moralibus etc.; *Terilli* Regula morum etc.; *Fibus B.* Apologia pro conscientiis infirmis etc.; *Gonzalez de Santalla Th.* Fundamentum theol. moralis idest tract. theol. de recto usu opinionum probabilium; (*Sagarra E.*) Crisis contra crisim de probabilitate etc.; *Ehrentreich A.* Synopsis tract. theolog. de recto usu opinionum probabilium.... R. P. T. Gonzalez; *Betonius N.* (*Bonnet A.*) Quaestio moralis an ignorantia invincibilis licitum reddat usum opinionis minus probabilis in con-

cursu probabilioris et tutioris etc.; *Nunes D.* Breve compendium doctrinae R. P. T. Gonzalez etc.; *Ehrentreich A.* Reprobatio lidii lapidis etc.; *Gisbert I.* Antiprobabilismus etc.; *Mamiani della Rovere A. V.* Concordia doctrinae probabilistarum cum doctrina probabilioristarum; *Woelcker F.* Legitimi probabilismi vindiciae etc.; *Benci G.* De vera et falsa probabilitate opinionum moralium etc.; *Rassler Ch.* Norma recti etc.; *Bovio I. Ph.* Dell'uso delle opinioni in materie morali ecc.; (*Ghezzi N.*) Saggio dei supplementi teologici, morali e critici, di cui abbisogna la storia del probabilismo e del rigorismo; *Concina D.* Storia del probabilismo e del rigorismo; *Lechi G.* Avvertenze contrapposte alla storia del probabilismo del P. Daniele Concina; (*Gagna G. G.*) Lettere d'Eugenio apologista delle dissertazioni della storia del probabilismo e del rigorismo ad un collega del P. F. Daniele Concina; *Ghezzi N.* Riflessioni su l'esame teologico del saggio dei supplementi ecc.; (*Carpani I. H.*) De opinione probabili rectoque illius usu; *Balla Ph.* Lettere.... in risposta alle lettere teologico-morali scritte dal P. N. N. sotto nome di Eusebio Eraniste in difesa della istoria del probabilismo del P. Daniello Concina; *Gravina P.* Trattenimenti apologetici sul probabilismo; *Hizler I.* Questio facti, an maior fides sit habenda probabilistis aut antiprobabilistis in adlegandis auctoribus eorumque doctrinis; *Mannhart F.* De ingenua indole probabilismi: *Neumayr F.* Notae theologicae pro tutela probabilismi etc.; (*Gusta F.*) Breve istruzione ricavata dalla dottrina di Mons. Alfonso Liguori ecc.; (*Prat de Saba O.*) De causis nullius fructus reportati in promovendo probabilismo etc.; *Segovia G.* Dissertatio de opinione probabili; *Stäudlin K. F.* Geschichte der Lehre v. d. Gewissen; *Gousset* Iustification de la théol. mor. du bienheureux Alphonse M. de Liguori; *Schlueter* De conscientiae moralis natura atque indole; *Fidelini* S. Alphonsus a Liguorio seipsum vindicans: *Kaehler M.* Sententiarum, quas de conscientia ediderint theologi per ecclesiae saecula florentes brevis enarratio; *Iahnel I.* De conscientiae notione qualis fuerit apud veteres et apud christianos usque ad medii aevi exitum; *Ballerini A.* De morali systemate S. Alphonsi de Liguorio; *Ballerini A.* Dissertatio de genuina s. Alphonsi sententia circa usum opinionis probabilis; *De Witt A.* De studio et usu theologiae moralis S. Alphonsi M. de Ligorio: *Hofmann R.* Die Lehre von d. Gewissen; *Gass W.* Die Lehre von d. Gewissen; *Iahnel I.* Ueber den Begriff Gewissen in der griechischen Philosophie; Vindiciae Alphonsianae etc. (contra Ballerini); *Kaehler M.* Das Gewissen; *Simar N.* Die Lehre vom Wesen des Gewissens in d. Scholastik des 13 Jahrhunderts; *Rée P.* Die Entstehung des Gewissens; *Bouquillon* Theol. mor. fundam. n. 253 sqq; *Schmidt W.* Das Gewissen; *Appel H.* Die Lehre der Scholastiker von d. Synderesis; *Huppert* Probabilismus; *De Caigny I.* Apologetica de aequiprobabilismo Alphonsiano dissertatio; *Ter Haar F.* De systemate morali antiquorum probabilistarum dissertatio historico-critica; *Elsenhaus Th.* Wesen und Entstehung d. Gewissens; *Leimbach* Untersuchungen über die verschiedenen Moralsysteme; *Huppert* Probabilismus oder Aequiprobabilismus?; *Gaudé S.* Der hl. Alfons u. die Kritik des Dr. Huppert; *Noldin* Moralsysteme; *Seeberg R.* Gewissen und Gewissensbildung; *Aertnys* Probabilismus oder Aequiprobabilismus?; *Noldin H.* Aequiprobabilistische Beweisführung; *Noldin H.* Die Briefe des hl. Alphons von Liguori und dessen Moralsystem; *Marc* Inst. mor. Alphonsianae; *Arendt G.* Apologeticae de aequiprobabilismo Alphonsiano a P. J. de Caigny exaratae crisis; *Koch A.* Die Entwicklung d. Moralsystems d. hl. Alfons von Liguori auf Grund seiner Briefe dargestellt; *Jansen I. L.* L'équiprobabilisme; *Le Bachelet* La question liguorienne; *Jansen I. L.*

La question liguorienne: probabilisme et équiprobabilisme; *Wouters S.* Probabilismus aut aequiprobabilismus; *Carring G.* Das Gewissen im Lichte der Geschichte sozialisticher und christlicher Weltanschauung; *De Caigny* De gemino probabilismo licito dissertatio critico-practica exarata conciliationis gratia; *De Caigny* De genuino morali systemate S. Alphonsi dissertatio irenico-critica; *Strobel A.* Die Lehre des seligen Albertus Magnus über d. Gewissen; *Meffert* Der hl. Alphons von Liguori; *Simar H.* Das Gewissen u. die Gewissensfreiheit; *Arendt G.* De conciliationis tentamine nuper iterato aequiprobabilistas inter et probabilistas diatriba; *Mandonnet P. F.* Le décret d'Innocent XI contre le probabilisme; *Cathrein V.* Die moderne evolutionistische Weltanschauung in ihren Konsequenzen; *Ter Haar F.* Ven. Innocentii Papae XI de probabilismo decreti historia et vindiciae; *Noldin H.* Moralsysteme; *Koch* Lehrb. der Moraltheologie § 30; *Simar* Lehrb. der Moraltheol. § 35; *Pruner* Kath. Moraltheol. I. 73 sqq.; *V. Hoensbroech P.* Der Zweck heiligt die Mittel; *Heiner F.* Des Grafen Paul v. Hoensbroech neuer Beweis des «jesuitischen» Grundsatzes: Der Zweck heiligt die Mittel; *Heiner F.* Gegen Gr. P. v. Hoensbroech: *Heiner E.* Der hl. Alfons v. Liguori u. der Exjesuit Hoensbroech; *Dasbach G. F.* Dasbach gegen Hoensbroech; *D. Fidelis* Hoensbroech kontra Dasbach; *Jansen J. L.* Der hl. Alfons v. Lig. gegen Hoensbroech verteidigt.

1543 **Conscripti militiae.** — Conscripti militiae desertores tenentur ex obedientia et iustitia legali ad castra redire, nisi redeuntes grave animae vel corporis periculum subirent, vel bellum sit iniustum. Ad restitutionem vero non tenentur, nisi lex (quae sit iusta) alios ipsorum loco requirat. G. B. *I. 747. sq.* Vid. *Milites*, *Militia.*

Consecratio. — De consecratione episcoporum. — *A quo facienda.* — Consecratio episcoporum nunc in ecclesia latina reservata est rom. Pontifici, qui saepe eam alteri episcopo delegat. *Const.* Ben. XIV. «In postremo» *20 oct. 1756:* Pont. Rom. *tit. de consecr. episc.* Delegatio autem, si consecrandus sit extra Urbem, dirigitur cuicumque catholico antistiti gratiam et communionem habenti cum Sede apostolica, a quo consecrandus velit consecrationem accipere, et proinde mittitur ad ipsum consecrandum; si vero consecrandus sit in Urbe, facultas ei datur eligendi consecratorem unum e cardinalibus episcopali charactere insignitis, vel e patriarchis maioribus titularibus, quem maluerit, vel, his impeditis aut recusantibus, quemcumque archiepiscopum vel episcopum. Attamen, si Romae casu adesset metropolitanus suffraganei consecrandi, ad ipsum et non ad alium dirigitur delegatio. Patet autem consecrationem recipiendam esse ab episcopo catholico. Consecratio vero accepta ab episcopo schismatico valida est, sed illicita; et consecratus indiget relaxatione quoad suspensionem et dispensatione quoad irregularitatem. *S. U. I. 13 mart. 1669.* 1544

De ritu consecrationis. — Consecratio peragitur ordinarie a tribus episcopis, quorum unus est consecrator, duo alii assistentes (*c. 7 de temp. ordinat. X.* [*I. 11*]); aliquando concessum est, ut assistentes non essent episcopi, sed abbates vel alii sacerdotes in dignitate constituti. Cfr. *Brev.* Pii IV *ad Philippum Hisp. reg.* 1545

11 aug. 1562; *S. R. C. in Goana 19 iul. 1605* (*186*); Maschat *Instit. can. t. II. tit. 11.* § *2.* In hoc autem casu, quum nempe, sancta Sede annuente, simplices sacerdotes, et non alii episcopi, assistunt episcopo consecranti, hi simplices sacerdotes debent eodem modo, ac facerent episcopi conconsecrantes, ambabus manibus caput consecrandi, post episcopum consecrantem, tangere, et postea recipere consecratum ad osculum pacis (*S. R. C. in una Cochinchinae 9 iun. 1853 ad 3* [*3014*]); attamen hi sacerdotes mitra uti nequeunt. *S. R. C. in Carthaginien. in Indiis 20 iul. 1894* (*3834*).

Patet autem, consecrationem ab uno episcopo, sine conconsecrantibus episcopis peractam, esse quidem illicitam sine dispensatione S. Sedis, sed non invalidam. *S. C. P. F. 18 maii 1695*; Ben. XIV *de Syn. lib. XIII. c. 13. n. 7.*

1546 Professio fidei, quam ante consecrationem debet emittere consecrandus, non est confundenda cum iuramento in Pontificali romano contento: sed consecrandus debet et professionem fidei facere et iuramentum. *S. C. P. F. 10 ian. 1875.*

1547 Consecratio facienda est die dominica vel die natalitio Apostolorum, et perficitur ritu descripto in Pont. Rom. *l. c.*

1548 Si consecratio facienda sit extra Romam, ex mente Conc. Trid. (*sess. XXIII. c. 2. de ref.*) fieri debet in ecclesia, ad quam consecrandus promotus est, vel in provincia.

1549 In missa consecrationis episcopus consecrandus debet uti colore albo, episcopus vero consecrator et assistentes debent uti colore tempori vel officio missae convenienti. *S. R. C. in Granaten. 16 iun. 1663. ad 2* (*1265*).

Consecrationem recipere infra tres 1550
menses ab accepta confirmatione debent omnes electi episcopi, etiamsi sint cardinales S. R. E.; secus tenentur ad restitutionem fructuum perceptorum. Si autem post alios tres menses consecrationem non acceperint, ipso iure privati sunt ecclesia, ad quam fuerant promoti. Conc. Trid. *l. c.*

Iuxta Pontificale romanum in con- 1551
secratione episcopali « Consecrator, accepto libro evangeliorum, illum apertum, adiuvantibus episcopis assistentibus, nihil dicens, imponit super cervicem ac scapulas electi ». Hic autem ritus peragi debet ante impositionem manuum episcoporum et prolationem verborum: « Accipe Spiritum sanctum », ita ut, quando episcopi manus imponunt, et relata verba pronuntiant, liber evangeliorum iam sit super scapulas electi. In quadam vero consecratione hic ritus serius peractus est, nempe postquam cantores inceperant hymnum « Veni, Creator Spiritus » ante tamen unctionem capitis; quare, quando tres episcopi manus imposuerunt dicentes « Accipe Spiritum sanctum » liber evangeliorum non erat super scapulas electi. Quaesitum fuit an aliquid esset iterandum aut supplendum; et responsum est; « Acquiescat ». *S. U. I. 30 iul. 1901.*

Pro tollendis abusibus, qui in con- 1552
secrationibus praelatorum in Romana

Curia irrepserant, a sacra Rituum Congregatione datum fuit sequens decretum: « Censuit S. Congregatio primum, ut de cetero in romana Curia nulla fiat consecratio praelatorum, nisi in aliqua ecclesia consecrata vel in cappella pontificia; memoratis vero omnibus et singulis consecrationibus, in quacumque ecclesia ut supra faciendis, intersint omnino et deserviant unus ex magistris ceremoniarum, unus ex subdiaconis, unus ex acolythis et unus ex mazzeriis pontificiis.

« Et licet oblationes, quae in missa consecrationis fieri solent, ad episcopum consecrantem spectare dicantur, si tamen ex benignitate et liberalitate consecrantium dimissa fuerint, prout passim dimitti solent, dividantur una cum aliis regaliis et emolumentis inter praedictos omnes ministros, qui singulis consecrationibus interfuerint, ita tamen, ut ex clericis, qui illis pariter inservierunt, pro labore aliquid ex ipsis emolumentis erogari debeat.

« Quo vero ad conficiendum instrumentum iuramenti, quod, ex praescripto constitutionis ssmi. D. N. de visitandis certis statutis temporibus ss. apostolorum Petri et Pauli liminibus ab episcopis ad ecclesias cathedrales ordinandis vel transferendis, in manibus S. R. E. diaconi cardinalis ordine prioris, praestandum erit, si magistri ceremoniarum ad id adhiberi solent aut debent, adhibeantur, praescriptumque vel solitum emolumentum consequantur.

« Pro instrumento vero consecrationis, de quo ipsi soli rogati erunt, id tantum percipiant, quod hactenus ea de causa a singulis episcopis consecratis solvi aut erogari consuevit ».

Hoc decretum sine data, quod tamen post aliud decretum 6 aug. 1588 insertum est in novissima collectione authentica decretorum S. Rituum Congregationis (*num. 5*), ex hac ipsa insertione videtur etiam nunc retinere suam vim. Attamen non adeo inusitatum nunc est Romae, ut consecrationes episcoporum fiant etiam in ecclesiis non consecratis et extra pontificiam cappellam.

Bibliographiam quaere sub *Episcopatus*.

De consecratione calicis et patenae. — Consecrantur etiam *calices et patenae* consecratione ab episcopo peragenda. Missionariis autem saepe a S. Congr. de Prop. Fide conceditur (cfr. *n. 15. form. IV*) facultas consecrandi calices, patenas et altaria portatilia cum oleis ab episcopis consecratis, ubi non sunt episcopi, vel distant duas diaetas, vel sedes vacat. Haec tamen facultas intelligenda est pro eorum usu tantum, et non pro aliis (*S. C. P. F. 30 ian. 1787*), nec ab iis usurpanda est ubi episcopi sunt. *S. C. P. F. 15 apr. 1630.* Nec tantum haec facultas directe missionariis a Sacra Congregatione conceditur, sed permittitur etiam aliquando vicariis apostolicis ut ipsi hanc facultatem missionariis suis subdelegent. *S. C. P. F. ad vic. ap. Sutchuen. 16 ian. 1797.* 1553

Hanc consecrationem calices et patenae deperdunt, quando fiunt inutiles ad s. sacrificium. Hinc consecrationem amittunt, si pereat inauratio, et nova indigent, si denuo deaurentur (*S. R. C. in Leodien. 14 iun. 1845*

[2889]), nec sufficeret, ea benedici a simplici sacerdote (*S. R. C. in Strigonien. 9 maii 1857 ad 1* [3042]); ad hoc vero, ut reficiantur, non debent quocumque modo exsecrari. *S. R. C. 20 apr. 1822* (2620).

In consecratione autem patenae et calicis debet episcopus pollice inuncto sacro chrismate binas cruces, non unam tantum, efformare super patenam et calicem (*S. R. C. in Policastren. 1 dec. 1882 ad 1* [3560]); si tamen unam tantum efformaverit, non ideo habendi sunt, ut invalide consecrati. *S. R. C. decr. nuper cit. ad 2.* Si quando autem calicis fundus ita altus sit, ut pollex eius fundum nequeat attingere, episcopus servare debet rubricam Pontificalis romani, quantum fieri potest. *S. R. C. in Pastopolitana 12 sept. 1884* (3620).

De consecratione ecclesiae (*remissive*). — Consecratio dicitur etiam solemnis dedicatio ecclesiae per unctionem cum sacro oleo ab episcopo peractam. Quoad eam, Vid. *Dedicatio.*

De consecratione altaris (*remissive*). — Etiam altaria olei sacra unctione consecrari debent. De hac altarium consecratione omnia quaere sub *Altare.*

De consecratione campanarum (*remissive*). — Campanae quoque consecrantur sacra unctione, olei scilicet infirmorum pro parte externa, chrismatis pro interna. Quae ad hanc consecrationem pertinent, vide sub *Campana.*

De consecratione eucharistiae (*remissive*). — Dicitur etiam consecrari eucharistia, seu potius panis et vinum, quod ad sacrificium adhibetur, quando eucharistia ipsa conficitur. De hac consecratione vid. *Eucharistia.*

Consensus. - ***De consensu relate ad contractum.*** — Consensus necessario requiritur ad constituendum contractum. 1554

Debet autem esse: externus, internus, mutuus et deliberatus.

Contractum initum sine animo se obligandi alii censent valere, alii verius non, quia contrahere est obligationem inire, et qui proinde hanc suscipere non vult, non contrahit. S. Alph. *III. 710.* Distingui tamen possunt duo casus. Aut promissio et voluntas non se obligandi respiciunt obiectum omnino idem et sub eodem prorsus respectu, et tunc promissio est omnino illusoria, ut patet. Aut haec duo respiciunt quidem idem obiectum, sed sub diverso respectu; et tunc examinandum est, quaenam ex duabus contrariis voluntatibus praevaleat, seu quaenam sit magis efficax et absoluta. Si est magis efficax voluntas contrahendi, oritur obligatio; si praevalet voluntas non se obligandi, non fit contractus. Si utraque voluntas esset aeque efficax, actus esset nullus, quia intenderetur effectus impossibilis. Lugo *de iust. et iure disp. XXII. n. 39;* B. P. *III. 560.* Eodem modo ac ille, qui vellet consecrare at non offerre sacrificium, in praevalentia voluntatis consecrandi, et consecrat, et sacrificium offert; in praevalentia voluntatis non offerendi sacrificium, nec offert sacrificium, nec consecrat.

Certo contractus valet, si quis eum ineat cum animo non adimplendi obli-

gationem. G. B. *I. 773.* — Qui ficte consentit, tenetur aliam partem indemnem facere. S. Alph. *Hom. Ap. tr. X. n. 93.*

Necesse praeterea est, et patet, ut consensus talis sit, qui valeat gignere obligationem. Nam, ut bene adnotat Ballerini-Palmieri (*III. 559*), verus adesse potest consensus, qui tamen nihil efficiat, vel quia lege positiva irritatur, vel quia per iniuriam extortus est, aut ex errore processit.

Consensum vitiant error, dolus et metus, de quibus vide suis locis.

Bibliographiam quaere sub *contractus*.

1555 ***De consensu relate ad matrimonium.*** — Ad validitatem matrimonii requiritur verus consensus mutuus internus et personalis, de praesenti, deliberatus et voluntarius, manifestatus signis externis, non necessario verbis (*c. 1. 23. 25. de spons. et matr. X.* [*IV. 1*]); sufficit vero etiam per procuratorem expressus, nisi sit sermo de liceitate. *c. 9 de procurat.* (*I. 19*) *in 6°.*

Consensus autem in matrimonio, quemadmodum in quocumque alio contractu, debet versari circa illud, quod constituit materiam contractus. Materia autem istius contractus est ius mutuum unius coniugis in corpus alterius coniugis, illudque his circumstantiis vestitum, quae iure naturae huic contractui inhaerent, ut ex. gr. quod sit perpetuum et indissolubile. D'Ann. *III. 443.* Attamen notandum probe est, non esse necessarium, ut voluntas contrahentium explicite feratur in has omnes conditiones seu circumstantias contractus; sufficit enim, quod in eas feratur implicite. Hinc, si contrahentes velint matrimonium inire eo modo, quo omnes ineunt, vel matrimonium, quod verum matrimonium sit, vel matrimonium, prout a Deo institutum est, sufficiens habetur contractus matrimonialis; dummodo positive aliquid essentiale non excludatur, et haec voluntas non praevaleat voluntati contrahendi matrimonium. Quod patet ex iis etiam, quae diximus supra, loquentes de contractibus in genere, in casu concursus duarum voluntatum contrariarum. Vid. *Conditiones, Error, Metus.*

Diximus iam, non necessario verbis exprimendum esse contractum matrimonialem. Hinc S. Congreg. Un. Inquisitionis (*22 aug. 1860*) declaravit, matrimonium firmum ac validum consistere, quoties nutus vel ceremoniae coram parocho et testibus praestitae, iuxta communem regionis existimationem, mutuum sponsorum de praesenti consensum sufficienter exprimunt; quod si contrahentes, vel eorum alter, in ceremoniis patrio more habitis, intentionem seu voluntatem contrahendi de praesenti vere non habuerint, matrimonium esse nullum.

Constantinopoli mos erat, ut ad consentiendum in matrimonium sponsa non responderet interrogationi ipsi factae, sed mulier quaedam, retro eam stans, manu eius caput inclinaret. S. C. de Prop. Fide consulta super hoc respondit, usum hunc esse tolerandum. *S. C. P. F. 4 febr. 1664.*

Patet ex dictis, defectum consensus inducere nullitatem matrimonii; attamen difficilis admodum est in foro externo probatio defectus con-

sensus, quando externa ceremonia matrimonii celebrata est. Cfr. ad exemplum causam Mechliniensem apud *S. C. C. 14 dec. 1901, 28 mart. 1903.*

Consensus parentum ad matrimonium filiorum quoad validitatem nullimode requiritur (cfr. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 1 de ref. matr.*); quoad liceitatem vero generatim requiritur. B. P. *VI. 93. sqq.*

Mutuus consensus excusat coniuges ab eodem toro, dummodo absit periculum incontinentiae, et ab eadem habitatione, sive quoad tempus negotiorum causa, sive in perpetuum ob vitae perfectioris desiderium. B. P. *VI. 513. sqq.* Vid. *Divortium.*

Bibliographiam quaere sub *Matrimonium.*

1556 ***De consensu capituli ab episcopo requirendo vel non.*** — Nonnulla sunt, quae ipso iure praelatus facere omnino debet *de consensu capituli.* Cfr. *integrum tit. de his quae fiunt etc. X.* (*III. 10*). Quae autem huiusmodi sunt, acta non valent, nisi capitulum idem cum praelato senserit, nec sufficit, quod episcopus canonicorum sententiam exquisierit. Cfr. Santi *in tit. cit. Decr. n. 4.*

Generatim consensus capituli requiritur in omnibus negotiis, quae in iure habentur graviora (alienatione rerum ecclesiasticarum, *c. I. tit. cit. X.* suppressione canonicatus, Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 15 de ref.* etc., vel universim in iis, quibus in perpetuum ecclesiae successoribus notabilis obligatio imponeretur, aut notabile generaretur praeiudicium, cfr. *c. 17. de maior. et obed. X.* [*I. 33*]; Wernz *Ius. Decr. II. 793*), et in iis, quae simul ad praelatum et capitulum pertinent. Induci tamen in his potest consuetudo contraria in favorem praelati, nisi ex adiunctis appareat, eam in specie esse irrationabilem. *c. 6 tit. cit. X.; c. 3 de consuet.* (*I. 4*) *in 6.*

Quemadmodum induci etiam posset legitima contraria consuetudo, ut in aliqua etiam re non graviori praelatus teneretur habere consensum capituli. *Arg. c. 4 tit. cit. X.* (*III. 10*); Santi *in tit. cit. n. 6.* Quod obtinere etiam posset in casu specialis alicuius legis id praecipientis. Wernz *Ius Decr. II. 793.*

Praeterea, si res dilationem non admittit, et capitulum ob particulares temporis circumstantias (ex. gr. tempore belli vel pestis, si fere omnes obierunt) convocari non potest, episcopus potest valide etiam ad haec sine consensu capituli procedere. Cfr. Leurenium *For. ecc. III. tit. 10. q. 108.*

Episcopus, si quando extra sacram visitationem procedere vult contra canonicum capituli cathedralis sive collegiati sive exempti, non potest hoc facere, nisi cum consilio et assensu duorum canonicorum, qui ab iisdem capitulis eligendi sunt iuxta praescriptiones Concilii Trid. *sess. XXV. c. 6 de ref.; sess. VI. c. 4. de ref.* Cfr. Ben. XIV. *de Syn. dioec. lib. XIII. c. 9. n. 5. sqq.;* Wernz *Ius Decr. loc. cit. Schol. I.* Vid. *Consilium.*

Bibliographiam quaere sub *Canonici, Capitulum, Episcopatus.*

De consensu relate ad peccatum (*remissive*). — Consensus voluntatis ad habendum peccatum formale necessario requiritur; quoad ipsum vid. *Peccatum.*

1557 **Consentiens.** — Consentiens in damnum est unus ex cooperatoribus. Dans consensum efficacem in damnum seu iniuriam proximi tenetur ad restitutionem. G. B. *I. 681.* Vid. *Comitia publica, Cooperatio.*

1558 **Consilium.** — Minus malum seu peccatum suadere prae maiore, verius licet (S. Alph. *II. 57*); imo, ut sequatur minus malum, probabilius licet in aliam certam personam mentem damnificatoris dirigere. Sanchez *de matr. VII. d. 11. n. 24;* Turrianus *de fide etc. disp. 95. dub. 6;* Vasquez *Opuscul. de scandalo a. I. dub. 2. n. 14.*

Consilium capituli in nonnullis episcopus seu praelatus ecclesiasticus ipso iure exquirere debet; consilium tamen capituli sequi non tenetur. Cfr. *c. 7. de arbitris X.* (*I. 43*). Generatim consilium capituli exquirere tenetur episcopus in omnibus negotiis alicuius momenti, quae bonum ecclesiae vel clericorum respiciunt. Cfr. Conc. Trid. *sess. XXV. c. 10. de ref.;* Ben. XIV. *de Syn. lib. XIII. c. 1.* An talis actus sine consilio capituli gestus valeat, desumendum est ex verbis iuris. Specialiter statutum est in iure, episcopum debere exquirere consilium capituli in negotiis ad ipsum capitulum spectantibus (*c. 10 de his quae etc. X.* [*III. 10*]), praesertim in casibus quibusdam in Tridentino expresse statutis (cfr. Conc. Trid. *sess. V. c. 1. de ref.; sess. XXIV. c. 12 de ref.*), qui tamen in praesenti generatim non sunt amplius practici momenti (Wernz *Ius Decr. II. 793*); in decernendis et dirigendis processionibus (*S. C. C. 7 febr. 1632*); in subrogando iudice synodali vel in nominando iudice pro-synodali (Conc. Trid. *sess. XXV. c. 10 de ref.; Const.* Ben. XIV «Quamvis» *26 aug. 1741*); ad promulganda statuta pro tota dioecesi facta sive in synodo dioecesana sive extra illam, quod ad validitatem requiritur. *c. 5. tit. cit. X.*; Ben. XIV *de Syn. lib. XIII. c. 1. n. 9.* Patet autem, legitima consuetudine introduci posse, ut vel episcopus teneatur etiam in aliis quibusdam levioribus exquirere consilium capituli, vel episcopus solvatur ab obligatione illud petendi etiam in aliquibus ex iis, in quibus illud deberet petere. Wernz *loc. cit. II. 793. II. et sch. II.*

Ceterum adeo cordi est ecclesiae, ut episcopi sese iuvent consilio quorumdam ex gravioribus suis sacerdotibus in regenda et administranda ecclesia sua, ut Sacra Congregatio de Prop. Fide et laudaverit usum iam invectum in quibusdam missionibus constituendi consilium quoddam missionariorum, qui episcopo in gerendis negotiis gravioribus assisterent, et iniunxerit, ut in quibusdam aliis, in quibus vel subsidium hoc adhuc desiderabatur, vel huiusmodi consessus omnino regulariter constitutus haud dici poterat, quamprimum id fieret, addens: «Antiquissimum enim in ecclesia catholica est, ut seniorum quorumdam adiutorium ad huiusmodi rerum tractationem maturiorem ac faciliorem praesulibus adderetur; quod sequentibus temporibus per capitulum ecclesiarum cathedralium effectum est. Curandum itaque ab omnibus, ut qua meliori fieri potest ratione consilium illud munere suo

diligenter fungatur ». *S. C. P. F. ad vic. apost. Sinenses 18 oct. 1883.*

Pariter quum perspectum fuerit Sacrae Congregationi de Prop. Fide quanti momenti sit, ut bona et reditus ecclesiastici pro missionum incremento conserventur et augeantur, eadem Sacra Congregatio litteras dedit ad vicarios apostolicos Indiae *8 sept. 1869*, statuens: « Ut autem omnium ecclesiasticorum redituum administratio ordinate procedat in unoquoque vicariatu, consilium eidem administrationi gerendae constituendum est; ubi vero iam constitutum reperitur, accurate reformandum. Quod quidem consilium ex nonnullis prudentioribus missionariis a vicario apostolico designandis constare debet, cum quibus ipse vicarius in negotiis gravioris momenti aget, eorumque audiet consilia: et, quum sermo sit de novis ecclesiis aut domibus, collegiis, scholis fundandis, numquam aget contra maioris saniorisque missionariorum partis consilium ».

Haec eadem plus minus eadem Sacra Congregatio inculcavit etiam vicariis ap. Sinensibus *18 oct. 1883*, addens, hoc consilium pro administratione rerum temporalium constare etiam posse illis ipsis, qui assistere debent vicario apostolico in aliis gravioribus missionis negotiis expediendis.

Quaere bibliographiam sub *Canonici, Capitulum, Episcopatus.*

Quoad consilium, ut causam restitutionis vid. *Cooperatio.*

1559 **Consistorialis (Congregatio).** — Haec Congregatio instituta est a Sixto V constitutione sua *Immensa* sub sequenti titulo: « Congregatio pro erectione ecclesiarum et provisionibus consistorialibus ». Manet etiam post novam constitutionem, qua imo in maiorem gradum constituta est, ut videbimus.

Ea antiquitus constabat ex competenti numero cardinalium ac etiam peritorum praelatorum, cum proprio secretario, qui tempore cardinalis De Luca (*Rel. cur. rom. disc. V n. 25*) non erat praelatus, sed, ut ipse ait, peritus togatus. Postea praelati ad duos redacti sunt. Quorum unus fungebatur munere secretarii, alter autem substituti, nec solum pro ipsa congregatione sed etiam pro s. cardinalium Collegio, aliis quibusdam additis inferioribus officialibus. Praeses antiquitus erat cardinalis decanus s. Collegii; postea ipsi summo Pontifici eius praefectura reservata est. Consultores suos habuit antiquo tempore haec Congregatio, qui postea fuerunt sublati. 1560

Congregatio Consistorialis ex nova constitutione multas passa est immutationes, quae eam ad novum et inusitatum evexerunt splendorem. Et quamvis secundo loco nominetur, quum congregationi S. Officii primus in constitutione reservatus sit locus, ratione forte antiquae possessionis, et quia causas tractat, quae ad fidem spectant, congregatio tamen consistorialis prima iam non immerito diceretur in ordine saltem administrationis et momenti practici negotiorum, quae eidem sunt concredita, ut mox videbimus.

Quod ad eius constitutionem spe-

ctat, haec nunc habemus. Praefectum iuxta recentiorem morem inductum pergit esse ipse romanus Pontifex. Cardinales electi ab ipso Pontifice componunt congregationem hanc. Duo tamen, scilicet secretarius S. Officii et secretarius Status, ad eam ipsa ratione muneris et eo ipso spectant. Secretarius non est amplius, ut prius, simplex quidam praelatus, sed est unus e patribus cardinalibus a rom. Pontifice electus. Huic succedit in regimine congregationis, et est « alter ab ipso », praelatus, cui assessoris nomen factum est, qui pergit fungi munere a secretis s. Collegii cardinalium. Sunt praeterea alii administri, quorum primus dicitur substitutus. Assessor et substitutus sunt administri maiores; alii omnes minores sunt. Restituti etiam sunt huic congregationi consultores quidam, quorum duo sunt consultores nati, scilicet assessor S. Officii et secretarius S. Congr. pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis; alii libere eliguntur ab ipso romano Pontifice.

Congressus, ut desumitur ex generali principio in normis communibus statuto, constituitur cardinali secretario, assessore et substituto.

1561 Congregatio haec exinde tale nomen sortita est, quod examinare, discutere et praeparare ei fuerat demandatum ea negotia, quae in consistorio tractari debebant, quaeque antiquitus non solum gratiosa erant, sed etiam contentiosa et forensia. « Negotia vero, ait De Luca (*loc. cit. disc. V n. 8*), quae hodie in consistorio explicantur, forensem et contensiosam formam amplius non habent, sed solum gratiosam vel politicam, ut principis supremum Senatum decet ». Quare in consistorio agitur praecipue de promotione cardinalium, de provisione ecclesiarum patriarchalium, metropolitanarum et cathedralium vacantium sive residentiales eae sint sive simpliciter titulares, nec non aliquorum monasteriorum regularium, quae propterea consistorialia vocantur, vel de coadiutoribus his praelatis dandis, vel de concessione pallii vel de missione legatorum a latere vel de aliis huiusmodi.

Praesens autem congregationis 1562
huius munus seu competentia multum ex nova constitutione ampliatum est. Distinctae enim sunt noviter duae partes in hac congregatione. « Ad primam spectat non modo parare agenda in consistoriis, sed praeterea in locis Congregationi de Propaganda Fide non obnoxiis novas dioeceses et capitula tum cathedralia tum collegiata constituere; dioeceses iam constitutas dividere; episcopos, administratores apostolicos, adiutores et auxiliarios episcoporum eligere; canonicas inquisitiones seu processus super eligendis indicere actosque diligenter expendere; ipsorum periclitari doctrinam. At si viri eligendi vel dioeceses constituendae aut dividendae sint extra Italiam, administri officii a publicis negotiis, vulgo secretariae Status, ipsi documenta excipient et positionem conficient congregationi consistoriali subiiciendam.

« Altera pars ea omnia comprehendit, quae ad singularum dioecesium regimen, modo Congregationi de

Propaganda Fide subiectae non sint, universim referuntur, quaeque ad congregationes episcoporum et Concilii hactenus pertinebant, et modo consistoriali tribuuntur. Ad hanc proinde in posterum spectent vigilantia super impletis vel minus obligationibus, quibus ordinarii tenentur; cognitio eorum, quae ab episcopis scripto relata sint de statu suarum dioecesium; indictio apostolicarum visitationum examenque earum, quae fuerint absolutae, et, post fidelem rerum expositionem ad Nos delatam singulis vicibus, praescriptio eorum, quae aut necessaria visa fuerint aut opportuna; denique ea omnia, quae ad regimen, disciplinam, temporalem administrationem et studia seminariorum pertinent.

« Huius congregationis erit, in conflictatione iurium, dubia solvere circa competentiam Sacrarum Congregationum ».

Invitationes praeterea, quae episcopis ex recepto more faciendae sunt ut canonizationibus sanctorum vel aliis pontificiis ceremoniis et solemnitatibus assistant, per huius Congregationis epistolas fieri debent. Illud autem, quod nobilius est huius congregationis munus, in eo consistit, quod eidem commissum fuerit omnes dirimere controversias et dubia solvere circa competentiam Sacrarum Congregationum sive inter se, sive inter ipsas et tribunalia Curiae; una excepta Congregatione S. Officii, quae dubia circa suam competentiam, si quae exoriantur, ipsa per se dirimere potest, servatis tamen terminis a nova constitutione praefinitis.

In primis quoad formam procedendi huic Congregationi propriam, adnotandum est, eam ad S. Officii imitationem negotia pertractare sub strictissimi secreti iureiurando, cuius formulam in normis peculiaribus publicatam conspicimus. 1563

Distinguuntur praeterea ibidem ea, quae in plena congregatione ab iis, quae expedienda sunt in congressu. Horum omnium accuratam mentionem faciunt normae peculiares his verbis: « Plenae congregationi ius competit nominandi episcopos omnes, stabiles ordinarios diocesanos, visitatores apostolicos dioecesum. Ad eamdem pertinet novas dioeceses constituere, constitutas unire; canonicorum collegia, seu capitula erigere; visitatorum atque ordinariorum de statu suarum dioecesum relationes expendere; dioecesano regimini ac seminariis universim prospicere: specialiter vero iis omnibus occurrere quae graviora videantur, prout ante praescriptum est; denique in conflictatione iurium dubia solvere circa competentiam omnium officiorum, excepta Congregatione Sancti Officii, quae ipsa per se de sua competentia iudicabit, iuxta superius dicta.

« In episcopis nominandis, quoties id ei competat, Congregatio consistorialis inhaerebit normis Constitutionis *Romanis Pontificibus* diei XVII mensis Decembris MDCCCCIII.

« Ad congressum pertinet, praeter ea, quae communibus huius legis normis sunt constituta, nominare administratores apostolicos temporarios dioecesum, ubi necessitas urgeat; acta

omnia conficere ad praeparandam positionem super eligendis in Italia episcopis, et ad reliqua in plena congregatione discutienda; ea providere, quae dioecesum ac seminariorum ordinarium regimen spectant, qualia sunt dispensationes episcopis a commorando in sua sede, facultas iisdem protrahendi relationem de statu dioecesis aliaque huiusmodi; quaecumque denique ad solvendam pro eiusdem congregationis actis pecuniam referuntur.

« Relationes de statu dioecesum, nisi gravior urgeat providendi ratio, ad plenam congregationem non deferentur seorsim singulae, sed pro variis provinciis regionibusve coniunctae.

« Adiutor autem in redigendo summario res adnotabit maioris momenti, sive quae bene sive quae male succesierint.

« Idem fere servabitur in relationibus visitatorum apostolicorum.

« Nominationes omnes, quae solent in consistorio promulgari, non aliter fient, nisi per litteras signo romani Pontificis impressas, seu per bullam.

« Eadem ratione decreta mittentur alicuius novae constituendae dioecesis, aut canonicorum collegii, seu capituli, aut uniendarum dioecesum ».

Palaeoti G. De sacri consistorii consultationibus; *Gabrielli Card.* Tract. de sacri consistorii consultationibus; *De Matta C. F.* De consistorialibus causis.

1564 **Consuetudinarius.** — Consuetudinarius ille dicitur, qui contraxit habitum alicuius peccati, in quod tamen nondum post confessionem sit relapsus. Seriam emendationem proponens et poenitentiae signa ostendens est absolvendus; non item, si media a confessario proposita, et ad consuetudinem vincendam necessaria, recusat. Cfr. B. P. *V. 130 sqq.*; G. B. *II. 444 sqq.*; D'Ann. *III. 336. sqq.*; Bucc. *II. 809.*

Penes nonnullos recidivi quoque veniunt nomine consuetudinariorum, seu habituatorum. De his vide *Recidivus.*

Consuetudo. — Consuetudo alia 1565
facti est, alia iuris; ea est frequentia actuum similium communitatis; haec est ius ipsum, quod ex hac frequentia oritur. Cfr. *cap. 1 de const.* (*I. 2*) *in 6°*; *c. 5. dist. 1*; Suarez *de leg. libr. VII cap. I.* Ad hoc autem, ut consuetudo facti transeat in consuetudinem iuris, debet introduci a maiore parte communitatis perfectae, quae proinde sit capax saltem recipiendae legis proprie dictae (Suarez *l. c. c. 2*); nec non per actus saepius et constanter iteratos (proinde non interruptos), ac libere cum intentione sese obligandi vel deobligandi (Suarez *l. c. c. 10*; Bauduin *de consuetud. in iur. can. p. 47 sqq.*; cfr. *S. C. C. in Feretrana 1 aug. 1902*); et haec omnia constare debent. Debet praeterea esse rationabilis et legitime praescripta (*c. 11 de consuetud. X.* [*I. 4*]), et tunc legem novam inducit, veterem contrariam abrogat; habet autem vim legis ex consensu Principis legali. Cfr. *c. cit. de consuet. X.*; *l. 3. quae sit longa consuetudo C.* (*VIII. 52*); De Luca Mar. *Prael. iur. can. Intr. gen. n. 88.* Exinde autem patet, contra ius naturale aut ius positivum divinum

nullam consuetudinem induci posse. Actus enim legi naturali contrarii habent malitiam intrinsecam et inseparabilem; ius autem positivum divinum abrogare homines, quasi in illud habentes auctoritatem, evidenter non possunt.

1566 Ad praescribendum contra legem tum civilem tum ecclesiasticam probabiliter 10 anni sufficiunt. Ben. XIV. *de Syn. lib. XIII. c. 5. n. 4*; Santi *in tit. cit. n. 15.* Verius omnino consuetudo, dummodo sit legitima, procedit etiam contra decreta disciplinaria conciliorum oecumenicorum, et ipsius quoque Concilii Tridentini. Bargilliat *Prael. iur. can. n. 117.* – Probare autem debet consuetudinem ille, qui eam pro se allegat, nisi aliunde sit publica et notoria. Probari vero potest vel scriptis documentis, vel approbatione tribunalium in iudicio facta, vel testibus. Hi, si quaestio sit de consuetudine immemorabili testari debent, et se semper consuetudinem observatam vidisse, et idipsum audivisse a maioribus. Santi *l. c. n. 20.*

1567 Multiplicis autem generis consuetudo distinguitur, ratione scilicet relationis, quam dicit ad legem. Consuetudo enim in relatione ad legem exsistentem spectari potest, vel quatenus legem firmat (*c. 3. dist. 4*) et interpretatur (*c. 8. de consuetudine X.* [*1. 4*]), et est consuetudo *secundum legem* seu *secundum ius*; vel quatenus, deficiente lege, imponit communitati aliquem modum agendi tamquam obligatorium (*c. 5. dist. 1*), et est consuetudo *praeter legem* seu *praeter ius*; vel quatenus legem latam abrogat vel ei derogat, ut supra diximus, et est consuetudo *contra legem* seu *contra ius.*

Hic autem notandum, consuetudi- 1568
nem contra ius vim suam exserere non solum contra legem praecipientem, sed etiam contra legem poenalem, etsi imponat poenam ipso facto incurrendam (Suarez *de leg. lib. VII. c. 19. n. 1. sqq.*), vel omnino eam abrogando, vel ei derogando, ita ut, relicta obligatione quoad culpam, tollat poenam, aut viceversa. Imo potest etiam abrogare legem irritantem. Sanchez *de matr. lib. VII disp. 4. n. 14.*

Aliquando consuetudo praeiudicium infert illi quoque legi, quae munita est clausula simpliciter prohibente (Suarez *loc. cit. c. 19. n. 21*), non vero reprobante omnem consuetudinem sibi contrariam etiam futuram, nisi tamen mutatis circumstantiis dici possit rationabilis.

Consuetudo autem immemorialis eam quoque vim habet, ut inducat praesumptionem iuris de apostolico privilegio obtento (Wernz *Ius decret. I. 191. IV*), dummodo possessor habilis sit rem acquirendi sine speciali et expresso privilegio apostolico, et non agatur de iis gratiis, quae, si expresse peterentur, negarentur, aut tamquam abusus et corruptelae reprobantur a iure

Cessat autem consuetudo vel per 1569
supervenientem legem contrariam, vel per expressam legislatoris contradictionem, vel per contrariam consuetudinem aut desuetudinem. Et si sermo est de consuetudine praeter ius, cessat etiam, quemadmodum quaecumque alia lex, per materiae mutationem vel per desitionem finis.

Decr. Grat. cc. 2. 4 sqq. d. 1.; cc. 3. 5 sq. d. 4; dd. 8. 11. 12; tit. de consuetudine X. (I. 4); tit. de consuetudine (I. 4) in 6°; tit. de consuetudine (I. 1) in Xvag. comm.; *Medici S.* Tract. aliquot de legibus, statutis et consuetudine; *Zoannetti I. F.* Tract. de moribus maiorum et longa consuetudine; *Grasecii P.* Conclusiones de consuetudinis natura, causis, effectibus etc.; *Carbonis L.* Bellum legale intra leges et consuetudines; *Salazar de Mendoza P.* Tract. de usu et consuetudine; *Brunner H.* De consuetudine; *Hahnii H.* De consuetudine; *Suarez* De legibus lib. VII; *Rodriguez N.* Tract. de legibus eccl. ad quatuor primos titulos lib. I Decr.; *Eichel I.* Disp. inauguralis de pravis et irrationabilibus consuetudinibus; *Lemcken I.* De pravis et irrationabilibus consuetudinibus; *Kimpfler R.* De consuetudine eiusdemque in utroque iure et foro effectibus diss.; *Claseni D.* De consuetudinibus; *Worel E.* Ius scriptum et non scriptum; *Hochstetter* De praescriptione consuetudinis dissert.; *Puchta G. F.* Das Gewohnheitsrecht; *v. Moy E. K.* Naturr. und Gewohnheitsr. als Quell. d. KRs. *Meier E.* Die Rechtsbildung in St. u. K.; *Giraud* Précis de l'ancien droit coutumier français; *Beaune* Introduction à l'étude historique du droit contumier français; *Beaune* Droit cout. franç. La condition des personnes; *Beaune* Droit cout. franç. La condition des biens; *Beaune* Droit cout. franç. Les contrats; *Hammerstein L.* Ueber d. verbind. Kraft d. Gewohnheitsr.; *Kreutzwald* De canonica iuris consuetudinarii praescriptione dissertatio; *Biederlack* Die Gewohnheiten gegen d. Disciplinardekrete d. Trienter Konzils; *Bauduin G.* De consuetudine in iure can.; *Schwering I.* Zur Lehre v. kan. Gewohnheitsr.; *Brie* Die Lehre vom Gewohnheitsrecht; *Fontana C.* Il valore della consuetudine e i suoi requisiti secondo il diritto canonico; *Sägmüller* Lehrb. des. k. KR. § 24; *Hergenröther-Hollweck* Lehrb. des k. KR. n. 190 sqq.; *Werns* Ius Decr. I. 183 sqq.; *Vering* Lehrb. des k... KR. § 60; *Duballet* Principes du droit can. III. 1449-1633; *Scherer* KR. § 23.

Consulens. — Consulens seu consilium dans, ille intelligitur, qui alteri persuadet, eumque impellit ad aliquid faciendum. *l. 50. §. 3. de furtis D.* (*XLVII. 2*). Hinc si quando excommunicantur consulentes, non tenetur ille, qui consilium tantummodo doctrinale praebet (*l. 47. de divers. regul. iur. ant. D.* [*L. 17*]; *reg. 62. iuris in 6°*), vel ille, qui illud alteri suadet, quod huic iam certum erat admittere, quum non sit impellens. D'Annibale *Comm. in const.* « *Apost. Sedis* » *n. 12.* 1570

Quaerunt autem doctores, an consulens incurrat censuram, si consilium in irritum cesserit, quum censura regulariter non incurratur, nisi effectu secuto. Respondet D'Annibale *l. c. n. 14*: « Et si haec facta (mandatum, consilium, receptatio etc.) coercentur propter se, nempe quasi delicta sui generis, ut periurium, raptus, homicidium, procul dubio eam incurrit: sin propter aliud (v. gr. propter illud, quod impediri vult), seu quasi accessoria, non item. Regulariter autem tenendum est, puniri propter aliud, ac proinde quasi accessoria, ea, quae dumtaxat ante delicti perpetrationem praestari possunt, ut consilium, mandatum etc. ». Quibus paullo post addit: « Amplius, si effectu nondum secuto, mandatum, consilium revocaveris, licet revocatio innotescere nequiverit ei, cui mandatum, consilium dedisti, quia (ex multorum sententia) cessavit contumacia, censura evanescit. Demum, quamdiu moraliter tibi non constet, effectum revera secutum, vel 1571

consilio, mandato tuo revera secutum fuisse, censura non incurritur ». Cfr. etiam B. P. *VII. 93 seqq.*

De consulente seu inducente alterum ad damnum alicui inferendum. Vid. *Cooperatio ad damnum.*

1572 **Contemptus.** — Contemptus parentum iniustus et gravis, etiam internus, est grave peccatum. B. P. *II. 815. sqq.* Etiam contemptus dominorum in servos potest esse gravis. G. B. *I. 383.*

Continentia vid. *Coelibatus.*

1573 **Contractus.** — ***De natura et divisionibus contractus.*** — Contractus proprie et presse sumptus, ut ab Ulpiano habemus ex Labeone (*l. 19 de verb. signif. D.* [*L. 16*]), est: « ultro citroque obligatio »; scilicet est pactum, ex quo ultro citroque oritur obligatio.

Secundo contractus latius sumitur et minus proprie pro omni pacto, ex quo exsurgit obligatio saltem ex una parte; quo in sensu pluries in iure romano usurpatur.

Tertio sumitur contractus latissime pro quocumque pacto sive ex eo oriatur obligatio sive non.

Hinc patet, quod quamvis stricte loquendo contractus a pacto differat, quemadmodum species distinguitur a genere, minus stricte loquendo aliquando confunduntur, et sic pacto nomen contractus et contractui pacti nomen datur. Nec absone, quia et pactum et contractus in hoc concordant, quod dicant duorum vel plurium in idem placitum consensum.

Codices moderniores (cfr. *Cod. ital. a. 1098*) definiunt contractum consensum duorum aut plurium in finem constituendi, regendi aut dissolvendi aliquod vinculum iuridicum inter se.

Nota autem, ad *essentiam* contrac- 1574
tus dici pertinere ea, sine quibus contractus non consistit; ad *naturam* ea, quae licet non expressa, ex lege tamen, consuetudine vel aequitate in eo comprehensa intelliguntur; *accidentalia* vocantur ea, quae speciali conventione contractui adiiciuntur. G. B. *I. 755.*

Distinguitur in contractum *bilateralem* et *unilateralem.* Contractus bilateralis tunc habetur, quum contrahentes mutuam contrahunt obligationem. *C. C. a. 1099.* Et praecise hanc speciem contractus respicit definitio Labeonis (*l. 19. de verb. signif. D.* [*L. 16*]), scilicet contractus est ultro citroque obligatio, idest causa obligationis. Cfr. Lugo *de iust. et iure disp. XXII. n. 1.* Contractus unilateralis habetur tunc, quum unus aut plures se obligant erga unum aut plures alios, quin hi vicissim ullam in se suscipiant obligationem. *C. C. a. 1100.* 1575

Praeterea dividuntur contractus in *gratuitos* et *onerosos.* Quae divisio iuxta quosdam recidit in superiorem divisionem contractuum in unilaterales et bilaterales; iuxta alios ab illa discriminatur. Discrimen autem in hoc est, quod divisio contractuum in gratuitos et onerosos tunc usurpatur, quum utilitas est pro una tantum parte vel pro utraque; alia in unilaterales et bilaterales, quum obligatio est unius tantum partis vel utriusque. Cfr. B. P. *III. 554* (*a*). Hoc discrimen amplectitur etiam Codex italicus *a. 1101.*

Distinguuntur etiam contractus *bo-*

nae fidei et contractus *stricti iuris*. Hanc distinctionem sic illustrat Vinnius *ad § 28 de actionib. Inst. lib. IV. tit. 6*: « Actiones bonae fidei sunt, in quibus libera potestas iudici permittitur aestimandi inter litigatores, quid alterum alteri ex bona fide praestare oporteat. Stricti iuris sunt, in quibus potestas iudicis formulae a praetore praescriptae adstringitur... et dictae sunt stricti iuris seu stricti iudicii, quia iudex non plus poterat, quam formula exprimebat; unde nec nomen arbitri in his causis competit iudici, nec iudicio datur nomen arbitrii ». Haec divisio actionum, eadem applicatur etiam contractibus, in quibus proinde bona fides significat interpretationem secundum aequum et bonum. B. P. *loc. cit.* Contractus autem bonae fidei sunt contractus utrimque onerosi, contractus vero stricti iuris ii, in quibus una tantum pars obligatur.

Contractus etiam alii dicuntur *nominati*, alii *innominati*. Scilicet nominati ii sunt, quorum certum est nomen in iure, ut emptio venditio. Innominati vero ii, qui proprium nomen non sortiuntur. Horum plures species vulgo enumerantur, quarum praecipuae sunt: do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias. Ad has species aliae facile reducuntur, ut ex. gr. do et facio ut des, do ut des et facias, do ne facias etc.

Dividuntur etiam contractus ex modo, quo ineuntur, in *consensuales* et *reales*. Hi ex rei praestatione capiunt nomen et perfectionem (ex. gr. mutuum); illi solo consensu perficiuntur (ex. gr. mandatum).

1576 ***De requisitis ad validitatem contractus.*** — **Generalia.** Ad contractum vero valide ineundum quatuor requiruntur: materia apta, subiectum capax, consensus legitimus, causa aliqua se obligandi. *C. It. a. 1104; C. G. a. 1108.* - Attamen nota quartum hoc requisitum iam contineri in praecedenti. G. Giorgi *Teoria delle obbligazioni vol. III.* § *445 sgg.*

De materia. — Materia contractus 1577
debet esse possibilis (*reg. 6 de reg. iur. in 6; l. 185 de reg. iur. D.* [*L. 17*]), exsistens (in re, vel saltem in spe certa seu probabili exstitura), honesta (*l. 15 de condit. institution. D.* [*XXVIII. 7*]), determinata. Cfr. *C. It. a. 1117.*

Si materia sit tantum ex parte possibilis et simul sit in se divisibilis, et divisibiliter de ea contractum sit, valet contractus, secus non. D'Ann. *II. 300.*

Res mere spiritualis potest esse obiectum contractus gratuiti, imo etiam onerosi, dummodo tamen non fiat comparatio inter spirituale et temporale; vel nisi accedat ecclesiae prohibitio. Etiam res spiritualis temporali adnexa, si antecedenter vel concomitanter extrinsece adnexa fuerit, potest esse obiectum contractus onerosi, secus non. Vid. *Simonia.*

Res turpis, ut patet ex dictis, non potest esse obiectum contractus; attamen valet promissio conditionata illius rei, quae hic et nunc est illicita, sed verificata conditione evaderet licita; ut puta, valet promissio matrimonii facta a Titio catholico ducendi Caiam nondum christianam, si facta fuerit sub conditione baptismatis recipiendi.

Hinc, si Petrus pactus fuerit cum Titio se occisurum Caium Titii inimicum, si Titius occiderit Sempronium inimicum Petri, et Titius vere Sempronium occiderit, non tenetur Petrus occidere Caium; vel si Titia pacta fuerit cum Titio non suo coniuge, se cum ipso copulam habituram, si solverit 100 libellas, et Titius de facto solvit, Titia non potest copulam admittere, sed debet restituere pretium acceptum. B. P. *III. 581.*

At, si opus, quod ponendum superest, non est illicitum, ut ex. gr. si quis rem habuit cum muliere, quae peccato ponendo consensit ex pacta solutione 100 libellarum, quaeque peccatum de facto posuit, quaestio est, utrum teneatur et ipse rem pactam ponere seu in casu utrum is teneatur solvere 100 libellas.

Sed de hac quaestione theoretice paullo inferius, ubi de causa in contractu. Nam in hoc casu habetur contractus sub conditione. Scilicet pars, a qua turpe opus petitur, non obligatur ad illud praestandum; sed altera pars se obligat ad solvendum pretium, si illa opus turpe praestiterit. Quare obligationi tunc est initium, quum ipsa opus fecerit. Hinc habetur contractus realis et conditionatus, scilicet sub conditione turpi.

Doctores hanc quaestionem pluribus exagitarunt, et ad has practicas conclusiones devenerunt: nempe res ex turpi contractu accepta, turpi opere posito, probabilius (Lugo *de iust. et iure disp. XVIII. n. 59*) retineri potest, et ab alia parte dari debet ex iustitia (Cfr. S. Th. *in IV. d. 33. q. 1. a. 3. q. 2. ad 1*), alii tamen probabiliter negant (cfr. D'Ann. *II. 301*); in praxi videtur possessori favendum, idest ei qui promisit, si nondum dedit, vel ei, qui turpe opus fecit, si iam accepit. Cfr. B. P. *III. 581 sqq., sed praesertim notam (a) ad num. 599.*

De subiecto. — Subiectum contractus sunt ii omnes et soli, qui liberum rationis usum habent (cfr. Lugo *de iust. et iure d. XXV. s. 10. n. 280. sqq.*); requiritur praeterea ex iure positivo, quod habeant liberam bonorum administrationem (B. P. *l. c. 576*), nec sint lege incapaces. *C. It. a. 1105.* Hinc inhabiles sunt saltem in multis minores, uxores, mortui civiliter, interdicti et prodigi. *C. It. a. 1106.* 1578

Iure italico praeterea cautum est, eum, qui capax est obligationis suscipiendae, non posse opponere incapacitatem minoris, interdicti, inhabilitati, aut mulieris coniugatae, quibuscum contraxit. Incapacitas tamen fluens ex interdictione in poenam imposita opponi potest ab omnibus, quorum interest. *C. C. a. 1197.* Cfr. *C. C. a. 1125.*

De consensu. — Consensus requisitus ad contractum debet esse externus, mutuus, liber et deliberatus. Vid. *Consensus.* Vitia consensui opposita sunt: error (vid. *Error*), dolus (vid. *Dolus*) et metus. (vid. *Metus*). 1579

De causa. — Causa, quae requiritur, ea est, quae contractui est intrinseca, idest in oneroso est utilitas, quam ipse actus natura sua parit, in gratuito liberalis voluntas dantis vel gratus animus. B. P. *l. c. n. 559*; D'Ann. *III. 301; C. It. aa. 1104. 1119. 1112; C. G, aa. 1131. 1133.* 1580

Iure italico haec sanciuntur: Obli-

gatio sine causa vel innixa causae falsae aut illicitae nequit ullum habere effectum. *C. C. a. 1119; C. G. a. 1131.* Contractus valet, etiamsi causa non fuerit expressa. *C. C. a. 1120; C. G. a. 1132.* Causa praesumitur, quousque contrarium non probetur. *C. C. a. 1121.* Causa est illicita, quando adversatur legibus, bonis moribus aut ordini publico. *C. C. a. 1122; C. G. a. 1133.*

1581 Hic quaestio illa esset pertractanda, quam superius tetigimus, utrum, posito ex pacto actu turpi, altera pars teneatur illud ponere, quod promisit, et, ut supponimus, non est turpe. Porro, ut adnotavimus, quaestio hic est de contractu sub conditione turpi. Contractus autem initus sub conditione turpi de iure naturae per se videtur valere; scilicet hoc sensu, quod numquam possit esse contractus bilateralis, sed quod inde exsurgat obligatio ex parte accipientis, si nempe altera pars posuit opus turpe. Sic in contractu venditionis, videtur exsurgere obligatio solvendi in emente, si alter illicite vendidit, sed tamen dedit aliquid pretio aestimabile, ut esset usus sui corporis. Cfr. Lugo *de iust. et iure disp. XVIII n. 46 sqq.;* Schmalzgrueber *in tit. 35 lib. I. Decr. n. 19.*

Quid autem, si ius, quo regimur, irritat contractum, cuius causa est illicita, ut de facto facit ius italicum et ius gallicum, ut superius diximus? et tunc videtur contractus esse nullus; quare in casu, praestito etiam turpi opere, alter non tenetur pactum pretium refundere. In quod videtur consentire etiam Lugo, qui (*de iust. et iure disp. XVIII. n. 59*), quaerens, an, si alicui ob crimen patrandum quidquam promisisti, tenearis, patrato crimine, homicidio v. gr. vel periurio, solvere pretium promissum, respondet: « Communis et vera sententia affirmat, *dum leges expresse pacta non irritant,* obligationem esse postea solvendi promissum ». Attamen Ballerini-Palmieri *loc. cit. n. 599* (*a*) haec addit: « Adverte tamen, quod *forte* in his contractibus, qui sunt simpliciter *sub conditione turpi,* causa, cur promittens pretium debeat, non est illicita. Non enim promittit, ut alter se obliget ad malum, sed, libertate eidem relicta, promittit solum, se servaturum eum indemnem, seu pretium quoddam retributurum operi, si fiat; atqui haec causa servandi aliquem indemnem, reddendi aequivalens operi utili praestito est causa honesta et licita, et idcirco, posito actu ab altera parte, promissio vim suam exserit et obligat ». Quae tamen vereor, ne sint vera; et nota etiam Palmieri hic non sine causa posuisse illud *forte.* Nam causa in contractu oneroso, ut est iste, est utilitas, quam ipse actus natura sua parit, quae in casu non est profecto, nisi illicita delectatio, quam quaerit pretium promittens. Porro ex hoc conflictu opinionum diversorum Doctorum, iure deducuntur in praxim conclusiones, quas superius retulimus.

Aliud est adnotandum ex Ballerini-Palmieri (*loc. cit.*), nempe, quod spectat ad matrimonium, non attendendas esse leges civiles, quibus regimur, sed unice ius canonicum; hoc enim ius tantummodo regit matrimonium christianorum. Quare, quum ius canonicum in his non sequatur recentiora iura, ille, qui matrimonium promisit

puellae sub conditione defiorationis permittendae, si ea consenserit, ad eam ducendam tenetur. Cfr. etiam Lugo *loc. cit.*

1582 ***De obligationibus ex contractu exsurgentibus.*** — Contractus rite initus parit *obligationem* in foro conscientiae (B. P. *III. 551*; G. B. *I. 785*), et non solum circa id, quod pacto exprimitur, sed circa omnia consectaria, quae aequitas, lex, usus postulat (cfr. *C. It. a. 1124*); quae obligatio cessat per varias causas.

Porro obligatio ista, quae ex contractu fluit, est obligatio ex iustitia commutativa, non vero tantum obligatio merae gratitudinis, aut obedientiae, aut religionis. Quare violatio istius obligationis est vera iniustitia, quae committitur contra alteram partem contrahentem. Attamen non quaevis obligatio ex contractu fluens dat contrahenti actionem contra alteram partem violantem obligationem; scilicet ex contractu semper exsurgit obligatio naturalis, non semper obligatio civilis. Attamen in foro conscientiae satis ligat obligatio naturalis.

Obligatio vero ex contractu transit ad heredes, quum non ea sit, quae ipsi defuncto natura sua sit affixa. Vid. *Heres.* Ratione contractus praecisive sumpti nemo ad restitutionem teneri potest; potest tamen ex alio capite quis teneri ad restitutionem circa res, quae alicuius contractus obiectum fuerunt. Circa hoc vide *Restitutio, Damnificator.*

1583 ***De forma contractuum.*** — Nunc de solemniis seu de forma contractuum. Et patet generatim, ea solemnia in contractibus esse servanda, quae legitima auctoritas praescribit. Et si quidem ea praescribit ad validitatem, contractus sine iis initus nullus est. De his, quae auctoritati ecclesiasticae unice et exclusive subduntur, ut ex. gr. de matrimonio, suis in locis sermo erit. Hic breviter aliquid de contractibus, qui subduntur auctoritati civili.

In his autem, si quaestio est de donationibus non manualibus et de pactis nuptialibus, iure, quo regimur, necesse est, ea stipulari publico instrumento. *C. C. a. 1056. 1382; C. G. a. 931. 1394.*

Pariter sub poena nullitatis, in scriptis, publica vel privata scriptura, fieri debent conventiones, quae transferunt proprietatem bonorum immobilium aut aliorum bonorum aut iurium, quae hypothecam recipiunt, salvis dispositionibus concernentibus reditus super Statum; conventiones constituentes aut modificantes servitutes praediales aut iura usus seu habitationis aut transferentes exercitium iuris ususfructus; renunciationes iuribus supradictis; contractus locationis immobilium ad tempus novem annos excedens; contractus societatis, quorum obiectum est usus fruitio bonorum immobilium, si nempe societas durare debeat, aut indeterminate, aut ultra novennium; actus constituentes reditus sive perpetuos sive vitalitios; transactiones, et insuper actus quotquot, qui ut scriptis fiant, in lege nominatim cautum est. *C. C. a. 1314.*

Notat autem D'Annibale (*II. 414*) quaestionem esse, utrum scriptura in his omnibus requiratur a lege ad validitatem actus, an ad probationem

tantum. Quidquid de hoc sit (vide ea, quae dicemus sub *Testamentum*), eidem auctori videtur in foro conscientiae pro possessore respondendum.

In quibusdam contractibus iure italico necessaria est etiam transcriptio (vid. *Transcriptio*), et in privatis instrumentis dies certa eius scripturae, qua continetur contractus; dies vero certa nanciscitur cum primis registratione. D'Ann. *II. 415.* Antequam fiat transcriptio vel registratio, contractus nullam habet vim, quoad tertios, *C. C. a. 1327.* Hoc locum habere etiam in foro interno putat idem D'Annibale *loc. cit.*

1584 ***De interpretatione contractuum.*** — Quoad interpretationem contractuum haec habe ex iure italico: In contractibus quaerendum est magis, quae communis fuerit intentio contrahentium, quam inhaerendum sensui litterali verborum. *C. C. art. 1131.* Quando clausula quaedam duplicem recipiat sensum, in eo est accipienda, quo potest ipsa efficax esse, potius quam in eo, quo careret effectu. *C. C. a. 1123.* Verba duplicis significationis sunt in ea accipienda, quae magis congruit materiae contractus. *C. C. a 1133.* Pactum ambiguum interpretationem accipit a consuetudine regionis, ubi contractus initus fuit. *C. C. a. 1134.* In contractibus intelligendum est, clausulas, quae sunt in usu, adhibitas fuisse, quamvis expressae non fuerint. *C C. a. 1135.* Quum plures sunt clausulae, aliam per alias interpretamur, tribuentes cuique ex illis sensum, qui ex integro actu prodit. *C. C. a. 1136.* In dubio interpretamur contractum contra stipulatorem, et in favorem eius, qui obligationem contraxit. *C. C. a. 1137.* Quantumvis generales sint formulae contractus, ipse tamen non comprehendit nisi ea, circa quae constat partes voluisse contrahere. *C. C. a. 1138.* Quum in contractu casus quidam pro declaratione conventionis expressus est, non praesumitur, exclusos fuisse casus non expressos, ad quos potest secundum rationem eadem conventio extendi. *C. C. a. 1139.* — Cfr. *C. G. aa. 1156. 1164.*

De contractuum modificationibus. — 1585 Praecipuae modificationes contractuum sunt iuramentum, modi, conditiones.

Iuramentum appositum contractui, 1586 praeter obligationem ex iustitia inducit obligationem ex religione, quae tamen obstringit immediate iurantem, ac proinde ad heredes non transit. G. B. *I. 790.* Contractus quocumque iure irritos iuramentum non firmat; quid sit dicendum de contractibus rescindibilibus, vide sub *Iuramentum.* Cfr. D'Ann. *II. 429.*

Modus est qualitas adiecta contra- 1587 ctui, plerumque eum non suspendens, sed addens aliquid in onus aut favorem unius contrahentium. Servandus est ex iustitia, nisi repugnet substantiae contractui; eius violatio ordinarie non irritat contractum; turpis aut impossibilis habetur pro non adiecto; in contractu sub causa (quia) vel sub demonstratione (vendo istud) error non invalidat, nisi sit essentialis. D'Ann. *II. 310;* G. B. *I. 794.*

Conditio est circumstantia contra- 1588 ctui adiecta, plerumque illum suspendens, donec impleatur. Omnis condi-

tio impleri debet eo sensu, quo contrahentes prudenter censentur se voluisse obligare. Cfr. D'Ann. *II. 308 sqq.*; G. B. *I. 795 sq.* Vid. *Conditio.*

Sub causa etiam contrahi potest. Causa autem est id, propter quod tamquam praesens aut praeteritum dispositio fit. Vid. *Causa.*

In diem etiam fieri potest contractus in diem, sive certam, sive incertam. Porro dies certa ea est, de qua scimus et eam exstituram et quando; incerta, de qua alterutrum ignoratur.

Quum contractus fit in diem certam, contractus non est conditionalis, et proinde obligatio, quae ex contractu fluit, exsurgit statim, et transit etiam ad heredes. Patet autem, rem exigi non posse ante statutam diem, quum adiectio diei in favorem debitoris facta intelligatur. Cfr. *C. C. aa. 1172. 1175;* B. P. *III. 564.*

Quum vero contractus fit in diem incertam, distinguendum est; vel enim ignoratur, utrum dies exstitura sit, vel ignoratur quando. Si ignoratur quando, ut ecce: *quum pater tuus morietur,* contractus non est conditionalis, et proinde obligatio exsurgit statim. Si ignoratur utrum, tunc dies semper est pro conditione, et contractus conditionalis; quare obligatio dandi rem suspenditur usque ad tempus, quum dies advenerit. *l. 49* § *2. de legatis I. D.* (*XXX*).

Attamen nota, aliquando diem incertam apponi tantum in gratiam donatarii, ut: do mille aureos nepti, quum nupserit. Tunc donatio intelligitur absolute facta, et proinde transit ad heredes. Lugo *de iust. et iure disp. XXIII. n. 142;* B. P. *loc. cit.*

Si quando autem dies certa potest esse multiplex, ut kalendis ianuariis etc. et non apparet, de qua conventum sit, intelligitur proxima, seu prima, quae advenerit. *l. 41. de verb. oblig. D.* (*XLV. 1*). Vid. *Pactum.*

Tit. de pactis X. (I. 35); tit. de pactis (I. 18) in 6°; tituli qui respiciunt contractus in specie X. (III. 14-24); in 6° (III. 10); in Clem. (III. 5); in Xvag. comm. (III. 5); Commentatores Decr. in tit. cit.; *Lupi Ch.* De contractibus licitis et illicitis; *Ferrariensis I.* Formulae contractuum et actionum; *Mudaei G.* Tract. de contractibus; *Lambertenghi I. S.* Tract. de contract. eorum, quibus... sine certa solemnitate contrahere permissum non est; *Summenhart C.* Tract. de contractibus licitis et illicitis; *Stiatici A.* De solemnitate contractuum; *De Palatio M.* De contractibus et restitutione; *Mozzi P. N.* Tract. de contractibus et emptione etc.; *Consobrini I.* De iustitia commutativa (ubi de contractibus); *Boceri H.* Comm. in leg. Contractus 23 de regulis iuris; *Carboni L.* Tract. de omnium rerum restitutione etc.; *Lopez L.* Tract. de contractibus et negotiationibus; *Schrader* Comm. de contractibus; *Pacii I.* Tract. sex de contractibus; *Medina I.* Tract. de rerum dominio, de restitutione ac contractibus etc.; *Comitoli P.* Responsa moralia (ubi etiam de contractibus); *Salon M. B.* Controversiae de iustitia et iure atque de contractibus etc.; *Coldebacii M.* Nucleus de materia contractuum; *Comitoli P.* Doctrina de contractu universe ad scientiae methodum revocata; *Pici D.* Tract. de contractibus sine certa solemnitate non valituris; *De Salas I.* Comm. in secundam secundae D. Thomae (ubi de contractibus); *Aegidii B.* Comm. in leg. Ex hoc iure ff. de iustitia et iure, hoc est de universa contractuum materia; *Rebuffi P.* De rescissione contractuum; *Bruschi B.* Enchiridion de contractibus; *Molina L.* Tract.

de iust. et iure; *Bonacina M.* Tract. de contractibus et restitutione; *Molfesi A.* Praxis contractuum; *Affelmanni A.* Disputationes 16 de contractibus; *Knipschilt Ph.* De contractibus; *Molinaei C.* Tract. commerciorum, contractuum et usurarum; *Lessius* Tr. de iustitia et iure; *Torini B.* Tract. de contractibus sine certa solemnitate non valituris; *Altimari B.* Tract. de nullitatibus sententiarum et contractuum; *Lamberti I.* Elenchus practicarum et iuridicarum quaestionum libri duo (in secundo de contractibus); *Salteur I.* Tract. de contractibus; *Fagundez S.* Tract. de iustitia et contractibus etc.; *Farinacci P.* Repertorium de contractibus; *De Chaillon C.* Conciliatio et differentiae iuris controversi omnium contractuum etc.; *Rodriguez A.* Tract. de concursu et privilegiis creditorum in bonis debitorum etc.; *Baunii S.* De contractibus; *De Oñate P.* Tract. De contractibus; *Wadingi P.* Tract. de contractibus in genere et specie; *Lauterbach W. A.* De contractibus in genere; *Lugo I.* De iustitia et iure; *Borei V.* Alvearium iuris etc.; *Melgareio P.* Compendium de contractibus publicis; *Giballini I.* Tract. de usuris... et quibuscumque contractibus etc.; *Haunold Ch.* Controversiarum de iustitia et universo iure privatorum tract. decem (ubi in quarto tomo de contractibus); *Queckfeld B.* Disp. de obligationibus et contractibus; *Sachs I.* Disp. de consensu; *Brusselii Ph.* De contractibus et conditionibus; *Dinneri A.* Conclusiones tam contractuum quam conventionum obscurarum; *Capone I.* Tract. de pactis et stipulationibus; *Klengel Ch.* De contractibus consensualibus; *Lauterbach W. A.* Tract. de contractibus innominatis; *Erlenkampf E.* Disp. inaug. de contractibus simulatis; *Rebhan I.* Disputatio de personis, quae consensum praestare nequeunt; *Reichshoffer I.* De innominatis contractibus; *v. Stoecken G.* De innominatis contractibus; *Rosmer P.* Tract. de iustitia et iure et de contractibus; *Widmann G.* Tract. de omnibus veris et quasi nominatis et innominatis contractibus; *Alderisi A.* Tract. de contractibus symbolicis etc.; *Ferner I. P.* Disp. de irregularitate contractuum; *De Loy* Idea pactorum et contractuum; *Corradini P. M.* Tract. de iure praelationis etc.; *Beusch* De pactis et contractibus in genere; *De Valentibus F.* De contractibus; *Carrière* Prael. theol. de contractibus; *Troplong R. Th.* Comment. du prêt du dépôt du séquestre et des contrats aléatoires; *Accarias* Théorie des contrats innomés; *Schwane* Die theol. Lehre über die Verträge; *Ruggieri* De obligationibus; *Demolombe Ch.* Traité des contrats ou des obligations conventionelles en général; *Bolaffio L.* L'art. 36 del nuovo Cod. di Comm. ed i contratti per telefono; *Gallavresi L.* La condizione risolutiva sottintesa dalla legge nei contratti bilaterali nel caso, in cui una delle parti non soddisfaccia alla propria obbligazione; *Seuffert* Zur Geschichte der obligatorisch. Verträge; *Karsten* Die Lehre vom Vertrage bei den italienisch. Juristen des Mittelalters; *Gabba C. F.* Il telefono e la giurisprudenza; *Maurelli C.* Del tempo e del luogo, in cui si perfezionano i contratti; *Acollas* Les contrats et les obligations contractuelles; *Lomonaco G.* Delle obbligazioni e dei contratti in genere; *Bianchi F.* I contratti conclusi per telefono; *Porro A.* Sulla formazione della teoria dei contratti nel diritto civile italiano; *Presutti E.* Alcune idee intorno alla causa della obbligazione nei contratti; *Tartufari L.* Dei contratti a favore dei terzi; *Giorgi G.* Il consenso in rapporto alla esistenza e alla validità dei contratti; *Massa E.* I contratti in favore ed a carico dei terzi secondo il dir. rom.; *Girault A.* Traité des contrats par correspondance; *De Santis L.* Del contratto; *Caporali D.* Sulla irretrattabilità della scelta fra l'azione di adempimento e quella di risoluzione del contratto; *Bolaffio L.* Saggio di una teoria generale dei contratti commerciali secondo il diritto positivo italiano; *Formiggini G.* La stima

nelle conclusioni dei contratti; *Ramponi L.* Le condizioni di celibato e di vedovanza nei testamenti e nei contratti; *Guillouard L.* Traité des contrats aléatoires et du mandat; *Valéry I.* Des contrats par correspondance. Du rôle de la correspondance dans l'exécution des contrats; *Biederlack* Die soziale Frage; *Vermeersch* Quaestiones de iustitia quaest. VII; *Mortara L.* Della alienabilità delle cose sacre a proposito di una sentenza della Cassazione di Firenze; *Gabba C. F.* Intorno all'inalienabilità delle cose sacre; *Pacchioni* I contratti a favore dei terzi nel diritto romano o civile; *Schupfer* La teoria generale delle obbligazioni particolari contrattuali studiata negli statuti di Roma; *Ricca - Barberis* Il contratto per altri nella sua form. stor. ecc.; Moralistae omnes quando de sept. decal. praec. aut in speciali tract. de contractibus.

1589 **Contractus trinus.** — Contractus trinus contractui societatis superaddit assecurationem sortis et assecurationem lucri; communiter dicunt licere, modo pecunia in negotiatione impendatur. G. B. *I. 919.*

Contributio. — Vid. *Cooperatio.*

1590 **Contritio.** — Contritio est animi dolor et detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero. Conc. Trid. *sess. XIV. de poen. c. 4.*

Duplex: *perfecta,* quae est ex motivo speciali caritatis perfectae; *imperfecta* seu attritio. quae ex certis aliis motivis procedit. Conc. Trid. *l. c.* Vid. *Attritio.*

Contritio vel perfecta cum voto sacramenti, vel imperfecta cum ipso sacramento, peccatori est necessaria necessitate medii ad salutem (Conc. Trid. *l. c. et sess. VI. c. 6*), et necessitate praecepti (saltem aliquando in vita), quod obligat per se in probabili mortis periculo, et per accidens aliquando in vita. S. Th. *in IV. d. 17. q. 3. a. 1. q. 4;* Palaus *de poen. disp. un. p. 3. n. 9;* Laymann *de poen. c. 2. n. 6.*

Contritio debet praecedere absolutionem necessario, non item ipsam peccatorum confessionem (S. Alph. *VI. 445*), et valet non retractata, iuxta S. Alphonsum (*VI. 446*), etiamsi praecesserit per aliquot dies. Cfr. Roncaglia *de poen. c. 3. q. 2. resp. 2.*

An requiratur novus actus doloris in poenitente nunc absoluto, qui mortalis inculpabiliter omissi absolutionem petit, controvertitur; sed communius negant, quod etiam aliter sentientibus probabile est. Cfr. Lugo *de poen. disp. XIV. n. 27 sqq.*; Dicastillum *de sacr. tr. 8. disp. 6. dub. 22. n. 160.*

Contritio debet esse interna, supernaturalis, summa, universalis, non tamen intensive summa. Cfr. S. Alph. *VI. 433-442*; Lugo *de poen. d. V. n. 84-87.* Nec requiritur comparatio formalis in appretiatione inter varia mala et peccata vel Deum (S. Alph. *VI. 443*); imo valde incaute agunt confessarii vel concionatores, qui ad has comparationes prosiliunt (Navarrus *Man. cap. 10. n. 4*; Croix *lib. VI p. 2. n. 731*), quem morem stultitiam appellat S. Thomas *Quodlib. 1 art. 9.*

Contritio proprie dicta seu perfecta iustificat poenitentem etiam extra sacramentum (Conc. Trid. *sess. XIV. cit. c. 4*; cfr. prop. Michaelis Baii damnatas sub *n. 31. 32. 70. 71*), sed cum voto confessionis, non tamen explicito. Conc. Trid. *l. c.*; G. B. *II. 267.* Remittit autem poenam aeternam, et partem

etiam poenae temporalis, pro maiori vel minori eius intensitate. Conc. Trid. *sess. VI. c. 14. et can. 30, sess. XIV de poen. c. 8. et can. 12.*

Palmieri De poenitentia th. XX. sqq.; *Billot* De sacramentis II...; *Mausbach J.*; Historisches su. Apologetisches zur scholast. Reuelehre; *Minges P.* Die angebliche laxe Busslehre des Duns Scotus; *Rütten W.* Studien zur mittelalterl. Busslehre mit besond. Berücksichtigung d. älteren Franciskanerschule; *Paulus N.* Zur angeblichen Veräusserlichung d. mittelalterl. Bussinstitutes; *Pruner* Kath. Moraltheologie II. 1064; *Simar* Lehrb. der Moralth. § 158; *Koch* Lehrb. der Moralth. § 57.

1591 **Contumacia.** — Contumacia si referatur ad *iudicia,* dicit inobedientiam a legitime vocato erga iudicem admissam in iis, quae ad iudicium pertinent, et praesertim in non comparendo. *l. 53 de re iudicata etc. D. (XLII. 1); c. 6 de dolo etc. X. (II. 14).* Contumacia autem committitur, quando reus tribus edictis vel uno loco trium peremptorie citatus et nulla iusta causa impeditus non comparet; aut, ne compareat, procurat, ut citatio ad ipsum non perveniat; aut, etsi comparuit, recedit tamen postea sine licentia iudicis, nec revertitur; aut non respondet libello actoris aut positionibus; vel, si quando actor (et tunc contumacia est ex parte actoris) veniens ad iudicium non edit libellum, aut litem contestatam non prosequitur; vel si quando litigantes non obediunt praecepto iudicis, v. gr. ut exhibeant instrumenta ad causam deservientia, vel si quando recusant obedire exsecutioni sententiae.

Iudex de iure numquam procedere potest contra contumacem, nisi ad petitionem partis adversae. Quomodo autem, adversa parte instante, iudex procedere debeat contra actorem contumacem, vel contra reum contumacem quaere apud iuristas et canonistas. Cfr. Schmalzgrueber *in tit. 14 lib. II Decr. n. 38 sqq.*

Tit. de dolo et contumacia X. (II. 14); idem titulus (II. 6) in 6°; idem tit. (II. 4) in Clem.; idem titulus (II. 3) in Xvag. comm.; Commentatores Decretalium in tit. cit.; *Chartarii F.* Tract. de exsecutione sententiae contumacialis, capto bannito; *Radoni G.* De contumacia; *Hatten* De contumacia; *Cambini C.* Della contumacia in materia civile; *Pollio F.* L'efficacia della condanna contumaciale sulla prescrizione in materia criminale secondo il diritto positivo vigente; *Civoli C.* Della contumacia nel giudizio penale; *Feroci D.* Esecuzione della prova per interrogatorio nel giudizio contumaciale in materia civile avanti i tribunali; *Nalin E.* Il contumace nei giudizi pretoriali; *Bianchedi A.* Della notifica delle sentenze contumaciali dei pretori; *Cammarota A.* Quali effetti la legge attribuisce alla sentenza di condanna pronunciata in contumacia dalle Corti d'Assise relativamente alla prescrizione dell'azione penale o della pena?; *Benevolo F.* Dell'efficacia della remissione in contumacia dell'imputato di reato di azione privata; *Giglioli G. C.* Sulla comparizione tardiva del contumace nei giudizi a procedimento sommario.

Contumacia refertur etiam ad *excommunicationem;* et tunc est contemptus censurae. Porro ad excommunicationem necessaria est contumacia, non quidem tamquam causa, quia causa in casu est delictum, sed tamquam conditio. Hinc est, quod nullum delictum, etsi gravissimum, 1592

puniri potest censura, nisi prius fuisset iam vetitum sub censura, eaque specifica (*arg. c. 26 de appellat. X.* [*II. 28*]), vel nisi habeat tractum successivum, ut puta furtum, post cuius admissionem intimatum furi fuerit, ut intra aliquod tempus sub poena censurae incurrendae ablatum restituat. *c. 5 de sent. excomm. etc. X.* (*V. 39*) vid. *Monitio.*

Plura ex ipsa natura rei excusant a contumacia, et proinde a censura, ut ecce in primis ignorantia, neque solum ignorantia facti, quae et a peccato excusat, ut si quis librum retineat, quem haeresim propugnantem nescit, sed etiam iuris seu ipsius censurae, ut si quis ingressus fuerit clausuram monialium, nesciens id esse vetitum, aut nesciens id vetitum esse sub censura.

Porro non omnis ignorantia a censura semper excusat. Nam ignorantia crassa et supina tunc excusat, quum censura lata est in eos, qui temere aliquid faciunt vel facere praesumunt; affectata vero iuxta quosdam tunc, quum censura lata est contra eos, qui consulto scienter faciunt. Ignorantia vincibilis non crassa neque affectata semper a censura excusat, adeoque, ut adnotat D' Annibale (*Comm. in const. « Ap. Sedis » n. 8*), etsi gravi non vacet; nam secus etiam ex alio capite excusat a censura, quae nonnisi ob grave peccatum infligi potest. Vid. *Censura, Ignorantia.*

Bibliographiam quaere sub *Censura.*

1593 **Contumelia.** — Contumelia est iniusta honoris laesio praesenti (sive physice sive moraliter) et scienti irrogata. G. B. *I. 462.* Fit *negative* omissione honoris debiti, *positive* signis contemptus. Fieri autem potest sive nutibus tantum, sive verbis, sive scriptis. Et, si scriptis fiat, nomen proprium sortitur *libelli famosi,* quod tamen nomen tunc tantum applicari potest, quum per ipsum libellum infamia innotescit, quae prius ignorabatur.

Porro ad contumeliam pertinet etiam obiicere alteri vitia seu defectus quos habet, sive animi sint, sive status, sive corporis. Hinc ad eam referuntur irrisio, subsannatio, improperium.

Attamen ut contumelia habeatur, necesse est, ut signa honoris alterius laesiva fiant cum animo contemnendi, et quidem, ut videtur, cum huiusmodi animo, qui externe appareat. Quare, si quis aliquid huiusmodi dicat per iocum aut in correctionem, non est amplius locus contumeliae, dummodo, ut advertit D'Annibale (*II. 274* [*8*]), nec iocus sit petulans, et correctio moderate fiat atque ab eo, qui corrigendi ius vel officium habet.

Est gravis ex genere suo, et per se strictam obligationem inducit restituendi honorem et reparandi damna ex ea subsecuta. S. Alph. *III. 966.* Si vero offensus vindictam sumpserit, plerumque non requiritur ulterior satisfactio. S. Alph. *III. 989.*

Notandum vero est, contumeliae publicae opponendam esse publicam satisfactionem. Multoties expedit, ut confessarius poenitentem in bona fide non moneat de obligatione satisfactionis. G. B. *I. 464.*

Convalidatio matrimonii. — Vid. *Revalidatio, Sanatio in radice.*

1594 **Conventus.** — Conventus novos erigere si quando viri regulares volunt, necesse habent, omnes iuxta communem sententiam, exquirere et impetrare veniam Sedis apostolicae et episcopi illius loci, ubi conventus est erigendus (Conc. Trid. *l. c.*); nisi forte in indulto pontificio expresse concederetur conventum erigendi facultas absque ulla episcopi licentia. Haec venia (quam episcopus absque iusta causa denegare non debet, et qua iniuste negata, possunt regulares interponere appellationem ad S. Congreg. neg. religios. sod. praep., *Const.* Greg. XV « Cum alias » *17 aug. 1622,* Card. de Luca *de regul. disc. 29. n. 13*) non est concedenda, nisi prius auditis et consentientibus superioribus aliorum conventuum, qui exsistunt in eadem urbe vel in viciniis per 4000 passuum distantiam, aliisque interesse habentibus, inter quos probabiliter adnumerandi sunt etiam parochi. Cfr. Reiffenstuel *in tit. 48 lib. III Decr. n. 33.* Si vero hi dissentiant, sufficit ad veniam concedendam, si ordinario constet, conventum erigendum commode sustentari posse, absque detrimento aliorum monasteriorum iam exsistentium (*Const.* Clem. VIII « Quoniam » *23 iul. 1603; Const. cit.* Greg. XV *17 aug. 1622*); imo quando de hoc constat, ne necessarium quidem videtur alios regulares advocare et audire. *Const. cit.* Gregorii XV *17 aug. 1622;* Bouix *l. c. c. 2. § 2.*

Haec est communis sententia. Circa quam tamen adnota ea, quae docte animadvertit Vermeersch *de religiosis institut. et person. I. 109.* Sunt autem haec: « Praeter episcopi veniam requiri ad singula erigenda monasteria virorum beneplacitum apostolicum non eadem vi rationum de omnibus affirmatur locis et monasteriis. Etenim 1° id liquet in regionibus, in quibus viget Const. Romanos Pontifices 1881, idest in Anglia, in missionibus subiectis S. C. Prop. Fidei, in foederatis statibus Americae Septentrionalis, in Americae latinae partibus. In constitutione enim ista declaratur, sublato quolibet contrario iure: - Sodalibus religiosis novas sibi sedes constituere nisi obtenta prius expressa licentia ordinarii loci et Sedis apostolicae, non licere; - 2° Formaliter idem exigitur in Italia et insulis adiacentibus. *Const.* Instaurandae Innocentii X, *22 oct. 1652.* (Observes huius Bullae paragraphum quintam in fine ita legendam esse: - Intendimus autem in praemissis etiam ultra Italiam et insulas adiacentes *prout expedire viderimus* providere. - Cfr. Bull. Tom. *t. 6. p. 2. p. 235;* M. B. Cherubini *t. 5. p. 483;* Fagnani in c. Relatum *Ne clerici vel monachi n. 46-60;* Lucidi *t. III. p. 431.* Namque Ferraris *v. Conventus art. 1. n. 6* pro *viderimus* subiecit *videmus;* in nota autem Bizzarri *p. 782* verba *prout expedire viderimus* sunt suppressa. Atque ita fit ut locus, ubi Pontifex mere prodit *intentionem* disponendi pro aliis regionibus, afferatur ad probandum constitutionem istam re vera iam ad universum pertinere orbem!) - 3° Quod ad *ordines mendicantes,* qui hoc loco intelligendi sunt ii dumtaxat, qui etiam post Conc. Tridentinum prohibentur habere reditus aut possessiones, necessitas be-

neplaciti apostolici eruitur ex cap. Religionum unico *de religiosis domibus in 6°* (*III. 17*) et cap. Quum ex eo *de excessibus praelatorum in 6°* (*V. 6*). Verisimile tamen est huic iuri esse derogatum per Conc. Tridentini *sess. XXV. c. 3. de regul.* exigens licentiam episcopi. Cfr. Passerini *in cap. un. tit. 6 lib. V. Decr. in 6° n. 13 sqq.* 4° Extra vero *regiones Italiae et missionum* nulla est lex, quae monasteriis in universum praescribat petendum beneplacitum. Id egregie ostendit Fagnani (in c. Non amplius *de institutionibus* [*III. 7*] *a n. 55*), qui simul testatur pluries S. Congr. Concilii ad hanc sententiam sua aptasse responsa. Idem tenent Reiffenstuel *l. 3. t. 48 n. 38 sqq.*; Schmier *Ius can. civ. t. 2. l. 3. tr. 1. p. 2. c. 2. s. 1. § 3.* (is tamen subiungit: – nisi forsan aliud stylo Curiae romanae receptum sit); Leurenius *For. eccl. l. 3. q. 997 n. 2*; Maschat *in h. t. q. 4. r. 4*; Bouix *de iure regul. 2. 253 sqq.* (is etiam existimat propter usum romanarum Congregationum iam nunc in universum postulari beneplacitum apostolicum). Favent etiam Aichner *p. 469*, Santi *in l. 3. t. 36 n. 6.* Huc accedit, iam per se mirum esse, utriusque, episcopi dico simul et Pontificis, specialem requiri licentiam (imo hoc repugnare autumabat Passerini *l. c. n. 13*), nec domibus congregationum religiosarum opus esse beneplacito apostolico. Quorsum rigor ille, quum agitur de ordinibus? Nihilominus severior sententia placuit Schmalzgrueber *in l. 3. t. 36 n. 30*, Benedicto XIV De synodo dioec. *l. 9. c. 1*, et, quamvis infirmis nitatur argumentis, evasit communior. Eadem urgetur disciplina S. Congr. Ep. et Reg. et gravissimum accepit pondus ex recenti constitutione *Romanos Pontifices.* (Nolumus tamen, quum non sit universalis constitutio, adstipulari R. P. Piat scribenti *II. p. 270*, post hanc constitutionem rem iam dubio vacare) ».

Iam ex loco citato Vermeersch vidimus instituta votorum simplicium unice teneri ad exquirendum consensum episcopi. Circa hoc autem confer ea, quae habentur sub *Congregationes religiosae.*

Nota etiam illud, quod Sacra Congregatio de Prop. Fide recentissime in memoriam revocavit, diligenter scilicet in posterum abstinere debere ordinarios omnes eidem S. Congregationi subiectos a licentia danda religiosis institutis domum aperiendi in territorio propriae iurisdictionis, absque venia prius a praefata S. Congregatione obtenta. Voluit praeterea, ut, quod attinet ad domus religiosas hucusque in iisdem territoriis, inconsulta S. Congregatione, forte erectas, etsi S. Congregatio, ordinariis flagitantibus, singulisque ponderatis casibus, propensa omnino sit ad legitimas habendas huiusmodi fundationes, de iisdem, si quae exsistant, distinctus ab ordinariis exhiberetur eidem Sacrae Congregationi elenchus ac simul pro iisdem canonica ratihabitio per supplicem libellum peteretur. *S. C. P. F. 7 dec. 1901.*

Nota etiam, ad aedificandum novum 1595
conventum necesse quoque esse, ut certa servetur distantia ab aliis conventibus, qui iam exsistunt, si hi ad mendicantes pertineant. Nam men-

dicantes privilegium habuerunt, ne alii conventus erigerentur per spatium 300 cannarum (canna 1 = m. 2.23) a suo conventu, distantia directe seu recta linea mensurata. Hoc tamen privilegium ex Petra (*Const. pont. const. 7 Clem. IV)* ad 140 cannas redactum est. Plures autem ordines privilegium obtinuerunt, ut, generali mendicantium privilegio non obstante, *intra cannas* aedificare possent. Sic, dicit Vermeersch (*loc. cit. n. 110*), Societas Iesu ex Const. Greg. XIII « Salvatoris » *30 oct. 1576 §* 9, et clerici scholarum piarum ex const. Clem. XII « Nobis » *1 maii 1731.* Haec quidem quoad conventus virorum, excepta lege de distantia, quae per se respicit etiam moniales. Vermeersch *loc. cit. n. 116.*

1596 Quoad moniales seu ad erigendum monasterium monialium requiritur venia episcopi loci (Conc. Trid. *sess. XXV c. 35 de reg.*) qui pro sua prudentia ponderari quidem debet an nova monasterii erectio futura sit detrimento monasteriis exsistentibus; sed verius, ut videtur, et tradit inter alios Vermeersch (*loc. cit. n. 116*), non tenetur audire personas quarum interest, etsi alii plures affirment (cfr. Ferraris *Prompta bibl. v. Conventus art. 1 n. 31*). Quoad numerum monialium, quae in monasterium admitti debeant, nota, Gregorium XIII Const. « Deo sacris » *30 dec. 1572* praescripsisse, ut episcopus una cum superiore regulari, a quo moniales dependent, si forte aliquem habeant, prudenter definire deberet quot in unoquoque monasterio commode possint sustentari et quot proinde iuxta praescriptionem tridentinam (*sess. XXV. c. 3. de regul.*) in illud recipi queant. Notat autem hic Vermeersch (*loc. cit.*) Concilium Americae latinae velle ut duodecim saltem numero moniales in singulis habeantur monasteriis (*C. A. a. 219*), eamque Wernz (*Ius Decr. III. 620*) vocat constantem praxim S. C. EE. et RR.

Per se ad hoc ut haberi possit li- 1597
centia construendi novum conventum necesse etiam est ut cautum sit congruae sustentationi duodecim religiosorum. Conventus qui minorem numerum religiosorum habeat, etsi per se exstrui possit, non est tamen *formatus,* et non gaudet privilegio exemptionis, etsi pertineat ad religionem exemptam, nisi vel speciale privilegium forte concessum vel privilegium generale ob certas circumstantias, ex. gr. ob iniustam dispersionem religiosorum ex vi legis civilis, impertitum aliud dicere suadeat. Nota tamen S. Congr. Episcop. et Regularium non consuevisse urgere in casu exercitium iuris episcoporum quoad conventus non formatos, imo potius eis suasisse ut ab eo exercitio abstinerent. *S. C. EE. RR. 20 mart. 1857, 16 mart. 1866; S. C. C. 26 aug. 1873.*

Quoad mutationem autem aut trans- 1598
lationem conventus iam erecti haec nota ex Wernz (*loc. cit. n. 618*): « Quae duplex licentia Sedis apostolicae et ordinarii loci ex disciplina vigente etiam est necessaria, si conventus legitime erectus in alios *usus* sit *convertendus*, qui limites *interioris* administrationis *excedant* atque in primitiva licentia non fuerint con-

tenti, v. gr. si nova aedificanda sit *ecclesia*, vel simplex hospitium convertatur in collegium pro discipulis secularibus; non vero, si, salvis fundationis legibus, novitiatus fiat domus studiorum pro regularibus. Quae lex non obligat in simplici *translatione* conventus ex uno situ ad alium *eiusdem loci* vel civitatis, nisi res recidat in novam fundationem, vel iura aliorum regularium laedantur, nec in mera *reaedificatione* vel *recuperatione* domus religiosae, in quam regulares ius antiquum *legitime* (v. gr. ob liberum discessum vel decretum pontificium) numquam amiserunt, v. gr. per iniustam expulsionem ».

Tit. de religiosis domibus ut episcopo sint subiectae X. (III. 36); tit. de religiosis domib. (III. 17) in 6°; tit. de relig. domib. ut episc. sint subiectae (III. 11) in Clem.; tit. de relig. dom. (tit. 7) in Xvag. Io. XXII; tit. de relig. dom. (III. 9) in Xvag. comm.; c. un. de excessib. praelat. (V. 6) in 6°; c. un. de religiosis domibus (III. 17) in 6°; c. 3 de poenis (V. 8) in Clem.; Conc. Trid. sess. XXV c. 3 de reg.; Const. Clem. VIII « Quoniam » 23 iul. 1603; Const. Greg. XV « Quum alias » 17 aug. 1622; Const. Urb. VIII « Rom. Pontifex » 28 aug. 1624; Const. Inn. X « Instaurandae » 15 oct. 1625; Const. Leonis XIII « Romanos Pontifices » 8 maii 1881; Comment. Decr. in tit. cit.; *Rotarius Th.* mor. regul. lib. III. c. 5; *Tamburini* De iure abbat. III. d. -; *Pellizarius* Manuale regularium tr. VIII c. 7. n. 89 sqq.; *Schmier* Iurispr. canonico-civilis III. c. 2. § 2; *Lucidi* de visit. ss. lim. II. c. 4. n. 46 sqq.; *Werns* Ius Decr. III. 616 sqq.; *Vermeersch* De religios. instit. et person. I. 100 sqq.; *Scherer* KR. § 146 XI; *Sägmüller* Lehrb. des k. KR. § 184; *Mocchegiani* Iurispr. eccl. I. 236 sqq.

Conversi ad fidem. — Vid. *Neophyti.*

Convictus. — Vid. *Collegia.*

Convisitatores. — Convisitatores ii sunt, quos episcopus secum assumit in peragenda visitatione dioecesis. Eos sibi adsciscere non tenetur, si visitationi explendae ipse tantum par sit. Attamen, in magnis praesertim dioecesibus, raro admodum accidit, ut episcopus convisitatores praetermittere sine incommodo possit. Hi autem convisitatores, ab episcopo assumendi, debent esse tum morum honestate spectabiles, tum scientia rerum sacrarum, nec non negotiorum usu periti. Debent praeterea esse clerici, imo presbyteri, aut saltem diaconi (*c. 11. C. X. q. 1*); nihil autem obstat, eos esse regulares. Cfr. Lucidi *de visit. sacr. lim. I. cap. 2. n. 25.* Vid. *Visitatio.*

Convivia. — Vid. *Cooperatio ad superstitiosa.*

Cooperatio. — De ipsa cooperatione. — Cooperatio in re morali est participatio quaedam ad actionem pravam alterius. Locum vero habet, ut patet, in peccatis externis, seu in externis legis transgressionibus.

Praecipue dividitur in formalem et materialem. Illa concurrit ad malam voluntatem alterius, haec ad malam actionem physice consideratam. S. Alph. *II. 63.* Quare cooperatio materialis non semper praestatur opere malo, sed tum malo, tum indifferenti, tum bono opere praestari potest.

Hinc illa semper illicita, haec aliquando est licita; dummodo scilicet et opere malo non praestetur, et praestetur praeterea ex causa iusta et proportionata, quae eo maior requi-

ritur, quo propinquior est cooperatio, quo probabilius et peius peccatum secuturum, quo probabilius est te non cooperante, alterum non peccaturum. S. Alph. *II. 59.* Hinc in lubricis maiori causa opus est.

Generatim dici potest, cooperationem huiusmodi, quae opere malo non praestatur, licitam esse, nisi aut officium, ut puta parentis, iudicis etc., aut caritas eam vetent. Cfr. Sanchez *in decalogum lib. I c. 7. n. 7 sqq.;* Lugo *de poenitentia d. XVI n. 161;* D'Ann. *I. 174.* Ordinarie vero caritas hanc quoque cooperationem vetat, quum quis potest ab ea abstinere et citra iniuriam vel gravius peccatum eius, qui cooperationem exigit, et sine suo gravi incommodo. Hoc vero incommodum ad excusandum ab illicita cooperatione eo gravius debet esse, quo gravius est peccatum illius, cui quis cooperatur, quo magis proxima est cooperatio, quo probabilius est sine hac cooperatione alium peccatum corde conceptum in opus non esse deducturum.

Hinc non potest coniux debitum non reddere coniugi voto castitatis obstricto (S. Alph. *II. 61;* Lugo *de sacram. in genere d. VIII. s. 11. n. 182*); nec depositarius depositum non restituere poscenti ad peccandum, quia citra alterius iniuriam haec non fierent. D'Ann. *II. 93 (2).* Hinc licet dare vinum ebrioso, alias blasphematuro, ad impediendum nempe gravius eius peccatum. Croix *Theol. mor. l. 5. n. 324.*

Et generatim, si quando certum est, aliquem peccaturum, etsi nemo ipsi cooperetur, cooperatio non est illicita, quia caritatem non laedit. D'Annib. *II. 63.*

De famulis quoad cooperationem. — 1601
Famulus, sola ratione famulatus, potest apponere vinum domino se inebriaturo; parare carnes die esuriali (S. Alph. *II. 68*); ostium domus meretrici aperire (S. Alph. *II. 66;* Laymann *de carit. c. 13. n. 5*); sternere equum domini ad peccandum profecturi; et probabilius herum ad domum concubinae comitari, si, etiam eo non comitante, herus adiret (Sanchez *in dec. lib. I. c. 7. n. 22*); item dona meretrici deferre (Sanchez *l. c. n. 29;* Sporer *in 5um praec. c. 1. n. 99*); ipsi et domino mensam, lectum instruere. Salmanticenses *Th. mor. tr. XXI. c. 8. n. 66;* D'Ann. *II. 94.* – Probabilius autem sola ratione famulatus ei non licet ad heri concubinam litteras amatorias, quas tales novit, deferre (S. Alph. *II. 67*); nec certo, nisi ad vitandum damnum gravissimum, hero ascendenti per fenestram ad stuprandam virginem scalam deferre, vel humeros supponere, vel ostium aperire, vi adhibita. Cfr. *propositt. 51am damnatam ab Innoc. XI;* B. P. *II. 287 sqq.*

De operariis. — Ex parte cooperationis *operariis* licet aedificare templa haereticorum, quamvis ob alias causas aliquando id facere nequeant. – Iuvat hic referre responsionem, quam ad quaesitum, an liceat catholicis aedificare templa haereticorum, dedit S. U. I. *14 ian. 1818*, scilicet respondit: « non esse inquietandos, dummodo non adsit scandalum nec fiat in contemptum religionis... Teneri autem ab opere se abstinere, 1602

1° ubi huiusmodi opus communiter habetur *pro signo protestativo* falsae religionis; 2° vel aliquid in ipso continetur, quod per se *directe ac unice* exprimat reprobationem catholici cultus et approbationem damnati cultus haereticorum; 3° aut *constat* artifices catholicos ad opus adigi vel vocari ab haereticis in contemptum catholicae religionis. Ceterum, quamvis extra hos casus relinquendi sunt in bona fide, semper tamen monendi sunt, ne haereticorum cultui cooperari intendant ». Et iuxta hanc responsionem explicandae videntur responsiones aliae, sive antiquiores sive recentiores, quae ad casus particulares non semper eumdem in sensum datae sunt. Confer inter alias *S. C. P. F. 7 dec. 1626* (*Coll. P. F. n. 1697*), *pro Sin. 3 ian. 1777* (*Coll. n. 1706*), *21 nov. 1837* (*Coll. n. 1733*), *ad vic. ap. Scopiae 26 sept. 1840* (*Coll. n. 1734*), *S. U. I. 5 sept. 1736* (*Coll. P. F. n. 1700*), *16 nov. 1769* (*Coll. n. 1704*), *ad vic. ap. Tunk. Occid. 8 ian. 1851* (*Coll. n. 1748*).

Statuas falsorum numinum falso cultui inserviendas conficere omnino non licet; adhibendas autem in ornamentum licet. G. B. *I. 252. 3°*. Proxime seu immediate cooperari ad imprimendos pravos libros, nonnisi forte in casu gravissimi detrimenti ad breve tempus (Laym. *de car. c. 13. n. 4*); remote seu mediate, gravi de causa licet. G. B. *I. 252. 5°*.

1603 **De mercatoribus.** — Mercatoribus licet vendere res indifferentes, quibus emptores bene et male uti possunt (S. Alph. *II. 71*); etiamsi in casu cognoscant emptorem male his usurum (D'Ann. *I. 94*); si tamen, iuxta quosdam, absque gravi incommodo eas denegare nequeant. Sanchez *in decal. lib. 1. c. 7. n. 12;* Azor *Inst. mor. lib. 8. c. 22. q. 6. c. 24. q. 14.* Ea, quae natura sua destinantur ad malum, ut venenum ex. gr., vendere non licet, nisi moraliter certo constet emptorem bene his usurum. G. B. *I. 254. 4°*.

De cauponibus. — Caupones non 1604
possunt sine gravi causa (qualis esset, si alias notabiliter laederentur ex diminutione emptorum, S. Alph. *II 69*) dare vinum inebriandis; possunt tamen carnes dare comesturis die vetito, quia causae possunt esse comedenti, cur licite id faciat, quas venditor non tenetur inquirere. B. P. *l. c. n. 291.* Non debent, in quantum fieri potest, admittere choreas, quia hae praesertim ut in cauponis fiunt, periculi plenae sunt; nec admittere umquam possunt folia publica, religioni vel bonis moribus generatim adversa. D'Ann. *l. c.* (*15*).

Quoad comitia publica quid liceat Vid. *Comitia publica.*

Cooperatio ad damnum. — ***De ipsa cooperatione.*** — Cooperatio ad damnum est quaedam *radix restitutionis,* quae fit novem modis, scilicet mandando, consulendo, consentiendo, laudando, recursum praebendo, participando in actione vel emolumento, silendo, non obstando, non manifestando. 1605

Nota tamen, heic non tantum de materiali, quantum de formali cooperatione sermonem esse. Quare hic cooperator ille est, qui simul cum alio est causa damni seu damnosae iniu-

riae alterius, sive sit causa secundaria sive aeque principalis, sive mediata sive immediata, sive positiva sive negativa.

Generalia autem principia in hac materia haec sunt. Iustitia obligat ad non laedendum ius alterius: caritas obligat praeterea ad quaerendum bonum alterius, si fieri possit sine proprio incommodo. Quare obligatio ex caritate magis patet, quam obligatio ex iustitia: illa numquam inducit obligationem restitutionis, haec per se semper. Hinc est, quod in praesenti potius agitur de cooperatione formali quam de materiali, quia cooperatio formalis semper est contra iustitiam, materialis non item.

His suppositis, quaedam in particulari dicenda de variis modis supranumeratis, quibus haec cooperatio fit, et de obligatione inde exsurgente.

1606 ***De cooperatoribus positivis.*** — **De mandante.** — Mandans, seu iubens ille est, qui alterum inducit ad agendum, ut damnum suo nomine alteri inferat. Scavini *Th. mor. II. tr. 7. cap. 1. art. 1. n. 597.* Scilicet mandare dicitur ille, qui aliquid alicui pro se faciendum committit, sive iubeat, sive roget (*l. 1. mandati vel contra D.* [*XVII. 1*]), sive solum desiderium ostendat. Non est necesse, ut potestatem iubendi habeat; sufficit, ut de facto mandet, seu alium ad damnum inducat. Bonacina *de iust. in gen. d. 1. q. 2. p. 6. n. 1.* Quod si habet potestatem iubendi, et insinuet, se velle aut cupere, ut damnum alteri inferatur, censetur iubere. Croix *Th. mor. lib. 3. p. 2. n. 23.* Imo si quis sciat, te, solum ut ipsi placeas et gratum aliquid facias, opus aliquod aggredi, relate ad illud opus, mandans dicitur.

Mandans tenetur ad reparandum omne damnum imperatum, et ex vi mandati illatum, etiamsi mandatum revocaverit, sed nimis sero, ita ut, damno tantum illato, mandatario innotuerit. Cfr. Lugo *de iust. et iure disp. 19. n. 25. sqq.* Idest, si revocationi defuit aliquid, etsi non ex culpa revocantis, ut ecce, si mandatario non pervenerit, aut eam mandatarius surdus non audierit, mandans tenetur de damnis; si vero revocationi defuerit nihil, sed mandatarius, adhuc revocato mandato, opus perficiat, vel quia obliviscitur revocationis, vel quia sine iusta causa putat revocationem non serio factam, in mandante cessat obligatio restitutionis. D'Ann. *II. 206.* Ratio brevis et efficax: quia nempe tunc mandatarium damnum inferre relate ad mandantem casu accidit.

Mandans tamen non tenetur de damnis illatis ultra mandatum, excepto casu, quod non fuerit in potestate mandatarii, se intra eos limites continere. Croix *Th. mor. lib. 3. p. 2. n. 26;* cfr. *c. 3. de homicid.* (*V. 4.*) *in 6°.*

Mandans praeterea, si vi et metu mandatarium ad opus impulerit, tenetur etiam damnorum, quae mandatario obveniunt. Cfr. B. P. *III. 357.*

Ad incurrendas poenas mandantibus aliquando inflictas necesse est, ut mandatum datum fuerit alias non patraturo. Si mandans revocaverit mandatum ante delictum patratum,

et de hoc mandatarium certiorem fecerit, etiam consummato delicto, poenas non incurrit, nisi poena lata fuerit in ipsum mandatum, ut tale. D'Ann. *I. 321.*

1607 **De consulente.** — Consulens hic est ille, qui rationibus seu motivis sive veris sive apparentibus persuadet alicui, ut damnum alteri faciat, vel eum instruit docens modum, quo faciat. Cfr. *l. 50. de furtis D.* (*XLVII. 2*). Ad consulentem revocant etiam theologi illum, qui hortationibus impellit, qui precibus aut promissionibus movet. Lessius *de iust. et iure lib. 2. cap. 13. n. 14;* Lugo *loc. cit. n. 35.*

Agitur autem semper de consilio ignoranti dato. Consilium enim potest esse vel doctrinale vel auctoritativum. Porro sive doctrinale fuerit, idest docendi causa datum, sive auctoritativum, idest datum sollicitandi causa, si detur vel ei, qui probe scit consilium esse malum et impium, vel ei, qui iam paratus est damnum inferre, consilium nullo modo influit in damnum.

Ad doctrinale revocari potest consilium eius, qui alteri viam et modum ostendit inferendi Caio damnum, quod ipse illaturus non esset, eo quod viam et modum nescit; ut ecce, si Titius vellet occidere Caium, sed non occidit, quia nescit ubinam eum solum et inermem inveniat, tu autem ei indices tempus et locum, quo illud facere tuto possit.

Porro ex consilio doctrinali bona fide dato nulla exsurgit obligatio restitutionis; ad hoc enim necesse est, ut quis sciens prudens consultorem decipiat, idest non tantum aliquid consultori affirmaverit, sed illud ipsum ei persuaserit. D'Annib. *II. 204* (*10*). Quod patet ex *l. 47 de diversis reg. iur. ant. D.* (*L. 17*): « Consilii non fraudulenti nulla obligatio est, ceterum si dolus et calliditas intercessit, de dolo actio competit ».

Quid autem, si consilium doctrinale datum fuerit a perito circa ea, quae artem suam respiciunt; ut ecce a medico, advocato, confessario, etc.? Et claro D'Annibale (*loc. cit.* [*11*]) videtur eadem danda responsio. Scilicet, si hic et nunc non advertit, se impium consilium dare, ad restitutionem non tenetur. Ratio est, quia quamvis consulens in casu gravem culpam admittat in causa, quia exercet munus, ad quod est impar; verum hic et nunc actio consulendi, supposito quod consulens non animadvertat se dare consilium malum, non est peccaminosa. D'Ann. *loc. cit.* (*11*). Attamen alii contrarium putant, si consulens exinde commodum, idest stipendium accipiat, quia tunc putant, eum teneri de culpa saltem lata, imo etiam levi. B. P. *III. 364.*

Utrum autem teneatur de damno consulens, qui consilium retractavit, si nihilominus consilium ex malitia alterius pergat influere, disputatur inter Doctores. Cfr. Molina *de iust. et iure disp. XIII. n. 37;* S. Alph. *III. 579;* B. P. *III. 362.*

Certum est ante omnia consulentem teneri in conscientia praecavere quantum potest, damnum alterius, etiam eum monendo de paratis insidiis, scilicet, si id potest sine gravi suo damno. Praeterea distinguendum est inter consilium doctrinale et auctori-

tativum. Consilium doctrinale, si fuerit retractatum, evanescit, et forte etiam in casu, quo quis viam ostenderit inferendi damnum ei, qui voluisset damnum inferre, sed non inferebat, quia modum inferendi non cognoscebat. Ratio primi est, quia consilium doctrinale malum, postea retractatum, videtur aequiparandum consilio bona fide dato. Ratio vero alterius est, quia in eo videtur laedi potius caritas, quam iustitia. Attamen cfr. B. P. *III. 362.* (*a*). — Si vero agitur de consilio auctoritativo, generatim doctores negant illud evanescere, etsi retractatum; attamen multi tenent contrarium, ut supra innuimus. Quare in casu non deberet consulenti imponi onus restitutionis, quod iam certe damnificatori incumbit, ex quo damnificato satis consulitur. Cfr. D'Ann. *II. 206;* B. P. *III. 362.*

Consulens, alterum efficaciter inducens ad damnum inferendum, tenetur ad restitutionem (cfr. *prop. 39am. damnatam ab Innocentio XI*); nisi exsecutor eodem modo damnum fuisset illaturus. S. Alph. *III. 561.* Qui consilium malum dedit bona fide, sed ex ignorantia culpabili, non liberatur ab obligatione reparandi damnum. Utrum autem teneatur qui consilium retractavit, si nihilominus ex malitia alterius pergat influere, disputatur inter doctores. B. P. *III. 362* — Probabilius non tenetur ad restitutionem consulens inferre Caio minus damnum volenti maius Titio inferre. Vasquez *Opusc. de scandalo art. 1. dub. 2. n. 146;* Turrianus *de fide, spe et caritate disp. 95. dub. 6.*

Consulens tamen tenetur per se secundario de damno et primario exsecutor, qui proprio nomine agit.

De consentiente. — Consentiens ef- 1608
ficaciter in damnum alterius (nempe ille, cuius consensus requiritur ad exsecutionem iniuriae, ut iudex, iuratus habens ius suffragii ad aliquid, etc.) tenetur ad restitutionem. Et evidens est, eum, qui est vere causa damni, de damno teneri. Quaestio in praxi facilius esse potest, an quis vere fuerit causa damni. Porro si agitur de damno ex suffragiis datis exorto, haec videntur dicenda. Vel omnes suffragia dant simul, quod censetur haberi, uum ex gr. suffragia secreto dantur, aut quum suffragia sunt revocabilia, omnes suffragium dantes certo ad restitutionem tenentur. Vel suffragia non dantur simul, sed ab uno post alium, et tunc si ea sint irrevocabilia, et iam expletus fuerit numerus suffragiorum ad rei decisionem requisitus, controvertitur, utrum ii, qui suffragium ad damnum postea ferunt, teneantur ad restitutionem. Cfr. Molina *de iust. et iure disp. 732;* Lugo *de iust. et iure disp. XIX. n. 17. sqq.* In praxi dans ita suffragium ad restitutionem non est obligandus, nisi cum prioribus, qui suffragium dederunt, quique absque dubio tenentur semper ad restitutionem, ex condicto seu conspiratione egerit. B. P. *III. 366.*

Si vero dubium sit, an suffragium datum sit necne post numerum suffragiorum sufficientem ad damnum inferendum, ex sententia Lugonis (*loc. cit. n. 22*) non tenetur quis restituere in solidum, sed tenetur ad partem, pro mensura scilicet et rata dubii.

De palpone. — Palpo ille dicitur, qui 1609

laudando vel vituperando movet alium ad damnificandum. — Ut quis verus habeatur palpo in ordine ad restitutionem, necesse est, ut advertat se suis laudibus vel vituperiis causam ponere damni futuri, etiamsi illud non intendat. S. Alph. *III. 567.* — Quoad restitutionem aequiparatur consulenti. B. P. *III. 371.*

1610 **De recursu.** — Recursus, idest receptator eius, qui damnum dedit vel daturus est, tenetur de damnis inde provenientibus, si receptatio fiat de delinquente, ut delinquens est (cfr. *l. 2. de receptatorib. D.* [*XLVII. 16*]), et influat in damnum inferendum. Lugo *l. c. n. 71.* Hinc vere receptatores sunt caupones, mercatores, etc., qui furta filiorum familias, servorum, etc. accipiunt; non vero qui amicos aut consanguineos malefactores admittunt eisque viam ostendunt qua fugere possint, cum ad carcerem vel ad necem quaeruntur. S. Alph. *III. 568.*

1611 **De participante.** — Participans est, qui partem rei ablatae obtinet, vel socius est et adiutor in actione damnificationis aut acceptionis iniustae.

Proprie hic ille dicitur participans, qui non actu praevertente actionem damnificatricem in actione iniusta participat (sic enim et cooperatores superius recensiti sunt vere in actione participantes), sed ipsi exsecutori damnificatricis actionis cooperatur. B. P. *III. 375.*

Qui partem retinet rei ablatae tenetur illam restituere, ut patet. Qui altero modo ad damnum participavit, tenetur ad restitutionem, quoties realiter proxime concurrit in opus iniustum. — Cooperatio remota, qua nempe ius alterius nondum laeditur, ut ex. gr. scalas tenere furi ascendenti ad furandum, nullam verius continet iniuriam; ac proinde a sola caritate vetatur, quae non obligat, quum quis secus grave damnum superioris ordinis, vel verius etiam eiusdem, subire deberet.

Varia quaedam de cooperatoribus positivis. 1612 — Ad explendam tractationem de cooperatoribus positivis quaedam sapienter et clarissime tradit Palmieri (B. P. *III. 376*) relate ad causas concurrentes ad unum producendum effectum, quae hic breviter referre iuverit. 1° Potest esse causa, cuius actio sive moralis sive physica sit in suo genere ex se sola sufficiens ad determinandum effectum, qui ponitur, ita ut totus effectus eius sufficienti actioni respondeat. Haec est causa totalis totalitate causae. Huiusmodi sunt efficaciter mandans et exsequens id, quod mandatum est. - 2° Potest esse causa, cuius actio, licet per se solam insufficiens, concurrens tamen cum alia simili, determinat exsistentiam effectus, quem, negato concursu, impedire potuisset, ne fieret. Haec est causa totius effectus, et ideo causa totalis, totalitate non causae sed effectus. Huiusmodi sunt consentientes et aliquando participantes. Huic causae totum damnum imputatur. - 3° Potest esse causa concurrens, quae talis sit, ut neque eius actio sit per se solam sufficiens ad effectum, neque valeat, negato concursu, effectum impedire. Haec causa, licet, si concurrat, influat actu in totum effectum, non est ta-

men eius causa totaliter, sed partialiter, neque ipsi totum damnum imputatur. In praxi non raro occurret difficultas in definiendo an causalitas, quae certe non est totalis, fuerit partialis an nulla, fuerit gravis an levis.

1613 ***De cooperatoribus negativis.*** — *Mutus* (qui nempe, ante damnum illatum, non monet, non clamat, non impedit); *non obstans* (qui, dum damnum infertur, non prohibet, non defendit, non custodit rem); *non manifestans* (qui, post illatum damnum, non admonet, non revelat) sunt *cooperatores negativi.* — His (si nempe ex contractu vel officio tenentur ad impediendum damnum; secus enim tantummodo contra caritatem peccant) damnum imputatur, ut eis voluntarium in causa; quare, si damnum praeviderint, et potuerint, et debuerint ex officio illud prohibere, tenentur ad restitutionem; secus ad restitutionem non tenentur, quamvis possint peccare contra caritatem, si nempe loquentes, obstantes, manifestantes, damnum sine gravi incommodo impedire possint et non faciant. B. P. *III. 377 sqq.*

1614 ***Alia quaedam notanda.*** — Cooperatores eodem modo concurrentes ad damnum, singuli aequaliter *in solidum* restituere debent. Si diverso modo concurrerint, et agatur de furto, primo tenetur possessor, deinde mandans, raptor, ceteri cooperatores positivi, demum cooperatores negativi. Si de damno agatur, primo tenetur mandans, secundo exsecutor; dein cooperatores positivi, postremo negativi. B. P. *III. 387. sqq.* — Cfr. G. B. *I. 248 sqq., 673 sqq.;* D'Ann. *I. 174 sqq., 319 sqq., II. 233 sqq.;* Bucc. *I. 440 sqq.; 1395 sqq.*

Cooperatio ad superstitiosa. — 1615 Quoad cooperationem *in ritibus superstitiosis et falsis* haec statuit Sacra Congregatio de Propaganda Fide *17 iul. 1827:* « Relate ad cooperationem ad ritus superstitiosos haec regula tenenda est. Si cooperatio fuerit pars ritus superstitiosi, tunc formalis censenda erit, intrinsece mala, et numquam fieri poterit. E contra censenda erit materialis, si pars non fuerit ritus superstitiosi. Grave autem aliquod damnum, quod oriatur cooperanti, si ab hac materiali cooperatione abstinere voluerit, licitam eam faciet, etsi scandalum adfuerit, quod pusillorum dicitur a theologis, quia ex lege caritatis nemo tenetur cum gravi suo damno scandalum istud removere ». — Etiam S. Congregatio Universalis Inquisitionis rogata, an liceret fidelibus, qui ad id gravibus poenis cogebantur, contribuere pecuniam ad actus superstitiosos et publicae laetitiae, die 27 apr. 1874, respondit: « Christiani praemittant protestationem, se solvere pecuniam taxative tamquam mere tributum, dummodo non assistant ritibus superstitiosis, et, si a nemine reclametur contra, non esse inquietandos ».

Hinc S. Congr. de Prop. Fide respondit, non esse inquietandos servos aut operarios christianos, qui ad ad laborandum in templis paganorum, v. gr. ad ea dealbanda, obligantur ad ea ingredienda operto capite et nudis pedibus. *S. C. P. F. 27 aug. 1781.* Et S. Congr. Un. Inquis. similiter re-

spondit, licitum esse comedere epulas indifferenter appositas, quamvis idolis oblatas, dummodo non in templo neque in loco idolis sacro, et dummodo omnis absit species cultus aut venerationis idolis ac superstitionis, nullumque adsit periculum scandalizandi fideles vel infideles. *S. U. I. ad miss. Sin. 15 dec. 1768.* Cfr. etiam *S. C. P. F. ad. vic. ap. Leaotong. 23 mart. 1844; S. U. I. ad vic. ap. ad Gallas 20 iun. 1866.* Hinc etiam S. Congr. de Prop. Fide declaravit: « licere coquere et praeparare cibos, si agatur de ordinariis servis et culinariis, qui toto anni tempore huiusmodi ministerio sunt addicti, si extraordinaria huiusmodi convivia pro laetitia familiae, pro hospitibus, aliisque occasionibus minime superstitiosis primario fiant; quamvis non ignoretur aliquam eorum partem idolis offerendam fore: si dapes non distinguantur, ut aliquae fiant pro oblatione superstitiosa, aliquae pro cibo convivarum, sed destinatio pendeat ex arbitrio patrisfamilias; si nulla dapes sit specialiter directa et praeparata pro idolo: si in divisione epularum nec in eorum appositione ad locum sacrificii vel ad mensam idoli cooperentur ». *S. C. P. F. ad vic. ap. Tunk. Orient. 13 ian. 1783.*

Secundum eadem principia iure respondit S. Congr. de Prop. Fide ad vic. ap. Siam. licere servis catholicis coquere aut apponere carnes quocumque die ad mensam dominorum protestantium, quando secus deberent officium dimittere nec aliunde sibi consulere possint (*S. C. P. F. 26 iun. 1820*), aut idem licere uxoribus catholicis, quando mariti diebus prohibitis carnes volunt manducare, ipsae vero, si non obtemperarent, grave damnum paterentur, secluso semper contemptu religionis. *S. C. P. F. pro Sin. 26 iun. 1820.*

Quoad emptionem vero et venditionem eorum, quae ethnicis ad superstitiosa inserviunt, haec stabilienda sunt. Vendere eas res omnes christianis licet, etsi sciant, ethnicos, quibus eas vendunt, eis usuros ad superstitiosa, dummodo tamen in finem superstitionis expresse non petantur (*S. C. P. F. ad vic. ap. Sutchuen. 30 ian. 1807; ad vic. ap. Siam 18 mart. 1817; pro Sin. 26 nov. 1822; ad vic. ap. Tunk. Occid. 3 oct. 1845*); nam in hoc casu vendere eas non liceret, ut ex supracitatis responsionibus patet. Similiter licet locare domos aut officinas gentilibus, si constet domos peti ad inhabitandum, et officinas ad usum indifferentem; non licet, si expresse petantur ad fanum v. gr. construendum. *S. C. P. F. ad vic. ap. Tchen-si 8 feb. 1806.*

Similiter, si quaedam alicubi fiant in civile obsequium inter cives, quae per se sint indifferentia, etsi ethnici ea faciant in finem superstitiosum, tolerari potest, ut a christianis quoque fiant, si nullum exoriatur scandalum. *S. U. I. 2 maii 1866.*

Pariter non sunt inquietandi christiani, qui ponunt actiones per se licitas, vel saltem indifferentes, neque directe influentes in superstitionem, dummodo non adsit scandalum, et grave immineat damnum, nec sint in contemptum religionis, et a christianis fiat protestatio, quatenus commode

fieri possit, se non intendere superstitionem. Hinc possunt nautae christiani vehere gentiles secum afferentes superstitiosa obiecta, imo possunt etiam haec superstitiosa obiecta e domo gentilium ad cymbas et e cymbis ad locum, quo gentiles pergunt, ex. gr. ad sepulcra maiorum, transferre. *S. U. I. ad vic. ap. Tunk. Orient. 12 iul. 1854; ad vic. ap. Nankin. 27 apr. 1892.* Vid. *Communicatio in divinis.*

Non licet autem, ut patet, ob evidens periculum subversionis animarum, vendere haereticis suprema dominia. *S. U. I. ad Arch. Claudiam de Innsbruck 18 ian. 1644.*

Bibliographiam quaere sub *Communicatio in divinis, Superstitio.*

1616 **Copia confessarii.** — Copia confessari deesse censetur, si confessarius adiri vel accersiri nequeat sine gravi incommodo, quod varie aestimatur ex variis adiunctis; vel si praesens nolit, aut non possit confessionem audire. S. Alph. *VI. 264.* Qui in hoc casu ex necessitate ad s. communionem, de letali admisso contritus tantum et non confessus, accedit, si fuerit sacerdos celebrans, quamprimum, idest infra triduum (S. Alph. *VI 266*; cfr. *prop. 38 et 39 damn. ab Alex. VII*), nisi interim iterum velit celebrare, confiteri tenetur; secus non tenetur. Conc. Trid. *sess. XIII. cap. 7.* Ad quod praeceptum non obligatur sacerdos, qui inculpabiliter in confessione alicuius peccati mortalis oblitus est, imo in hoc casu etiam laicus, absque ulla necessitate, et confessario praesente, potest communicare absque alia confessione. S. Alph. *VI. 257.*

Copula incestuosa. — Ex decreto 1617
Leonis XIII *25 iun. 1885* in petendis dispensationibus ab impedimentis matrimonialibus non opus est manifestare habitam copulam incestuosam inter oratores.

Copula maritalis. — Vid. *Actus coniugalis.*

Cor Iesu SS. – Recenter S. Rituum 1618
Congregatio decrevit: « Firmiter manente festo SS. Cordis Iesu affixo feriae VI post octavam Corporis Christi, et quotannis recolendo cum officio et missa propriis iuxta rubricas et decreta, eiusdem festi externam solemnitatem ad tramites rescripti supra relati in aliam diem a Rmis. ordinariis locorum designatam posse transferri etiam cum privilegio celebrationis missae propriae de ipsomet SS. Corde Iesu; hoc autem privilegium iuxta praxim sacrorum Rituum Congregationis excludi, quoad missam solemnem, a duplicibus primae classis et a dominicis privilegiatis item primae classis; et quoad missas lectas, etiam a duplicibus secundae classis nec non a dominicis, feriis, vigiliis octavisque privilegiatis; atque ea sub lege adhiberi posse, ut nunquam omittatur missa conventualis vel parochialis officio diei respondens, ubi eam celebrandi adsit obligatio, et serventur rubricae ». *S. R. C. in Romana 23 iul. 1897* (*3960*). Ex recentiori autem decreto S. C. Indulgentiarum concessa est indulgentia plenaria omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui prima feria quinta cuiusque mensis vere poenitentes, confessi ac s. synaxi refecti infinitam SSmi. Cordis Iesu caritatem pia meditatione

recoluerint et aliquamdiu ad mentem Sanctitatis Suae oraverint; iis autem christifidelibus, qui praefata praestiterint quacumque sexta anni feria, concessa est indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum. *Decr. 7 sept. 1897.*

1610 Praeterea concessum est, ut in iis ecclesiis et oratoriis, ubi feria VI, quae prima unoquoque in mense occurrit, peculiaria exercitia pietatis in honorem divini Cordis, approbante loci ordinario, *mane* peraguntur, hisce exercitiis addi valeat missa votiva de SS. Corde Iesu; dummodo in illam diem non incidat aliquod festum Domini, aut duplex primae classis, vel feria, vigilia, octava ex privilegiatis; de cetero, servatis rubricis. *S. R. C. decr. gen. 28 iun. 1889* (*3712*). Hinc in vigilia Epiphaniae hoc indultum non habet locum (*S. R. C. in una Vallis Vidonis 22 nov. 1901 ad 1*), nec etiam in die Purificationis B. V., quod festum ratione mysterii aequiparatur festo Domini. *S. R. C. in Romana 17 mart. 1902 ad 3.* Haec vero missa votiva celebrari debet ritu, quo celebrantur missae votivae solemniter cum *Gloria* et *Credo* et cum unica oratione. *S. R. C. in una Montis Polit. 20 maii 1890 ad 1* (*3731*). Hoc autem valet etiamsi missa sit tantummodo lecta. *S. R. C. in Rhemen. 20 maii 1892* (*3773.*); *in Strigonien. 30 aug. 1892 ad 1* (*3791*). In commemoratione omnium fidelium defunctorum, quae incidat in primam feriam VI novembris, haec missa celebrari nequit. *S. R. C. in Macaonen. 19 maii 1895 ad 2* (*2855*). Nec celebrari potest iis in ecclesiis, in quibus unus tantum est sacerdos, qui missam conventualem celebrare debet, aut qui missam applicare debet pro populo. *S. R. C. decr. cit. 17 mart. 1902 ad 1 et 2.*

Insuper recenti decreto indultum est, ut omnes christifideles, qui sive publice sive privatim peculiaribus precibus devotique animi obsequiis in honorem SS. Cordis Iesu mense iunio, corde saltem contrito vacaverint, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum, semel singulis dicti mensis diebus, lucrentur. Qui vero christifideles privatim tantum singulis dicti mensis diebus praefata obsequia praestiterint, simulque una die vel intra memoratum mensem, vel ex octo prioribus mensis iulii vere poenitentes, confessi ac sacra synaxi refecti aliquam ecclesiam vel publicum oratorium visitaverint, ibique ad mentem summi Pontificis pias preces effuderint, plenariam indulgentiam consequantur. Quam quidem plenariam indulgentiam ii fideles lucrentur, qui saltem decem in mense vicibus eiusmodi exercitiis publice peractis interfuerint, itemque supra memorata pia opera adimpleverint. Quas omnes indulgentias eadem Sacra Congregatio etiam animabus igne purgatorii detentis fore applicabiles declaravit. *S. C. Indulg. 30 maii 1902.*

Missa votiva SS. Cordis Iesu dici 1620
potest etiam iis diebus, quibus recitatur officium votivum de SSmo. Sacramento, de Passione Domini etc.; et in casu secunda oratio sumenda est de tempore, quando non occurrunt aliae commemorationes. *S. R. C. decr. cit. 6 febr. 1892 ad 11* (*3764*). In hac missa duo Alleluia in introitu extra

tempus paschale omitti debent (*S. R. C. in Lincien. 6 febr. 1892. ad 10* [*3764*], ubi tamen nota, responsionem, quae est *Negative*, corrigendam esse in *Affirmative*, ut adnotatur in indice), et in ea (ubi nempe dici debet missa *Miserebitur*) post septuagesimam tractus et graduale, et tempore paschali Alleluia cum versiculis desumenda sunt ex alia missa SSmi. Cordis *Egredimini* pro dioecesi Venetiarum approbata. *S. R. C. in Ratisbonen. 29 febr. 1868 ad 1* (*3168*). Quando autem missa votiva SS. Cordis Iesu celebratur ante SS. Sacramentum solemniter expositum, commemoratio SS. Sacramenti omittenda est. *S. R. C. in Strigonien. 3 iul. 1896 ad 4* (*3924*).

In missis autem votivis SS. Cordis Iesu adhibendus est color albus. *S. R. C. in Nitrien. 15 nov. 1890* (*3737*).

1621 Litaniae SS. Cordis Iesu approbatae prius fuerunt pro dioecesibus Massiliensi et Augustodunensi ac pro universo ordine Visitationis B. M. V. (*S. R. C. in Massilien. 27. iun. 1898* [*3996*]), tum demum pro universa ecclesia, et indulgentia 300 dierum ditatae (*S. R. C. decr. gen. apr. 1899* [*4017*]); quare in omnibus ecclesiis et oratoriis publice recitari et decantari possunt.

1622 In usu etiam est parvum scapulare SS. Cordis Iesu, idest scapulare laneum albi coloris, imaginem SS. Cordis Iesu in medio referens. Omnibus christifidelibus illud gestantibus, quique corde saltem contrito orationem dominicam, salutationem angelicam et *Gloria Patri* etc. quolibet anni die recitaverint, Pius IX litteris apostolicis *28 mart. 1873* indulsit indulgentiam 100 dierum, applicabilem etiam defunctis, semel in die lucrifaciendam.

Imagines SS. Cordis Iesu, quae solum cor repraesentant, privata ex devotione permittuntur, sed in altaribus publicae venerationi colendae non sunt exponendae. *S. U. I. 26 aug. 1891*. Vid. *Imagines*.

Cornu. — Quaesitum est pro Sinis 1623 an cornu cervinum aqua emollitum, saccharo conditum, et glutinum factum, haberi posset ut cibus quadragesimalis. S. Congregatio de Prop. Fide respondit: « Consulendum SSmo pro dispensatione, quatenus opus sit ». (In aud. 14 ian. 1844. SSmus. annuit). *S. C. P. F. 21 sept. 1843*.

Corollae. — Iuxta ceremoniale epi- 1624 scoporum *lib. I. cap. 12. n. 2* prohibitae sunt et adhiberi nequeunt corollae ligneae, quae tobaleis altarium superimponuntur seu super altarium tobaleas aras circumcingunt; scilicet eae corollae prohibentur, quae alicubi superimponuntur tobaleis altarium, ut eas immotas servent. *S. R. C. 24 ian. 1908 ad 1*.

Corona. — Tenentur clerici deferre 1625 coronam, seu habere caput in vertice abrasum per modum circuli. Abrasio capitis in hunc modum fortasse ex tempore Caroli Magni originem habuit in ecclesia latina (Thomassinus *de nova et veteri discipl. Eccl. p. I. lib. 2. c. 40*); Graeci capita sua omnino abradebant. Etiam nunc in ecclesia latina viget usus et lex (Cfr. *Const.* Sixti V. « Quum sacrosanctum » *9. ian. 1589*) deferendi tonsuram et coronam (per abrasionem in vertice capitis), quas negligere, sal-

tem diu, pluribus letale est (Cfr. G. B. *I. 988*), et aliis iure dubium. S. Alph. *VI. 426;* D'Ann. *III. 146;* B. P. *IV. 445* Quare in praxi clericus etiam maiorum ordinum, qui diu quoque coronam non deferret, de gravi damnandus non esset. Vid. *Tonsura.*

Bibliographiam vide sub *Clerici.*

1626 **Coronae.** — Coronas mortuarias parietibus ecclesiae vel publici oratorii suspendere non decet (*S. R. C. in Valven. 22 mai 1896* [*3909*]); tolerari tamen potest usus contegendi ramis et floribus tumulos, qui eriguntur in ecclesiis occasione funeralium. *S. R. C. in Goana 16 iun. 1893* (*3804*) *ad 6.*

Coronae marIales. — Vid. *Rosarium, Crucigerorum coronae.*

1627 **Corporale.** — Corporale debet esse ex lino vel ex cannabe (*S. R. C. decr. gen. 17 maii 1819* [*2600*]), non autem ex tela vulgo *Nipis* dicta (*S. R. C. in Placent. in Hisp. 13 aug. 1895. ad 1.* [*3868*]), et iis in locis, in quibus a Gregorio XIII (*Const.* « A summo » *10 febr. 1563;* hoc indultum extensum postea est ad Indias orientales, *S. C. P. F. 20 iul. 1760*) indultum est missionariis, ut possint uti corporali telae bombycinae, debet adhiberi corporale telae vere bombycinae, non autem sericae. *S. C. P. F. pro Sin. 30 iul. 1759.* Debet praeterea esse benedictum, quod extra casum necessitatis sub gravi requiritur. Cfr. *c. 46. d. 1. de cons.;* S. Alph. *VI. 386.* In extremitatibus corporale potest esse sericum vel auro elaboratum. S. Alph. *l. c.* In casu vero gravis necessitatis, potest quis celebrare etiam sine corporali. S. Alph. *VI. 386.* Multo magis poterit quis in necessitate pro corporali uti palla, quae sit satis capax.

Corporali valde immundo uti, et proinde etiam sacerdotibus celebrantibus apponere, est mortale; non adeo immundo, veniale, nisi urgeat praeceptum audiendi sacrum. Cfr. *c. 2. de cust. euch. etc. X.* (*III. 44*); S. Alph. *VI. 376*

Sine speciali indulto Sedis Apo- 1628
stolicae ablutio corporalium, purificatoriorum et pallarum spectat ad clericos, qui saltem subdiaconi sint. *S. C. EE. RR. 9 iun. 1860.* Non sufficit, saltem pro prima lotione, licentia episcopi etiam pro monialibus; nam Sacra Rituum Congregatio *in Molin. 12 sept. 1857. ad 26* (*3059*) respondit, non posse moniales seu pias feminas vitam communem sub regula degentes cum licentia ordinarii primo abluere corporalia, pallas et purificatoria. Corporalium autem lotio intra sanctuarium, non foras, fieri debet; nec pelvis, in qua peragitur, ad alios usus adhiberi potest; aqua autem in peculiarem piscinam, quae sanctuarium seu sacrarium appellatur, proiicienda est. *c. 40 dist. 1 de cons.* § *1.*

Non licet retinere corporale exten- 1629
sum super altare toto tempore, quo missae celebrantur et donec ab ultimo in eo celebrante reportetur ad sacristiam; nec convenit corporale extra bursam deferre. *S. R. C. in Ravennaten. 13 sept. 1704* (*2146*).

Non potest in missa ante offertorium tantum explicari pars anterior corporalis, sed totum explicari debet ab initio missae. *S. R. C. in una Soc. Iesu 11 maii 1878. ad 13* (*3448*). Re-

tineri autem potest communis usus non leviter *amylo* corporalia imbuendi. *S. R. C. in Calaguritana 13 febr. 1892 ad dub. add. 9.* (*3767*).

Relate ad administrationem eucharistiae, vid. *Eucharistia.*

1630 **Corpus delicti.** — Corpus delicti dicitur in iure ipsum delictum admissum, sive illud in facto permanente, ut dicunt, consistat, quale homicidium; sive in facto transeunte, quale adulterium. Corpus delicti, seu ipsum delictum, est, ut patet, fundamentum totius inquisitionis. Quare ante omnia in iudicio inquisitorio debet iudex inquirere in corpus delicti. Tenetur autem iudex seu magistratus in illud inquirere etiam ex levissimis indiciis, si nempe consistat in facto permanente; nam si in facto transeunte consistat, tunc, quum inquisitio in corpus delicti ex natura rei necessario confundatur cum inquisitione in personam delinquentis, procedere magistratus non potest, nisi ex gravibus indiciis. Cfr. D'Ann. *II. 596. sqq.*

1631 **Corpus Domini.** — Sacra Congregatio Indulgentiarum litteris datis ad episcopos totius catholici orbis scripsit Romanum Pontificem in votis habere ut quotannis, si fieri posset, in singulis cathedralibus ecclesiis infra octavam solemnitatis Corporis Christi, vel si locorum et personarum adiuncta aliud expostularent, alio anni tempore ab ipsis episcopis statuendo triduanae supplicationes celebrarentur iuxta sequentem methodum, quae illis in litteris sic exponitur:

1° « Supplicationes semper peragantur feria sexta, sabbato et die dominica vel immediate post solemnia Corporis Christi vel alio tempore, uti supra relatum est. Hisce vero singulis diebus sermo habebitur, quo populus edoceatur de ineffabili eucharistiae sacramenti praestantia et potissimum de animi dispositionibus ad illud rite suscipiendum. Hoc expleto, publicae venerationi exponatur SS. Eucharistia, eaque coram sequens recitabitur oratio:

« O dulcissime Iesu, qui in hunc mundum venisti, ut omnes animas vita ditares gratiae tuae, ad quam in illis servandam simulque fovendam in augustissimo eucharistiae sacramento salutare pharmacum earum infirmitatibus sanandis et cibum divinum debilitati sustinendae temetipsum quotidie praebes, Te supplices deprecamur, ut super eas sanctum tuum spiritum benignus effundas, quo repletae, letali labe, si quae sint inquinatae, ad Te revertentes, vitam gratiae peccatis deperditam recuperent; quae vero, Te misericorditer largiente, iam Tibi adhaerent, quotidie, prout cuique dabitur, ad tuam caelestem dapem devote accedant, qua roboratae venialium culparum a se quotidie admissarum antidotum sibi comparare, vitamque gratiae tuae alere valeant, sicque magis magisque emundatae sempiternam in caelis beatitudinem consequantur. Amen ».

Dein vero post cantum hymni « Tantum ergo » populo benedictio SS. Sacramenti elargiatur.

2° Die vero dominica, quae postrema erit earumdem supplicationum, mane, more sueto, missa parochialis celebrabitur, in qua, habita a parocho homilia de evangelio dominicae infra

octavam solemnitatis Corporis Christi, quod optime consonat mysterio eucharistiae explanando, christifideles coniunctim de altari sancta libabunt; sin autem alia eligatur dominica extra praefatam octavam, loco homiliae in evangelium diei, concio fiat ad populum, qua ferventius ad eucharistiam in ipsa missa suscipiendam disponatur.

A meridie eaedem sacrae functiones iterentur, quae anteactis diebus sunt peractae. In concione tamen oratores ad ferventiorem erga sanctissimum sacramentum pietatem hortentur fideles, speciatim vero ad frequentiorem caelestis convivii participationem, iuxta probatam catechismi romani doctrinam, ut innuit s. Congr. Concilii memoratum decretum (*20 dec. 1905*) sub num. 6. Tandem, antequam hymnus « Tantum ergo » decantetur, hymnus Ambrosianus praemittatur.

Quo vero omnibus magis innotescat quam ardens sit desiderium Summi Pontificis frequentioris communionis promovendae maximopere ipse commendat, ut in curialibus etiam templis, prout quisque episcopus pro sua prudentia et sagacitate diiudicabit' saltem locum habeat ea pia exercitatio, quae in cathedralibus ecclesiis celebranda superius est proposita die dominica infra eamdem solemnitatis Corporis Domini octavam, vel alia in anno dominica.

Hisce autem piis exercitationibus ut alacrius intersint fideles, SS. Dominus noster indulgentias defunctis quoque applicabiles clementer elargitus est uti infra: nempe 1° septem annorum totidemque quadragenarum quolibet triduanarum precum die 2° plenariam semel in triduo lucrandam, die cuiuslibet arbitrii eligenda infra ipsum triduum, si eidem qualibet die devote affuerint, simulque sacramentali confessione expiati, sacram synaxim susceperint et ad mentem Sanctitatis suae pie oraverint; 3° plenariam die dominica ab omnibus acquirendam, qui confessi ad sacras epulas simul congregati accesserint in cathedralibus ecclesiis, vel etiam in curialibus, et uti supra preces effuderint ». *S. C. C. Indulg. 10 apr. 1907.*

Post hoc decretum plures episcopi SS. Domino supplicarunt ut loco dierum (a feria sexta ad dominicam), qui in decreto praescribuntur, alii pro sua dioecesi praestituerentur dies, quibus fideles suae curae commissi commodius supplicationibus praescriptis interesse poterant. Et SS. Dominus petitam gratiam benigne concessit remittens episcoporum arbitrio designationem aliorum dierum infra hebdomadam, quos ipsi commodiores pro suo populo iudicarent. *S. C. Indulg. 8 apr. 1908.*

Thyraeus P. De festo Corporis Christi; *Blaerus I.* De institutione festivitatis Corporis Christi; *Fisen B.* Origo prima festi Corporis Christi ex viso s. Virgini Iulianae oblato a 1212; *Dannhaver I. C.* Diss. de festo Corporis Christi; *Bebelius* De festo Corporis Christi; *Zwingerus I.* Lib. de festo Corporis Christi; *De Montargon H.* Histoire de l'institution de la fête du st. Sacrement.

Correctio fraterna. — Correctio fraterna est admonitio, qua quis ex caritate alium a peccato revocare conatur. Cfr. S. Th. *in IV. d. 19. q. 2.* 1632

a. 1; 2.2. q. 33. a. 1. Ea proprie spectat peccata praeterita.

Datur verum *praeceptum* correctionis fraternae, quod obligat ex iure naturali et divino positivo (Eccli. *XIX. 13. 14;* Matth. *XVIII. 15*), sed sub datis conditionibus; quae si adsint, et materia sit gravis, sub gravi, secus sub levi obligat. S. Th. *2. 2. q. cit. a. 2. c. et ad 3.* Conditiones autem huiusmodi hae sunt: si non videatur probabile, fratrem se sua sponte emendaturum (Laymann *Th. mor. lib. II. tract 3. cap 7. n. 2*); si desit alius, qui eum corrigat; si probabile sit, correctionem erranti profuturam. Suarez *de praec. corr. frat. d. VIII. s. 3. n. 3;* S. Alph. *II. 39.* Hinc locum habet in ignorantia vincibili; et in invincibili (quamvis tunc proprie sit commonitio) ob damnum tertii, ipsiusmet ignorantis, ob scandalum, Dei honorem, religionis irreverentiam.

Privati inter se *raro* ad correctionem tenentur, saltem sub gravi. G. B. *I. 233;* Scavini *Th. mor. II. tr. 8 c. 1. a. 2. n. 905.* Scrupolosi ordinarie excusantur ab hac obligatione, quia generatim inepti sunt ad eam implendam.

Ad eam rite faciendam debent seligi tempus, locus, aliaque adiuncta.

1633 In communitatibus expedit, ut ordinarie fiat per superiorem, qui tamen denuntiatione sibi facta *evangelice,* ut dicitur, uti nequit ad procedendum ut iudex. Ex regula tamen ordinaria prius facienda est ab eo, qui delictum cognoscit, cum delinquente secreto, postea cum ipso delinquente, adhibitis duobus vel tribus testibus; tandem, si nulla sequatur emendatio, delinquens denunciandus est praelato. Notanda autem hic est doctrina Sancti Thomae quoad hoc: « Si [in criminibus] procedatur per denunciationem, tunc debet praecedere fraterna admonitio; quia finis huius est emendatio proximi, et ideo servari debet ordo fraternae correctionis. Utrum autem statim, quum quis scit fratrem suum peccasse, debeat denuntiare praelato, dico quod in istis distinguendum est de conditionibus subditi et praelati. Nam si scio, quod frater per me corrigetur, ego tunc non debeo hoc denuntiare praelato. Si autem videtur, quod hoc melius fiat per praelatum, et praelatus nihilominus sit pius, discretus et spiritualis, non habens rancorem seu odium adversus illum subditum, tunc licite potest hoc denuntiare sibi, et tunc non dicit ecclesiae; quia non dicit ei sicut praelato, sed sicut personae proficienti ad correctionem proximi et ad emendam. Sed quia propter conditiones diversas praelatorum et subditorum non potest in hoc dari generale iudicium, quia aliquando *vel praelatus movetur ad odium adversus subditum, vel subditus non bene ferret verba praelati:* ideo tenendum est hoc pro regula, quod in omnibus istis semper servanda est caritas et quod melius et magis expedire videtur, et si hoc intendat, scil. emendam proximi, et servet, quantum potest, bonum caritatis, tunc denuntiando non peccat; si vero denuntiet cuicumque personae hoc ex malitia, et ut proximus confundatur vel deprimatur, tunc denuntians vel accusans peccat mortaliter ». *Quodl. XI. a. 13.*

1634 Correctio autem. si peccatum sit occultum, nec ex eo damnum alicui sit secuturum, secreto facienda est, ne scilicet delinquens ob amissionem famae ex correctione publica factam, peior forte evadat. Ad faciendam autem correctionem non debet nec potest quis inquirere.

1635 Correctionem debent etiam, et praecipue, parentes filiis, quae tamen sit moderata et prudens. *Prov. XIII. 24, XXIII. 14; Eph. VI. 4.* Hinc graviter peccant parentes vel nimia indulgentia filios corrigere negligentes, vel gravioribus poenis in eos animadvertentes. S. Alph. *II. 40.*

1636 **Craniotomia.** — In scholis catholicis tuto doceri non potest licitam esse operationem chirurgicam, quam craniotomiam appellant; et quamcumque aliam chirurgicam operationem directe occisivam foetus vel matris gestantis. Sic respondit Congr. S. U. I. *28 maii 1884 et 19 aug. 1889.*

Circa hoc propositus est Sacrae Congregationi Univ. Inquisitionis sequens casus: « Titius medicus, quum ad praegnantem graviter decumbentem vocabatur, passim animadvertebat, letalis morbi causam aliam non subesse praeter ipsam praegnationem, hoc est foetus in utero praesentiam. Una igitur, ut matrem a certa atque imminenti morte salvaret, praesto ipsi erat via, procurandi scilicet abortum seu foetus eiectionem. Viam hanc continuo ipse ineibat, adhibitis tamen medicis operationibus, per se atque immediate non quidem ad id tendentibus, ut in materno sinu foetum occiderent, sed solummodo ut vivus, si fieri posset, ad lucem ederetur; quamvis proxime moriturus, utpote qui immaturus omnino adhuc esset. — Iamvero lectis, quae die 19 augusti 1889 Sancta Sedes ad Cameracensem archiepiscopum rescripsit: " tuto doceri non posse licitam esse quamcumque operationem directe occisivam foetus, etiamsi hoc necessarium foret ad matrem salvandam, " dubius haeret Titius circa liceitatem operationum chirurgicarum, quibus non raro ipse abortum hucusque procurabat, ut praegnantes graviter aegrotantes salvaret. - Quare, ut conscientiae suae consulat, supplex Titius petit, utrum enuntiatas operationes in repetitis dictis circumstantiis instaurare tuto possit ». Et Sacra Congregatio respondit: « Negative, iuxta alia decreta, diei scilicet 28 maii 1884 et 19 augusti 1889 ». *S. U. I. 24 iul. 1895.*

Capellmann De occisione foetus; *Pennacchi I.* De abortu et embryotomia; *Neyer W.* Ist die Kraniotomie erlaubt?; *Bergewoort* Abortus und Kraniotomie; *Sippel F.* Ueber die Berechtigung der Vernichtung des kindlichen Lebens zur Rettung der Mutter; Omnes theologi morales quando de quinto decalogi praecepto.

Credita. — Credita quae sint difficilis solutionis, et probabilius, iuxta praxim hodiernam etiamsi certae sint, vilius emi possunt ob anticipatam solutionem, etiamsi emptori, ob circumstantiam sibi specialem, facillimae solutionis sint. G. B. *I. 894 sqq.* Vid. *Emptio, Venditio.* 1637

Creditores. — Creditores alii sunt privilegiati, alii hypothecarii, alii communes. Quoad ordinem restitutionis, ante omnia satisfieri debet privilegia- 1638

tis, deinde hypothecariis, postea habentibus privilegium generale (quod apud nos attingit fere expensas ad iudicia et ad funera, nec non quasdam necessarias expensas ultimo semestri vitae debitoris factas, *C. C. a. 1956*), deinde communibus. *C. C. aa. 1963. 2092.*

Probabilius debita ex delicto non sunt solvenda prius, quam debita ex contractu. S. Alph. *III. 688;* cfr. Lugo *de iust. et iure d. XX. n. 36;* Lessius *de iust. et iure l. II. c. 15. n. 16.* Sed ea, quae sunt ex titulo oneroso, solvi debent ante illa, quae ex gratuito sunt. S. Alph. *III. 689.* Nec necessario praeferendi sunt creditores pauperes divitibus; nec tempore priores posterioribus. Lessius *de iust. et iure l II. c. 15 n. 44;* Laymann *de restit. XI. 6:* S. Alph. *III. 690;* D'Ann. *II. 193 (32).*

Vanderani P. Tract. de privilegiis creditorum; *Mylius O. F.* Tract. de creditorum praelationibus in octo classes distinctus; *Lorioti P.* De debitore et creditore; *Baetiae G.* De debitore inope; *Hommanni H.* Disp. monetarum in discussione crediti et solutionis; *Meyer H.* Tract. de praeferentiis creditorum; *Born H.* Disp. de iure illius, cuius pecunia creditor alterius fuit dimissus; *Bolfrasi G.* Tract. duo de pignoribus et privilegiis creditorum; *Springsfeld G. H.* De concurrentium creditorum praerogativa; *Manzi G.* Praeludium belli civilis inter rigorosos creditores et calamitosos debitores super censibus et pensionibus decursis; *Rodriguez A.* Tract. de concursu et privilegiis creditorum in bonis debitorum etc.; *Walther I.* Disp. de creditorum iure successionis in locum anteriorum: *Acosta N.* De privilegiis creditorum tract. absolutissimus; *Richter Chr. A.* Tract. de iure et privilegiis creditorum; *Carpzovius A. B.* De revocandis his, quae in fraudem creditorum alienantur; *Haberkornius H. P.* Processus, concursus et praelationes creditorum. Vide etiam bibliographiam sub *Debitores.*

Credo. — Credo dicitur post evangelium in omnibus dominicis per annum, etiamsi in illis fiat de festo, in quo alias non diceretur, vel dominica vacet. In tribus missis de Nativitate Domini et deinceps usque ad octavam S. Ioannis apostoli inclusive. In Epiphania et per octavam. Feria quinta in coena Domini. In Paschate resurrectionis et per octavam. In Ascensione Domini et per octavam. In Pentecoste et per octavam. In festo Corporis Christi et per octavam. In omnibus festis B. Mariae et per octavas. In festis duodecim Apostolorum et Evangelistarum et per octavas. In utraque cathedra S. Petri et in festo S. Petri ad vincula. In festis Conversionis et Commemorationis S. Pauli apostoli. In festo S. Ioannis ante portam Latinam. In festo S. Barnabae apostoli. In festis Inventionis et Exaltationis S. Crucis. In festo Cordis Iesu. In festo pretiosissimi Sanguinis, et in Transfiguratione Domini. In festis Angelorum. In festis S. Iosephi Sponsi B. M. V. In festo S. Mariae Magdalenae. In festis quatuor Doctorum, videlicet Gregorii, Ambrosii, Augustini, et Hieronymi; additis festis S. Hilarii, S. Francisci Salesii, S. Petri Damiani, S. Thomae de Aquino, S. Isidori, S. Leonis I papae, S. Anselmi, S. Bonaventurae, S. Alphonsi M. de Ligorio, S. Bernardi et S. Petri Chrysologi. Item in festis Ss. doctorum Athanasii, Basilii, 1639

Cyrilli Alexandrini, Cyrilli Hierosolimitani, Gregorii Nazianzeni, Ioannis Chrysostomi et S. Ioannis Damasceni. In die octava S. Ioannis Baptistae et S. Laurentii. In festo Omnium Sanctorum et per octavam. In dedicatione basilicae SS. Salvatoris et SS. Apostolorum Petri et Pauli. In anniversario dedicationis propriae ecclesiae et per octavam. In die consecrationis ecclesiae vel altaris. In festis sanctorum, quibus dedicata est ecclesia, et ubi habetur corpus vel insignis reliquia sancti, de quo agitur. In die creationis et coronationis summi Pontificis, et in anniversario eiusdem diei. In die et in anniversario electionis et consecrationis episcopi. Item in omnibus festis, quae in dominicis et infra octavas celebrantur, in quibus, ratione dominicae et octavae, dici debet. Item in festo patroni alicuius loci vel tituli ecclesiae (non autem alicuius cappellae vel altaris), et in festis principalibus ordinum et per eorum octavas in ecclesiis tantum illius ordinis. - Item dicitur Credo in missis votivis, quae solemniter pro re gravi vel pro publica ecclesiae causa celebrantur, etiamsi dicantur in paramentis violaceis in dominica. Rubr. gen. miss. *tit. XI.* Attamen extra dominicam in votivis etiam solemnibus, quae dicuntur in colore violaceo, omittitur Credo. *S. R. C. 13 febr. 1666 n. 4* (*1333*). Vid. *Votiva missa.*

In missa solemni vel cantata, quando a rubricis praescribitur, Credo cantari debet (*S. R. C. in Conimbricen. 14 apr. 1753 ad 2* [*2424*]), neque omitti potest eius cantus, etiamsi agatur de missis cantatis in diebus feriatibus ad petitionem fidelium (*S. R. C. in Lucionen. 29 dec. 1884 ad 11* [*3624*]); cantandum autem est integre, etiamsi pulsetur organum (*S. R. C. in una S. Marci 7 sept. 1861 ad 15* (*3108*); *decret. gen. 22 maii 1894* [*3827*]); et contraria consuetudo modulandi Credo sub organo alternatim sine vocibus est abusus omnino eliminandus. *S. R. C. in Seguntina 10 mart. 1657* (*1023*). Credo in missa solemni, si in eadem habeatur concio, dici debet post concionem, non ante, iuxta rubricas missalis et consuetudinem ecclesiae Romanae; et dum cantatur, celebrans et ministri sedere possunt (*S. R. C. in Oscen. 16 mart. 1591 ad 6 et 8* [*9*]), et debent. *S. R. C. in Perusina 15 ianuar. 1611* (*290*). Celebrans autem et ministri ad altare, dum a choro cantatur, recitare debent Credo non alternatim, sed totum omnes, non praeveniendo, nec sequendo, sed concomitanter. *S. R. C. in Urgellen. 22 apr. 1871 ad 5* (*3248*). Et hoc observandum est etiam, quum circuli apud episcopum missae solemni paratum vel cum cappa interessentem fiunt. *S. R. C. in Tarraconen. 7 ian. 1880 ad 1* (*3507*).

Crematio. Quoad cremationem, 1640
quam recentiores impii surrogare student ecclesiasticae consuetudini (imo etiam antiquarum aetatum longe generaliori mori) defunctos sepeliendi, sequentia decreta notanda sunt. Non est licitum nomen dare societatibus, quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera, nec mandare, ut sua aliorumve corpora comburantur; ita ex decreto S. U. I. *19 maii 1886;* quod decre-

tum SSmus. Dnus. Leo XIII approbavit et confirmavit mandavitque cum locorum ordinariis communicandum, ut opportune instruendos curarent christifideles circa detestabilem abusum corpora cremandi, atque ab eo gregem sibi concreditum totis viribus deterrerent.

Si crematio notorie non propria sed aliena voluntate fiat, sacri ritus et suffragia possunt adhiberi tum domi tum in ecclesia, non tamen usque ad cremationis locum: si vero fiat propria voluntate, deneganda est ecclesiastica sepultura. *S. U. I. 15 dec. 1886.* In casibus difficilioribus consulendus est episcopus. *S. U. I. decr. nuper cit.*

Non licet sacramenta ministrare fidelibus, qui, etiamsi nulli sectae adhaereant, et quacumque ratione moti, sua corpora cremari mandant, si moniti in suo proposito perseverent (quamvis monitio haec non semper sit facienda); nec pro his vel pro aliis quibuscumque, quorum corpora non sine eorum culpa cremata sunt, licet publicum missae sacrificium offerre, quamvis privatim liceat. Nec licet umquam formaliter crematioui cooperari mandato vel consilio. Tolerari vero aliquando potest materialis cooperatio, dummodo crematio non habeatur pro signo protestativo massonicae sectae, et nihil in ipsa contineatur, quod per se directe atque unice exprimat reprobationem doctrinae catholicae et approbationem sectae, neque constet officiales et operarios catholicos ad opus adstringi vel vocari in contemptum catholicae religionis. *S. U. I. 27 iul. 1892.*

Trusen Die Leichenverbrennung; *Küchenmeister* Üb r d. Leichenverbrennung; *Küchenmeister* Die Feuerbestattung; *Wernher A.* Die Bestattung der Toten; *Scurati* La cremazione e l'umazione; *Faucieux* La crémation; *Fuchs G. F.* Grab oder Urne?; *Hornstein* La crémation; *Sartorius K.* Die Leichenverbrennung innerh. d. christ. Kirche; *Lemb* Die Bestattung der Todten; *Marty R.* Die moderne Leichenverbrennungsfrage i. Lichte ihr. eig. Gesch.; *Hermes* Art. Grab im Kirchenlex.; *Scherer W.* Die Feuerbestattung vom Standpunkt des geltenden Rechts; *Hopmann* Art. Begräbnisswesen in Staatslex. d. Görres-Gesellsch.; *Permaneder u. Kreutzwald* Art. Kirchhof im Kirchenlex.; *Schütz* Art. Leichenverbrennung im Kirchenlex.; *Eula D.* La cremazione in rapporto alla medicina legale; *Vix E.* Die Totenbestattung i. vorgesch. u. gesch. Zeitni Gegenwart u. Zukunft; *Lasson G.* Das kirchl. Begräbnis u. d. Leichenverbrennung; *Möller H.* Warum begraben wir unsere Toten?; *Palmieri* Tract. theol. de novissimis § 14.

Crimen. — **De impedimento criminis.** — ***Generalia.*** — Impedimentum criminis, quod est matrimonium dirimens, tripliciter exsurgit: nempe ex adulterio, ex homicidio coniugis, ex utroque simul, modo certae concurrant conditiones. Cfr. *tit. 7. lib. IV. Decr.* 1641

De impedimento criminis ex adulterio tantum. — Ut ex adulterio tantum habeatur impedimentum, requiritur adulterium cum promissione matrimonii; quae tamen duo fiant, stante eodem coniugio. 1642

a) Adulterium vero hoc, ex quo exsurgit impedimentum, debet esse *verum,* idest materialiter talè, non solummodo existimatum (*c. 4 de eo*

qui duxit etc. X. [IV. 7]; Schmalzgrueber *in hunc tit. n. 35 sqq.*); *formale ex utraque parte,* idest, ut uterque sciat alterutrum esse coniugatum (*cc. 1. 7. tit. cit. X;* Sanchez *de matr. lib. VII. d. 79. n. 30*); et *consummatum* per copulam carnalem perfectam, quod tamen in foro externo semper praesumitur. Sanchez *l. c. n. 2;* Feije *de impedim. et disp. matr. n. 450.*

Quid autem si uterque adulter sit coniugatus, scilicet et Titius et Caia; Caia autem nesciat Titium coniugatum, imo putet solutum? Et adulterium hoc sufficit ad impedimentum producendum, quia sufficit, Titium scire Caiam esse coniugatam. Gasparri *de matrim. I. 736.* Quid vero, si dubitetur utrum una pars fuerit coniugata, altera parte certo soluta exsistente? Ut ecce si Caia certo est coniugata, at dubitetur utrum vivat adhuc Titius maritus? Et impedimentum exsurgit, quia Titius vivere praesumitur, donec probetur eum esse mortuum. Sanchez *l. c. n. 36.*

Hinc ignorantia invincibilis matrimonii in altera parte exsistentis, imo et ignorantia vincibilis, leviter tamen culpabilis, excusant ab impedimento. Ignorantia autem affectata non excusat. An excuset ignorantia vincibilis, graviter culpabilis, disputant doctores. Schmalzgr. *loc. cit. n. 11;* Sanchez *loc. cit. n. 38.*

b) Debet praeterea adulterio accedere promissio (non tantum desiderii vel propositi manifestatio), eaque seria, idest cum animo se obligandi (quamvis in foro externo, tum ficta promissio, tum ficta acceptatio pro seriis habeantur, nisi contrarium probetur), sive praevia, sive simultanea, sive subsequens matrimonii, probabilius mutua. Schmalzgr. *l. c. n. 8. sqq.;* Feije *l. c. n. 451.* Attamen in foro externo, si altera pars taceat, praesumitur acceptatio, et proinde impedimenti exsistentia. Cfr. *cc. 6. 8. tit. cit. X.*

Quid, si Titius nesciens Caiam coniugatam, eidem matrimonium promisit, et postea, matrimonio Caiae cognito, adulterium commisit? Et si, cognito matrimonio, promissionem renovavit, certe exsurgit impedimentum; secus, disputatur. Sanchez *l. c. n. 32;* D'Ann. *III. 439;* Gasparri *loc. cit. I. 737.*

c) Haec duo, adulterium nempe et promissio, fieri debent stante eodem coniugio. *c. 6. 7. 8. tit. cit. X.* Quare, si duo adulterium committunt, scilicet Titius coniugatus et Caia, promissio autem matrimonii non habeatur, nisi mortua iam Titia Titii uxore, impedimentum non exsurgit.

Si qui vero promissionem iam factam et acceptatam ante patratum adulterium revocaverint, nec post adulterium reiteraverint, impedimento criminis non subiacent. Schmalzgr. *l. c. n. 12. sqq.* Notandum etiam est, relate ad contrahendum hoc impedimentum promissioni aequiparari veram attentationem matrimonii. *cc. 2. 4. 5. 8. tit. cit. X.; S. C. P. F. 14 ian. 1884.*

De impedimento criminis ex homicidio tantum. — Ut homicidium solum istud impedimentum producat, requiritur mutua conspiratio, mors realiter secuta et intentio matrimonii. 1643

a) Et imprimis debet haberi mutua

conspiratio seu machinatio in mortem coniugis (scilicet veri coniugis, non tantum existimati) sive ea fiat per physicam sive per moralem (ut ecce vi mandati [etsi mandatum fuerit revocatum, sed revocatio homicidae non innotuerit], precum, adhortationis etc.) cooperationem. *c. 1. de convers. infid. X.* (*III. 33*).

b) Requiritur etiam mors realiter secuta, ex ipsa machinatione, non autem ex imperitia medici, etc. Feije *loc. cit. num. 453.*

c) Tandem haberi debet intentio contrahendi matrimonium cum socio homicida (*cc. 3. 6. tit. cit. X.* [*IV. 7*]), quamvis non sit necesse, ut intentio haec ex utraque parte adsit, sed verius oporteat eam externe utcumque innotescere, saltem certis indiciis (ut muneribus, familiaritate, epistolis amatoriis etc.). S. Alph. *VI. 1083 sqq.*; Feije *l. c. n. 453.* Nonnulli tamen contrarium sentiunt, putantes hanc intentionis manifestationem non esse necessariam. Schmalzgr. *l. c. n. 55;* Sanchez *de matr. libr. VII. d. 78. n. 14;* et alii citantes *Instr. datam a S. C. C. in causa Ulyssiponensi 28 sept. 1726* (Conc. Trid. ed. Richter *p. 268*).

Omnes autem admittunt, non esse sufficientem facti ratihabitionem, ut ecce, si Titius occidit Caiam coniugem, ut Titiam uxorem duceret, idque Titiae renunciavit, Titiaque de morte illata Titium laudavit, impedimentum non exsurgit. Gasparri *de matr. I. 733.*

1644 ***De impedimento criminis ex utroque simul.*** — Si adulterium (iis qualitatibus ornatum, quas superius recensuimus) simul intervenerit et homicidium intuitu matrimonii, ad impedimentum nec promissio matrimonii nec mutua conspiratio in coniugicidium requiritur. *cc. 3. 6. tit. cit. X.* (*IV. 7*). Nec in hoc casu necesse est, ut intentio matrimonii contrahendi fuerit externe manifestata. Cfr. *Instr. cit. S. C. C. in causa Ulyssiponensi 28 sept. 1726;* Feije *l. c. n. 454.*

De ignorantia impedimenti. — An 1645 ignorantia huius impedimenti liberet complices ab impedimento incurrendo necne, disputant doctores. Certo haec ignorantia in foro externo nemini suffragatur, ut constat ex praxi Datariae apostolicae et S. Poenitentiariae, quae semper absolute, non tantum ad cautelam, dispensationes super hoc impedimento concesserunt etiam stante ignorantia impedimenti. Imo verius videtur, ne in foro quidem interno eam quempiam iuvare quum hoc impedimentum secundario tantum habeat rationem poenae vindicativae, primario autem inductum sit propter indecentiam his matrimoniis naturaliter inditam. Cfr. quoad hoc G. B. *II. 600* (*2*).

De dispensatione ab impedimento. — 1646 Dispensatio ab impedimento criminis, quocumque ex capite proveniat, concedi potest, sed ab uno rom. Pontifice; et rom. Pontifex nunquam dispensat in casu impedimenti orti ex publico coniugicidio, sive altero tantum, sive utroque coniuge mortem machinante.

Ad praxim dispensationis petendae multum iuvant ea, quae adnotat Gasparri *loc. cit. I. 740*, scilicet: « Ex hucusque dictis apparet, hoc impedimentum multiplicari tum ratione de-

licti, tum ratione matrimonii. In primis suppone Titium tantum esse coniugatum cum Sempronia. Promittens Caiae matrimonium post suae uxoris mortem, cum ea commiscetur, deinde matrimonium attentat, tandem Semproniam interficit, ut Caiam ducat; iam triplici impedimento arcetur a coniugio cum complice. Et si Titius non unum tantum, sed triplex matrimonium inivit successivum cum Sempronia, Francisca, Lucretia, et in unoquoque fingatur triplex illa hypothesis, seu Titius Caiam cognoscit cum promissione matrimonii, deinde matrimonium attentat, tandem uxorem occidit ad Caiam ducendam, iam torent novem impedimenta. Modo suppone et Titium coniugatum esse cum Sempronia, et Caiam cum Maevio, et utrumque alterius ligamen agnoscere: etiam impedimenta duplicantur propter iniuriam duplici matrimonio illatam et periculum duplicis coniugis innocentis. Hinc si Titius cognoscit Caiam cum promissione matrimonii, post mortem utriusque eorum coniugis sunt duo impedimenta; si praeterea matrimonium cum Caia attentat, sunt quatuor; si tandem et Semproniam et Maevium interficit, ut nuptias cum Caia conciliare possit, sunt sex. Quod si Titius et Caia plura successiva matrimonia iniverunt, et in unoquoque plura crimina perpetrarunt, tu deberes eodem modo impedimentis addere impedimenta. Proinde, ut alias diximus, haec omnia necesse est exponere in instantia pro dispensatione obtinenda. At non multiplicatur impedimentum ex pluries repetito adulterio formali, aut promissione matrimonii saepius confirmata, constante eodem matrimonio ».

Quo iure vigeat hoc impedimentum. — Impedimentum criminis est semper et tantummodo iuris ecclesiastici; quare non afficit infideles. Quod non solum verum est, quum agitur de iis, qui deliquerunt in infidelitate, et in eadem adhuc consistentes ineunt matrimonium, sed etiam quum agitur de infidelibus, qui post delictum in infidelitate admissum, baptismum susceperunt. *S. C. P. F. 23 aug. 1852.* Attamen si delictum admissum fuerit a duobus, quorum unus infidelis alter christianus erat, etsi postea infidelis baptizetur, matrimonium contrahere sine dispensatione nequeunt. *S. C. P. F. decr. cit.* 1647

Impedimentum autem istud est impedimentum non iuris privati, sed iuris publici. Ex quo sequitur, ius accusandi valorem alicuius matrimonii, quod fuerit initum stante hoc impedimento, non esse tantummodo penes unum ex coniugibus, sed penes quemcumque. Instr. Card. Rauscher § *115;* cfr. *cc. 5. 6. qui matrim. etc. X.* (*IV. 18*). Imo iudex ecclesiasticus vel promotor fiscalis potest et debet ex officio procedere. *c. 3. de divort. X.* (*IV. 19*). Aut, si quis, ex. gr. Titius, vivente Caia coniuge, matrimonium contrahit cum Titia hoc ignorante, Caia mortua, ad eius petitionem non est separandus a Titia, nisi Titia divortium petat, sed compellendus est ad matrimonium cum Titia rite contrahendum. *c. 1. tit. cit. X.* (*IV. 7*).

C. XXXI. q. 1.; C. XXXII. qq. 4. 7.; tit. de eo qui duxit in matrim. quam polluit per adulterium X. (IV. 7); tit. de adulteriis et

stupro X. (V. 16); c. 1. de convers. infidelium X. (III. 33); Const. Ben. XIV « Redditae nobis » 5 dec. 1744; Comment. decretalium in tit. cit.; *Sanchez* De matr. lib. VII. disp. 16. 78. 79; *Bedel* Nouveau traité de l'adultère; *Gottschall* De adulterii poenis iure romano dissertatio; *Schultz* De adulterio matrim. impediente; *Revel* L'adultère; *Sieye* Traité de l'adultère au point de vue historique et juridique; *Bouché* Etude sur l'adultère au point de vue pénal; *Leitner* Lehrb. der k. Eherechts § 35; *Scherer* KR. § 125; *Rosset* De sacram. matr. III. 567 sqq.; *Feije* De imped. et disp. matr. n. 317 sqq.; *Esmein* Le mariage I. 384 sqq.: *Gasparri* De matr. I. 727 sqq.; *Wernz* Ius Decr. IV. 514 sqq.; *Freisen* Gesch. des can. Eherechts etc. § 56.

De crimine in quantum dicit delictum (*remissive*). - Vid. *delictum.*

Crimen criminosum. — Vid. *Communicatio cum excommunicatis.*

1648 **Cruciatae bulla.**— Pluribus fruuntur privilegiis ii, qui gaudent bulla dicta Cruciatae, quaeque pro aliquibus tantum locis data est. Ea tamen privilegia vide apud auctores, qui ex iis locis sunt, ubi ea viget. Hoc unum hic adnota, confessarios , tam seculares, quam regulares, quicumque illi sint, in vim bullae Cruciatae nullatenus posse audire poenitentes sine approbatione episcopi loci, in quo ipsi poenitentes degunt; neque ad hoc suffragari approbationem semel vel pluries ab aliis ordinariis aliarum dioecesium obtentam, etiamsi poenitentes illorum ordinariorum, qui tales confessarios approbassent, subditi sint; easque confessiones, quae fierent penes sacerdotem non approbatum ab episcopo loci, in quo poenitens degit, esse nullas. *Const.* Inn. XII « Quum sicut » *19 apr. 1700*; *Const.* Ben. XIV. « Apostolica indulta » *6 aug. 1744.* Cfr. etiam quoad bullam Cruciatae decreta S. Cong. Inquisitionis *4 mart. 1891, 23 ian. 1901, 17 maii 1902.*

A Cruce Lud. Disputatio in tres bullas apostolicas, cruciatae, defunctorum et compositionis; *Gomez A.* Explanatio bullae cruciatae; *Rodriguez. E.* Esplicazione sopra alla bolla della santa crociata; *Fragosi* Op. omnia vol. 2; *Mendo A.* Bullae sanctae Cruciatae elucidatio.

Crucifixus. — Crucifixus (nec sufficit eius imago chartacea, sed debet esse imago metallica vel lignea vel eburnea aut ossea) requiritur in missa sub veniali. Rubr. miss. *p. 1. tit. 20;* S. Alph. *VI. 393.* Eminere debet inter candelabra, numquam autem ante ostiolum tabernaculi collocari potest; quamvis liceat eum collocare super ipsum tabernaculum, non autem in throno, ubi exponitur ss. eucharistiae sacramentum. Const. Ben. XIV « *Accepimus* » *16 iul. 1746*; *S. R. C. in Cuneen. 2 iun. 1883 ad 3* (*3576*); *in una ord. FF. Min. 11 iun. 1904 ad 4.* Non debet praeterea esse nimis parvus, atque ita esse debet elevatus ut celebrans et populus commode eum possint videre. *Const. cit.* Ben. XIV. *16 iul. 1746.* Si tamen in altari adsit magna statua crucifixi (idem dicas de imagine crucifixi in maiori tabula depicta) necesse non est aliam ponere crucem. *S. R. C. in Rossanen. 16 iun. 1663 ad 2* (*1270*); *17 sept. 1822 ad 7* (*2621*). Parva crux collocata super tabernaculum vel supra aliquam minorem tabulam sitam in medio altaris non sufficit. Cer. episc. *lib. II. c. 12;* 1649

S. R. C. decr. cit. 16 iun. 1663, 17 sept. 1822 (1621). Potest exponi et auferri, si missa celebratur ante sacramentum publice expositum. *S. R. C. in Aquen. 2 sept. 1741. ad 1 (2365).*

Tolerari vero nequit, tempore missae et officiorum, crucem et candelabra altaris, ne pulvere sordescant, aliquo panno vel velo obvolvi, et, loco crucis pretiosoris sic obtectae, poni in altari crucem quamdam minorem. *S. R. C. in Molinen. 12 sept. 1857 ad 11 (3059).*

Omnes, exceptis canonicis ecclesiae cathedralis, etiam in illis ecclesiis aut cappellis publicis, ubi in altari maiori non asservatur SS. Sacramentum, verum in actu functionis tantum, unico genu flectere debent ante crucem altaris maioris. *S. R. C. in Strigonien. 30 aug. 1892. ad 11 (3792).*

Cruces altarium seu processionum non sunt de praecepto benedicendae, sed benedicere eas potest privatim simplex sacerdos (*S. R. C. in una Urbis 12 iul. 1704* [*2143*]), qui debet uti formula benedictionis imaginum D. N. I. Ch. *S. R. C. in Briocen. 4 sept. 1880. ad 4. q. 2 (3524).*

1650 **Crucigerorum coronae.**— Quicumque utentes coronis benedictis per Crucigeros seu religiosos ordinis S. Crucis in Hollandia, ab eorum magistro generali ad id specialiter deputatos, (vel per alios, qui privilegium hoc obtinuerint a S. Sede, quae nunc facillime illud concedit) devote recitaverint orationem dominicam aut salutationem angelicam, lucrantur indulgentiam 500 dierum, quin opus sit ad eamdem lucrandam continuata oratione plures *Ave Maria* et multo minus integram tertiam partem rosarii aut integrum rosarium recitare. Recitantes autem rosarium ad has indulgentias lucrandas non tenentur meditari mysteria aliqua. *S.C. Ind. 15 mart. 1884 decr. conf. a Leone XIII.* Hae coronae, sicut et aliae, benedici rursus possunt a fratribus praedicatoribus et ditari indulgentiis rosarii S. Dominici, vel ab habente privilegium pro indulgentiis apostolicis; sed ad has diversas indulgentias lucrandas necesse est iterare opera praescripta. *S. C. Indulg. 29 febr. 1820.* Et hoc quidem valuit hucusque, sed nuperrime concessum est ut indulgentiae crucigerorum cum indulgentiis patrum praedicatorum in ipsa tantum rosarii recitatione cumulari possint, ita ut qui recitat rosarium cum corona, cui adnexae sint indulgentiae crucigerorum et rosarii s. Dominici, utrasque valeat lucrari. *S. C. Indulg. decr. 12 ian. 1907.*

Crux. — Crux defertur ante roma- 1651
num Pontificem quocumque terrarum se conferat in signum iurisdictionis; ante archiepiscopos vero defertur per totam provinciam, etiam in locis exemptis (*c. 2. de privilegiis etc.* [*V. 7*] *inter Clem.; S. R. C. in Theatina 13 iul. 1613* [*312*], *in Neapolitana 23 nov. 1675* [*1550*], *in Amalphitana 9 maii 1705* [*2153*]), nec solum quando ad ecclesiam pergit functiones sacras peracturus, sed quandocumque archiepiscopo placeat, dummodo non vehatur curru. *S. R. C. in Arboren. 18 sept. 1666. ad 1 (1342).*

In ducendis funeribus unica crux 1652
est elevanda (nisi aliter habeatur ex legitima consuetudine etc., *S. C. C.,*

29 febr. 1896); et, nisi interveniat aliquod capitulum sive cathedralis sive collegiatae, in quo casu crux capituli tantum est elevanda, elevari debet crux ecclesiae tumulantis, idest ecclesiae, ad quam cadaver defertur, et in qua sepeliendum est, nisi aliter ferat consuetudo. *S. R. C. decr. gen. 23 apr. 1895* (*3854*).

1653 Episcopi consecrati et cardinales omnes, ii quoque, qui charactere episcopali non sunt insigniti (*Mot. propr. Pii X 24 maii 1905*), utuntur semper et ubique cruce pectorali, in qua reconditur reliquia ss. crucis, quae reliquiae quum magis magisque in dies rariores fiant, Leo XIII episcopis commendatum enixe voluit, ut curarent has crucis reliquias ad successores, ipsis mortuis, transire; quod intelligendum est de solis ss. crucis reliquiis, non vero de thecis ex pretioso metallo in crucis formam affabre factis. *S. U. I. 25 mart. 1889.*

1654 Crux autem pectoralis in missa pontificali debet sumi ab episcopo post albam et cingulum iuxta dispositionem ceremonialis episcoporum (*lib. II c. 8. §. 14*), nec post assumptam casulam debet extrahi. *S. R. C. in Arboren. 14 iun. 1873. ad 1* (*3301*); *in una S. Iacobi de Chile 6 sept. 1895 ad 2* (*3873*). Possunt autem episcopi, non solum dioecesani, sed et titulares, crucem pectoralem gestare detectam ubicumque degunt. *S. R. C. in Romana 20 iun. 1899* (*4035*).

1655 Canonici vel beneficiati, quibus ab apostolica Sede concessum fuit privilegium gestandi cruces vel numismata aurea, non possunt ea palam deferre in paramentis sacris et in administratione sacramentorum. *S. R. C. 17 sept. 1822 ad 13* (*2621*).

Quoad reliquiam s. crucis, vide *Benedictio*, *Reliquiae*.

De cruce in processionibus deferenda, vid. *Processiones*.

Post ss. missiones, quas vocant, mos est erigere in loco, ubi missio data est, crucem, cui adnectuntur indulgentiae in favorem christifidelium, eam devote colentium. Porro, si crux primitus posita collapsa vel destructa fuerit, et nova loco prioris erigatur, non est necesse, novam habere concessionem indulgentiarum, dummodo nova crux erigatur eodem loco, quo prima exsistebat, idque fiat de consensu episcopi; sed tunc priores indulgentiae manent, seu reviviscunt. *S. C. Indulg. in Ratisbonen. 22 febr. 1888; in Albien. 20 iul. 1901.*

Cubicularii romani Pontificis. — 1665 Iuvabit hic afferre instructionem circa cubicularios romani Pontificis, quam maior domus palatii apostolici pro suo munere dedit. Ea est:

1° Cubicularius intimus allectus ad numerum (*cameriere segreto sopranumerario*), nec non cubicularius ornamentarius (*cameriere d'onore in abito paonazzo*) pertinent ad nobilem familiam Sanctitatis Suae, et gaudent titulo *monsignore*.

2° Habitus solemnis (*di formalità*) idem est pro utraque classe cubiculariorum ecclesiasticorum, et constat: *a*) veste talari violacea (*paonazza*), absque syrmate (*coda*), cum manicarum extremitatibus (*paramani*) altis 15 centimetris, cum foraminibus (*asole*), globulis (*bottoni*) et fimbria (*orlatura*) pariter ex violaceo serico;

b) zona serica violacea 12 centimetrorum latitudinis, quae habet duas extremitates pendentes a sinistro latere ad 50 centimetra, quaeque desinunt in duos floccos sericos eiusdem coloris; *c*) pallio talari (*mantellone*), quod veste talari superimponitur, cuius pars intima prima (*mostra*) sit ex serico violaceo ad 20 centimetra; *d*) collari serico violaceo; *e*) caligis nigris et calceis cum fibulis; *f*) pileo cum flocco nigro.

Textus (*drappo*) vestis et pallii hiemali tempore ex panno, aestivo ex serico est.

3° Pariter pro utraque classe cubiculariorum idem est habitus privatus seu civilis, et ille est, qui vulgo *pianus* dicitur. Constat: *a*) veste talari nigra, absque syrmate, cum foraminibus, globulis et fimbria ex serico violaceo; *b*) zona serica violacea 12 cm. latitudinis, quae habet extremitates e sinistro latere pendentes, parva lacinia (*frangia*) serica eiusdem coloris ornatas; *c*) magno pallio (*ferraiolone*) nigro laneo vel serico; *d*) collari serico violaceo; *e*) caligis nigris et calceis cum fibulis; *f*) pileo cum flocco nigro.

4° Habitu solemni utuntur, quum inserviunt ante cubiculum Pontificis (*nell'anticamera*) in pontificia diaeta, et in sacris functionibus; habitu vero *piano*, quum solemniter excipiuntur (*ricevimenti*), quum accedunt ad coetus ecclesiasticos aut civiles (*adunanze ecc.*), sive solemniter, sive private.

5° Quum sacris functionibus adest Sanctitas sua pontificalibus induta, aut fit adoratio per vices in expositione SS. Sacramenti in palatio apostolico, habitui solemni superimponitur crocea (*croccia*) seu ampla paenula lanea rubri coloris cum amplis manicis, quae ultra lacertum tantum ad brachium producuntur; huic autem vesti superinduitur cappa cum caputio ex lana rubra interius rubro serico, exterius vero pellibus mustellinis (*di armellino*) in hieme, et serico in aestate subsuta.

6° Cubicularii, qui ad aliquod capitulum pertinent, possunt sibi induere, si ipsis placeat, in choro, in sacris processionibus et in quovis actu capitulari vestem talarem violaceam, et zonam, eisdem superimponentes insignia, quae capitulo, cui adscripti sunt, fuerunt concessa; sedere autem et incedere debent, prout ipsis convenit antiquitatis (*anzianità*) aut cuiusvis alterius canonicae rationis causa, neque ex titulo *cubicularii* quodvis eis competit ius praecedentiae aut usus privilegiorum, quae propria sunt praelatis, uti ex. gr. palmatoriae, canonis, anuli, etc., semper autem manent subiecti iurisdictioni ordinarii.

7° Quum Sanctitas Sua e sua diaeta ad aulam quamdam aut cappellam palatii apostolici, ut consistorio aut sacrae cuidam functioni assistat, deducitur, ubi comitatus (*anticamera*) est duplex, tunc duo cubicularii ornamentarii habitu violaceo induti, qui inserviunt, praecedunt duobus cubiculariis intimis allectis ad numerum, qui pariter inserviunt. Secus cubicularius intimus allectus ad numerum et cubicularius ornamentarius aequo loco procedunt, eorumque primus de-

xtrorsum incedit. Quum vero pompa ducta Sanctitas Sua deducitur ad solemnes functiones, cubicularii intimi allecti ad numerum et cubicularii ornamentarii, quibus commissum non fuerit a diaetae pontificiae magistro aliquod speciale munus, comitatui intersunt, praeceduntque Sanctitati Suae proprio cuique classi loco.

8° Pertinet ad cubicularios intimos allectos ad numerum et ad cubicularios ornamentarios deferre duodecim fanalia (*torcie*), quum summus Pontifex cum Sanctissimo Sacramento benedictionem impertitur; gerere duo flabella, quum Sanctitas Sua hexaphoro (*sedia gestatoria*) defertur, et tentorii (*baldacchino*) hastas in pompis, in quibus Pontifex summus post SS. Sacramentum pedes incedit, sustentare.

9° In functionibus sacris, quibus adest summus Pontifex, cubicularii intimi allecti ad numerum et Cubicularii ornamentarii sedent promiscue in scamnis pro throno; in pontificalibus vero in gradibus eiusdem throni.

10° Quum monentur a diaetae pontificiae magistro cubicularii intimi allecti ad numerum et cubicularii ornamentarii inserviunt ante cubiculum pontificis in pontificia diaeta; et tunc, aperto semper capite, resident primi in secreto procoetone (*anticamera*), alii in procoetone honorario seu in aula throni; utrique praesto sunt magistro diaetae pontificiae in excipiendis et in detinendis, in suo quisque procoetone, iis, qui Sanctitatis Suae audientiam exspectant, deferunt nuntia, involucra, res benedicendas; cubicularius ornamentarius usque ad limen procoetonis secreti, cubicularius intimus allectus ad numerum intra eumdem. Contraria vero ratione se gerunt, si, ex procoetone secreto deferunt nuntia, involucra vel res benedictas.

11° Ut nomina cubiculariorum intimorum allectorum ad numerum et cubiculariorum ornamentariorum inserantur *Annuario Pontificio*, necesse est, ut quotannis, mense novembri nondum exacto, idipsum requiratur expresse a redactoribus eiusdem annuarii (Roma, Palazzo Vaticano).

12° Cubicularius intimus allectus ad numerum et cubicularius ornamentarius desinunt annumerari his honoratissimis coetibus, quum summus Pontifex, qui ipsos elegit, e vivis excesserit, et proinde frui desinunt, etiam titulo, privilegiis et usu vestis violaceae. Haec tamen deponitur solummodo post tumulatas Pontificis exsuvias.

Culpa. — Culpa alia est *theologica*, 1657
quae est peccatum formale sive grave, sive leve; alia *iuridica*, quae est omissio diligentiae, unde alteri damnum provenit, sive ea sit formale peccatum, sive non. Lugo *de iust. et iure disp. VIII. n. 26.* Sed malus effectus debet invite sequi; nam si non invite sequatur, et malus exitus non solum facile praevideri potuerit, sed et de facto praevisus sit, et tamen causa posita est, habetur culpa theologica dolo proxima. D'Ann. *I. 297.*

Culpa autem iuridica alia dicitur 1658
lata, alia *levis*, alia *levissima*, prout deficit a diligentia, quam desidiosus, solers, prudentissimus paterfamilias

in suis rebus adhibet. Exemplum culpae latae est, si librum meum tibi commodatum reliquisti extra ostium cubiculi. Culpa levis est, si posuisti in cubiculo, sed illud non clausisti. Culpa levissima est, si clausisti ostium, sed non tentasti postea, ut probares, an esset clausum, et vere non fuit clausum. Lugo *l. c.*; Navarrus *Man. c. XVII. n. 178.*

1559 Qui culpa iuridica deliquit, ait D'Annibale (*loc. cit.*), in foro exteriori (seu civili seu canonico) aliquatenus reus habetur, si culpa fuerit lata (*ex l. 11 de incend.*; *c. 5. de iniur.*), sive quia in doli suspicionem incidit (*ex l. 7 ad leg. Cornel. de sicar.*; *l. 226 de verb. sign.*), seu potius, quia mali exempli reus est (*l. 38. § 5 de poenis*; *c. 7 de poenit.*); in interiori non item (Lugo *de iust. VIII. 51*; S. Alph. *III. 550*; quamvis actio ex alio capite sit illicita), quia culpa magis in casum recidit (*ex cc. 9. 13 de homic.*; Lugo *n. 107*; Regin. *10. 59.* Scilicet casus est eventus, cui non potuit occurri; quis autem occurrere potest ei rei, de qua non cogitat? Ideo casus et culpa nonnumquam in iure quoque civili promiscue accipiuntur. — *ll. 9. 11 de incend.*).

Burgundi N. Comm. de periculis et culpis in contractibus; *Seraffini G. G.* La colpa e la riparazione; *Cheroni G. P.* La colpa nel diritto civile odierno; *Fromageot* De la faute comme source de la responsabilité en droit privé.

Cultus disparitas. — Vid. *Disparitas cultus.*

1660 **Cultus prohibiti.** — Prohibiti et damnati sunt cultus et tituli sequentes: *Cor Iesu poenitens*; *Cor Iesu poenitens pro nobis*; *Iesu poenitens*; *Iesu poenitens pro nobis. S. U. I. 15 iul. 1893.*

Pariter S. Congr. S. Univ. Inquisitionis respondit non esse approbandum titulum *de Interiore B. V. M.*, quem assumere intendebat novum quoddam sororum institutum. *S. U. I. 13 dec. 1893.*

Cultus cordis S. Iosephi reprobatus fuit a Gregorio XIV, et prohibita fuerunt numismata, quae una cum cordibus Iesu et Mariae exhibebant etiam cor S. Iosephi. *S. R. C. in Nanneten. 14 iun. 1873 (3304).* Cfr. Bucc. *Enchirid. n. 460.*

Cumulatio. — Cumulatio beneficiorum vetita est; nam generalis regula est, singula beneficia singulis conferenda, non plura uni. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 17 de ref.* Sunt tamen exceptiones, et quidem de iure ordinario, quum unum beneficium insufficiens sit ad honestam sustentationem (haec autem insufficientia prudentis iudicis arbitrio definienda est, Santi *in tit. 5 lib. III Decr. n. 81*; Conc. Trid. *l. c.*); tunc tamen alterum beneficium debet posse componi (esse compatibile) cum primo (qualia non essent duo beneficia residentialia, Conc. Trid. *l. c.*), nec non duo tantum et non plura debent eidem conferri beneficia. *S. C. C. 13 maii 1651, 14 nov. 1654.* Cfr. Bened. XIV *Inst. eccl. XCI.* De iure extraordinario datur aliquando exceptio ex ecclesiae utilitate vel necessitate, ex praerogativa meritorum in beneficiato, et aliis huiusmodi de causis. Cfr. *c. 28 de praeb. et dign. X. (III. 5)*; *c. 4 eiusd.* 1661

tit. (*III. 2*) *inter Xvag. comm.* - Quum quis etiam extra culpam duo beneficia incompatibilia pacifice possederit, prius beneficium ipso iure vacat (Conc. Trid. *sess. XXIV c. 17. de ref.*); si culpa intercesserit, ita ut quis velit utrumque retinere, utroque privatur. Conc. Trid. *sess. VII c. 4. de ref.*

Quoad cumulationem dispensationum, Vid. *Dispensatio.*

Curator. — Curator ille est, cui est potestas seu munus administrandi bona eorum, qui vel ob aetatem vel ob mentis corporisve vitium rebus suis praeesse non possunt. Inter tutelam autem et curationem seu curatelam hoc praecipue interest, quod tutela est potestas in capite libero idest in persona pupilli, curatio vero, nisi illa furiosi sit, rei et causae datur. *Inst. Iust. qui testam. tutor. dari possunt* (*I. 14*); *ll. 12. 13. 14, de testamentaria tutela D.* (*XXVI. 2*). Quod quidem probe intelligendum esse recte monet Gasparolo (*Ius civile romanum I. § 96*); «non enim (hoc principium: tutor personae, curator rei datur) significabat, quod tutor super personam pupilli invigilare deberet et curator super bona puberis; nam prorsus contrarium contingebat. Revera tutoris officium erat incumbere potius patrimonii administrationi, persona pupilli educanda tradebatur parentibus aut aliis personis, a patre vel a magistratu designatis; curatoris vero officium saepius erat super personam quoque curandi invigilare ut sanitatem a morbo consequeretur. Significabat verius quod tutor auctoritate sua personam pupilli complere deberet, dum curator non vocabatur ad aliquam per se imperfectam personam complendam, quia curandus, quatenus pubes, perfecte capax erat». Praeter hanc differentiam, aliae duae commemorari possunt; prima est quod tutela respicit impuberes, cura autem generatim puberes; altera quod tutela non magistratu tantum sed etiam lege aut testamento, cura autem solummodo magistratu deferebatur.

Cavalcani Tract. de tutore et curatore; *Gothofredi D.* Disp. in materia de pupillis; *Burchardi I.* Patrocinium pupillorum; *Galterius I.* Praxis tutelaris; *Galganetti L.* Tract. absolutiss. de tutela et cura, tutoribus et curatoribus; *De Caldas F.* Comm. analyticus ad leg. Si curatorem habent. Cod. de inintegr. restit. minorum; *Stenglin Z.* De pupillorum patrocinio; *Herndle I.* Tract. de pupillis; *Lyser Ch.* Mulierum curator saxonicus; *Decker* De pupillo infante maiore; *Schroers* Instit. tutorum et curatorum german.; *Mauli F. A.* Tract. theor.-pract. de tutelis, curatoribus et curis; *De Luca I. B.* De tutoribus, curatoribus etc. (in Theatr. verit. et iust. vol. 7); *Simonis I. G.* Iura pupillorum; *Martini L.* Tract. de substitutione pupillari; *Montanus P.* De iure tutelarum et curationum tract.; *Paletti P.* La tutela e le curatele nelle preture mandamentali e comunali.

Curia romana. — Pontificia romana 1663
curia comprehendit omnia ea δικαστήρια, quibus romanus Pontifex utitur ad ea pertractanda et decidenda negotia sive contentiosa sive gratiosa, quae sive universam ecclesiam respiciunt sive particularem romanam ecclesiam, quamvis curiae nomen in strictiori sensu ad priora tantum δικαστήρια non immerito restringatur.

Hinc est, quod, quum Cardinalis De Luca in suo opere, cui titulus « *Relatio curiae rom. forensis* » agat etiam de Cardinali Urbis Vicario et de aliis, quae episcopatum urbis concernunt, imo de quibusdam etiam, quae ipsum civilem romani Pontificis principatum spectabant, constitutio « Sapienti consilio », nonnisi ea δικαστήρια spectat, quae ad ecclesiam pertinent universalem.

Curia haec romana varias passa est vicissitudines., quarum ultima ea est, quam curia subiit nuperrime per constitutionem « Sapienti consilio » 29 iun. 1908.

1664 Huius constitutionis hae praecipue fuerunt rationes, quas Ssmus. Dominus in eadem explicat, scilicet iurisdictionem singulis congregationibus tributam seu earum competentiam nec omnibus perspicuam nec bene divisam progressu temporis evasisse, quum « Ss. Congregationum numerus, pro rerum ac temporum necessitatibus modo auctus est, modo deminutus; atque ipsa iurisdictio unicuique congregationi primitus attributa modo novis Romanorum Pontificum praescriptis, modo usu aliquo sensim inducto ratoque habito, mutationibus obnoxia fuit » (ita proaem. ipsius Constit.); nec non congregationes quasdam, his mutationibus intercedentibus, ad pauca tantum negotia expedienda redactas esse, alias vero negotiis evasisse obrutas.

Haec igitur praecipua ratio constitutionis fuit, Ss. Congregationum et pontificiorum tribunalium competentiam distinctam et certam facere, eam penitus tollendo iurisdictionis *cumulativam*, quae sensim sine sensu in ipsis introducta adeo nocebat negotiorum expeditioni. Quum autem hoc maxime vitare voluerit Pontifex, et periculum fuisset ut denuo ad hanc incertitudinem et confusionem deveniretur, si unicuique δικαστηρίῳ suae iurisdictionis limites determinare datum esset, hoc ipsum munus sapientissimus Pontifex uni congregationi attribuit, scilicet S. C. Consistoriali.

Praeter haec, quae ad constitutionem singularum congregationum tribunalium et officiorum spectant, duo statuuntur in pontificia constitutione, quae respiciunt omnia et singula δικαστήρια iam constituta. Scilicet ante omnia praescribitur ut nil grave et extraordinarium ab his omnibus agatur, nisi prius singulorum moderatores idipsum Romano Pontifici pro tempore significaverint (ex constit. ipsa in fine).

Alterum est, quod « sententiae quaevis, sive gratiae via sive iustitiae pontificia approbatione indigent, exceptis iis, pro quibus eorumdem officiorum, tribunalium et congregationum moderatoribus speciales facultates tributae sint, exceptisque semper sententiis tribunalis S. Rotae et Signaturae apostolicae de ipsarum competentia latis ».

Praeter haec, constitutio piana alia statuit maxime conducentia ad rectam uniuscuiusque officii muneris explicationem. Distinctio, quae prius de facto vigebat, inter administros maiores et minores, nunc etiam de iure introducta est et in unaquaque congregatione quinam maiores, quinam minores sint et vocentur, definitum

est. Illi libere eliguntur ab ipso Rom. Pontifice; hi concursu praehabito a Cardinali officii praeside. Nec licet ex nova constitutione in uno eodemque viro plura cumulare munia.

Quod tum maxime iustitiae distributivae consonum est, tum iuvat ut obligationes et munera officiis variis adnexa melius exsecutioni mandentur. Hoc autem adeo urgetur in *Normis communibus,* ut omnibus his administris vetitum sit sive in suo sive in alieno officio munus assumere agentis, procuratoris aut advocati, uno excepto munere procuratoris, aut advocati in causis sanctorum, quod permittitur administris aliorum δικαστηρίων, exceptis tantum administris S. C. R. Quae dispositio maxime prudens innititur tum rationibus supra indicatis, tum periculo ne tales administri in bonum suorum clientum sive auctoritate sua sive notitiis, quae ratione officii habent, abuterentur.

1667 Pariter in officiis omnibus Curiae excepta s. Rota et Signatura apostolica, *congressus* constitutus est, qui componitur administris maioribus, praeside Cardinali suo. Ad hunc congressum spectat expedire minora negotia, maiora vero reservare discussioni pleni conventus uniuscuiusque officii et ad eam apte disponere.

Rem melius determinant *Normae peculiares,* ex quibus plenae Congregationi, ut dicitur, seu communi iudicio Patrum Cardinalium, si de Cardinalium congregationibus agitur, reservata est solutio dubiorum omnium aut quaestionum de iure interpretando, disceptatio de gratiis maioris momenti, et alia huiusmodi graviora.

Ad *Congressum* e contra pertinet, praeter munus praeparandi ea, quae plenae Congregationis iudicio submittenda sunt, exsecutio eorum, quae a Patribus Cardinalibus fuerunt deliberata, postquam ea Summi Pontifici retulerunt approbationem, eadem aptare similibus casibus, ubi tamen res sit perspicua et nulli controversiae obiecta; largiri pro potestate a Summo Pontifice facta facultates, gratias, indulta, quae consueta sunt et facilia; providere ut quae in δικαστηρίῳ seu officio geruntur, omnia rite procedant secundum const. «Sapienti consilio» et Normas tum communes tum peculiares eidem adiectas.

Maxime etiam attendenda est prae- 1668
scriptio constitutionis, ex qua antiquum ius immutatum ex parte est. Scilicet quaecumque gratiae ac dispensationes a s. Sede concessae non vitiantur ex eo quod ii, quibus concessae sunt, censura forte sunt irretiti. Una est exceptio pro iis scilicet, qui nominatim excommunicati sint aut ab ipsa s. Sede nominatim pariter a divinis suspensi. Aliis omnibus quibuscumque, censuris etiam irretitis, gratiae hae ac dispensationes concessae sunt ratae ac legitimae.

Praecipua vero prae omnibus et 1669
maximi momenti immutatio, quam induxit constitutio piana ea est, ut omnimoda distinctio introducta sit inter eas res, quae via administrativa seu disciplinari, et eas, quae iudiciaria via tractandae sunt.

Nec solum distinctio habetur quoad res alio vel alio modo tractandas, sed etiam quoad tribunalia vel alia δικα-

στήρια, a quibus eaedem videndae sunt et cognoscendae.

Res iudiciario modo tractandae in Curia a s. Rota romana vel Signatura apostolica unice sunt cognoscendae. Res vero, quae agendae sunt via administrativa seu disciplinari, a Congregationibus et ab officiis aliis sunt dirimendae pro cuiusque ambitu competentiae.

Episcopus quilibet est iudex simul et administrator in sua dioecesi. Tamquam iudex habet plures iudices superiores, archiepiscopum scilicet saltem et s. Rotam; tamquam administrator unice habet superiores romanas congregationes.

A sententia igitur episcopi recursus datur seu appellatio ad archiepiscopum vel ad Rotam; ab eius vero provisione administrativa seu decreto, si possit contra eum actio institui, idest si agatur de decreto illegitimo, quo scilicet aliquod alicui damnum iniuste illatum est, etiam ad archiepiscopum vel ad s. Rotam; si actio denegatur, quia non agitur de laesione alicuius iuris sed solum de laesione cuiusdam *interesse*, unice ad ss. Congregationes.

1670 Curia igitur romana ex nova piana constitutione ita constituta est:

Congregationes sunt tredecim vel quatordecim, prout s. Congregatio de Prop. Fide pro negotiis ritus orientalis consideratur tamquam una cum Congregatione de Prop. Fide pro negotiis ritus latini vel ab ea distinguitur. Sunt autem: Congregatio s. Officii; Congregatio consistorialis; Congregatio de disciplina sacramentorum; Congregatio Concilii; Congregatio negotiis religiosorum sodalium praeposita; Congregatio de Prop. Fide (utraque); Congregatio Indicis; Congregatio sacrorum rituum; Congregatio ceremonialis; Congregatio pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis; Congregatio studiorum; Congregatio lauretana (quae Congregationi Concilii, tamquam distincta et specialis congregatio, adiuncta est et unita); Congregatio reverendae fabricae s. Petri.

Tribunalia tria sunt: sacra Poenitentiaria; sacra romana Rota; Signatura apostolica.

Officia sunt sex: Cancellaria apostolica; Dataria apostolica; Camera apostolica; Secretaria Status; Secretaria brevium ad principes; Secretaria epistolarum latinarum.

De his omnibus vide suis locis singula.

Gomez Lud. De officialibus curiae; *Vestri* In romanae aulae actionem εἰσαγωγή idest introductio; *Vestrii Octav.* De officiis et officialibus curiae romanae, et in quibus eorum versetur officium; *Marta Iac. Ant.* Tract. de tribunalibus urbis et eorum praeventionibus; *Whetenhall Th.* De curia romana; *Ortiz Fr.* Curia ecclesiastica; *Castracane* Tr. de sodalitatibus, quae fiunt super officiis romanae curiae; *Lysca Alex.* De romana curia; *A. Corneto S. T.* Formularium cuiusvis generis instrumentorum ad stylum et communem usum romanae curiae; *Aubery* Histoire générale des cardinaux; *Diether Christoph. Lud.* De stylo curiae; *Cohellius I.* Notitia cardinalatus, in qua nedum de S. R. E. cardinalium origine, dignitate, praeeminentia et privilegiis sed de praecipuis romanae aulae officialibus pertractatur; *Lunadoro* Relatione della corte di Roma; *Sprenger I. Theod.* Roma nova; *Uberti Grat.* De

modo et ratione citandi et procedendi in romana curia; *Eybenius Wilh.* Stylus curiae etiam in titulis interdum plumbeus imo cereus; *Plettenberg Hemoldus* Notitia congregationum et tribunalium curiae romanae; *Ridolphini* De ordine procedendi in iudiciis in romana curia; *De Luca I. B.* Relatio curiae romanae forensis eiusque tribunalium et congregationum; *De Luca* Il cardinale pratico; *Vestrius* Practica in curiae romanae actionem; *Platus H.* Tract. de cardinalis dignitate et officio cap. 28; app. un.; *Monaldini* Praxis ecclesiastica curiae romanae; *Danieli* Recentior praxis curiae romanae; *Mejer O.* Die heutige röm. Kurie, ihre Behörden u. ihr Geschäftsgang; *Bangen I. H.* Die röm. Kurie, ihre gegenwärt. Zusammensetzung u. ihr Geschäftsgang; *Haine A.* Synopsis S. R. E. cardinalium congregationum; *Haine* De la cour romaine sous le pontificat de Pie IX; *Bouix M.* Tract. de curia romana; *Simor J.* De sacris congregationibus et illarum auctoritate; *Barbier de Moutault* L'année liturgique à Rome; *Markgraf* Die röm. Kurie in ihrer Ausbildung u. Verfassung; *Phillips* KR. VI § 293, 294, 300; *Hinschius* KR. I. 373 ff. 391 ff. 448 ff. *Scherer* KR. I. 471, 485, 491, 505; *Sägmüller* Lehrb. d. k. KR. §. 55, 89; *Hergen.-Hollw.* Lehrb. d. k. KR. n. 368; *Wernz* II. 619 sqq.; *Lega* De iudiciis eccl. II p. 6 sqq.; *Moroni* Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica; *Grimaldi F.* Les congrégations romaines. Guide hostorique et practique; *Baart* The roman Court; *Sägmüller I. B.* Die Tätigkeit und Stellung der Kardinäle bis Papst Bonifaz VIII; *Lega M.* De origine et natura sacr. romanar. congregationum; *Haller I* Ueber d. Beamten d. Kurie i. 13 n. 14 Ihdt.; *Wahrmund L.* Die « Consuetudines curiae romanae »; *Lega M.* De modo procedendi congregationibus romanis communi; *Grisar Hartmann* Geschichte Roms und der Päpste im Mittelalter B. 1.; *Russo Fortunato* La curia romana nella sua organizzazione e nel suo funzionamento; *Keller Sigmund* Die sieben römischen Pfelzrichter im byzantinischen Zeitalter; *Baumgarten P. M.* Der Papst, die Regierung und Verwaltung der Kirche in Rom; *Hilling N.* Die römische Kurie; *Choupin* In Etud. 1908. 308, 642; *Parayre* La nouvelle organisation du gouvernement central de l'Église; *Susta D.* röm. Kurie u. d. Konzil v. Trient; *Hofmann* Die Neuregelung der röm. Kurie durch Pius X; *Fourneret* La réforme de la curie rom.; *Sestini* Il maestro di camera; *Rasponi* De basilica et patriarchio Lateranensi; *Catalanus* De magistro s. palatii Apostolici; *Galletti* Del vestarario della s. Romana Chiesa; *Id.* Del primicerio della santa sede apostolica e di altri ufficiali maggiori del sagro palagio Lateranense; *Renazzi* Notizie storiche degli antichi Vicedomini del Patriarchio Lateranense e dei moderni Prefetti del Sagro Palagio Apostolico ovvero Maggiordomi Pontefizi; *Cancellieri* Notizie sopra l'anello pescatorio; *Marini G.* Memorie istoriche degli archivi della S. Sede; *Conti O.* Origini fasti e privilegi degli Avvocati concistoriali; *Sägmüller* Z. Geschichte d. Kardinalates; *Maubach D.* Kardin. u. ihre Politik. um d. Mitte d. XIII Iahrh.

Custodes. — Custodes ii sunt, qui praeficiuntur custodiae silvarum, agrorum etc., sive praeficiantur a principe sive a domino privato. Custodes peccare possunt contra iustitiam commutativam erga damnificatos. et in solidum cum damnificantibus erga eos tenentur de damnis culpabiliter non impeditis. Bucc. *II. 94.* 1671

Cymbalum. — Tolerari nequit usus adhibendi cymbalum, vulgo *Pianoforte,* in matutinis tenebrarum et in missis ferialibus, quae organum excludunt, aut dum cantatur Passio. *S. R. C. in Bonaeren. 7 iul. 1899 ad 1 (4044).* 1672

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1758.037 C001 V001
SYNOPSIS RERUM MORALIUM ET IURUS PONTIFI
3 0311 00044 2785

WITHDRAWN

BX 30106
1758
.037 Ojetti, Benedicto.
AUTHOR
V.1 SYNOPSIS RERUM MORALIUM
TITLE
ET JURIS PONTIFICII.

DATE DUE	BORROWER'S NAME